NEDL TRANSFER
HN 4YN7 M


www.libtool.com.cn

Digitized by Google

KF2105 B.30.f.

www.libtool.com.cn





Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

FRANCISCI TURRETTINI

OPERA.

TOM. I.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

B. 30. f.

INSTITUTIO

www.libtool.com.cn

THEOLOGIÆ ELENCTICÆ.

AUTHORE

FRANCISCO TURRETTINO,

IN ECCLESIA ET ACADEMIA GENEVENSI PASTORE

ET S.S. THEOLOGIÆ PROFESSORE.

CUI ACCESSIT

BENEDICTI PICTETI, PROF. GENEV.,

ORATIO DE VITA ET OBITU AUTHORIS.

PARS PRIMA.

EDINBURGH:

JOHN D. LOWE, 69 GEORGE STREET.

M.DCCC.XLVII.

Digitized by Google

KF2105

HARVARD COLLEGE LIBRARY
BY EXCHANGE

MAR 26, 1943

www.libtool.com.cn

PRINTED AT THE UNIVERSITY PRESS,
32 THISTLE STREET, EDINBURGH.

Digitized by Google

ELENCHUS

LOCORUM ET QUÆSTIONUM, ETC.

www.libtool.com.cn

	Pag.
Monitum (de hac editione,)	xiii
Epistola Dedicatoria,	xv
Præfatio ad Lectorem,	xxiii
Oratio Funebris,	xxix

LOCUS PRIMUS.—DE THEOLOGIA.

Quæstio I. An Theologiæ Vox usurpanda sit in Scholis Christianis; Et quot modis sumatur?	3
II. An sit Theologia, et Quotuplex?	4
III. An detur Theologia Naturalis?	7
IV. An Theologia naturalis sit sufficiens ad salutem, seu, An Religio aliqua communis detur, per quam omnes promiscue salvari possint? *Neg. c. Socin. et Remonstrantes,*	10

DE THEOLOGIÆ OBJECTO.

V. An Deus et Res Divinæ sint Objectum Theologiæ? *Aff.*	16

DE THEOLOGIÆ GENERE.

VI. Quodnam sit Genus Theologiæ?	18
VII. An Theologia sit Theoretica, an Practica?	19
VIII. An Ratio humana sit principium et norma ad quam exigi debent Religionis Christianæ et Theologiæ dogmata, quæ sunt fidei objectum? *N. c. Socin.*	22
IX. An Rationi judicium aliquod competat in rebus fidei? An vero nullus omnino ejus sit usus?	27
X. An Rationi humanæ judicium contradictionis in Rebus Fidei permittendum sit? *Affirm.*	30
XI. An aliquis sit usus testimonii sensuum in Mysteriis fidei; An penitus sit repudiandum? *Affir. pr., Neg. poster.*	32

DE USU CONSEQUENTIARUM.

XII. An Dogmata fidei et morum tantum expresso Dei Verbo demonstranda sint; Annon etiam per Consequentias ex Scriptura institutas legitime probari possint? *Aff. Poster.*	34
XIII. An aliquis sit Philosophiæ in Theologia Usus? *Affirm.*	40

DE ARTICULIS ET ERRORIBUS FUNDAMENTALIBUS.

XIV. An dentur loci quidam Theologici fundamentales, Alii non; et quomodo inter se dignosci possint?	44

LOCUS SECUNDUS.—DE SCRIPTURA SACRA.

DE VERBO DEI.

Quæstio I. An necessaria fuerit Revelatio per Verbum? *Aff.*	53

DE NECESSITATE SCRIPTURÆ.

II. An necesse fuerit Dei Verbum scripto consignari? *Aff.*	55

Digitized by Google

Pag.

Quæs. III. An Scriptura Sacra occasionaliter tantum absque jussu divino sit exarata? *Neg. contra Pontificios*, ... 57

DE SCRIPTURÆ S. AUTHORITATE.

IV. An Scriptura Sacra vere sit authentica et divina? *Affir.* . 59

V. An in Scriptura occurrant veræ contradictiones, seu loca quædam ἄλυτα, quæ nulla ratione solvi et conciliari possint? *Neg.* . 66

VI. Unde nobis innotescat Divinæ Scripturæ Authoritas? An ea vel quoad se, vel quoad nos, pendeat a Testimonio Ecclesiæ? *Neg. contra Pontificios*, ... 79

DE CANONE.

VII. An Liber aliquis Canonicus perierit? *Neg.* 87

VIII. An Libri Veteris Testamenti sint adhuc pars Canonis fidei, morumque Regulæ in Ecclesia Novi Test.? *Affir. contra Anabaptistas*, ... 90

DE LIBRIS APOCRYPHIS.

IX. An Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo priores Maccabæorum libri, Baruch, Additamenta ad Estheram et Danielem, bene referantur in censum librorum Canonicorum? *N. contra Pontificios*, ... 93

DE PURITATE FONTIUM.

X. An Textus Originales V. et N. Test. puri et incorrupti ad nos pervenerint? *Affir. contra Pontif.* 96

DE EDITIONE AUTHENTICA.

XI. An sola Editio Hebræa Veteris Test. et Græca Novi sit authentica? *Affir. contra Pontificios*, ... 101

XII. An Textus Hebraïcus hodiernus tam circa res quam circa verba ita sit authenticus et διάπνευστος, ut ad ejus normam universæ quæ extant Versiones sint exigendæ, et sicubi deflectunt revocandæ sint? An vero liceat lectionem quam suppeditat, si minus commoda judicetur, deserere, et eam vel ex Veterum Interpretum collatione, vel quandoque ex proprio judicio, et facultate στοχαστικῇ corrigere, et aliam commodiorem sequi? *Affir. Prius; Neg. Posterius*, ... 105

DE VERSIONIBUS.

XIII. An necessariæ sint Versiones, et quinam earum usus et authoritas in Ecclesia esse debeat? 111

DE VERSIONE LXX.

XIV. An Versio LXX. Veteris Test. sit authentica? *Neg.* . . 115

DE VERSIONE VULGATA.

XV. An Versio Vulgata sit authentica? *Neg. contra Pontificios*, . 118

DE PERFECTIONE SCRIPTURÆ.

XVI. An Scriptura ita perfecte contineat quæcunque sunt ad salutem necessaria, ut nullis post eam Traditionibus ἀγεράφοις opus sit? *Affir. contra Pontif.* 121

DE PERSPICUITATE SCRIPTURÆ.

XVII. An Scriptura ita sit perspicua in rebus ad salutem necessariis, ut sine externo Traditionis ἀγεράφου vel authoritatis Ecclesiasticæ auxilio, a fideli intelligi possit? *Affirm. contra Pontificios*, . 129

DE SCRIPTURÆ LECTIONE.

XVIII. An Scriptura a quolibet fideli legi possit cum fructu, et debeat sine permissu? *Aff. cont. Pontif.* . . . 133

Digitized by Google

Pag.

DE SENSU SCRIPTURÆ.

Quæs. XIX. An Quadruplex sit Scripturæ sensus, Literalis, Allegoricus, Anagogicus, Tropologicus? *Neg. contra Pontificios*, . . 134

www.libtool.com.cn

DE SUPREMO CONTROVERSIARUM JUDICE, ET SCRIPTURÆ INTERPRETE.

XX. An Scriptura, vel Deus in Scriptura loquens, sit Supremus et Infallibilis Controversiarum Judex, et Scripturæ Interpres? An vero Ecclesia, vel Pontifex Romanus? *Affir. prius, Neg. posterius contra Pontificios*, ... 138

DE AUTHORITATE PATRUM.

XXI. An Patrum Scripta sint regula Veritatis in dogmatis Fidei, et Scripturæ interpretatione? *Neg. contra Pontificios*. . . 146

LOCUS TERTIUS.—DE DEO UNO, ET TRINO.

Quæstio I. An Dei Existentia invicte adversus Atheos demonstrari possit? *Affirm.* 153

II. An dentur Athei proprie dicti? *Neg.* 160

DE UNITATE DEI.

III. An Deus sit unus? *Affir. c. Gentiles et Tritheitas*, . . 163

DE NOMINE JEHOVAH.

IV. An ita soli Deo sit proprium, ut sit incommunicabile Creaturis? *Aff. contra Socini.* 166

V. An Proprietates Divinæ distinguantur realiter ab Essentia Divina? *Neg. contra Socinianos*, ... 169

VI. An Attributa bene distinguantur in Communicabilia et Incommunicabilia? *Affirm.* 171

DE SIMPLICITATE DEI.

VII. An Deus sit Simplicissimus, et omnis Compositionis expers? *Affir. contra Socin. et Vorstium*, ... 172

DE INFINITATE DEI.

VIII. An Deus sit Infinitus ratione Essentiæ? *Affirm. contra Socin. et Vorstium*, ... 175

DE IMMENSITATE DEI.

IX. An Deus sit immensus, et omnipræsens secundum essentiam? *Affir. contra Socin. et Vorstium*, ... 178

DE ÆTERNITATE DEI.

X. An Æternitas Dei excludat successionem secundum prius et posterius? *Affir. contra Socin.* 182

DE IMMUTABILITATE DEI.

XI. An Deus sit Immutabilis, et quoad Essentiam, et quoad Voluntatem? *Affir.* 185

DE SCIENTIA DEI.

XII. An omnia cadant sub Scientiam Dei, etiam singularia, et futura contingentia? *Aff. cont. Socin.* 187

Digitized by Google

Pag.

DE SCIENTIA MEDIA.

Quæs. XIII. An præter Scientiam Naturalem, et Liberam, detur in Deo Scientia quædam Media? *Neg. contra Jesuitas, Socin. et Remonst.* . 192

www.libtool.com.cn

DE VOLUNTATE DEI.

XIV. An Deus quædam velit necessario, quædam libere? *Affir.* . 197
XV. An bene distinguatur Voluntas in Voluntatem Decreti, et Præcepti, εὐδοκίας et εὐαρεστίας, Beneplaciti et Signi, Arcanam et Revelatam? *Affir.* 199
XVI. An bene distinguatur Voluntas in Antecedentem et Consequentem, Efficacem et Inefficacem, Conditionalem et Absolutam? *Neg.* 204
XVII. An Voluntatis Dei aliqua possit dari Causa? *Neg.* . 209
XVIII. An Voluntas Dei sit prima Justitiæ regula? *Dist.* . . 210

DE JUSTITIA DEI.

XIX. An Justitia Vindicatrix sit Deo naturalis? *Affirm. contra Socinianos,* 212

DE BONITATE, AMORE, GRATIA, ET MISERICORDIA DEI.

XX. Quomodo inter se distinguantur? 217

DE POTENTIA DEI.

XXI. Qualis sit Dei Omnipotentia, et An se extendat ad ea quæ implicant contradictionem? *Neg.* 220

DE DOMINIO ET POTESTATE DEI.

XXII. Quid et quotuplex sit Dei Dominium? Et an detur Jus Absolutum et Ordinatum? 225

DE S. S. TRINITATE.

XXIII. Quis sensus sit Vocum Essentiæ, Substantiæ, Subsistentiæ, Personæ, Trinitatis, ὁμοουσίου, in hoc Mysterio; et an bene Ecclesia illis utatur? 228
XXIV. An Trinitatis Mysterium sit Articulus fundamentalis fidei? *Aff. contra Socin. et Remonst.* 234
XXV. An in una Essentia Divina Tres sint distinctæ Personæ, Pater, Filius et Spiritus Sanctus? *Affirm. contra Socinianos,* . 238
XXVI. An Trinitatis Mysterium ex Veteri Testam. demonstrari possit, et an sub eo cognitum fuerit? *Aff. contra Socinianos,* . 244
XXVII. An Personæ Divinæ distinguantur ab Essentia, et inter se, et quomodo? 248

DE DEITATE FILII.

XXVIII. An Filius sit verus et æternus Deus, coëssentialis et coæternus Patri? *Aff. contra Socin.* 252

DE ÆTERNA FILII GENERATIONE.

XXIX. An Filius Dei ab æterno sit genitus a Patre? *Aff.* . . 261

DE SPIRITUS S. DEITATE.

XXX. An Spiritus S. sit Persona Divina, a Patre et Filio distincta? *Affir.* 270

DE SPIRITUS S. PROCESSIONE.

XXXI. An Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedat? *Affir.* . . 275

Digitized by Google

Pag.

LOCUS QUARTUS.—DE DECRETIS DEI IN GENERE, ET DE PRÆDESTINATIONE IN SPECIE.

QUÆSTIO I. An Decreta dentur in Deo, et quomodo sint in eo? . . 279
II. An Decreta Dei sint æterna? *Affir. contra Socin.* . . 281
III. An dentur Decreta conditionata? *Neg. contra Socin., Remonstr., et Jesuitas,* 283
IV. An Decretum afferat necessitatem rebus futuris? *Affirm.* . 286

DE TERMINO VITÆ.

V. An Dei Decreto cujusque hominum vitæ terminus fixus et immobilis cum omnibus suis circumstantiis ita sit constitutus, ut alio temporis articulo, et alio mortis genere decedere non possit, quam quo eum decedere contingit? *Affir. contra Socin. et Remonstr.* 289

DE PRÆDESTINATIONE.

VI. An Prædestinatio publice doceri, et prædicari debeat? *Affirm.* 295
VII. Quo sensu voces Prædestinationis, προγνώσεως, ἐκλογῆς, προθέσεως, in hoc Mysterio usurpentur? 297

DE ANGELORUM PRÆDESTINATIONE.

VIII. Ad detur Prædestinatio Angelorum, et An sit ejusdem generis et ordinis cum Prædestinatione hominum? *Prius aff.*, *Poster. neg.* 301

DE PRÆDESTINATIONIS OBJECTO.

IX. An Objectum Prædestinationis sit homo creabilis, aut labilis; An vero homo conditus, et lapsus? *Prius neg.*, *Poster. affir.* . 306

DE ELECTIONIS CAUSA.

X. An Christus sit causa et fundamentum Electionis? *Neg. contra Armin. et Lutheranos,* 314
XI. An Electio facta sit ex prævisione fidei, aut operum; An vero ex sola Dei Gratia? *Prius Neg.*, *Poster. Affirm.* . . 318

DE ELECTIONIS CERTITUDINE.

XII. An constans sit et immutabilis certorum hominum ad salutem Electio? *Affir. contra Remonst.*, ... 326
XIII. An fidelis possit esse certus de Electione sua, certitudine, non tantum conjecturali, et morali, sed infallibili, et fidei? *Aff. contr. Pontificios et Remonstr.* 333

DE REPROBATIONE.

XIV. An absolutum sit Reprobationis Decretum, quod a sola Dei εὐδοκίᾳ pendeat; An vero peccatum propria sit ejus causa? *Dist.* 339
XV. An infidelitas, vel incredulitas, adversus Evangelium, præsupponatur ut causa in Reprobatione? *Neg. contra Remonstr.* 348
XVI. An voluntas Dei servandi perseveranter credentes, et damnandi incredulos, sit totum Decretum Prædestinationis? *Neg. contra Remonstrantes,* 350
XVII. An Deo tribui debeat Voluntas aliqua conditionalis, seu propositum universale miserendi totius Generis humani in peccatum prolapsi, omnibus et singulis Christum Mediatorem destinandi, et eos omnes ad salutarem beneficiorum illius communionem vocandi? *Neg.* 352

DE ORDINE DECRETORUM DEI IN PRÆDESTINATIONE.

XVIII. An aliquis Ordo in Decretis Divinis admittendus sit, et quis ille sit? 371

Digitized by Google

Pag.

LOCUS QUINTUS.—DE CREATIONE.

Quæstio I. Quid sit Creatio? 385
II. An Potentia creandi sit communicabilis ulli creaturæ, vel principaliter, vel instrumentaliter? *Neg.* 387
III. An Mundus fuerit ab æterno, vel esse saltem potuerit? *Neg.* . 389
IV. Qua Anni tempestate Mundus conditus sit? An Vere, An Autumno? 394
V. An Mundus unico momento creatus sit, An vero sex diebus? Et An opera singula cujusque hexaëmeri absque motu et successione temporis creata sint, An vero uniuscujusque productioni integrum diem impenderit? 396
VI. Quo ordine Opera Creationis in Hexaëmero a Deo producta sint? 398
VII. An ex usu Luminarium a Mose posito, Astrologia judiciaria extrui possit? *N. c. Astrologos, et Planetarios,* 403
VIII. An Adamus primus mortalium fuerit, An vero homines extiterint ante Adamum, et Epocha conditi Orbis, et rerum ab hominibus gestarum, multo altius quam ab Adamo sit repetenda? *Prius Affirm., Poster. Neg., contra Præadamitas,* 407

DE HOMINIS CREATIONE.

IX. An Homo in puris naturalibus conditus fuerit, vel condi saltem potuerit? *Neg. contra Pelagianos, et Scholasticos,* . . 412
X. In quo sita sit Imago Dei, ad quam Homo conditus est? . . 414
XI. An Justitia originalis fuerit naturalis, An supernaturalis? *Prius affirm., Poster Neg., contra Pontificios,* 419
XII. An primus homo ante lapsum immortalitatem habuerit, An vero natura et conditione fuerit mortalis? *Prius Affirm., Poster Neg., contra Socinianos,* 422

DE ORIGINE ANIMÆ.

XIII. An Animæ a Deo creentur, An vero per Traducem propagentur? *Prius Affir., Poster. Neg.,* 425

DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

XIV. An Anima ex intrinseca sua constitutione sit immortalis? *Affirm.* 430

LOCUS SEXTUS.—DE PROVIDENTIA DEI ACTUALI.

Quæstio I. An detur Providentia? *Affirm.* 439
II. An Providentia Dei recte dicatur Fatum, et An necessitas fatalis illi bene tribuatur? *Dist.* 444

DE OBJECTO PROVIDENTIÆ.

III. An omnia subsint Providentiæ, tam minima, quam maxima, tam contingentia et libera, quam naturalia et necessaria? *Aff.,* 446

DE PROVIDENTIÆ ACTIBUS.

IV. An Providentia tantum sita sit in conservatione et sustentatione rerum, An vero etiam in gubernatione rerum, per quam Deus ipse agat, et efficaciter concurrat cum ipsis, concursu non generali et indifferente, sed particulari, specifico et immediato? *Neg. Prius, Aff. Poster. contra Jesuitas, Socinianos et Remonstrantes,* 449

DE CONCURSU DEI.

V. An Deus concurrat cum causis secundis, non modo concursu particulari et simultaneo, sed etiam prævio? *Aff.* . . . 453
VI. Quomodo concursus Dei possit conciliari cum contingentia et libertate causarum secundarum, et præcipue voluntatis hominis, 458

Digitized by Google

Pag.

DE PROVIDENTIA DEI IN MALO.

QUÆS. VII. An peccata subsint Providentiæ, et quomodo circa illa versetur? 462
VIII. An ex Doctrina nostra sequatur, et legitima consequentia elici possit, nos Deum facere authorem peccati? *Neg. contra Pontificios, Socinianos, Remonstrantes et Lutheranos*, . . 473
IX. Quis sit usus et abusus doctrinæ de Providentia? . . 479

LOCUS SEPTIMUS.—DE ANGELIS.

QUÆSTIO I. An et quando creati sint Angeli? 485
II. An Angeli sint substantiæ spirituales et incorporeæ? *Aff.* . 487

DE COGNITIONE ANGELORUM.

III. Qualis sit modus, et quale objectum cognitionis Angelicæ? . 489
IV. Qualis sit voluntas et liberum arbitrium Angelorum, et an affectus in eos cadant? 491
V. Quænam sit potentia Angelorum? 492

DE APPARITIONE ANGELORUM.

VI. Quales fuerint Angelorum apparitiones, et quænam corpora assumpserint? 494

DE ORDINIBUS ANGELORUM.

VII. An inter Angelos detur aliquis ordo, et An distinctæ sint inter ipsos Hierarchiæ? *Prius Aff., Poster. Neg., contra Judæos et Pontificios*, ... 495

DE ANGELORUM MINISTERIO.

VIII. Quare, et ad quid Deus utatur Angelorum ministerio? et An unicuique fidelium certus Angelus custos perpetuus assignatus sit? *Neg.*, ... 499

DE INTERCESSIONE ET CULTU ANGELORUM.

IX. An Angeli sint intercessores nostri apud Deum, et An cultus aliquis religiosus illis debeatur? *Neg. contra Pontificios*, . 503

LOCUS OCTAVUS.—DE STATU HOMINIS ANTE LAPSUM, ET FOEDERE NATURÆ.

QUÆSTIO I. Quænam fuerit libertas Adami in Statu Integritatis? . . 513
II. An Adamus vires habuerit credendi in Christum? . . 515

DE FŒDERE NATURÆ.

III. An fœdus aliquod cum Adamo Deus pepigerit, et quale? . 517

DE ARBORE SCIENTIÆ BONI ET MALI.

IV. Unde dicta sit Arbor scientiæ boni et mali, et cur Legem de ea non gustanda Deus Adamo dederit? 521

DE ARBORE VITÆ.

V. Unde dicta sit Arbor vitæ? 523
VI. An Adamus promissionem habuerit vitæ æternæ et cœlestis, ut peracto obedientiæ curriculo in cœlum evehendus fuerit? 525

DE PARADISO.

VII. An Paradisus terrestris hodie adhuc supersit? . . . 528

Digitized by Google

LOCUS NONUS.—DE PECCATO, IN GENERE ET SPECIE.

Pag.

Quæstio I. An Peccati ratio formalis recte consistere dicatur in ἀνομίᾳ? *Affir.*, 535
II. An τὸ ἑκούσιον sive voluntarium, quatenus est illius, qui sciens et volens aliquid agit, sit de essentia peccati? *Neg. contra Pontificios et Socinianos*, ... 537
III. An reatus sit formale peccati, vel adjunctum ejus inseparabile? An vero tantum ejus effectus? et An bene distinguatur in reatum culpæ et pœnæ? 538
IV. An omnia peccata per se et natura sua sint mortalia? An vero aliquod detur veniale? *Prius Aff.*, *Poster. Neg.*, *contra Pontificios*, 539

DE LAPSU ANGELORUM.

V. Quodnam fuerit primum Peccatum Angelorum, quo defecisse dicuntur a Deo? 544

DE LAPSU ADAMI.

VI. Quodnam fuerit primum hominis peccatum, An Infidelitas, An superbia? 546
VII. Quomodo labi potuerit homo integer? et quænam ejus lapsus vera causa fuerit? 549
VIII. An Adamus per lapsum suum amiserit Dei imaginem? *Aff.* . 553
IX. An actualis inobedientia Adami omnibus ejus posteris naturali generatione ab eo oriundis imputetur imputatione immediata et antecedente? *Aff.* , ... 555

DE PECCATO ORIGINALI.

X. An detur peccatum aliquod originale, seu labes et vitiositas inhærens, quæ per generationem ad nos traducatur? *Aff. contra Pelag. et Socin.* 569
XI. An peccatum originale ipsam animæ substantiam corruperit? et An sit mera privatio, An etiam positiva quædam qualitas? 575

DE PROPAGATIONE PECCATI.

XII. Quomodo peccatum originale propagetur a Parentibus in Liberos? 578
XIII. De Peccato actuali, et variis ejus divisionibus, ... 581
XIV. In quo consistat ratio formalis Peccati in Spiritum S., et Cur sit irremissibile? 584
XV. An peccatum possit esse pœna peccati? *Aff.* 589

LOCUS DECIMUS.—DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO IN STATU PECCATI.

Quæstio I. An nomen Liberi Arbitrii seu αὐτεξουσίου retinendum sit in Scholis Christianis, et ad quam facultatem animæ, intellectum aut voluntatem, pertineat? 597
II. An voluntati repugnet quævis Necessitas? *Neg.*, *contra Pontificios et Remonstrantes*, ... 599
III. An ratio formalis Liberi Arbitrii posita sit in indifferentia? An vero in lubentia rationali? *Prius Neg.*, *Poster. Aff.*, *contra Pontificios*, *Socinianos et Remonstrantes*, ... 602
IV. An Liberum Arbitrium in statu peccati ita sit servum, et peccato mancipatum, ut nihil possit quam peccare: An vero vires adhuc habeat sese inclinandi ad bonum, non tantum civile et morale externum, sed internum et spirituale, quod præscriptæ in Lege Dei voluntati accurate respondeat? *Prius Aff.*, *Poster. Neg.*, *contra Pontificios*, *Socinianos et Remonstrantes*, . . 605
V. An Virtutes Ethnicorum fuerint bona opera, ex quibus Liberi Arbitrii vires ad bonum colligi possint? *Neg.*, *contra Pontificios*, 618

Index Rerum, &c. 621

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

MONITUM.

Pauca sunt quæ de hac Turrettini Operum editione monenda videntur.

Editione usi sumus Genevensi, a Samuele de Tournes, Ann. M.DC.LXXXVIII. et seq., vulgata; Prima aliisque, quando id occasio poscere videbatur, collatis.

Quod ad locos e Sacra Scriptura citatos attinet: versiculorum nonnullorum numerationem ita mutavimus, ut ordini versiculorum in Versione Anglica convenirent.

Punctationem hujus editionis magis quam præcedentium ad perspicuitatem conducibilem lectorem inventurum speramus. Quibusdam tamen antiquæ formæ reliquiis non ingratum fore eruditis ut parceremus judicavimus.

EDINB. Cal. Jan.
M.DCCC.XLVII.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMISQUE VIRIS,

D.D. CONSULIBUS TOTIQUE SENATUI

INCLYTÆ REIPUBLICÆ GENEVENSIS,
SALUTEM ET OMNIMODAM FELICITATEM PRECATUR
FRANCISCUS TURRETTINUS.

QUOTIES Reipublicæ istius, ad cujus clavum sedere Vos Deus voluit, status in mentem venit, PROCERES AMPLISSIMI, tot et tanta, quibus inclaruit, occurrunt Dei miracula, ut quod olim de Jerosolyma canebat divinus Vates, de ipsa non immerito prædicari posse nemo inficias iverit, Gloriosa de Te dicuntur, Civitas Dei. Exigua quidem, fateor, et qua vix alia minor in millibus Judæ, si Naturæ commoda spectentur; magna tamen, et qua vix alia major, si attendantur Dei munera. Quamvis vero innumera sint, quæ larga manu Dominus in eam effudit hactenus, et quotidie effundit, beneficia; Duo tamen præ cæteris sunt eximia, quæ dignitatem ejus commendant; *Religio*, qua nihil sanctius, et *Libertas*, qua nihil dulcius: Cum hæc sit veluti altera *Goscen*, quam Solis justitiæ radii collustrant, dum Ægyptus mundi, plusquam Cimmeriis errorum tenebris tegitur; altera Tsohar parva, sed tuta, in qua gratum pii nanciscuntur asylum; dum feralis judicii divini ignis alias complures Mundi plagas incendit et depascitur; vera *Bethsemes* et *Heliopolis*, *Domus et Civitas Solis*, ubi non amplius Sol ille aspectabilis colitur, quod in Gentilismo factitatum hic fuisse non minus constanti quam consentiente fama proditum est; sed divinus Oriens ex alto adoratur, Christus Dominus, qui *Sol* nobis est et *Clypeus*, Sol omnigenæ benedictionis, qui Religionis gloriam asserit, Clypeus Protectionis tutissimæ, qui invictum et inexpugnabile Libertatis præsidium præbet; Quod utrumque Genevæ decus maximum, justissimum admirabilem Dei erga nos Providentiam celebrandi suppeditat argumentum. Quis enim non stupeat, quod in gravissimis illis totius pene Europæ motibus, in quibus nulla ferme regio belli expers visa est, nulla quæ funestissimos ejus effectus non senserit: Nos tamen hactenus pene soli in hoc terrarum angulo alcyoniis gaudentes, intacti et immunes manserimus?

Digitized by Google

Dum alii vastatos agros, Urbes captas et expilatas, incensos Pagos, Provincias excisas, et cæteræ quæ insunt bello lamentabilia, dira visu et immania, non sine summo animi mœrore cernere coguntur, et a patriis sedibus avulsi extorres ac palantes misere vagantur; Nos sub vite et sub ficu nostra pane nostro tranquille vescamur, et alta pace fruamur? Ingratissimi sane essemus mortalium, nisi hanc libertatem et pacem merum Dei, pro salute nostra excubantis, beneficium interpretaremur. Ille solus nobis hæc otia fecit, et facit; Ille unus qui tanti muneris semel Author fuit, ejusdem Stator et Conservator deinceps esse voluit. Quis enim alius tot conjurationum et proditionum technas præter omnem hominum expectationem retegere; Quis alius tot incursiones et molimina ausu nefando facta repellere et irrita reddere potuisset? Qui Hieroglyphicis delectantur, Providentiam omnia sustentantem adumbraturi, Urbem nullo tibicine fultam, in aëre medio pendulam, grandi brachio cœlitus exerto sustentatam, ingeniose describere solent. Geneva nostra non umbratice et emblematice, sed vere, est Urbs illa quæ sola Dei manu, non humanis mediis aut præsidiis sustentatur: *Non exercitu, non viribus, sed Spiritu meo*, inquit Dominus. Verum longe majus et illustrius censeri debet alterum illud beneficium, quod præcipuum est divinæ Protectionis fundamentum, sub cujus umbra hactenus tuti quiescimus; Cœlestis nimirum Veritas, et purioris Religionis depositum, cujus inæstimabili dono beare nos voluit Deus, per quam profligata Romani Anti-Christi tyrannide, Errore triumphato, fugata Superstitione, Idolis dirutis, discussis Tenebris, Lux illa salutaris, quæ *Post Tenebras* jam olim sperabatur, orta est feliciter iis qui jacebant in tenebris umbræ mortis. Beati colles, quos eatenus dilexit Deus, ut in illis aureum Veritatis Candelabrum collocaret, ex quo divinæ lucis radii undiquaque diffusi magnam Orbis Reformati partem illustrarunt! Felix Civitas et Ecclesia, quam tanto honore dignatus est Christus, ut eam in Arcæ domicilium, Evangelii sedem, et Nominis sui sacrarium consecrarit, quæ ut ut mundo exosa furorem et rabiem Diaboli et Anti-Christi in se magis magisque concitari sentiat, Deo tamen dilecta, et instar pupillæ oculi chara, sub umbra alarum ejus suaviter delitescit, non bonis tantum suis læta gaudens, sed ea etiam pluribus aliis grata impertiens, quarum ideo vel Mater vel Nutrix dici meruit, quæ sua incunabula, vel incrementa, post Deum huic nostræ debere se profitentur! Sed eo nomine potissimum beata, quod admirabili Reformationis privilegio singulari Dei favore semper fruatur, et pretiosissimum Religionis κειμήλιον sibi commissum illibatum hactenus servarit! Hæc est gloria, Hæc corona nostra, qua aliis bene multis terrarum populis quibus similem denegavit gratiam, antistamus, et glorioso Peculii Dei, et Sacræ Sionis nomine insignimur.

www.libpol.com.cn

Digitized by Google

Cum vero nihil antiquius nobis esse debeat, quam tanti beneficii, cum grata ejus erga Deum largitorem commemoratione, constans et fidelis custodia: Id fuit, PROCERES AMPLISSIMI, indefessum Piorum Majorum Vestrorum studium, qui ut optimi Ecclesiæ Nutritii, inter primas curas semper habuerunt Religionis non minus ac Libertatis causam strenue agere, ut ea pura, et ab omni errorum contagio libera servaretur: sapientissime judicantes, illam esse, non tam Palladium quo Troja, vel Ancile οὐρανοπετὲς quo Roma olim gloriabatur, quam Arcam fœderis, præsentiæ Dei pignus indubitabile, ex qua retenta et conservata Reipublicæ æque ac Ecclesiæ securitas ac felicitas pendent. Longum esset recensere, quibus errorum portentis teterrimus ille Generis humani hostis, superiori seculo renascentis Evangelii lucem obscurare et extinguere identidem annisus sit; non modo per juratos Reformationis hostes, qui eam sub pristinum Anti-Christianæ servitutis jugum retrahere moliebantur; sed et per vafros Sinones, qui in ejus sinu versantes, sub Religionis fovendæ et illustrandæ plausibili sed falso prætextu, exitialium opinionum sordes in doctrinam invehere tentarunt, a quibus mira felicitate, Majorum vestrorum vigilantia, Dominus eam liberavit. Testantur Annales Vestri, quot et quantis machinis divinum Reformationis opus a primis ferme incunabulis impetitum fuerit; quot profanorum et factiosorum furoribus sancta morum disciplina sit oppugnata, et quoties veritatis Evangelicæ puritas tentata fuerit: modo per fanaticam *Anabaptistarum* colluviem, qui anno 1536, statim a suscepta Reformatione turbas hic dederunt; postea per Petri Caroli impudentis Sophistæ Proteo mutabiliores artes subdolas, et iniquissimas calumnias; mox per *Sebastiani Castalionis*, hodiernorum Semipelagianorum antesignani, exitiales Verbi Dei et Doctrinæ Orthodoxæ corruptelas; per *Grueti* hominis factiosi, Samosatenianismum cum Manichæismo in eandem errorum farraginem conflantis, pessimas technas. Exinde anno 1551, per *Hieronymi Bolseci* impietatem, sanctam Prædestinationis et Gratiæ salutaris doctrinam Pelagiano veneno corrumpere satagentis: Et per horrendas tandem *Michaëlis Serveti*, non hominis, sed monstri ad omnem improbitatem facti, super adorando S. S. Triadis mysterio blasphemias; quas dum evomere homo perditissimus, licet sæpius monitus, non desinit ad pestilentissimum venenum in vulgus spargendum, quod late jam a pluribus annis in celebribus Europæ locis sparserat, tandem in carcerem conjectus, et in pertinacia sua diabolica perseverans, justissimas anno 1553 impietatis execrandæ pœnas tulit. Non desiit tamen Satan toties victus pugnam redintegrare, et novos subinde impietatis magistros excitare, quales fuerunt *Valentinus Gentilis*, *Paulus Alciatus*, et alii ex eodem sodalitio impurissimi Serveti discipuli, qui anno 1558 Tritheïtarum er-

Digitized by Google

rorem cum Samosatenianismo et Arianismo, id est monstra monstris, copularunt. Quos Decessorum Vestrorum authoritas fortiter compescuit, et feliciter fugavit, ut semper magna cum laude, *strenuos et cordatos piæ causæ Vindices se probarint*, quod summus Vir Dei Calvinus ipsis olim honorificum elogium tribuit.

www.nbtoo8.com.cn

Hanc etiam præcipuam esse vestram sollicitudinem, PATRIÆ PATRES Vigilantissimi, zelus et pietas vestra dubitare nos non patiuntur: Nempe meministis Solium pietate et justitia firmandum esse ex Regum sapientissimi Oraculo, nec unquam felix et bene compositum esse posse Regimen vestrum, nisi curetis, ut Verbo Dei sua semper apud Vos constet authoritas, et ut Christus ipse per Vos regnet: ut hic non tam Aristocratia, quam *Theocratia* sit quædam, quæ Deum Præsidem et Rectorem semper habeat: Nec melius consuli posse censetis Reipublicæ saluti, quæ suprema Lex semper esse debet, quam invicta duo ista propugnacula tuendo, puræ Religionis cultum et piam Ecclesiæ fovendæ curam, quam Deus alis vestris tegendam commisit. Quod ita hactenus a Vobis præstitum, ut non modo intemerata ab omni erroris et superstitionis labe Religio hic singulari Dei beneficio permanserit; sed nihil insuper in recepta semel hic puriori doctrina, quam religiose semper retinendam sanxistis, immutatum fuerit. Pergite, DOMINI, constanter in hoc sancto proposito, et facite pia vestra et indefessa vigilantia, ut tanta bona nobis sint perpetua; ut sub vestris auspiciis pietate florens et felix sit semper hæc Respublica ad seros usque nepotes. Quod quidem haud dubie sperare potestis a Deo, qui se fidum custodem fore promisit earum Urbium, quæ sedes Veritatis, et Piorum hospitium forent; Quandiu de eo religiose colendo et retinendo, et gloria ejus ante omnia promovenda semper eritis solliciti; Quandiu curabitis, ut inter Cives vestros Pietas et Justitia, Religionis et Patriæ amor, Charitas et sancta animorum Concordia vigeant, et vitia, plus nimis corruptissimo hoc seculo in Ecclesia etiam pullulantia, severe reprimantur; Quandiu studio vestro Urbs ista suo nomini respondens Reformata vere audiet, tam quoad morum honestatem, quam doctrinæ puritatem; et ut verbo dicam, *Civitas Dei* et vera חמציבה, *in qua* sit *Dei Beneplacitum*.

Quia vero non Rectores Reipublicæ et Viros Principes tantum hæc cura spectat; sed propius tangit eos qui Sacris operantur, quos ad opus suum adhibet summus rerum Arbiter; Non possumus satis mirari providam ejus erga nos curam, qui ut Veritatis sedem sibi hic eligere voluit; Ita nunquam defuit Operi suo, fideles strenuosque Operarios in messem suam mittendo, qui dotibus eximiis præditi divinum repurgandæ Religionis opus intrepide inchoarent, et inchoatum promoverent et perficerent. Neminem latet quantum Geneva

Digitized by Google

debeat insignium Dei Servorum *Gulielmi Farelli*, et *Petri Vireti* laboribus, quibus Deus uti voluit in jaciendis Reformationis fundamentis: sed imprimis maximi et nunquam satis laudati Theologi *Johannis Calvini* τοῦ πάνυ ferventissimo zelo et indefessa diligentia, quem Deus heroïco spiritu, subactissimo judicio, et profunda eruditione mirabiliter instructum, ad opus suum Genevæ difficillimis temporibus omnia alia cogitantem addixit; cujusque operam ad sanciendam puriorem doctrinam et morum disciplinam, non sine magnis certaminibus feliciter impendi voluit. Horum vestigiis insistentes, qui post ipsos lampada tenuerunt, hoc præ cæteris semper sibi proposuerunt, ut rejectis ζητήσεις καινοφωνίας et ἀντιθέσεις ψευδωνύμου γνώσεως quas procul esse jubet Apostolus, sanctissimam illam παραδοσιακήν, quam illibatam a Majoribus acceperant, illibatam etiam religiose custodirent, et ad successores transmitterent. Quo singulari beneficio cum per Dei gratiam etiamnum hodie fruamur, gravissimi criminis reatum effugere non possemus, si hanc gloriam et coronam eripi nobis pateremur, et si quotquot in labores tantorum Virorum succedunt, de premendis fideliter eorum vestigiis non essent solliciti. Ego sane, ut de me aliquid dicam; ex quo Deus ad honorificam stationem, in qua a triginta circiter annis jam versor, singulari vestro favore evectum me voluit, licet me longe imparem tanto oneri semper senserim, et tenuitatis meæ conscientia facile mihi persuadeat, quam procul absim a magnis illis Viris, qui nobis hic præiverunt; sancte tamen coram Deo testari possum, non alium unquam mihi scopum propositum fuisse, quam ut præeuntes, non eodem gradu, sed eadem via semper sequerer, et magna vestigia, licet non passibus æquis, pro virili calcarem. Nec melius spartam quam nactus sum ornare me posse credidi, et sacramenti, ad quod adactus sum in munere mihi commisso, conscientiæ satisfacere, quam si id unice studerem, ut Juventus nobis concredita puriori Theologia, ac sobria et solida, quæ hic semper obtinuit, doctrina imbueretur. Quo sponte propendentem, domesticum etiam duorum fidelium Christi Servorum sanguine mihi conjunctorum, impulit exemplum, magnum dico Theologum *Johannem Deodatum*, Avunculum meum, cujus nomen toto Orbe celeberrimum, et laudatissimum, ac cedro dignissimum, in Sacram Scripturam Opus, ne quid aliud dicam, Virum monstrat: Et *Benedictum Turrettinum*, Parentem meum dulcissimum, benedictæ et desideratissimæ memoriæ, quem immaturo et luctuosissimo præreptum obitu accurati et solidi Theologi laudem obtinuisse, et fama, me tacente, loquitur, et scripta ejus testantur. Hisce magis magisque ad officium excitatus, hoc unum agendum mihi semper duxi, ut, missis vanis et inutilibus quæstionibus, quæ curiositatem pascunt, sed fidem non

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ædificant, ad sacram Verbi Cynosuram omnia mea componerem, et sacræ Deo Juventuti λογικὸν ἄδολον γάλα propinarem, quo in veritate quæ secundum pietatem est quotidie proficere, et ad opus ministerii sese parare posset. Eo respicit Scriptum hoc, cujus prima pars in lucem prodit, quod privatis Tyronum nostrorum usibus primo destinatum, et rudi penicillo adumbratum, publici juris facere, non tam sponte adducor, quam quodammodo cogor, crebris et iteratis eorum flagitationibus satisfacturus, qui aliquod inde commodum accessurum putarunt Sacrorum Mystis, ad faciliorem Controversiarum, quæ nobis cum Adversariis intercedunt, enodationem. An spes ipsorum rata debeat esse, eventus suo tempore cum bono Deo nos docebit.

Interim hoc quicquid est Operis, VIRI AMPLISSIMI, N.N. et A.A. D.D. V.V., qua possum submissione offerre et nuncupare constitui. Licet enim non parum anceps hæserim, an cum levidensi hoc munere ad Vos accedere deberem; nec deessent rationes variæ, quæ a proposito me deterrere poterant: effecit tamen benignitatis vestræ persuasio, et officii mei ratio, ut excusso omni metu non dubitaverim splendida Vestra Nomina huic Operi meo præscribere, ut sub auspiciis vestris felicius et tutius in publicum prodiret, Persuasus, non ingratum fore Vobis argumentum, quod doctrinæ salutaris vindicias continet, qua nihil potest esse in se sublimius, nihil nobis debet esse carius; Nec patrocinium vestrum denegaturos huic opellæ, quæ non alio collimat, quam ad causam Dei, et cœlestem Veritatem, cujus Vos defensores voluit, adversus vana hominum commenta asserendam. Adde quod nihil justius fuit, quam fructus hosce, licet tenues, studiorum meorum vestros facere, qui ipso jure vestri jam erant, utpote in fundo vestro nati et culti; ut meam, si non eruditionem, saltem fidelitatem in obeundo munere mihi commisso, vel ex hoc specimine Vobis probarem. Nec sine ἀχαριστίας crimine alio me respicere patiebatur singularis illa benevolentia, quam familia nostra tota semper a Vobis experta est, ex quo piissimus et integerrimus Vir *Franciscus Turrettinus* Avus meus b. m. ante centum circiter annos ex Civitate Lucensi, relictis omnibus patriæ dulcissimæ commodis, huc concessit, sancto puriorem Religionem profitendi zelo impulsus, ubi sub Amplissimi Senatus protectione cum suis sedem fixit, optatissimæ lucis Evangelicæ usura gaudens, cum compluribus Italæ gentis propinquis et affinibus, aliisque piis viris quos Veritatis amor, et Christi εὐωδία huc adduxerat; ubi ab anno 1552 Ecclesia Italica studio Johannis Calvini, sub præsidio et authoritate Christiani Magistratus constituta est, quæ etiamnum hodie singulari Dei gratia, sub vestro patrocinio conservatur. Cu-

www.ibtbook.com.cn

Digitized by Google

jus beneficii memoria, ut animis nostris infixa æternum hærebit; ita postulat, ut grati animi testificatione apud omnes prædicetur: Eoque magis, quod exinde ejusdem favoris non obscura dare non desiistis argumenta, erga me imprimis, quem non uno honoris genere mactum reddidistis; non modo sacrum, quo tum in Ecclesia, tum in Academia fungor, munus præter omne meritum meum mihi committendo, sed et benigne semper me fovendo, et qualescunque conatus meos eatenus probando, ut non semel alio invitatum, licet nihil minus quam de mutandis sedibus cogitantem, et maxime ante aliquot annos a Celsissimis et Præpotentibus, tum Belgii Fœderati, tum Hollandiæ Ordinibus, ad Professionem Theologicam in Florentissimo Athenæo Lugduno-Batavo honorifice vocatum, benevolo in me affectu hic retinere volueritis: Quo facto meam vobis fidem et obsequium jam addictum, magis magisque ita obstrinxistis, ut malum Nomen merito censerer, si cum debitum dispungere non possim, ingenue saltem illud non profiterer; nec curarem, ut constans aliquod observantiæ in Vos meæ, et grati animi semper extaret monimentum. Accipite ergo serena fronte, AMPLISSIMI PROCERES, hoc exiguum, non exigui sed devotissimi obsequii mei, et propensissimi erga hanc vestram lucis Evangelicæ sedem studii pignus; Et favere pergite illi, qui ut se Vobis plurimum jam debere lubens agnoscit: Ita totum se cultu et obsequio vestrum perpetuo futurum profitetur et spondet. Quod superest, Deum Opt. Max., per quem Reges regnant, supplex veneror, ut N.N. et A.A. D. D. V. V. propitius semper adsit; Rempublicam Vobis, Vos Reipubl., quam diutissime præstet incolumes, et omni benedictionum genere cumulet, Spiritu suo vere ἡγεμονικῷ sapientiæ et fortitudinis, pietatis et justitiæ ita Vos semper regendo, ut Consilia omnia vestra ad Sanctissimi Nominis sui gloriam, Reipublicæ commodum, et Ecclesiæ felicitatem cedant. AMEN. *Dabam Genevæ*, IV. *Idus Februarii, Anno* τῆς Οἰκονομίας M.DC.LXXIX.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

PRÆFATIO AD LECTOREM.

NON possum, LECTOR BENEVOLE, quin paucis hic in limine, consilii mei in edendo isto quod vides Opere, rationes et scopum tibi aperiam, ne aliud de eo censeas, quam quod est revera, vel mihi quicquam hac in parte adscribas, a quo fui semper alienus. Cum enim tot laudatissima istius generis Scripta a Viris Theologis hactenus edita sint, quorum copia Studiosos sæpe inopes facit, incertos cui potissimum addicere se debeant; temeritatis vel imprudentiæ notam vix effugere posse videor, dum ego, qui illos nec ingenio, nec doctrina sum comparandus, quique me ab iis omnibus imparatum agnosco, quæ ad tantum opus cum laude exequendum requiruntur, meos tamen conatus in hoc scribendi genere in medium protrudere audeam, quasi Soli lucem fœnerari possem, vel Iliada post Homerum vellem scribere. Verum præterquam quod sola Muneris mihi impositi conscientia satis superque me tueri hic posset, quod nihil non tentandum præscribit, ut quacunque ratione, sive viva voce sive scripto, Juventutis Deo sacræ studia promoveantur; ut in Tabernaculo Domini extruendo, laudabilis etiam fuit eorum diligentia, qui si aurum, argentum, coccum, et alia id genus pretiosiora conferre non poterant, æs saltem et ferrum, et viliora quæque quæ penes se habebant, imo et pelles, et caprarum pilos offerre non verebantur, Deo non ex pretio rerum dona, sed ex animi affectu æstimante: Ipsa Operis suscepti occasio, non quæsita sed oblata, imo obtrusa, quid a me sit præstitum, et quo animo, abunde testabitur. Dum enim informandæ Juventuti ex Muneris demandati ratione non publice tantum, sed et privatim pro virili incumbo; inter cætera Celeberrimi Maresii Decades Tyronibus nostris ventilandas proposui, quod ut utilius ab ipsis fieret, Controversiarum, quæ ibi attinguntur, statum et fundamentum paucis aperiendum duxi, additis etiam distinctionibus et Observationibus aliquot, quibus πρῶτον ψεῦδος Adversariorum retegeretur, et præcipuæ objec-

Digitized by Google

tiones solvi possent: nec viva voce contentus, scripto etiam consignari ista volui, ut firmius memoriæ infigerentur. Ita opus paulatim crevit, nec sine aliquo fructu Studiosorum manibus versatum est. Atque hunc laboris mei scopum mihi duntaxat proponebam, nec de tumultuario opere edendo unquam cogitassem; nisi hoc et Studiosorum preces, et Amicorum vota, et non incerti rumores ad aures meas perlati de illo ab aliis me inscio alibi evulgando, non tam obtinuissent, quam extorsissent. Ne ergo rude et indigestum, variisque mendis et lacunis fœdatum prodiret, constitui tandem ἐκὼν ἀέκοντί γε θυμῳ votis hoc a me efflagitantium cedere, et qualemcunque hanc opellam, diligentiori paulo cura recognitam et auctam, et accuratiori methodo digestam, in lucem mittere, ut qui eruditionem non possum, obsequium saltem amicis, et studium veritatis tuendæ, omnibus probarem. Unde si quis plura in illa desiderat, et fœtum hunc crudum et immaturum dicat, habebit me confitentem, qui id primus profiteor, et hoc etiam addo, tolli potius debuisse, quam exponi. Ideo etiam *Institutionis Theologiæ Elencticæ* nomen illi impositum, ne Systema aliquod Theologiæ plenum et accuratum hic tradi quis credat; hic enim mihi scopus propositus nunc quidem non fuit, sed tantum ut præcipuarum Controversiarum, quæ nobis cum Adversariis qua veteribus qua recentioribus intercedunt, momentum exponerem, et filum Ariadneum Junioribus subministrarem, cujus ope ex earum labyrintho se facilius extricare possent. Cum enim in hoc Eristico seculo, Viros Dei non deceat tantum penitiori Veritatis notitia imbutos esse, πρὸς τὸ ὀρθοτομεῖν τον λόγον τοῦ θεοῦ; sed et armis justitiæ potentibus, et scuto inprimis fidei instructos esse πρὸς τὸ τοῦς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, ad ignita Satanæ tela restinguenda, et destruendas munitiones et ratiocinia adversus cognitionem Dei se efferentia, ut omnis cogitatio captiva in obsequium Christi abducatur: Non melius prospici potest Studiosorum profectibus, quam si doceantur cum *trulla gladium* tractare, quod olim Ædificatores Jerosolymitanos fecisse refert historia sacra; id est cum παιδείᾳ veri, cui fides inædificetur, jungere ἔλεγχον falsi, quo errores, quibus vel directe vel indirecte impugnari solet, solide refutentur, ut feliciter occupari queant in expediendis tot tantisque Controversiis gravissimis, quæ hodie plus nimis, proh dolor! inter Christianos fervent, et Ecclesiam Domini misere lacerant. Quia vero constat præ cæteris periculose errari sæpissime circa Controversiæ statum, quo ignorato, fit ut ἀστόχως Andabatarum more, cum larvis infeliciter dimicetur; Id mihi ante omnia negotii dedi, ut remotis illis quæ sunt ἐξαγώνια, Statum et Cardinem præcipuum Quæstionum diligenter ex sententia Partium quantum fieri potuit eruerem et exponerem, ut eo semel rite posito et explorato via facilis ad reliqua complanaretur, sive κατασκευαστικῶς Veritas esset adstruenda, sive per

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

ἀναστενὴν Error destruendus veniret. Quæ duo mihi insuper exc-quenda proposui; non ut rationes omnes operose congererem quæ in medium afferri solent confirmandæ veritati, quia hic non tam numero quam pondere certandum; sed ut potiores et solidiores quibus fulciri potest cum judicio sublegerem, robore etiam, ubi opus fuit, iis addito, et Exceptionibus præcipuis τῶν ἐξ ἐναντίας dilutis. Quibus tandem Fontes Solutionum subjiciendos censui, ut paucis et uno veluti obtutu, missa prolixa argumentorum serie, distinctiones occurrerent, quibus tela Adversariorum retundi, et nervi præcipuarum Objectionum sine magno labore incidi possent. Quæ omnia brevitate et perspicuitate exequi conatus sum, ut nec nimia brevitas obscuritatem, nec nimia prolixitas tædium pareret. Unde nuda et simplici rerum expositione contentus, omissa operosa testimoniorum quæ coacervari poterant citatione, omnique eruditionis apparatu, brevibus punctis signare satis habui, quæ alias in justa argumenti tractatione deducere potuissem. Nemini autem mirum videri debet, si Vel Quæstiones varias proletarias attingam, quia prodesse hic studeo, non eruditis et mysteriorum nostrorum ἐποπταις, qui scriptis istis haudquaquam egent, sed τοῖς κατηχουμένοις, et nondum initiatis, qui erudiri volunt; quorum institutioni, ut vocem loquendo, ita stylum scribendo, accommodare debemus: Vel alias intactas reliquerim, quarum in Locis Communibus mentio sæpe fieri solet: Cum enim Controversiarum mole plus nimis jam laboret, et tantum non obruatur Theologia nostra, ex quibus non paucæ minus necessariæ sunt, multæ etiam temere moventur ab hominibus male sanis qui, vel infelici curiositate, fastidientes aperta in Scripturis, in clausa et obsignata in cœlis quærunt, et in arcana Dei penetralia irrumpere satagunt, ἐμβατεύοντες εἰς ἃ μὴ ἑωράκασι, vel illiberali καρφολογία inanes verborum apices sectantur, et nodum in scirpo quærunt; plurimum semper interesse duxi ad discentium profectum, et pietatis incrementum, Quæstiones minuere potius quam augere, quantum veritatis ratio patitur: Ideo eas seligere volui, quæ vel majoris momenti, vel magis necessariæ hoc tempore visæ sunt, cæteris missis, quæ vel arduæ sunt nimis et curiosæ vel inanes et jejunæ, quas Apostulus ζητήσεις μωρὰς καὶ ἀπεράντους vocat, quæ nec ignoranti nocent, nec scientem juvant; Ut aurea semper obtineat Apostoli regula, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Atque ita sollicite fugiendam judicavi profanam illam ingeniorum libidinem, ad nova et curiosa prurientium, nihilque studiosius egi, quam ne deflecterem a forma saniorum sermonum, et ut fidei pristinæ simplicitas et εἰλικρίνεια, quam post Christum et Apostolos pii Decessores nostri nobis tradiderunt, et quæ constanter hic obtinuit, intemerata semper a me, quantum fieri posset, servaretur. Non ignoro equidem hoc forte minus fore ad

Digitized by Google

palatum multorum, quorum nimis ferax est hoc seculum, quibus vetera sordent, et nihil nisi musteum et recens probatur, qui δοκησίσοφοι et ἰδιογνώμονες, sibi solis sapientes, rationis suæ judicio plus æquo tribuunt, quasi mensura esset veritatis, et sub specioso majoris lucis, et penitioris indaginis veritatis antea ignoratæ, prætextu, ante se tradita convellere, bene constituta destruere, et ἰδίας ἐπιλύσεις et κυρίας δόξας instar oraculorum obtrudere præsumunt, et a se dissentientes tanquam bonæ mentis vacuos, imperitos, et veteribus formulis serviliter addictos, traducere non erubescunt. Sed quod illi vitio vertunt, vel inscitiæ tribuunt, id ego cum vere cordatis laudi duco, et præcipuum commendationis argumentum arbitror. Nam cum antiquissimum quodque sit verissimum, nulla melioris notæ scriptio dari potest, in argumento præsertim sacro, quam quæ minus novitatum habet; Vetera hic optima, et quæ ad primam antiquitatem exacta; tristique experientia nimis compertum est, quam periculose sæpe aberrent, qui notos et tritos hic calles spernunt, ut sectentur novos, qui in avia et præcipitia ut plurimum abducunt.

Fateor, non aspernandum esse Recentiorum industriam, qui luculentiora dona a Deo consecuti, et peculiari ingenii acumine pollentes, cum laude occupantur in Scripturis scrutandis, et veritate illustranda; Et ingratus esset in Deum talium donorum authorem, qui debita laude illos fraudare vellet, vel nollet ex illis proficere. Sed ut sub hoc prætextu vetera superciliose rejiciantur, et novitia dogmata in Ecclesiam inducantur, quasi illi qui nobis præiverunt in caligine et tenebris adhuc versati sint, nec Religionem ab erroribus suis satis repurgaverint: Hoc sane et famæ tantorum Virorum est injurium, et Religioni probrosum, et piis auribus intolerandum. Commendentur ergo Libri alii a novitate, hoc elogium nolim huic meo vindicare; imo id sedulo cavi, ne quid novum haberet, et a Verbo Dei, et formulis publicis ex illo in Ecclesiis nostris receptis alienum; et ut nihil ibi adstrueretur, quod probatissimorum et optimæ notæ Theologorum nostrorum calculo non confirmaretur. Laudem porro ex hac mea opella nec expecto, nec expeto, sed satis bene mecum actum putabo, si æqui bonique consulas hoc qualecunque meum de Ecclesia Dei bene merendi studium, et si aliquis inde fructus, divina benedictione accedente, ad Veritatis illustrationem et Piorum ædificationem redeat. Quod si non ingratam tibi, nec plane inutilem primam hanc Laboris mei partem, quam solam in lucem prodire ægre patior, fuisse intellexero, alacrius ad alteram pergam, et faciam cum bono Deo, si vires vitamque largiri dignetur, ut quanto ocyus fidem datam exsolvam. Interim quia homo sum, et nihil humani a me alienum puto, si quid a me hic dictum fuerit, quod cum Scriptura unica fidei nostræ regula

Digitized by Google

minus conveniat, non solum illud indictum, sed et expunctum volo. Tu vero, LECTOR AMICE, dum bene dictis favorem, et erratis veniam indulges,

www.libtool.com.cn

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

Faxit Deus veritatis et pacis, ut in veritate et charitate semper ambulantes, crescamus in dies in eo qui Caput est, donec perveniamus omnes ad unitatem fidei, et cognitionis Filii dei, in Virum perfectum, et ad mensuram adultæ ætatis Christi. AMEN.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

BENEDICTI PICTETI

ORATIO FUNEBRIS

DE VITA ATQUE OBITU

FRANCISCI TURRETTINI;

HABITA DIE III. NOVEMB. AN. M. DC. LXXXVII.

AMPLISSIMI PROCERES, Reipublicæ nostræ lumina ac Columina: Magnifice hujus Athenæi Rector: Venerandi et celeberrimi Pastores ac Professores, Genevensis Ecclesiæ et Academiæ splendida decora: Nobilissimi, Generosissimi, Præstantissimique omnium ordinum Hospites: Vosque Sacri Deo Naziræi, Prophetarum Filii dilectissimi:

VERBA desunt rebus immensis. Vis magna vocem emittit; Major tenet. Curæ leves loquuntur; Ingentes stupent. Non sese confestim ostentat intensus dolor; sed vi sua verbis obluctantibus viam intercludit. Post publici parentis interitum, gelidus cuique præ animi consternatione hebet sanguis, sicut amisso Patrefamilias vastum tota domo silentium, et elinguis lachrymarum imber, aut turbidi et confusi quidam ejulatus. Hactenus tacuit Athenæum nostrum, et horrore sacri silentii luctum obsignavit. Dolor infandus repressit ora, et tristia negavit verba. Verum diutius vox nostra supprimi nequit, nec valet amplius animus tacitum sub pectore nutrire vulnus. Majora cruciant quam ut moras possim pati; flammæ medullas et cor exurunt meum. Lachrymas lachrymis miscere juvat, et verbis obductum dolorem vulgare. At quid eloquar? Unde dicendi exordium? "Grandes," ut cum Hieronymo loquar, "materias ingenia parva non sustinent, et in ipso conatu ultra vires ausa succumbunt, quantoque majus fuerit quod dicendum est, tanto magis obruitur, qui magnitudinem rei explicare verbis non potest." Mens stupet, manus tremit, lingua balbutit, et quoties nitor in verba prorumpere, toties implentur oculi, et renovato dolore totus sum in funere. *Turrettinus* noster fuit, Eheu!

Quis talia fando,
Temperet a lachrymis?

VERUM si quædam mœroris solatia esse dixerunt nonnulli, de mortuorum ortu, supremoque fati die verba facere, hanc qualemcunque

Digitized by Google

gravissimo dolori quæramus medelam, ac quandoquidem nobis, licet balbutientibus, Tanti Viri locus venit occupandus, sit ille nostræ primæ post ferias prælectionis argumentum; Etenim bene ac sapienter instituerunt Veteres, ut hominum illustrium, qui rebus gestis, aut studiorum præstantia inclaruissent, ne funera quidem tacita ducerentur, sed hæc quoque laudantium exequialis honos prosequeretur. Ipsis Indis alio Sole calentibus viguit consuetudo, ut mortuorum Vitam moresque pro foribus domus ipse describeret Magistratus; et Quis XII Tabularum Legis sancitum, cujus meminit Tullius, ac Græcorum Ἰάλεμον ignorat? Barbarici quippe operis Mausolæa, Phrygios lapides, saxo aut ære structa monumenta, tabida atque invidiosa consumit vetustas; at durat exempta fortunæ merita laus et prædicatio virtutum.

www.ertool.com.cn

Quod si moris erat, teste Stridonensi, "ut supra cadavera parentum in concione pro rostris laudes liberi dicerent, et instar lugubrium carminum ad fletus et gemitus audientium pectora concitarent;" Quidni hodierna die idem officium præstarem desideratissimo Avunculo, imo Venerando Patri, quod olim *Cæsario* aliisque præstitit Nazianzenus, et Hieronymus *Nepotiano*, atque hoc seculo apud nos Θαυμασίῳ *Bezæ* Consultissimus *Lectius*, Clarissimus *Fayus*, Doctissimus *Laurentius*, et Venerabili *Goulartio* Celeberrimus *Tronchinus*.

Eant alii in laudes Magnatum fato functorum, atque meris mœroris imitamentis, aut fallaci Encomiorum jactatione blandiantur, dum hæc justa Mystæ meritissimo, ac dulcissimæ mihi æternum memoriæ Doctori, persolvam.

Favete, *Amplissimi Proceres;* Quem vivum ac spirantem tanto cum applausu audistis, audite etiam defunctum.

Favete, *Ecclesiæ* et *Academiæ*, cujus pars non parva fuit, radiantia sidera.

Favete omnes, quos hic funestat dolor, nec a me inanem verborum apparatum expectetis. Lugubri argumento non conveniunt vernantes Oratorum flores; in hoc imprimis justissimo luctu, ubi publica velut orbitas se omnium oculis ingerit. Date igitur veniam, et mihi parcite, ad dolendum quam ad orandum paratiori.

Quamvis, juxta *Senecæ* effatum, "non faciat nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, quia nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit nostrum est;" Si tamen familiæ dignitas quicquam facit ad justam excelsis mentibus conciliandam venerationem, De nobili stirpe gloriari potuisse nostrum *Turrettinum* illis omnibus notum est, qui in pervetusta Lucensi Republica ejus Majores primas sedes tenuisse norunt.

Primus, qui nostras Oras appulit, et Genevæ pedem fixit, vocabatur *Franciscus Turrettinus*, nostri defuncti avus p. m., qui ante seculum

Digitized by Google

relictis omnibus patriæ dulcissimæ commodis, sancto veram Religionem profitendi et optatissimæ lucis Evangelicæ usura gaudendi zelo impulsus, post varios casus huc tandem concessit. Antuerpiæ per aliquot vixerat annos, ubi Nobilissimi Marnixii Santaldegondani familiaritate utebatur. At ex illa urbe a Duce Parmensi obsessa exire coactus, non sine magno vitæ discrimine, cum primum Genevam, dein Tigurum tanquam in asylum, et velut quoddam humanitatis pluribus locis proscriptæ lararium, se recepisset, ibique totum transegisset quinquennium, rursus Genevam nostram exosculatus est, nec eam reliquit dum vita mansit superstes. Vir erat, si quis unquam, integer vitæ, scelerisque purus, fraudis expers, tenax promissi, fidemque indocilis temerare pactam; sinceræ pietatis amans, qui non divitias, ut verbis Claudiani utar, nigrantibus abdebat antris, nec tenebris damnabat opes, sed imbre largior egenos sublevare lætabatur, et ita sibi gloriam post fata superstitem ad suos nepotes servavit, orbe vivaciorem, nec senectæ æruginosæ dentibus obnoxiam. De illo dicere par est quod sacer Vates, Psal. cxii. "Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum."

Ex illo natus est *Benedictus Turrettinus* nostri οὐρανοπολίτου parens, Genevæ quondam amor ac decus grande, hujus Ecclesiæ et Academiæ splendidissimum jubar, μεγάλη σάλπιγξ, καὶ ὁ θεμὸς τῆς ἀληθείας προστάτης; cui haud dubie Gregorii Nazianzeni Athanasium laudare aggredientis aptari vox illa possit, Ἀθανάσιον ἐπαινῶν ἀρετὴν ἐπαινέσομαι;

Cujus inexhaustum fœcundi pectoris uber,
Doctrinæ pollentis opes, mirandaque mentis
Lumina doctorum mirata est turba Virorum,
Et quæ perpetuis sacravit pignora chartis;

Imprimis doctissimum illud Opus adversus *Petrum Cotonum*, veteranum illum Jesuïtam, qui Bibliorum nostrorum Versionem adortus fuerat, ac de Genevæ conservatione non Dodonæam quercum, sed atrum Ditis tripodem excusserat, et ab Energumena, ut refert Thuanus, digna Theologo curiositate fuerat sciscitatus, quo tempore Calvini hæresis extingueretur, atque alia quæ, observante celeberrimo Historico, aliunde (quam a patre mendacii scilicet) cognoscere spes non erat. De illo hoste miros *Benedictus* noster egit triumphos, et spolia ampla retulit,

Non suspendenda Quirino
Dona Patri.

Anno M. DC. XX. Alezianæ Synodo interfuerat, cujus Præses erat *Petrus Molinæus*, de quo præstat tacere, quam pauca dicere, siqui-

Digitized by Google

dem Gallia, Germania, Britannia, Helvetia, Batavia, Europa tota, totus orbis Christianus, novit quantus fuerit. In hac Synodo omnium amorem et admirationem meruit Magnus *Turrettinus;* Ne enim credas solius Theologicæ arcana scrutatum fuisse, vix dici poterat, (quod de nonnullis observat Hieronymus) quid plus in illo admirarentur docti, Eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum; qua laude inclaruerunt Tertullianus, Arnobius, Victorinus, Ambrosius, Boëtius, Cassiodorus, Calvinus, Beza, Danæus, Junius. Vir erat cujus omnes laudabant fœlicem authoritatem, eruditam pietatem, salutarem eloquentiam, animum ad utramque fortunam infractum, simplicem illam et a Christo laudatam prudentiam, sanctam tolerantiam, pacis ubique sarciendæ studium, cœlo dignam sanctimoniam, integritatem, effusam in omnes benignitatem, quas singulas virtutes in Leone X. frustra aliquando sperasse Erasmum, cuivis, ut reor, notum est.

Longævitate dignus videbatur, qui immortale nomen sibi peperererat; At fere terris nostris tantum ostenderunt fata. Vix septimam annorum hebdomadam ingressus, durissima correptus febre, immatura morte ereptus est, et velut a visceribus patriæ avulsus. Vivas tamen et expressas sui imagines reliquit; Duxerat uxorem lectissimam et nobilissimam virginem, omni sexus laude præditam, ex illustri *Michæliorum* prosapia oriundam, anno 1616. Ex illa (præter natas, quas adhuc in vivis esse gratias agimus Deo quantas possumus maximas, et de quibus hoc unum dicere sufficit, utroque parente non esse indignas) plures habuit natos, quorum duo etiamnum hodie superstites, Viri integritate, pietate, candore, multiplici rerum usu, nec vulgari cognitione, conspicui. Medium inter eos tenebat desideratissimus Noster *Franciscus*. Dies illi natalis fuit 17 Octobris anni M. DC. XXIII., qui emortualis fuerat *Philippo Mornæo Plessæo*, et *Paulo Veneto* Ordinis Servitarum, Viris majorum imaginibus, et sua virtute ac eruditione inclytis, metas ingenii et laudis egressis; Nimirum sicut inter Astra aliis horizontem nostrum subeuntibus, alia in adverso hemisphærio emergunt. Eodem anno Gregorius XV. Pontifex extremo sua fata die clausit, et Franciscus Contarenus in locum Antonii Prioli Venetiarum Principis subrogatus est. Eodem, Synodus Carentonensis habita, et Ecclesia Genevensis cœpit in Eucharistia fermentato uti pane, juxta veterum Christianorum praxim.

ORIENTIS Solis jubar admiramur, et de culmo segeteque futuram conjicimus messem. Ab ineunte ætate noster *Turrettinus* ingenii sui edidit specimina, unde facile erat augurium ab his carceribus eum ad summa quæque perventurum. Suo confirmabat exemplo sententiam Scriptoris sapientissimi Probi Imperatoris indolem primam extollentis: "Nemo," inquit, "unquam ad virtutem pervenit jam maturus, nisi qui puer virtutum seminario generosiore concretus

Digitized by Google

aliquid inclytum designavit." Hos ingenii igniculos, et hæc virtutum seminaria pro sua sagacitate apprime percepit Venerandus Nostri *Francisci* parens; Cum enim morti proximus esset, et fere jam supremo erraret in ore spiritus, ac ejus lecto delectus noster admotus fuisset, de eo sanctum illum Virum, dicamne Vatem, seriori rogo dignum, hæc verba protulisse nobis relatum; *Hic sigillo Dei obsignatus est.* Ita Athanasius a teneris Alexandrino Episcopo suspicandi dedit locum fore aliquando insignem gregis Dominici Pastorem, et in Basilii magni ætate prima, florentis ingenii sanctæque pietatis ignes ita emicuisse legimus, ut Sacerdotem inter Christianos diu ante sacerdotium fuisse dixerit non nemo.

Peractis aliquot pueritiæ annis, et primis literarum spatiis, quæ fastidiosa oratione prosequi non est animus, scholastico pulvere feliciter excusso, publicarum lectionum auditor, et Philosophicarum artium ἀσκητὴς factus est. Qua erat ingenii fœlicitate, eos tunc fecisse progressus, qui prolixam messem spondebant, ab illis accepimus, qui cum eo vacabant studiis, et quos adhuc vivere nostræ Ecclesiæ gratulamur, inter quos eminet Venerandus *Carolus a Furno*, vigilantissimus ac meritissimus Ecclesiastes, canorum reverentia, pectoris candore, laborum patientia, nec vulgari eruditione, insignis, quem diserto ore nec senescente facundia concionantem ac pulpita nostra pulsantem miramur. Nullam partem literarum noster μαχαίρης intactam aut inexpertam relinquebat, sed curiosa indagatione omnia rimabatur, et manibus libros adolescens veteranis evolvebat; sic ambitu fervido suprema laudum surgebat ad cacumina, longe suorum vota vi mentis superans, et factis probans velociores esse mentis vias, quam qui citato volvitur dies gradu.

Emenso fœliciter Philosophico stadio, Theologiæ se totum mancipavit. Summos viros, et toto orbe celebratissimos habuit præceptores; *Johannem Deodatum* magnum illum Theologum, qui in Synodo Dordrechtana, qua nulla fuit a multis retro seculis celebrior, tot habuit suæ eruditionis ac subacti judicii, et excelsi ingenii testes et tubas, quot auditores, ac in Conventu Salmuriensi animos nimius effervescentes ita tranquillavit, ut Regina Galliarum ipsi suo nomine gratias agi non semel voluerit; Cujus amicitiam Principes viri ac purpurati suo verendi murice exoptarunt, et opus in sacrum Codicem monimentum est ære perennius: *Theodorum Tronchinum*, qui etiam inter Dordracenos Patres tantam de se existimationem excitavit, ut summi Theologi nomen meruerit, et cujus laus non infima est fortissimo *Rohano* placuisse; Veritatis assertorem acerrimum, qui adversus Cotonum calamum vivide strinxit; Senem beatum, quem ad ultimam canitiem rara fœlicitate videre lætata est *Geneva* ordinis nostri decus illustre, et sacræ pharum juventæ, quemque renascentem vene-

Digitized by Google

rati sumus et veneramur in Reverendo nostro *Tronchino* hujus Athenæi splendidissimo sydere : *Fredericum Spanhemium* famigeratissimum illum Doctorem, quem revereri non desinet sacrata Doctorum turba,

Dum lumina Titan
Exseret ac stellarum ignes volventur Olympo.

Μυστοπόλων μέγα κῦδος ; Europæ θαῦμα καὶ κλέος φίλον οὐρανίδεσσι ; Cujus immaturum obitum Reformatus adhuc defleret orbis, nisi duos post se reliquisset natos *Ezechielem* et *Fridericum*, Quantos Viros ! Proh Deum immortalem ! Duo totius Reipublicæ literariæ lumina, seculi miracula, nostri temporis Phœnices, quos nulla annorum series poterit

Deturbare gradu, memoriqne expungere seclo :

Alexandrum Morum, disertissimum illum virum, cujus os facundum Pylium senem vincere potuisset, et immites ferarum animos lenire ; qui ita nostrum *Turrettinum* exosculabatur, ut cum sub ejus præsidio, Anno hujus seculi 44, Theses de *Necessaria Dei Gratia* propugnandas suscepisset, (ut sub eo, Anno 40, de *Fœlicitate Morali* et *Politica* defenderat) in ejus gratiam versus condere haud gravatus fuerit. Sub tantis Viris quantum profecerit, judicet orbis, non pronuntio. Hoc unum memorasse juvabit, quod scilicet ea facilitate discenda disceret, ut probabilem effecerit quorundam Philosophorum amabilem insaniam, nihil aliud esse discere quam recordari ; sic raro cœli favore, quasi per ludum et aliud agendo plus proficiebat quam alii improbo ac pertinaci labore, et ita magnam eruditionis penum sibi comparavit.

Cum per aliquot annos studiis acriter incubuisset in Academia patria, alias toto orbe celebres lustrandi cupido incessit, et luculento testimonio discedentem comitantur Venerandi nostri Synedrii Patres. Statim se Lugdunum Batavorum contulit, quæ urbs tunc erat, et etiamnum est Musarum domus, officina Palladis, Sophiæ palæstra, dulcis artium parens, læta virtutum seges, et ferax frugis bonæ seminarium. In hac scientiarum Doctorumque sede non privatam tantum Theologorum commendationem meruit, verum et totam Academiam suæ eruditionis testem habuit ; sub celeberrimo enim Spanhemio, de *Verbo Dei scripto* publicas Theses in solenni panegyri defendit. Omnes Viros in Belgio rara eruditione suspiciendos, eloquentia et vitæ sanctimonia claros, sectabatur, Venerandum *Polyandrum*, τὸν πάνυ *Andream Rivetum*, incomparabilem *Salmasium*, θαυμάσιον *Heinsium*, Clarissimum *Triglandium*, Celeberrimum *Voëtium*, Doctissimum

Digitized by Google

Hoornbekium, eruditissimum *Hottonem*, πολύγλωττον *Golium*, facundissimum *Æmilium*, aliosque Viros, dicamne heroas, ἐν τῇ τ' ἀνθρωπίνῃ καὶ θείᾳ σοφίᾳ πενταέλους, collabentium literarum instauratores, eruditionis principes. Illorum publicis privatisque pasci avebat sermonibus, et contubernium omne eruditionis virtutisque expers solitudinem appellitabat. Ultrajecti non sine stupore vidit Virginum doctissimam, decimam Musarum, ultimum in hoc sexu naturæ conatum, *Annam Mariam a Schurman*, nec satis laudibus efferre poterat ejus vastum ingenium, omniumque rerum capax, ac imprimis pietatem qua si non superabat, saltem æquabat *Lætas*, *Eustochias*, *Furias*, *Paulas*, *Priscillas*, *Tellas*, quarum incredibilis vitæ sanctitas multijuga eruditione decorata, Christiani nominis antistites præcones meruit.

Cum ita Belgium perlustrasset, congressus cum his, quos vel eruditio vel integritas morum reddiderat insignes, et undiquaque nonnihil decerpens, quod ad Christianum institutum facere videbatur, Anno 45 tendit in Galliam quæ semper eminuit claritudine Præceptorum, ut agnoverunt Impp. ipsi *Valens*, *Gratianus* et *Valentinianus*, nec unquam fortissimis viris et eloquentissimis caruit, ut testatur Hieronymus, qui Galliarum studia florentissima vocabat. Primum Lutetiam appulit, Europæ quasi metropolim, quam Franciscus I. inter Provincias Galliæ numerabat, et quam Academiarum matrem vocare solebat Lipsius. In hac florentissima Urbe degebant Viri omni laude majores, rei literariæ antistites, ingenii miracula, eruditionis portenta, *Michaël Falcarius*, *Johannes Mestrezatus*, *Carolus Drelincurtius*, *Johannes Dallæus*, *Edmundus Albertinus*, *David Blondellus*, quorum ingentia merita

Non ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Commorabatur noster *Turrettinus* in ædibus Magni *Dallæi*, quod nomen quoties profero, cernere mihi videor assurgentem totam Doctorum catervam. Illius summi Viri amorem, ut et aliorum, sibi comparavit. Mirabantur omnes in hoc juveni Viro eam animi magnitudinem, eos stimulos, et judicii memoriæque fœlicitatem, aliaque animi bona cum sanctitate morum et εὐχρασίᾳ conjuncta. Non tantum in hac augusta et potenti Urbe Theologiæ vacabat, sed et sub Petri *Gassendi* auspiciis, Sphæræ et Cosmographiæ cursum absolvit, ac ex tanto Philosopho intellexit,

Quam variæ mundi partes, quo semina rerum
Fœdere conveniant discordia, lucis et umbræ
Tempora quis motus regat, æstum frigore mutet,
Obscuret Solis vultum Lunæque tenebris.

Digitized by Google

Relictis Parisiis Salmurium contendit, ibique docentes audivit summos Theologos, *Ludovicum Capellum*, *Mosem Amyraldum*, *Josuam Placœum*. Illinc Montalbanum usque progressus est, ubi Clarissimi Viri *Carolus* et *Garissolius* Europæ Reformatæ decora summa cum laude Cathedram Theologicam occupabant; Inde Nemausum petiit, Urbem antiquitatis Venerandæ monumentis, et admirandæ partim pulchritudinis ruderibus ac fragmentis, spectatissimam, in qua *Benedictus Turrettinus* ministerio functus fuerat. Hic noster μακαρίτης Venerandum *Calvum* salutavit, qui ipsum arctissime amplexus est, nec dimittere poterat, siquidem amicissimi Parentis in eo, ut aiebat, imaginem intuebatur expressam. Sic totam peragravit Galliam, ubique sui desiderium relinquens, ac nominis fragrantissimum spargens odorem. Tandem rerum usu, literis ac pietatis ardore, locupletior factus, Gallorum ac Belgarum doctis onustus spoliis,

Optatos lares, et pignora læta revisit.

Tempus erat, ut concredita sibi talenta in publicos erogaret usus. Non mora longa fuit, vix enim patriæ sedis limina tetigit, statim sacri Ministerii honore dignus habitus est anno 47, et sequenti Venerandi Synedrii Patribus cooptatus fuit, ac hujus Ecclesiæ Pastor creatus, Italico Cœtui sacra etiam ministrans; (Nam seu Gallico, seu Latino, seu Italico idiomate, pari ac stupenda facilitate perorabat.) Ubi primum vox ejus in Templis audita fuit, omnes redivivum Patrem agnoverunt, et *Benedictum* in *Francisco* exosculati sunt. Quoties ascendebat suggestum, toties velut altero Sole orto animi recreabantur, omniumque ad ipsum convertebantur oculi et aures; eo flumine eloquii, eo succo suavitatis auribus sese omnium insinuabat, ut Athenis Atticis altum educatumque dixisses; Cuncta usque adeo in ejus labellis plena mellis, plena nectaris. Luxuriabat tanta dicendorum ubertate et copia, ut si quid minus attento effugisset in primis, id in secundis facile reparari posset. Oculorum et oris majestas ea fuit juxta et humanitas, ut attentionem auditorum nullus denegare posset, quippe grata illa augusti simul et humani conjunctio, quæ in fronte observabatur, reverentiam ac amorem omnium adspectantium statim extorquebat; Sic tantam de se existimationem primis illis annis excitavit apud Genevenses, ut anno 1650, ab Amplissimis Proceribus nostris Synedrii Patribus Philosophica Cathedra ipsi non semel oblata fuerit, quam pro sua modestia amplecti renuit.

Non intra angustos Genevæ nostræ cancellos coarctabatur fama nostri μακαρίτου; hinc factum ut cum Ecclesia Lugdunensis *Aaronis Mori* tunc defuncti ministerio orbata plangeret, per literas *Turrettinum* nostrum invitaverit, ei verba viri Macedonis acclamans, βοήθησον

Digitized by Google

ἡμῖν. Hanc vocationem annuente utroque Senatu amplexus est, et a Lugdunensibus blando vultu, lætis vocibus, et sæpius ingeminatis, acceptus fuit.

www.libtool.com.cn

FAUSTIS auspiciis de eo cogitaverat Lugdunensis Cœtus; Ecclesia quippe hæc in partes ibat, atque aliquis erat discordiarum fomes, quum *Noster* æstus animorum compescuit, et motibus omnibus sedatis pristinam reduxit tranquillitatem. Per anni spatium illic suo functus est ministerio, quanto cum applausu referant ipsi Lugdunenses. Diutius apud ipsos esset commoratus, si eorum vota fuissent exaudita; at hoc Viro amplius carere non poterat Athenæum nostrum, et revocare cogebant Ecclesiæ nostræ commoda. Discessit itaque, et quem non sine lætis plausibus acceperant Lugdunenses, non sine lachrymis dimiserunt; Sospes natale solum tetigit; illico de eo in partem laborum Academicorum vocando cogitatum est, et quidem loco Venerandi *Tronchini*, quem cana senectus publice legere non patiebatur. Theologicam itaque Cathedram conscendit anno hujus seculi LIII., et præter Celeberrimum *Tronchinum* τὸν ἐν ἁγίοις, Collegas habuit Clarissimum *Antonium Legerum* Virum magnum, fœcundum literarum pectus, judicio subactum, pietate fervidum, eruditione consummatum; Reverendum *Philippum Mestrezatum* Facultatis Theologicæ Decanum meritissimum, nostro præconio majorem, et cujus encomium honore silentii supprimere cogit ejus præsentia.

Ex quo compos factus est assignatorum munerum, Orationem habuit inauguralem in primum Epistolæ ad Hebræos versiculum tota plaudente corona, et se in solidum rebus Ecclesiasticis ac Theologicis mancipavit. Hic in laudes hujus Theologi excurrendi latissimus sese offert campus; Verum quamvis juxta Nazianzenum æquitatis ratio lædatur, si laudentur alieni, et proximi silentio premantur obscuro; tacere tamen malo quam loqui, ne desideratissimi Avunculi in ore nepotis sordescant laudes, quæ altius eminent quam ut invidiæ morsu appeti possint. Τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἐκ τῆς τῶν λόγων αὐξήσεως συνίσταται τὰ ἐγκώμια, τοις δικαίοις δὲ ἀρκεῖ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς ἡ ἀλήθεια, πρὸς τὸ δεῖξαι αὐτῶν τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἀρετῆς. Narrent alii quanto studio ad Regnum Christi propagandum, et profligandam Antichristi Tyrannidem incubuerit, ac quanta pro Ecclesiæ salute sollicitudine fuerit obsessus; quam solide et erudite sacrum Christi Evangelium exposuerit, non verborum lenociniis auditorum animos, sed solida pascens doctrina, tum histrionicum et ampullatum, tum incultum et neglectum dicendi genus devitans, et anxie cavens, ne oratio nimia verborum compositione frondesceret, ut loquitur Hieronymus, aut spumantia verba trutinaret, et ne tamen humi reperet. Referant alii quanta cum παῤῥησίᾳ seculi mores insectaretur, a servili illo silentio plane alienus, quod divinis Oraculis convenienter, talibus viris inter-

Digitized by Google

dixit Justinianus ipse; quanto cum animi vigore adversus vitiorum publicam labem intonaret, non sine uberibus lachrymis singulos ad pœnitentiam hortans, ipsa ut res fidem faceret non inconsulto ardore, sed paterno in eos quibus irascebatur affectu, publicique boni desiderio permoveri. Quanta cum solertia Doctoris partibus in Cathedra Theologica functus fuerit, quanta ingenii velocitate, quanta perspicuitate involuta evolvebat, distinguebat perplexa, obscura explicabat, dignos vindice nodos resolvebat, aperiebat Sophistarum latebras et recessus, ac qua parte laborabat hostis detegebat, dicant Prophetarum filii, imo Prophetæ: si enim tres aut quatuor excipias, vix Pastor est apud nos, qui non eo usus sit præceptore, et qui ex ejus disciplina non prodierit. Doctorem suum grato animo agnoscunt Helvetii, Galli, Genevenses; Vos omnes appello testes, posteros ac nepotes docete, qualis fuerit Doctor noster μακαρίτης. Heu utinam hodie doceret!

SOBRIUS erat, si quis unquam, Theologus; noverat quippe, ut olim populo Judaïco ad radicem montis accessuro clathri cancellique audaciæ suæ obices positi, sic certa nobis repagula esse constituta, ac nostræ cognitioni multa subducta, quæ summus omnium arbiter hic ignorari voluit, expectari vero in futura beatorum sede; aperta Scripturæ sedula pervestigabat industria, sed in occulta καὶ ἀνωτέρω τῆς κοσμικῆς καταλήψεως temerario ausu non perrumpebat. Dolebat summopere ruere omnia in pejus per vetitum nefas, lacerari Christi tunicam, augeri errores, multorum fidem labefactari, pietatis mysteria hisce temporibus cavillis humanis vellicari, et Samosatenum, Photinum, Arium, infausta et in Christianæ Religionis probrum nata nomina, denuo velut ex orco reduci. Sanguineis deflebat lachrymis, quod multos afficere audiret serpentis Atheïsmi tabes, Socinianismi ac Pelagianismi gliscentis contagia. Omnia Dei arcana mirabatur, non scrutabatur; aiebat inquiri non decere quæ non capit terrestris imbecillitas, ac insanientis esse opus scientiæ, plus sciscitari quam docere vult Deus.

CHRISTIANARUM virtutum imaginem moribus ac vita eum expressisse omnibus notum, qui illius familiaritate utebantur; Nec enim erat ex eorum numero, *qui loquuntur quæ Dei sunt, faciunt quæ sua sunt, phalerata magis quam vera sapientia*, ὁποῖοι οἱ αὐτοῦ λόγοι, τοῖαι καὶ αἱ πράξεις, καὶ ὁποῖα τὰ ἔργα, τοιοῦτος ὁ βίος. Quod Athanasio Nazianzenus tribuit encomium, in *Turrettinum* nostrum apprime quadrabat, ὑψηλὸς μὲν τοῖς ἔργοις, ταπεινὸς δὲ φρονήμασι, tam animo demissus, quam vita erat sublimis. Non quærebat theatrum, nec plausum; honestam apud alios existimationem non spernebat, sed nec etiam captabat; neque unquam ex aliorum obtrectatione monumentum sibi cupiebat erectum; nihil ad gloriam suam, omnia ad publicam refere-

Digitized by Google

bat utilitatem, et ad eorum quibus se totum dederat commodo; Imo si decora sibi ab aliis audiebat accini, eo magis se deprimebat. Cœco sui amore non abripiebatur, quo aliquando nec raro offuscantur complures docti, quibus sua placita, scripta sola placent, aliena sordent, imo qui suas amant cicatrices, et qui sententiam fovent non tanquam veram, sed tanquam suam, neque charitatem, ut præclare Hipponensis ille, ad Christi Domini regulam, verum ad suos affectus exigunt atque metiuntur. Nunquam sibimet *Noster* placebat, nervosque suos ignorans de se sentiebat admodum demisse. Sua abutentem authoritate nullus vidit; semper rogabat, jubebat nunquam, nec ulli quicquam dictatorio fastu præscribebat. Aberant a candidissimo pectore et miti ingenio excandescentiæ et iracundiæ furores, nec parum ea displicebant ingenia, in quibus adeo ignei spiritus resident, ut nullo negotio flammula incendatur, incensa mox erumpat et late grassetur, ac quo plus trahuntur pacis ad studia eo animosius proruant ad bellum. Nec mordax, nec maledicens erat, ab Hieronymo plane diversus, qui ea linguæ impotentia laborabat, ut nullis non morsibus sæviret, nullo non sale luderet, injuriis nullis temperaret, quod ex ejus cum Rufino Aquileiensi Presbytero, cum Vigilantio Hispaniarum Episcopo, cum Joviniano Monacho, et cum Johanne Hierosolymorum Præsule, crebris acerbisque simultatibus, colligere est. Pacis erat amantissimus; Norat quippe non decere pacis et gratiæ ministros fieri Bellonæ filios, et in Martis classica converti tubas Zionis; summoque dolore afficiebatur, dum fratres, Hannibale ad portas neglecto, in mutuam ruere perniciem intelligebat.

Alienis bonis non macrescebat, ea potius summo cum gaudio intuebatur. Nihil illo erat in vitæ officiis humanius, nihil ad promovenda aliena commoda promptius; Viduarum, pupillorum, peregrinorum, egentium, paratus erat defensor, verusque ὀρφανοτρόφος, quod officium τοῖς ἱερεῦσιν ἁρμόζειν recte observavit nonnullus Citri Episcopus; ἐλεημονικὴν καὶ φιλόπτωχον ἕξιν possidebat, ut verbis utar Olympiodori; pauperes consilio et reapse juvabat, atque alacri animo eorum egestati succurrebat, ut qui probe cognosceret τὸ τῆς ἐλεημοσύνης μέγεθος οὐκ ἐν τῷ πλήθει τῶν χρημάτων κρίνεσθαι, ἀλλ' ἐν τῇ προθυμίᾳ τῶν διδόντων, καὶ οὐ τοσότητα εἰσφορᾶς ἀπαιτεῖν τον Θεὸν, ἀλλὰ μέτρα γνώμης. Exterorum amorem omnibus officiis sibi comparabat, ac ipsius domus ædes erant exterorum. Nemo ab ejus sermone tristis discedebat, et diem perdidisse opinabatur, cum nihil cuiquam toto die præstitisset, quod de Tito narrat Tranquillus, ac de Friderico I. refert author non obscurus. Φίλεργος erat, laboris patientissimus, et in perpetuo motu nunquam fatigari videbatur, quasi ipsa contentione animi vires reficerentur ac repararentur,

Digitized by Google

Diris ut ilex tonsa bipennibus,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

www.libtool.com.cn

Ea non refero, ut τὸν μακαρίτην laudibus extollam, nostro quippe præconio non indiget, sed ut vivam defuncti imaginem intueri adhuc valeatis; et hæc nobis ad æmulandum proposita sunto.

Ubi primum Theologiæ Professor creatus est, illico summus Academiæ Magistratus ei demandatur anno 54, in quo obeundo, qua fuerit ille in tutandis Athenæi nostri juribus fide, in surgentem magnis animis juventutem affectu, multorum est recordatio. Per multos annos Rectoratum exercuit, et non semel in celeberrima panegyri peroravit. Digna semper Theologo, digna splendido auditorio seligebat argumenta. De *hujus Scholæ* et *Academiæ natali die*, de *Alexandri VII. Tiberini Pontificis electione*, de *Virtutis ac Veritatis amico consortio, indivulsoque nexu*, et de *Præjudiciis Evangelicorum Christianam concordiam impedientibus*, magnis cum Auditorum acclamationibus dissertavit.

Hoc levatus onere cum fuisset, aliud ipsi non minus grave impositum fuit Anno 61. Cum enim ad nostræ Urbis munimentorum constructionem non sufficerent Genevensium vires, de legatione quadam ad Potentissimos et Celsissimos Fœderati Belgii Ordines Gentem nostræ Genevæ propensissimam cogitatum est, et huic negotio aptissimum fore judicavit noster Senatus dignissimum natum *Benedicti Turrettini*, qui ante quadraginta annos eundem in finem fuerat Legatus. Discessit *Noster* mense Maio, Basileæ lætis vocibus acceptus fuit ab inclytis illis Viris, qui Rauracum Athenæum suo jubare illustrabant; imprimis a Reverendo nostrisque laudibus longo majori *Gernlero*, quo non erat nostro dum vixit conjunctior alter, toto orbe Celebratissimo *Wetstenio*, Doctiss. *Schenawero*, Clariss. *Vollebio*, et Venerando *Werenfelsio*, Vigilantiss. Ecclesiaste, subactissimo Theologo, qui jam in Alma Basileensium Ecclesia et Academia sublime Antistitis munus magno cum omnium applausu sustinet, ac Celeberr. *Buxtorfio*. Inde iter suum in Hollandiam usque direxit. Gratus recensebat, quam humanissime acceperant Illustrissimi Fœderati Belgii Proceres, a quibus aureo torque cum numismate haud exigui ponderis donatus fuerat. Memori mente recolebat gratiosissimas voces et propitium vultum quo suscipere haud dedignatus erat *Serenissimus Princeps Auriacus*, totius orbis miraculum, generis humani amor et delicium. Lætus recordabatur, quot ipsi amoris τεκμήρια exhibuerant Docti, qui tunc in Belgio erant superstites. Pro voto successit Legatio, et si taceremus, munimenta nostra loquerentur. Non refero, Auditores, quanto conatu ac molimine,

Digitized by Google

quibus obtestationibus, et quam invidendis conditionibus Hagensis et Leydensis Ecclesia illius ministerio frui annisæ sint, quantum et quoties Universitas Lugduno-Batava illum ambierit Doctorem, ut nova luce illustraretur, et cæteris luminibus, quibus coruscabat, accenseri posset *Turrettinus*, cujus mirabantur candidissimam animam et totam cœlo devotam, doctrinam ab omni ostentatione intactam, raram integritatem, variæ et reconditæ eruditionis ubertatem, castigatissimi judicii acrimoniam, vigilem ac imperterritum in tuenda et asserenda veritate animum, τὸν μὲν ὀρθοδοξίας ὑπέρμαχον, τῆς δὲ καινοδοξίας ἀντίμαχον. Frustranea fuerunt hæc molimina; reliquit Belgium noster οὐρανοπολίτης, ac suo discessu mœstos reddidit Batavos suæ eruditionis ac suarum virtutum cultores. Illos tamen nunquam nostri Theologi cepit oblivio, hinc inter ejus χειμήλια multas legimus literas ad ipsum exaratas ab Amplissimo Consultissimoque *Burgersdicio*, non Leydensis tantum Urbis, sed et totius Belgii summo ornamento, Magni parentis Magno filio muneribus suis majori, idque non raro nomine Illustrium Nobilissimorumque Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorum et Magnificorum Reipublicæ Leydensis Consulum. Per Germaniam tenderat *Noster* in Hollandiam; at in reditu aliud instituit iter; Parisios iterum lustrare, ac suos claros Præceptores compellare exoptavit. Qui superstites erant, quem audiverant discipulum, audire Doctorem gestierunt; Ipsorum petitioni reluctari non ausus est Noster μακαρίτης, et bis peroravit in Carentonensi Cœtu numerosissimo, cujus dum recordor horret animus, vox hæret faucibus, et turgescunt fletu lumina. Tunc primum cognovit Incomparabilem *Johannem Claudium*, cujus nominis splendore ac radiis totus perstringor atque circumfundor, et quem laudare aut exprimere non aggredior, siquidem res est nostris conatibus major, et ad primam lineam acies hebescit, penicillus labat, industria retunditur, et tremuli ac errantes oculi id effigiare non possunt, quo fascinantur. Tandem sospes reversus ad optata patriæ tecta, magno undique Amplissimorum Procerum, Collegarum et amicorum gratulantium concursu, calidissimo omnium affectu, excipitur, et Academia quæ magno *Legero* orbata squallebat, tanti Doctoris funere exsternata, ad conspectum nostri lætos induere cœpit vultus, ac exultare visa est.

Ad pristinos rediit labores, majorique cum impetu. Anno 68, iterum Athenæi nostri clavum tenuit, atque in solennibus Academicis pro more et qua solebat facundia, de *Geneva conservata*, ac *Ecclesiæ malis et scandalis*, peroravit.

Nihil ipsi deesse videbatur præter ultimos thalami honores; itaque de ducenda uxore cogitare cœpit, ac nobilissimam virginem fecit sui tori consortem *Elizabetham de Masse*, ex qua natam tresque habuit filios, quorum unum adhuc superstitem

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

—Magnarum gradientem ad culmina laudum
Prosequimur cupide, votisque favemus eunti.

www.libtaol.com.cn

Quædam tunc ingenii sui pignora ævo transcripserat, quæ nulla sequens dies oblivione ingloria premi sinet. Anno 64, Pontificio scripto responderat, et veritatem Religionis Reformatæ a cavillis et calumniis Adversariorum vindicaverat. Anno 66, Disputationes emiserat de *Satisfactione Christi* adversus Socinum ejusque infaustam prolem, et adversus Pontificios, quibus alias addiderat de *Circulo Pontificio*, ac de *Concordia Pauli et Jacobi in Justificationis articulo*. Anno 74, *Institutionem Theologiæ Elencticæ* adornavit, in qua statum Controversiarum perspicue exposuit, sine quo Andabatarum more atque infœlici marte dimicatur. Diu quidem hæsit an illud Opus ederet, quippe noverat laborasse pridem in hujus generis lucubrationibus magnorum tum veterum tum recentium Theologorum industriam, imo immensa illarum copia ita obrui litigiosum seculum, ut ni illæ aliquo novitatis lenocinio alliciant lectorem fastidiosum, illum continuo iniquum parturientibus nanciscantur. At tot votis expetita fuit hæc Institutio, ut denegare amplius non potuerit, ac e prœli carceribus prorumpere passus fuerit. Viris doctis non displicuisse testantur innumeræ summorum totius orbis Theologorum literæ; creberrima enim erant ipsi commercia fere cum omnibus, quos inusitata quadam doctrinæ gloria aliis præcellere audiebat, unde si quis Musæum ejus expendat, totius Europæ compendium fuisse comperiet. Eodem tempore prodierunt ejus Conciones, quæ hodie manibus omnium tanto cum fructu teruntur. Anno 87, de *Necessaria Secessione nostra ab Ecclesia Romana, et Impossibili cum ea Syncretismo* Disputationes recognovit et auxit, quibus addidit *Miscellanearum Disputationum Decadem*. Suam etiam Institutionem recognoscere incipiebat, et multa addere ac illustrare meditabatur, cum cœli incola factus est, et æternitatis candidatus. In dies Vir ille pientissimus moriebatur per multos annos, præ summo dolore quo angebatur, ob luctuosissimas Ecclesiarum dissipationes et strages. Nam "cum alii omnes," quod de Basilio narrat ejus ἐγκωμιαστὴς, "id tantum quod ante pedes est, videant, suaque ut in tuto sint laborent, (si tamen id satis tutum esse potest) neque ulterius progrediantur, nec magni aliquid et strenui vel cogitatione complecti vel efficere queant, ipse contra tametsi cæteris in rebus moderatus esset, hic tamen modum haudquaquam tenebat, verum sublato in altum capite mentisque oculis quaquaversum jactatis, omnes eas orbis partes, quas salutifera Christi doctrina pervagata est, comprehendebat; et quum vineam Domini devastatam audiebat, nec somnum oculis aut dormitationem palpebris concedebat, quicquidque carnium

Digitized by Google

supererat curis absumebat." Quoties et publice et privatim in lachrymas pium illum Virum erumpentem conspeximus, quum audivit Pedemontanorum Fratrum infandam sortem, atque intuitus est miserabiles eorum reliquias, partim ex inaccessis montium jugis, et abditis rupium antris, partim ex tetris et obscuris carceribus elapsas, velut titiones ex igne ereptos. Quoties violavit oborto rore genas, quum Gallorum fratrum dolendas vices intellexit, quas præstat sipario tegere, quam eas referendo infandum renovare dolorem. Quoties ingemiscens dixit :

O Rex armipotens, quem statues modum
Iræ, quando humiles suscipies preces?
Traduxti Pharia de scrobe vineam:
Nudatam solitis cur modo sepibus
In prædam hospitibus deseris hanc vagis?
Audi gementes carcerum qui vinculis
Marcent, potenti dextera
De fauce mortis libera.

Summe Deus, hos gemitus, et hæc suspiria nosti. Nostis Auditores, qui non semel madentibus oculis hæc deflentem audivistis: Ea describere non aggredior, ad exemplum sagacis illius pictoris, qui cum artificio excelleret, ingenio tamen magis abundans, velo obumbrabat, quod penicillo exæquare desperabat.

Audivit ejus gemitus Omnipotens, vidit lachrymas et abstersit; sic sensim ad fatale illud momentum descendit Oratio, quo *Turrettinus* noster ad metam communis mortalitatis properavit. Valetudo satis ipsi firma erat et temperamentum corporis eximium corroborabat animus semper sibi constans. Raro ægrotantem vidimus, colicis doloribus solum aliquatenus obnoxius, tribusque vicibus tantum nodosæ podagræ senserat dolores. Ad ultimam usque senectam perventurum sperabamus; verum usu venire solet, ut quo quis magnificentius divinis literarum et sapientiæ ornamentis animum excoluerit, eo citius mens terrestris pertæsa domicilii sublimiora cogitet, et corpus, omni jam spiritu in tantis laboribus exhausto plene et absumto, fatiscat. Die 26 Septembris, qua se ad lectum composuit, summo mane et ante primi lumina Solis surrexerat, ac varias ad amicos exaraverat literas, et alias etiam parare in animo erat, ut ab eo intellexeramus, ad summos illos Theologos, quorum nomina toto orbe notissima absque præfatione referre non possum, Reverend. *I. H. Heideggerum* non Helvetiæ tantum, sed et totius Europæ φῶς λαμπρότατον, et Celeberr. *Petrum Jurieu*, quem nominare sat est, Reformatæ causæ acerrimum Patronum, hæreticorum malleum, Viros Magnos, inter quos et *Turrettinum* nostrum arctissima semper intercessit necessi-

Digitized by Google

tudo. Eadem die cum quibusdam de variis ad Ecclesiæ Christi commodum pertinentibus, ad horam decimam usque collocutus fuerat, quum subito se torminibus fatiferis excarnificatum sensit. O Fœlicem illum, *quem extrema dies ita invenerit Christo militantem.* Simul ac se morbo correptum percepit, continuo mens, quasi præscia futuri, instare sibi ultimum vitæ terminum augurata est, nec dilectissimam sororem hoc latere voluit. Et cum de morbo monitus ad eum festinante gradu cucurrissem, mihi dixit illico, se mature corporis ergastulo liberari ardentibus votis exoptare, dolere tantum, quod præ torminum quibus premebatur carnificina, satis pro voto Patrem æternum suis interpellare precibus non posset; Nosse tamen Redemptorem suum in quem crediderat, et dum suos spiritus regeret artus, crediturus erat, animamque suam unicum anhelare Christum; Id unum supplicibus a Deo contendere votis, ut condonatis peccatis, vires ferendis doloribus pares sufficere vellet, et placidam concederet εὐθανασίαν. Medici accersuntur experientissimi, qui morbo probe cognito omnia Apollineæ artis adhibuerunt remedia, ut gravissimos hosce dolores, si non pellere, saltem levare possent, dum *Noster* æternum vitæ mortisque Arbitrum ita cum Regio Vate compellabat:

Audi vocantem in rebus asperis
Et lenis aurem da precibus meis
Rerum Creator.
Juris severi ne trutina meam
Expende vitam, nemo hominum innocens
Sic est, Tribunal possit ut ad tuum
Se profiteri crimine liberum.

Christe Salvator, sanguine tuo animam consperge, quæso, audi, Pater, sanguinis hujus clamores. Aliquando ea repetebat quæ novissime et paucos ante dies in Concione Italica exposuerat ex Ps. xxxviii.

Ne me furoris æstuante incendio
Servator orbis argue:
Neu promerentem quamlibet pœnas graves
Pergas per iram plectere,
Hærent medullis penitus infixa meis
Tuæ sagittæ dexteræ.

Sequenti die Æsculapii nostri summo cum dolore suos omnes irritos viderunt conatus, ac morbum ingravescere propter χοιλίας νάρχωσιν, καὶ σώματος ἀῤῥωστίαν; Unde si de nostri μακαρίτου vita nondum desperabant, exigua tamen spe trahebantur, et inter spem metumque fluctuantes quo vergeret iste morbus dubitabant. Ille vero quasi præsagus futuri ad mortem se accingebat; Cum lachrymantes adstantes

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

videret, Quid plangitis? aiebat; via lethi omnibus calcanda; non hæc vita quam vivimus vita est, at mali taberna, curarum mare, palæstra luctus, fomes doloris, mors mera. Vita qua jamjam fruar sola hoc vitæ nomine digna est; O quando te deseram, contubernium mali, et officinam tristium, quando mortis isto corpore dissolvar, ac mei potens, Christoque junctus perfruar beatitate perpeti!

FILIUM unice dilectum hac die pluribus allocutus est, et præter varia quæ ipsi injunxit, quatuor hæc imprimis præscripsit, Ecclesiæ Dei curam, si aliquando ad sacrum vocaretur Ministerium, veritatis amorem, humilitatem et charitatem; Et cum ejus lecto proximus adstarem, me ad opus Domini verbis prægnantibus hortatus est, aliaque in mandatis dedit, quæ memori recolam mente, dum vitales ducam spiritus, sed quæ præ dolore referre nunc non valeo. Sub vesperam vires labascere visæ sunt, monuit tamen se hac nocte non moriturum, sed adhuc lucem diei sequentis visurum. Mirabamur omnes ejus in ferendis doloribus patientiam; si quando enim dolorem voce querula acerbius accusabat, mox ad se statim redibat, et in mediis cruciatibus paternam Dei prædicabat misericordiam. Ad lucis primæ auroram instare tempus suæ ἀναλύσεως agnovit; Jam tempus est, inquit, ut a te sejungar! O durum divortium! Quid ad hæc responderim ne expectetis; vox nulla, lachrymarum imber. Tunc accessit Magnificus hujus Athenæi Rector, *Michaël Turrettinus*, dilectissimus defuncti cognatus, Linguarum Orientalium meritissimus Professor, Hebrææ decus Cathedræ, dignissimus hujus Ecclesiæ Pastor. Illi multis verbis testatus est quanta peccatorum pœnitentia duceretur; quibus addidit se tamen de illorum remissione, ac de sui Salvatoris misericordia dubitasse nunquam, se hanc misericordiam toto pectore amplecti, supplicemque a Deo petere, ut Unigeniti sui sanguine mundatum ad beatas sedes evocaret; Ipsi Ecclesiam, Academiam, filiumque commendavit; rogavitque ut suo nomine Venerandum Synedrium salutaret, referretque se in ea quam semper defenderat et publice docuerat mori fide, credidisse, credere, et ad finem usque crediturum; hortari Fratres, ut positis omnibus simultatibus, sedatis affectibus, pari conspiratione animorum et studiorum, opus Domini peragerent, unicæ veritati litantes, memoresque essent communis fidei, nominis, ordinis, characteris, officii, ac tandem communis mortalitatis, illiusque supremæ diei, qua unusquisque coram Christi tribunali suæ dispensationis rationem redditurus est. Commendavit Venerando Domino *Bernardo*, pro Christi causa exuli, omnibus bonis colendo, suæ Ecclesiæ miseras reliquias, omnibus nobis Ecclesiæ Christi curam, et clarissimo *Marco Michœlio*, Vigilantissimo et fidelissimo Pastori, conjunctissimo consobrino, fausta omnia animitus precatus est. Non morientis, sed triumphantis vultum ha-

Digitized by Google

bebat; Eheu, non fidei tantum aut spei, sed ut ita dicam ipsius gloriæ in eo revelandæ stricturas ex ipsius ore emicantes etiamnum cernere mihi videor, et supremis vocibus nihil amplius humanum spirantibus aures meæ adhuc personant. Hora septima deficere cœpit, et ejus tabernaculum fatiscere visum est, nobis ultimum vale dixit, et ex intimis visceribus Deo commendavit. Precibus nostris cœlum perrumpimus, et cum Reverendus Pastor *Bernardus* illum moneret, ut recordaretur Concionis, quam ultimam habuerat ad populum die sacræ Synaxeos, in hæc verba Pauli, *Eamus ad thronum gratiæ*, statim exclamavit *Noster*, quasi impatiens moræ, *Eamus, Eamus.* Hæc dicta postquam promsit e mentis sinu, tranquilla mors ut somnus obrepit, nullo corporis succussu, nulla oris, oculorum distorsione, nullo pectoris singultu; tum lenta letho labitur cervix velut defectum olivo lumen, aut quassum gravi papaver aura molle demittit caput.

Sic obiit Vir iste magnus annos 64 natus; sic assertum et redonatum est patrio cœlo nobile illud pignus ac depositum quod nostris terris commodarat Deus. O te felicem, o nos infelices! Tu nunc mole corporis solutus cœlestes orbes perambulas, beato Cœlitum adscriptus choro humana cuncta temnis, et sub te vides telluris orbem; ex lugenti campo ad sempiternam fœlicitatem, ex mortalitatis carcere ad vitam eam commigrasti, quæ nec temporum metis, nec beatitudinis modo circumscribitur; Nos in hac mundi pila procul vagamur a supernis sedibus, patrioque cœlo. Tu quiescis in vado fœlicitatis, imo functus ævi errore jam portum tenes diu fervidis cupitum vocatibus; Nos inter naufragia et scopulos horrisonis agitamur procellis, nunc timore penduli, nunc spe tumentes. Pax te beat mansura semper, Nos premit vitæ labes mox desituræ. Mors tua *finis est laborum, victoriæ consummatio, vitæ janua, perfectæ securitatis ingressus*, non exitus est, sed ad æternitatem transitus, οὐ φθορὰ ἀλλὰ ζωῆς ἀφορμὴ, οὐκ ἀφανισμὸς, ἀλλὰ μετάβασις πρὸς τιμὴν καὶ δρόμος ἐπὶ τοὺς στεφάνους. Vita qua jam frueris *certa est securitas, secura tranquillitas; tranquilla fœlicitas, fœlix æternitas.* At vita quam adhuc vivimus, *Vita est dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aëra morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactitant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit.* Vivere incipis, mors enim dies est natalis; Nos morimur in dies, nec mori desinimus. Cum Deo atque Angelis exsultas depositis curis, pulsoque omni mœrore; Nostra lachrymæ cadunt per ora, et assiduo genæ rore irrigantur. O Pater, Pater, currus Israëlis! Quid agam post tua superstes fata? Mors est et omni morte pejus vivere, postquam tui careo. Non igitur amplius tuum contuebor vultum, nec

Digitized by Google

amplius tuo grato doctoque fruar colloquio; Heu pars optima mei me reliquit! Plange Ecclesia! Non vocem illam audies, quæ totum Dei consilium tibi recludebat, animis ægris medebatur, solabatur afflictos, errantes in viam reducebat, vacillantes corroborabat, ignaros docebat, confirmabat doctos; Os illud unde dictionis aureæ medulla profluebat haud ulla oracula fundet in terris! Plangite Prophetarum filii; hi ipsi parietes vocis ejus repercussu non amplius resonabunt! Cathedra hæc *Turrettino* orbata erit; Quis ego sum, qui locum hunc occupare et tanto Viro succedere possim? De Imperatore quodam defuncto, cui alter ei impar successerat, ait Tranquillus, fuisse ipso successore desiderabiliorem. Quantum pertimesco, ne idem de Nostro *Turrettino* dicatur, cui jam, licet infans, successor destinatus sum. Precibus me vestris juvate obsecro, Præstantissimi et Nobilissimi Auditores, vestra meis vota conjungite, ut si chara hæc vestigia passibus æquis premere non valeam, saltem sequi possim.

Faxit Omnipotens ne hujus Syderis deliquium malum aliquod Ecclesiæ nostræ portendat; Sinistra omina averte summe Deus, hujus Urbis Stator, sit ea semper salva et tranquilla, invictum potentiæ ac virtutis tuæ theatrum. Vivant ac perennent Patriæ Patres, vivant Ecclesiæ et Academiæ στύλοι καὶ ἑδραιώματα. Sit hæc Academia sincerioris sapientiæ sedes, nudæ veritatis arx inexpugnabilis, rectarum animarum Prytanæum, doctorum lararium, totius orbis eruditi compendium, famamque et gloriam ad orbis terminos extendat; tandem sit hæc Ecclesia constans tuæ gratiæ, et Arcæ, sedes. Eliam nostrum abstulisti, mitte Elizæos. Excita, quosque excitasti robore tuo confirma, veritatis vindices, docentium et discentium mentes cœlesti luce illustra, sapientiæ et pietatis amore accende.

Interim quandoquidem *Turrettini* grato et decoro non amplius fruimur conspectu, *illum nostra pagella decantet; quem corpore non valemus, recordatione teneamus, et cum quo loqui non possumus, de eo loqui non desinamus.*

Vale, desideratissime *Turrettine*, φίλτατον καὶ θαυμάσιον κάρα. Vale, recepta cœlo mens. Nos te sequemur quo quemque nostrum ordine vocabit fatalis hora.

CYPRIANUS, SERM. DE MORT.

"Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram Paradisum computamus, parentes nostros Patriarchas jam habere cœpimus: quid non properamus et currimus ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum, frequens nos et copiosa turba desiderat."

Digitized by Google

AUGUST. LIB. XIX. DE CIVIT. DEI, CAP. VIII.

www.libtool.com.cn

" Quorum nos vita propter amicitiæ solatia delectabat, unde fieri potest ut eorum mors nullam nobis ingerat mæstitudinem ? Quam qui prohibet, prohibeat si potest amica colloquia, interdicat amicabilem societatem, vel intercidat affectum omnium humanarum necessitudinum, vincula mentis immiti stupore dirumpat : aut sic eis utendum censeat, ut nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod si fieri nullo modo potest, etiam hoc quo pacto futurum est, ut ejus nobis amara mors non sit, cujus dulcis est vita ?"

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS PRIMUS.—DE THEOLOGIA.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS PRIMUS.—DE THEOLOGIA.

QUÆSTIO PRIMA.

An Theologiæ Vox usurpanda sit in Scholis Christianis; Et quot modis sumatur?

Vox Theologiæ bene usurpatur.

I. Cum ex accuratæ Methodi legibus necesse sit πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, id. *usum et vim nominum prius expendere*, ut vult Philosophus, quia verba sunt rerum σύμβολα: de voce *Theologiæ* quædam præmittenda sunt, antequam ad rem ipsam veniamus. Licet autem quæstio proposita parum necessaria videatur, in communi et recepto apud plerosque omnes istius vocis usu, qui eam tanquam vocabulum τεχνικὸν, quod proprie et emphatice subjectum suum declarat, retinendam censent; Occurrendum tamen est nonnullorum sententiæ, quibus nomen hoc displicet, eo quod in Scriptura non extet, et ad Ethnicorum matæologiam significandam usurpari soleat, quique convenientius judicant vocibus aliis ex Scriptura petitis uti.

II. Licet vox Theologiæ non sit ἔγγραφος αὐτολεξεὶ, non est tamen plane ἄγραφος; siquidem voces simplices ex quibus componitur, ibi sæpe occurrunt, ut λόγος τοῦ θεοῦ, et λόγια τοῦ θεοῦ, Roman. iii. 2, 1 Pet. iv. 10, Heb. v. 12. Aliud ergo est *esse in Scriptura quoad sonum* et syllabas, sive formaliter et in abstracto; Aliud *quoad sensum*, et rem significatam, seu materialiter et in concreto; Theologia non extat in Scriptura priori modo, sed posteriori.

III. Quamvis non liceat dogmata ulla fingere extra Scripturam; licet tamen uti nonnunquam verbis, quæ in Scriptura non reperiuntur, si commoda sint, vel rebus divinis explicandis, vel erroribus præcavendis; quem in finem voces *Triadis*, ἐμφύτου, *Peccati originalis*, et similes a Theologis sunt usurpatæ.

IV. Licet Ethnici sæpe abusi sint hac voce ad suam matæologiam designandam; non obstat hoc tamen, quominus, quod illi falsæ et ψευδωνύμῳ suæ Theologiæ nomen male tribuebant, veræ et salutari doctrinæ nostræ vindicetur. Quomodo nomen *Dei*, quod falsum et fictitium Deum apud Ethnicos significabat; et nomen *Ecclesiæ*, quod Cœtum profanum designabat; in Scriptura saniore sensu de vero Deo, et de Cœtu Sanctorum accipitur. Ita vox Theologiæ quæ origine græca est, e Gentilium scholis translata est ad usus sacros, ut olim vasa Ægyptiorum ab Israëlitis sacris destinata sunt usibus.

V. Non negamus varia esse synonyma in Scriptura, quibus doctrina cœlestis designatur, ut quum dicitur *sapientia in mysterio*, 1 Cor. ii. 7, *forma saniorum sermonum*, 2 Tim. i. 13, *cognitio veritatis secundum pieta-*

Digitized by Google

tem, Tit. i. 1, *doctrina*, Tit. i. 9, et aliis idgenus vocibus exprimitur. Sed non minus ideo nomen hoc retineri potest et debet, quia et longo usu receptum est, et commodissimum est doctrinæ isti salutari exprimendæ.

VI. Vocem *Theologiæ* apud Gentiles in usu fuisse constat. Qui enim de Deo sublimia dicebant, vel Deorum cultum explicabant, vel eorum natales, conjugia, progeniem, imperia et res gestas explicabant, ipsi *Theologi* sunt appellati, et eorum scientia *Theologia*, ut notant Lactan. de Ira Dei c. ii. Clem. Alex. strom. 3. Isido. lib. 5. Aristo. metaph. 3.

Usus Nominis.

VII. Nomen Theologiæ inter Christianos vel sumitur *inadæquate*, a parte efficientis ut sonat Θεῦ Λόγον *Sermonem Dei*, et a parte objecti λόγον περὶ τῦ Θεου *Sermonem de Deo;* vel *adæquate* prout notat utrumque, et sermonem Dei, et sermonem de Deo, quæ duo conjungenda sunt, quia de Deo sine Deo loqui non possumus. Ut notetur doctrina, quæ *originaliter* est a Deo, *objective* de Deo agit, et *terminative* in Deum fertur, et ad Deum ducit, quod non male Thomas 1ª 1æ q. 7. exprimit, *Theologia a Deo docetur, Deum docet, et ad Deum ducit.* Sic complectitur ista nomenclatio duplex Theologiæ *principium*, unum *essendi*, quod Deus est, alterum *cognoscendi*, quod est Verbum ipsius.

VIII. Rursus trifariam sumitur apud Authores. 1. Late. 2. Stricte. 3. Secundum justam significationis suæ amplitudinem. Primo modo accommodatur *Metaphysicæ* quo sensu *Aristot.* primam Philosophiam vocat *Theologiam*, lib. 6. Met. cap. 1. et lib. 10. Philosophiam Theoreticam dividit in tres partes, φυσικὴν, μαθηματικὴν, et θεολογικὴν. Secundo, Patres *Theologiæ* nomine peculiariter designant illam doctrinæ Christianæ partem, quæ de Christi Divinitate agit, quo sensu Joannes singulariter *Theologus* est nominatus, quia fortiter præ cæteris τὴν τοῦ λόγου θεότητα asseruit, ut exponere videtur Apoc. i. 2, et *Gregorius Nazianzenus* inter reliquos Patres nomen *Theologi* obtinuit, quia Christi Divinitatem variis Orationibus demonstravit; Unde distinctio apud ipsos nata θεολογίας et οἰκονομίας, *Theologiæ* et *Oeconomiæ;* illâ doctrinam de Divinitate Christi, istâ doctrinam de ejusdem Incarnatione intelligunt, et θεολογῦν Ιησοῦν ipsis est, de Christi Divinitate disserere. *Euseb.* hist. Eccl. lib. v. cap. 28. *Basilii.* lib. ii. c. Eunomi. et *Nazian.* Ora. 42 et 49. Tertio maxime proprie notat *Syntagma seu Corpus doctrinæ de Deo et rebus divinis, a Deo ad suam gloriam, et hominum salutem revelatæ*, quo sensu hic a nobis sumitur.

IX. *Usus* nominis Theologiæ, vel est *æquivocus* et abusivus, quando tribuitur falsæ Theologiæ Ethnicorum et Hæreticorum; Vel *minus proprius*, quando effertur de originali et infinita Sapientia, quæ a nobis in Deo concipitur seipsum ineffabili et perfectissimo modo cognoscente; hoc enim nomen rei ipsius dignitatem assequi non potest; Vel de Theologia Christi; Et de Theologia Angelica; Vel *proprius*, quando tribuitur Theologiæ hominum Viatorum, quæ in naturalem et supernaturalem distinguitur, ut infra dicetur.

QUÆSTIO II.

An sit Theologia, et Quotuplex?

Theologiam dari probatur.

I. Dari Theologiam multa probant, 1. *Natura et Bonitas Dei*, qui cum sit optimus, sui maxime est communicativus, non autem se communicat creaturæ rationali commodius et humanæ naturæ convenientius, quam per sui cognitionem et amorem. 2. *Populorum consensus*, et affectus innatus omnibus cognos-

Digitized by Google

cendi Deum, qui vanus esse nequit; Licet enim a vera Theologia turpiter âberrârint, talem tamen dari eam consectando comprobârunt; Unde nulla tam barbara natio unquam reperta est, quæ suos hierophantas non habuerit, qui in rebus divinis cognoscendis et docendis se occuparent. 3. *Finis Creationis;* ideo enim Creaturas rationales condidit Deus, ut ab illis agnosceretur et celebraretur, quod sine Theologia fieri nequit. 4. *Rei natura*, quia quæ duo ad constitutionem disciplinæ requiruntur τὸ γνωστὸν seu objectum scibile, et τὸ γνωστικὸν seu subjectum cognoscitivum hic occurrunt, Deus scilicet τῶν ἐπιστητῶν ἐπιστητότατον, et Creaturæ rationales intellectu præditæ ad eum cognoscendum. 5. *Salutis necessitas;* ut enim homo ordinatur ad finem supernaturalem, necesse est illi dari medium supernaturale quo finem illum assequatur, quod non aliud est quam fides, quæ Dei cognitionem necessario infert.

II. Licet entia omnia tractentur in Disciplinis Philosophicis, non tractantur tamen secundum omnia quæ de ipsis cognosci possunt, sed tantum secundum illud quod de ipsis naturaliter percipi potest, unde ex latitudine objecti Philosophici nullum infertur præjudicium Theologiæ supernaturali, quæ de Entibus quibusdam agit, non qua per naturam, sed qua per revelationem cognoscuntur. 2. Quamvis omnia Entia naturalia tradantur in inferioribus scientiis, non tollitur tamen necessitas Theologiæ, ubi mysteria varia docentur supernaturalia, ad quæ nulla humana scientia unquam pertigit.

III. Etsi sensus nulla indiget cognitione supernaturali ad sui perfectionem, non sequitur nec intellectum ea indigere, quia intellectus ad finem supernaturalem ordinatur, qui comprehensionem rationis excedit, Sensus autem minime. Quamvis vero hæc intellectus indigentia imperfectionis nota sit respectu finis nondum adepti, et ut significatur finis absentia, tamen perfectionem etiam designat respectu capacitatis ad obtinendum finem.

IV. *Metaphysica* est scientia omnium suprema in ordine naturali, sed se superiorem agnoscit Theologiam in ordine supernaturali. Quod vero dicitur apud Philosophos, scientias distingui per majorem aut minorem abstractionem, atque adeo scientiam, quæ maxime omnium abstrahit a materia, ut Metaphysicam, esse omnibus superiorem, intelligendum est de scientiis mere theoreticis, et quæ nonnisi circa res universales versantur, quæque sunt ordinis naturalis; Illæ enim suum sibi objectum per mentis abstractionem constituunt; et quo majori abstractione utuntur, eo sunt superiores; Sed non potest accommodari ad Theologiam, quæ mixta est ex theoria et praxi, quæ omni ordine naturali superior est, et suum sibi objectum per aliquam abstractionem non constituit, sed constitutum et distinctum accipit a Revelatione.

Quotuplex sit THEOLOGIA.

V. *Theologia* diversimode distingui solet. 1. In *veram et falsam*. *Falsa* et æquivoce ita dicta, quæ est doctrina erronea de Deo ejusque cultu, varia est. Primo *Gentilium*, quam multiplicem fuisse constat; unde *Plato* lib. 2, de Repub. geminam illam statuit, συμβολικὴν, sive μυθικὴν, quæ signorum involucris implicita continebatur, sub quibus divina docere mysteria Gentilium, præsertim Ægyptiorum, mos erat, et φιλοσοφικὴν seu ἀποδεικτικὴν, quæ in rerum divinarum commentatione occupabatur; *Varro* apud *Aug.* lib. vi. de Civitate Dei cap. 5, et lib. viii. cap. 1, triplicem facit, μυθικὴν seu *fabulosam* Poëtarum, quæ scenis et theatris erat destinata, πολιτικὴν seu *civilem* Sacerdotum et Populi, quæ publicè exercebatur in Templis, juxta cujusque urbis et gentis ritus, et φυσικὴν seu *naturalem Philosophorum*, quæ in scholis doce-

Digitized by Google

batur, unde et *Poëtæ* ob *θεολογουμένους μύθους*, et Philosophi, et Sacerdotes *Theologi* dicti apud *Justi. cohort. ad Græc. et Clem. Alex. strom.* 5; præcipua vero Theologiæ ipsorum pars fuit *θεογονίας* expositio, quia Deos genitos fuisse putabant. Secundo *Infidelium et Hæreticorum*, qui vel Christum plane rejiciunt, ut *Judæi*, *Mahummedani*, &c. vel qui Christi nomen retinent, sed in fundamentalibus cum Dei Verbo pugnant, qualis est Theologia *Pontificiorum*, *Socinianorum*, et aliorum idgenus hæreticorum. Licet enim eorum Theologia aliquid veri habeat; quia tamen maxima ex parte falsa est, et peccat in fundamentalibus, recte falsa dicitur, denominatione facta a potiori.

VI. *Theologia vera* distribuitur, 1. in *infinitam* et increatam, quæ tum est essentialis Dei de seipso cognitio Matth. xi. 27, in qua Deus solus est simul *ἐπιστητὸν*, *ἐπιστήμων*, et *ἐπιστήμη*, tum id quod de seipso decrevit nobis revelare, quæ vulgo *Archetypa* dicitur; Et *finitam* ac creatam, quæ est infinitæ illius ac *πρωτοτύπου* effigies, et *ἔκτυπον*, Creaturarum scilicet de Deo et rebus divinis notitia, a suprema illa efformata et creaturis intelligentibus communicata, Vel per unionem hypostaticam animæ Christi, unde oritur *Theologia Unionis;* Vel per visionem beatificam Angelis et Beatis, qui non ambulant per fidem, sed per aspectum, quæ dicitur *Theologia Visionis;* Vel per revelationem quæ fit Viatoribus, iis puta qui ad metam nondum pervenerunt, et vocatur *Theologia Revelationis*, seu Stadii.

VII. Secundo, *Theologia revelationis* rursus dividitur in naturalem et supernaturalem. *Naturalis* quæ versatur circa *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ*, tum *insita* ex impressis cuique notionibus communibus, tum *acquisita* ex discursu per creaturas, quæ in Adamo quidem integro fuit exquisita, sed in homine corrupto perturbatissima. *Supernaturalis*, quæ rationem nostram transcendit, et nobis a Deo communicatur novo gratiæ lumine, ut ad summi boni fruitionem deveniamus, quæ tum Patriarchis revelata est, tam ante quam post diluvium; tum per Mosem a Deo populo Israëlitico tradita, et Veteris Testamenti dicitur; vel *N. T.* quæ *Christiana* peculiariter vocatur, quia Christum authorem et objectum habet, est a Christo Joan. i. 18, et de Christo agit Act. i. 1; 1 Cor. ii. 2, et *Revelata* stricte vocatur, quia principium ejus est divina Revelatio stricte sumpta, et facta per Verbum, non per Creaturas.

VIII. *Theologia supernaturalis* consideratur, Vel *systematice* prout notat compagem doctrinæ salutaris de Deo et rebus divinis ex Scriptura expressæ, per modum disciplinæ alicujus in sua præcepta certâ methodo dispositæ, quæ et *abstractiva* et *objectiva* dicitur; Vel *habitualiter* et per modum habitus in intellectu residentis, et *concretiva* et *subjectiva* vocatur: Rursus Theologia habitualis, vel est *habitus principiorum*, quo unusquisque fidelis res a ratione alienas et remotas percipit, vel *habitus conclusionum* quo ex principiis fidei lumine notis doctrinam salutarem explicamus et confirmamus.

IX. Ut triplex datur Schola Dei, Naturæ, Gratiæ et Gloriæ, et triplex Liber, Creaturæ, Scripturæ et Vitæ; Ita trifariam solet distingui Theologia, ut prima sit naturalis, secunda supernaturalis, tertia beatifica; prima ex lumine rationis, secunda ex lumine fidei, tertia ex lumine gloriæ: illa est hominum in mundo, ista fidelium in Ecclesia, hæc beatorum in cœlo.

Unitas Theologiæ.

X. Licet *Theologia* agat de diversis rebus, et ad diversas scientias pertinentibus, non desinit esse *una*, quia agit de illis sub eadem ratione formali, prout sunt res divinæ Verbo Dei nobis revelatæ. Unitas autem doctrinæ pendet ab unitate objecti, non materialiter, sed formaliter considerati. Unde si aliæ disciplinæ

Digitized by Google

tractant de variis in Theologia contentis, non de illis tractant eodem modo, nec sub eadem ratione formali; Nam Theologia de illis agit, quatenus nobis Verbo Dei sunt revelatæ. Deinde eas considerat juxta causas remotas, puta efficientem primam a qua sunt, et finem ultimum ad quem referuntur, non autem proximas; et juxta accidentia supernaturalia, non naturalia.

XI. Aliud est Theologiam esse unam quoad *substantiam* et *genus doctrinæ*, Aliud quoad *modum tractandi;* posteriori sensu potest dici multiplex juxta varium παιδίας τρόπου, secundum quem tradi potest, et sic in Didacticam, Problematicam, Elencticam, Casuisticam, &c. distribuitur; sed priori sensu nec est, nec potest esse multiplex, quia unum idemque genus doctrinæ semper in ea traditur.

XII. Hinc etiam patet posse eam differre secundum magis et minus, quoad varios *gradus* revelationis, prout vel obscurior est sub Veteri Testamento, vel clarior sub Novo, vel perfectior vel imperfectior pro ratione subjectorum; sed non inde sequitur eam differre quoad *speciem*, quia eadem substantia doctrinæ utrobique retinetur, ut Christus idem est heri, hodie et in secula. Heb. xiii. 8.

XIII. Non perit Theologiæ sua *Unitas* licet dicatur partim theoretica, partim practica; quia scientia quævis una dicitur, non unitate simplici et absoluta, quæ unitas numerica et individualis dicitur, quasi esset una et simplex qualitas v. g. albedo in pariete; sed *unitate aggregativa* quæ dicitur *unitas collectionis*, quatenus scilicet multi speciales habitus conflantur et ordinantur ad unum totalem scientiæ habitum constituendum. Sic Imago Dei una est, licet novitatem mentis et affectuum complectatur, et Liberum Arbitrium unum, licet in intellectu et voluntate situm sit.

QUÆSTIO III.

An detur Theologia Naturalis?

Status Quæstionis.

I. Non quæritur de *Theologia* in genere, sed de *naturali* in specie; Nec de ea qualis fuit in Adamo ante lapsum, hanc enim fuisse in Adamo, vel ex sola Dei imagine ad quam conditus est, satis constat; sed de ea qualis remansit post lapsum.

II. Non quæritur, An detur *Theologia naturalis*, quæ talis sit *actu* statim atque homo nascitur, ut actus vitæ est in vivente, et sensus in sentiente statim ab utero: Certum enim est nullius rei actualem cognitionem nobiscum nasci, et hac ratione hominem esse instar tabulæ rasæ. Sed an talis detur saltem ratione *principii* et *potentiæ*, seu An detur in homine talis facultas naturalis ipsi insita, quæ se ultro et sponte exerat in omnibus adultis sanâ mente præditis, quæ complectatur non modo potentiam intelligendi, sed etiam principia naturalia notitiarum, ex quibus conclusiones tum theoreticæ, tum practicæ deducuntur, quod asserimus.

III. Non quæritur, An cognitio ista sit perfecta et salutaris, fatemur enim post peccatum valde obscuratam esse, ut ad salutem penitus insufficiens facta sit; Sed tantum, An aliqualis supersit in homine de Deo cognitio: per quam persuadeatur, Deum esse, et esse religiose colendum.

IV. Res nobis hic est cum *Socinianis*, qui negant dari talem Theologiam seu cognitionem Dei naturalem, et siqua esse videtur, eam partim a Traditione Majorum, inde ab Adamo, partim ex varia revelatione diversis

Digitized by Google

temporibus facta dimanasse volunt. *Socin. Prælect. Theol.* c. 2. *Ostorod. Instit. Relig. Christ.* c. 3. Orthodoxi vero Theologiam naturalem dari partim *insitam*, quæ ex libro conscientiæ hauritur per *κοινὰς ἐννοίας* partim *acquisitam*, quæ ex libro Creaturarum petitur per discursum, constanter docent. Et sequentibus argumentis probant.

www.logos.com.cn

THEOLOGIA naturalis probatur ex Ro. ii. 14.

V. Quia datur in homine *Lex naturalis*, quæ scripta est in uniuscujusque conscientia, et quæ hominem excusat et accusat in bene vel malefactis, quæque ideo necessario includit cognitionem Dei Legislatoris, cujus autoritate homines obligat ad obedientiam, iisdemque præmia vel pœnas denunciat: *Gentes quæ Legem non habent*, id est Legem Mosis, *natura quæ legis sunt faciunt, adeoque Legem non habentes sibi ipsis sunt Lex, ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia, et cogitationibus sese mutuo accusantibus et excusantibus.* Rom. ii. 14, 15. quod dici non posset, nisi conscientia dictaret unicuique dari aliquod Numen probans recte facta, et improbans ac puniens male facta. Nec excipi potest, 1. Non Legem, sed *opus Legis* dici inscriptum, quia Apostolo ista sunt synonyma, *sibi ipsi esse Legem* v. 14. *et opus Legis cordibus inscriptum habere* v. 15. Et rei natura hoc evincit, quia tale opus Legis intelligitur, cujus instinctu homo non modo honestum a turpi distinguit, sed ad illud præstandum, et hoc fugiendum impellitur. 2. Legem non dici innatam, sed *inscriptam*, id. cognitam, ut Judæis cognita Lex Mosis ex revelatione; Nam *inscriptio* naturalem revelationem istius Legis infert in hominis conscientia, oppositam revelationi externæ, quæ facta est Judæis per inscriptionem in tabulis lapideis. Unde per conscientiam, quæ se tum in *συνηχήσει*, tum in *συνειδήσει* exerit, exponitur v. 15.

VI. Quia Deus sui dedit notitiam tum insitam, tum acquisitam homini, quo pertinent loca Psal. xix. 1; Act. xiv. 15, 16, 17, et xvii. 23; Rom. i. 19, 20. Nec admitti potest audax *Socini* corruptela, qui verba Pauli ad secundam Creationem refert per Christum factam, quasi Apostolus innuat ea quæ inde a Creatione invisibilia et incognita fuerint hominibus, nunc conspici et cognosci factis Dei et hominum divinorum id. Christi et Apostolorum ejus. Verba enim Pauli, et series sermonis clamant de prima eum loqui: Nam probare vult homines impios adversus quos cœlitus ira Dei demonstratur v. 18. veritatem in injustitia detinere, nimirum veras de Deo notiones, quæ in revelatione naturali continentur, quod ostendit v. 19. quum ait *id quod cognosci potest de Deo* manifestum esse *ἐν αὐτοῖς in ipsis, quia Deus ipsis revelavit*, partim in cordibus ipsorum, partim in operibus Creationis. 2. Scopus Pauli idem docet, qui est demonstrare nec Gentiles ex Natura, cap. 1. nec Judæos ex Lege justificari potuisse, cap. 2. quia omnes sint peccatores, sed demum ex Evangelio quod a Christo revelatum est, 3. *τεκμήρια* hic non possunt referri ad miracula ab Apostolis facta, quia nunquam in Scriptura sic appellantur, nec innotuerunt Ethnicis, de quibus agit Paulus; sed ad opera creationis Mundi, quia invisibilia Dei *ἀπὸ κτίσεως κόσμου* in illis dicuntur patefieri.

Ex Experientia universali.

VII. *Experientia universalis* hoc confirmat. Nam quod omnibus et singulis hominibus communiter et immutabiliter inest, id debet inesse naturaliter: Quia naturalia omnibus conveniunt et immutabilia sunt; sed notitia Divinitatis omnibus inest immutabiliter, quia nulla est tam barbara natio, cui non insideat hæc persuasio Deum esse *Cice. lib.* i. *de Nat. Deor.* Ita ut res quasque vilissimas, imo Cacodæmonem ipsum potius pro Numine colant, quam ut nullum

Digitized by Google

habeant Numen. Et si qui sensum hunc excutere conati sunt, nunquam potuerunt; licet ad tempus videantur callum obduxisse, recurrit tamen terror Numinis, maxime in adversis.

Ex Religionum institutione.

VIII. *Religionum* in Mundo *institutio*, Theologiam naturalem clarissime evincit. Nam unde occulta illa hominum ad Religionem propensio, juxta quam homo Platoni est ζῶον θεοσεβέστατον, nisi ex sensu Numinis, quod colendum agnoscunt? Nec tam proni fuissent ad idololatriam et quidem teterrimam amplectendam Populi, et ad falsas et fictitias religiones tam facile recipiendas, quas Impostores astu Politico excogitarunt ad homines mancipandos, nisi instinctu quodam naturali ad Religionem et cultum alicujus Numinis impulsi fuissent. Nec dici potest Gentes hoc non tam instinctu, quam imitatione fecisse; nam si non fuisset instinctus naturalis, homo animal gloriæ coram vilissimis creaturis se non abjecisset, ne censeretur omni Numine carere; nec quod ab imitatione tantum oritur, adeo commune et universale esse potest.

Fontes Solutionum.

IX. Licet dentur Gentes nonnullæ maxime feræ, quæ videntur omni sensu Numinis destitutæ; non tamen carent omni cognitione Dei; exilia quidem possunt esse Religionis semina, quæ in ipsis remanent, propter maximam cæcitatem, et stuporem quo ad feras et bruta videntur magis accedere; sed supersunt tamen quædam in iis, ut in Americanis et Brasiliensibus, quos nobis hic objicit Socinus: Licet *Jo. Lerius Burgundus* observet nullos Deos apud eos agnosci, vestigia tamen divinitatis in iis superesse non obscure innuit tum ex eo quod suos *Caribes* seu Sacerdotes habere narret, quos sunt persuasi et fortitudinem bellicam impertiri, et omnes e terra fructus producere, eo quod cum spiritibus commercium habeant; tum ex eo quod fateantur animas eorum qui virtutem coluerunt, post altissimos montes evolantes, in amœnissimis hortis perpetuis deliciis lætum ævum agere, ignavorum contra abripi ad *Stignan*, sic cacodæmonem vocant, et cum eo inter æternos cruciatus vivere. Idem in histo. naviga. in Brasiliam c. 6. narrat Mexicanorum summum Deum esse *Hoizili Pochtli*. Josephus a Costa. in histo. Indi. Occiden. lib. 5. c. 2. et 3. Peruvianos suos habere Deos, et inter eos suum Piracocha, quem Pachacamak, creatorem cœli et terræ, vocant. Non absimilia leguntur apud Hiero. Benzonium in historia novi mundi, et Bartolo. de las Cazas, aliosque.

X. Non repugnat unum idemque vario respectu et ex lumine rationis cognosci et credi lumine fidei, ut quod nonnisi subobscure ex uno colligitur, ex altero certius teneatur; sic Deum esse et ex natura cognoscimus, et ex fide, Hebr. ii. 6. ex natura obscurius, ex fide vero certius. Ita notitia specialis veræ fidei, per quam fideles placent Deo, et aditum habent ad ipsum, de qua ibi Paulus agit, non excludit, sed supponit generalem per naturam.

XI. *Mens* hominis est *tabula rasa* non absolute, sed secundum quid, quoad discursum et cognitionem dianoëticam, quæ acquiritur necessario unum ex alio inferendo. Sed non quoad cognitionem apprehensivam et noëticam: Nam vel teste ipso Paulo opus Legis ita insculptum est cordibus Gentium, ut naturâ faciant quæ sunt Legis; unde duplex Scriptura legitur in corde hominis; Alia Dei in reliquiis imaginis suæ et Lege naturali; Alia Diaboli per peccatum.

XII. Quod naturale est subjective et constitutive semper eodem modo se habet; Sed non quod tale est qualitative et consecutive, nam qualitates

Digitized by Google

recipiunt magis et minus; Theologia naturalis ita dicitur non primo, sed secundo sensu; Unde non mirum, si pro ratione subjectorum, quæ majori vel minori pollent acumine, variat quoad gradum.

XIII. Licet non negemus Theologiam naturalem ab hominum institutione etiam pendere; Certum est tamen modum illum insufficientem futurum fuisse, nisi supposita fuisset cognitio Dei naturalis, tum innata tum acquisita.

XIV. Licet cognitio Dei sit naturalis, non sequitur neminem mortalium Deum negare potuisse; Quia si qui negarunt, non tam ignorantia negarunt quam malitia, redarguente eos propria conscientia, quod de Atheis irrisoribus in populo Dei testatur David Psalm. xiv. 4, 5. et de Philosophis asserit Paulus Rom. i. 18, 19. docens eos veritatem id. veras de Deo notiones in injustitia detinuisse. Causa negationis ergo non tam fuit ignorantia absoluta Dei, quam corruptio et malitia cognitionem insitam suffocans et tantum non extinguens, ut liberius peccare possent.

QUÆSTIO IV.

An Theologia naturalis sit sufficiens ad salutem, seu, An Religio aliqua communis detur, per quam omnes promiscue salvari possint? N. c. Socin. et Remonstrantes.

Occasio Quæstionis.

I. Occasionem quæstioni dedit dogma impium Pelagianorum; Unumquemque in Religione suâ bene institutum servari, quod non tantum retinent Libertini, David-Jorristæ et similes, qui honesta et civili conversatione contenti, quamlibet Religionem censent indifferentem; Sed et Sociniani hodie approbant, partim directe, dum docent eos, qui juxta lumen naturæ tanquam interius quoddam verbum, Deum colunt, ipsi placere et gratos esse, et remuneratorem ipsum experiri, *Socin. prælect. cap.* 2. partim indirecte et oblique, dum Capita Religionis præcise ad salutem necessaria ad paucissima revocant, eaque suo modo et gradu omnibus communia faciunt, ut suo loco dicetur. Ad quos *Remonstrantes* non obscure accedunt; Alii apertius ut *Curcellæus et Adolph. Venator*, qui in Apologia sua contra Ministros Dordracenos diserte hanc propositionem negat, *Nemo potest servari qui Christo per veram fidem non sit insitus.* Alii cautius ut *Arminius, Corvinus, Episcopius*, qui non immediate sed mediate Ethnicos, aliosque ad salutem admittunt, dum statuunt recto usu luminis Naturæ acquiri lumen Gratiæ, et per gratiam perveniri ad gloriam, *Armin. resp. ad Art.* 15, 16, 17. *et Arnoldus contra Tilenum.* In eodem errore versantur varii ex Pontificiis, qui salutem Ethnicorum absque Christi notitia ausi sunt propugnare, ut *Abulensis, Durandus, Capreolus, Andradius, Vega, Soto, Erasmus* et alii.

II. Orthodoxi vero contra constanter tuentur, Theologiam sive veram Religionem per quam homini post lapsum contingere potest salus, unam esse tantum, Verbo Legis et Evangelii revelatam; alias vero Religiones omnes præter hanc unam, vel impias esse et idololatricas, vel falsas et erroneas; quæ licet notitias quasdam obscuras et imperfectas Legis et τοῦ γνωστοῦ Θεοῦ retineant, non ulterius tamen juvent, quam ad hominem reddendum ἀναπολόγητον.

III. Non quæritur, An sint principia quædam Religionis apud omnes communia; fatemur enim in Theologia naturali ex lumine naturæ talia quædam dari, quibus superstruitur Theologia supernaturalis; verbi gratia,

Digitized by Google

Deum esse, Deum esse colendum, &c. Sed quæritur, An principia adæquata et propria veræ Religionis possint haberi apud omnes; quod negamus.

Status Quæstionis.

IV. Non quæritur, An hominibus utilis sit Theologia naturalis; Agnoscimus enim varios ejus fines et usus, 1. ut sit testimonium bonitatis Dei erga homines peccatores indignos etiam hisce reliquiis lucis, Act. xiv. 16, 17; Joa. i. 5. 2. Ut sit vinculum externæ disciplinæ inter homines, ne mundus in latrocinium abeat, Rom. ii. 14, 15. 3. Ut sit conditio subjectiva in homine ad lumen gratiæ admittendum, quia Deus non alloquitur bruta et truncos, sed creaturas rationales. 4. Ut sit incitamentum ad quærendam illustriorem Dei revelationem, Act. xiv. 27. 5. Ut reddantur homines inexcusabiles, Rom. i. 20, tum in hac vita in judicio conscientiæ accusantis, Rom. ii. 15, tum in futura in judicio Dei qui judicabit de latebris hominum, Rom. ii. 16. Sed quæritur, An sufficiat per se ad salutem, et An finis a Deo intentus in illa revelatione fuerit salus hominum quibus facta est; quod negamus.

Theologiam naturalem non sufficere ad salutem probatur.

V. Rationes sunt variæ 1. Quia Religio salutaris nulla esse potest sine Christo, et fide in ipsum, Joan. iii. 16. et xvii. 3; Act. iv. 11, 12; 1 Cor. iii. 11; Heb. xi. 6. At nuspiam Christus revelatur nisi in Evangelio; nec fides datur sine Verbo, cum sit ex auditu, Rom. x. 17. Nec excipi debet hinc tantum sequi Religionem Christianam esse unicam viam ordinariam salutis; sed inde non colligi Deum non posse extraordinarie salutem conferre iis qui sancte vixerint juxta legem naturæ, etsi Christus illis annunciatus non fuerit: Nam cum Scriptura testetur Christum unicam esse viam salutis, sine quo nemo veniat ad Patrem, via extraordinaria absque Christo fingi sine crimine nequit. 2. Quia Status Gentilium et eorum omnium qui Christi Verbo destituuntur, vocatur *Tempus ignorantiæ*, Act. xvii. 30, quo Deus quasi connivendo eos dissimulavit, gentibus permittens in viis suis incedere, Act. xiv. 16, et quo serviebant ignoto Deo, Act. xvii. 23, et Athei erant in mundo, Eph. ii. 12, quod dici non posset, si revelatio naturalis habuisset ea quæ poterant sufficere ad salutem. 3. Quia si salus posset haberi ex Religione communi, non opus fuisset Evangelio et Verbi præconio; cum tamen testetur Paulus 1 Cor. i. 21, postquam in Dei sapientia, Mundus Deum non cognovit per sapientiam, placuisse Deo servare credentes, per stultitiam prædicationis, id est per Verbum Evangelii, quod impiis est stultitia.

Fontes Solutionum.

VI. Aliud est dari aliquam notitiam Dei Creatoris et Conservatoris, sed imperfectam, corruptam et obscuram; Aliud habere plenam, integram et claram cognitionem Dei Redemptoris et legitimi cultus illi debiti: Illud habet Theologia naturalis in γνωστῷ τοῦ Θεοῦ: Hoc sola revelata in τῷ πιστῷ, quod ex Verbo tantum habetur. Nec si Deus non se reliquit ἀμάρτυρον in natura benefaciendo hominibus quoad τὰ βιωτικὰ Act. xiv. 17, quæ sæpe largitur iis quos odio habet, et quos exitio devovit, sequitur Vocationem externam objective fuisse sufficientem ad salutem, quia dicitur vers. 16. *Sivisse gentes ire viis suis*, et cap. xvii. 30, vocatur *tempus illud ignorantiæ*, quod non alio respicit, quam ad defectum Vocationis externæ, quia illud opponit tempori Novi Testamenti quo per Verbum vocat homines ad pœnitentiam.

VII. Aliud est quærere favorem et gratiam Dei per Verbum suum revelati, vi promissionum suarum in Christo; Aliud quærere Deum ignotum in operibus naturæ et providentiæ, si forsan palpando inveniri possit.

Digitized by Google

Posterius recte dicitur de Gentibus Act. xvii. 26, 27, sed non prius. Nec si alibi in Scriptura τὸ *quærere Deum* significat ad fidem ejus confugere et gratiæ ejus præsidium expetere, et *eum invenire* notat expetitum ejus præsidium obtinere, et sanctissimum ejus Numen propitium experiri; Sequitur hoc in loco eodem sensu intelligendum esse: Quia et diversa sunt objecta, et plane diversa quærendi ratio. In aliis locis quæ afferuntur, agitur de populo Dei fœderato: In hoc vero de iis tantum, qui extranei erant quoad pactorum promissiones. In iis de iis qui Deum cognoverunt in Verbo, et Idola abominati sunt: In hoc de Idololatris, quibus Deus erat ignotus. In illis de quærendo et inveniendo Dei cogniti favore per Christum. In hoc vero de Deo ignoto per opera naturæ et providentiæ quærendo, ut cognoscatur, et ab Idolis discernatur. Denique in illis simpliciter et absolute dicitur fideles Deum quærere debere ut eum ad salutem inveniant, sed in hoc Deum ideo in mundo condendo et regendo potentiæ et Divinitatis suæ documenta dedisse istiusmodi, quibus inducerentur ad omnium conditorem eo modo quærendum, nempe si modo *palpando eum inveniant*, quod de Sanctis iis, quorum in V. T. fit mentio, qui certissimis Dei in Christo promissis nixi ad eum accedere soliti sunt, dici debere nemo dixerit.

VIII. Locus Rom. i. 19, 20, de γνωστῷ τοῦ Θεοῦ non favet Religioni communi per quam omnes possint salvari, et quæ sufficiat ad salutem. 1. quia agitur hic tantum de γνωστῷ, non de πιστῷ, quod solum est salutare. 2. Paulus dicit τὸ γνωστὸν Dei patefactum esse Gentibus, sed non πᾶν γνωστὸν, illud scilicet quod haberi potest ex libro naturæ, non autem illud omne quod de Deo cognosci potest ex Verbo, et quod scitu necessarium est ad salutem, quale est Mysterium Trinitatis, et Christi Redemptoris, &c. 3. restringitur ab Apostolo illud γνωστὸν ad *potentiam Dei et ejus Divinitatem*, id est ad cognitionem existentiæ Dei et illorum attributorum, quæ in operibus Creationis et Providentiæ in sensus magis incurrunt, quod ad Theologiam naturalem referri solet: Sed non extenditur ad cognitionem voluntatis et misericordiæ ejus in Christo, quæ ex Verbo tantum, nequaquam vero ex operibus Dei haberi potest, sine qua tamen nulla salus. 4. tale est γνωστὸν quod non alio potest pertinere, quam ut reddat homines inexcusabiles, Rom. i. 20. Nec particula εἰς τὸ quæ ibi habetur debet intelligi tantum *eventualiter*, ut notetur rei eventus per accidens, sed etiam *finaliter* quoad Dei consilium, quia eventus iste non potest non esse a Deo intentus, cum hic agatur de opere quod facit Deus ex decreto, non de eo quod præcipit tantum ex Lege.

IX. Quod sufficit ad inexcusabilitatem non statim sufficit ad salutem, si eo bene utaris; plura enim requiruntur ad salutem conficiendam, quam ad damnationem juste et ἀναπολογήτως incurrendam; malum enim ex quolibet defectu oritur; at bonum requirit integram causam; v. g. qui impegerit in uno reus est omnium, ex Jac. ii. 10, sed non statim qui benefecerit in uno justus est in omnibus; unius peccati admissio potest reddere hominem inexcusabilem, sed unius boni operis impletio non sufficit ad hominem salvandum; Sic inexcusabiles erant Gentiles, quod loco unius Dei, quem poterant ex lumine naturæ cognoscere, innumeros sibi fingerent: Sed non ideo cognitio unius Dei potest dici sufficere absolute ad salutem. Ita inexcusabilitas ista restringenda est ad materiam subjectam de qua agit Apostolus, nimirum ad idololatriam quæ sufficiebat ad eorum damnationem, licet ejus fuga non sufficeret ad salutem.

X. Aliud est hominem esse excusabilem vel excusandum; aliud salvabilem vel salvandum, si excusabilis est tantum a *tanto* non a *toto*, quod

Digitized by Google

Ethnicis competeret, si per impossibile bene uterentur lumine naturæ; quia licet actiones suas externas rite componerent a peccatis sequentibus abstinendo, non possent tamen veniam præcedentium peccatorum præsertim originalis obtinere, ac statum et naturam corruptam reformare; actiones enim quas facerent, externæ tantum essent et bonæ quoad substantiam operis, non item quoad modum et principium, Spiritu Sancto quippe destitutæ, et si homini prodessent, prodessent tantum quoad præsens vel futurum, non vero quoad præteritum, ad tollendum reatum præcedentem, absque quo tamen nulla dari potest homini salus.

XI. Perperam dicitur in γνωστῷ τοῦ Θεοῦ sufficientem dari *objective* Gratiæ et Redemptoris revelationem ad salutem, si non claram et explicitam, saltem obscuram et implicitam; quatenus in illo Deus cognoscitur ut Misericors, ac proinde aliquo, licet confuso modo Redemptor, qui satisfactionem acceperit, et qui ad pœnitentiam vocet et remissionem peccatorum promittat. Nam primo, Aliud longe est posse cognosci Deum ut misericordem *misericordia generali*, quæ ad bonum aliquod temporale et pœnarum dilationem vergat; Aliud ut misericordem *misericordia speciali* et salutari in Christo, et posita satisfactione. Aliud posse cognosci Deum ut *placabilem* et benignum; Aliud ut reipsa *placatum*, vel certo *placandum*. Prius damus Ethnicos ex lumine naturæ habere potuisse; sed non posterius, quod tamen necessario requiritur ad tranquillandam conscientiam; Quid enim juvaret scire Deum posse placari, nisi constaret eum etiam velle placari, et medium talis placationis esset perspectum? Cum enim conscientia prematur peccati reatu, et Justitiæ divinæ sensu, nunquam tranquillari poterit, nisi et bona Dei voluntas, et modus Justitiam ejus placandi ipsi innotescat; quis autem dixerit hoc ex libro naturæ, ubi se Deus Creatorem tantum et Conservatorem exhibet, posse haberi? Quis non contra ex solo Verbo Evangelii quod misericordiam Dei in Christo nobis revelat, petendum esse fateatur? Alias quare Paulus Mysterium hoc vocaret quod omnibus ætatibus incognitum fuit, Rom. xvi. 25. Quare diceret Gentes alienas fuisse a fœderibus, et extra Christum, Eph. ii. 12, si suberant semper aliquatenus fœderi gratiæ, in quo data fuit aliqua, licet confusa et implicita, misericordiæ salutaris in Christo notitia?

XII. Non melius sese expediunt qui aliud incrustamentum quærunt et distinguunt *sufficientiam mediatam et immediatam*, quasi Gentiles qui non potuerunt habere revelationem sufficientem immediate, habuerint tamen sufficientem mediate; quatenus supponunt, si aliquis bene usus fuisset lumine naturæ, Deum superadditurum fuisse lumen gratiæ; hoc enim decere misericordiam ejus, et ex dicto Christi, Matt. xiii. 11, *habenti dabitur* colligi posse. Nam præterquam quod absurde dicitur illa revelatio sufficiens, quæ eget alia revelatione superaddita; quo sensu carpimus Pontificiorum sententiam, qui pertendunt Scripturam dici posse sufficientem mediate, quia licet omnia non contineat, nos ad Traditionem amandat a qua possunt peti: Supponitur hic gratis quod probandum fuit, Deum bene utenti lumine naturæ superadditurum fuisse lumen gratiæ, quasi Deus sese ad quidquam adstrinxerit, aut homini quicquam debeat, aut uspiam nexus ille ex Scripturis probetur. Imo hoc e Pelagii fontibus videtur haustum, qui statuebat *facienti quod in se est Deum non denegaturum gratiam*. Locus Matth. xiii. 11, huc trahi non potest, quia agitur ibi de donis gratiæ, quæ Deus novis donis coronare solet, non de donis naturæ.

XIII. Locus Pauli Rom. ii. 4, quum ait τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιαν ἄγειν, *benignitatem Dei ad pœnitentiam invitare*, non huc pertinet, quia non

Digitized by Google

agit de Gentilibus, sed de Judæis; quos hoc capite convincere vult peccati, ut, cap. 1, Ethnicos jam ejusdem reatûs convicerat: Patet 1. ex iis quæ isti homini quem compellat tribuit, quæ in nullum alium, quam in Judæum aptius quadrant, ut quod alios judicet in iis quæ ipse perpetrat, &c. 2. ex versu 17, ubi nominatim dirigitur sermo ad Judæum, qui dicitur esse homo ille quem alloquutus fuerat, *Ecce tu Judæus nominaris*, quæ verba non sunt sermonis novi inchoatio ad alium hominem a præcedente, sed prioris continuatio cum clariori designatione personæ: χρηστότης ergo de qua hic agitur notat revelationem factam Judæis, et beneficia ipsis collata; sed nihil commune habet cum operibus providentiæ generalis.

XIV. Quamvis conscientia Gentilium aliquando eos excusare dicatur, Rom. ii. 14, 15, non sequitur posse eos in illo statu vera et solida pace, et quæ eam sequitur perfecta salute frui; Quia aliud est excusare in quibusdam, vel a tanto, quod facit; aliud in omnibus et a toto, quod illi est impossibile; Aliud excusare a gravioribus sceleribus, et comparate ad alios nequiores; Aliud pacem certam et constantem nobis largiri, quæ fluit ex sensu amoris Dei et nostræ cum eo reconciliationis, quæ in Ethnico dari non potest.

XV. Alia ratio est *status instituti*, et *destituti*; Alia Legis in se et natura sua consideratæ; Alia respectu nostri: Lex initio homini integro data ad vitam, et per se etiam ad vitam duxit, juxta sanctionem, *Fac hoc et vives*; sic intelligi Rom. ii. 13. Sed post lapsum quando viribus destituta est per carnem, non ad vitam, sed in speculum peccati et miseriæ, ad hominis peccatoris inexcusabilitatem data est, Rom. iii. 19, 20.

XVI. *Opus Legis* bifariam dicitur, vel *formaliter*, quod Lex ipsa præstat, vel *imperative* quod homini præcipit; prius est opus seu officium Legis circa hominem quod in præceptione, promissione, interdictione et comminatione versatur; posterius est opus hominis circa Legem; prius est propositio et revelatio Legis; posterius ejus observatio et impletio. Gentiles dicuntur *facere quæ sunt Legis*, Rom. ii. 14, non quoad posterius, sed prius; non implendo mandata quæ Lex præscribit, sed faciendo quod ipsa facit, honesta præcipiendo, et turpia vetando; patet 1. ex scopo generali Pauli, qui est convincere Gentiles etiam sine Lege scripta, mortis reos esse ex Lege naturali. 2. ex verbis sequentibus quæ sunt ἐνδεικτικὰ, quia *Legem non habentes, sunt sibi ipsis Lex.* E. facere quæ sunt Legis, est, esse sibi ipsis Legem.

XVII. Licet Ethnici comparate considerati, et relate ad se invicem, alii aliis justiores fuerint; licet eorum opera civiliter et moraliter loquendo virtutes dici possint; atque ita non ipsis defuerit vitæ recte institutæ duplex præmium; tum positivum, quia hoc illis plerumque cessit in bonum aliquod temporale et conscientiæ aliquam tranquillitatem in hoc mundo; tum negativum, quia tolerabilior illis pœnæ evasit conditio: Tamen Theologice loquendo et relate ad Deum, eorum opera in speciem optima, nihil aliud fuerunt quam splendidiora peccata, quæ apud Deum nihil conferre potuerunt ad salutem.

XVIII. Exempla Melchisedeci, Jobi, Centurionis, et similium quæ afferuntur sunt aliena; quia illi omnes specialis gratiæ et revelationis auxilio, et vera fide fecerunt ea propter quæ laudantur in Scripturis, non ex simplici naturæ lumine.

XIX. *Cornelius* licet Gentilis origine, fuit tamen Proselytus Religione; etsi non crederet Messiam venisse, et esse Jesum quem Petrus nunciabat; poterat tamen credere cum Judæis eum venturum ex oraculis Propheticis:

Digitized by Google

Ita non accensendus est Ethnicis, sed Patribus, qui salutem a Redemptore nondum patefacto expectabant; unde ab adventu Petri non accepit fidei initium, sed augmentum.

XX. Articuli duo de quibus, Heb. xi. 6, non intelligendi sunt physice, quatenus rationis lumine percipi possunt, sed hyperphysice et Theologice, quatenus per Scripturas nobis manifestantur cognitione salvifica, qua non tantum novimus, quod sit Deus, et quod sit omnipotens rerum omnium Creator, sed quis sit, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, et post lapsum Redemptor; non tantum Remunerator legaliter ex merito eum quærentibus, sed ex gratia eum quærentibus Evangelice per fidem in Mediatorem. Hanc esse mentem Apostoli probat 1. adjunctum fidei salvificæ, quam toto capite prædicat. 2. Exempla Sanctorum quæ ibidem referuntur: Ita fides in Deum, de qua Apostolus loquitur, non est generalis notitia Dei bonitatem suam quovis modo diffundentis; sed cognitio veri Dei propter Christum bona cœlestia largientis. *Accedere ad Deum* Apostolo nihil aliud est quam communionem cum Deo in Christo obtinere, ut passim alibi in eadem Epistola, Heb. iv. 16, et vii. 25, et x. 22. Unde perperam *Curcellæus* fidem in Deum, et fidem in Christum distinguit, ut illa sit absolute necessaria ad salutem, hæc nonnisi ex revelatione divina; Nam nulla vera et salutaris potest esse fides in Deum, quæ non conjuncta sit cum fide in Christum, Joa. xiv. 1. Cum in Deum non possimus credere, nisi per Christum.

XXI. Non negamus varios ex Veteribus de Gentilium et Philosophorum juxta rationem vitam suam instituentium salute bene sperasse, ut *Clem. Alex. Strom.* 7, *Justi. Apol.* 2. *Chrysost. homil.* 37, *in Matt.* et alios citatos *Casaubono Exercit.* 7, *in Baronium;* Sed minus mirum est istos in errore versatos fuisse, cum ante exortum Pelagium securius loquerentur, quam multos Scholasticos post gratiæ in Christo necessitatem tam fortiter ab Augustino et discipulis ejus assertam, qui ad eundem lapidem impegere.

XXII. Si Zuinglius, Herculem, Theseum, Numam, Aristidem, Socratem, et similes Heroas cœlo adscripsit, in Epist. ad Franciscum I. præfixâ Confessioni fidei, ubi cœlestium consortium describendo post nominatos Veteris et Novi Testamenti Sanctos, addit. *Hic Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Numam,* &c. *Hic Antecessores tuos et quotquot in fide hinc migrârunt Majores tuos videbis.* Præterquam quod a Nostris non probatur; certum est eum potius errasse in facto quam in jure, non quasi senserit januam salutis patere extra Christum et fidem, sed quia speravit misericordiam divinam modo nobis occulto, sed ipsi cognito, fidem aliis instillasse quos virtutibus alias heroicis tam egregie illustrasset, quod patet ex eo quod expresse loquitur de iis qui *in fide migrarunt*, quod non debet ad Majores Regis restringi, sed ad eos omnes de quibus loquutus fuerat in præcedentibus. Hanc autem illi mentem fuisse docet ejus de peccato originali declaratio ad Urbanum Rhegium Tom. ii. p. 109, ubi cum errare eos dixisset, qui damnationi adjudicant omnes quos Gentiles vocamus: addit, *Quid enim scimus, quid fidei quisque in corde suo Dei manu scriptum habeat?*

XXIII. Licet Ethnici varia sacrificia obtulerint, non sequitur eos misericordiam Dei in Christo agnovisse, quia eorum sacrificia non tam fiebant ad impetrandam Dei gratiam salutarem, quæ homini sine revelatione innotescere non potest, quia ejus exercitium plane est liberum, quam ad placandam ejus justitiam, quæ naturaliter nota est, et cujus exercitium est necessarium.

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

DE THEOLOGIÆ OBJECTO.

www.libtool.com.cn

An Deus et Res Divinæ sint Objectum Theologiæ? Aff.

THEOLOGIÆ Objectum.

I. *Objectum* scientiæ alicujus est id omne quod præcipue in ea tractatur, et ad quod referuntur omnes ejus Conclusiones; spectari autem potest, vel *materialiter* quoad rem consideratam, vel *formaliter* quoad modum considerandi.

Deus et Res Divinæ.

II. Quamvis diversimode loquantur Theologi de Objecto Theologiæ, communior et verior est eorum sententia qui hoc ad *Deum* et *Res Divinas* referunt; ut Deus quidem sit primarium, res divinæ vero secundarium; sive quæ a Deo factæ, sive quæ ab hominibus vel credendæ sunt vel faciendæ, id est Deus in *recto* et in *obliquo;* nimirum Deus, et quæ Dei sunt ut ejus Opera, et quæ Deo subsunt ut creaturæ, et quæ ad Deum tendunt ut hominis officia. Ita omnia in Theologia tractantur, vel quia sunt ipse Deus, vel quia σχέσιν habent ad Deum ut primum principium et ultimum finem.

III. Deum esse Objectum Theologiæ patet; Tum ex nomine ipso θεολογίας et θεοσεβείας; Tum ex Scriptura, quæ non aliud objectum principale agnoscit; Tum ex conditionibus objecti, quæ in eo deprehenduntur; 1. ut sit aliquid incomplexum, 2. ut quædam de eo denominative prædicentur, puta affectiones aut proprietates. 3. ut ad illud respiciant quæcunque tractantur in disciplina: Deus enim est Ens incompletum et maxime simplex; Quædam de eo prædicantur denominative, ut ejus attributa; Ad eum omnia referuntur et habent relationem originis, conservationis, ac dependentiæ.

Deus ut revelatus et fœderatus.

IV. Sed quando Deus proponitur ut Objectum Theologiæ, non spectandus est simpliciter ut Deus in se, sic enim nobis est ἀκατάληπτος; sed quatenus *revelatus*, et ut se in Verbo nobis patefacere dignatus est, ut revelatio divina sit ratio formalis quæ in hoc objecto spectanda venit. Nec præcise considerandus est sub *ratione Deitatis*, ut vult Thomas et post eum plerique Scholastici; hoc enim modo cognitio ejus non potest esse salutaris, sed exitialis peccatoribus: Sed ut est *Deus noster* id est fœderatus in Christo, quomodo se nobis in Verbo patefecit, non modo ut cognoscendum, sed etiam ut colendum, quibus duobus vera Religio quam Theologia docet, continetur.

Fontes Solutionum.

V. Unitas scientiæ et distinctio ab alia, non sumitur semper ab unitate *Objecti materialis*, sive a re considerata; sed ab unitate *Objecti formalis*, seu a modo considerandi: Quanquam Physica, Ethica, et Medicina tractent idem subjectum, non desinunt esse diversæ scientiæ, quia hominem sub diversa ratione considerant; Physica qua Corporis naturalis species est; Ethica qua virtutis et felicitatis capax; Medicina, qua a morbis curandus et sanitati restituendus. Ita quamvis Theologia de iis tractet de quibus agunt Metaphysica, Physica et Ethica; modus tamen considerandi longe diversus est. De Deo tractat, non ut Metaphysica quatenus est Ens, aut qua lumine naturali cognosci potest, sed qua per revelationem innotescit ut Creator et Redemptor: De Creaturis agit, non quatenus sunt res naturæ, sed quatenus sunt res Dei, id est, quatenus habitudinem et ordinem habent ad Deum, ut Creatorem, Provisorem, Redemptorem suum, idque juxta revelationem

Digitized by Google

ab ipso factam; quem considerandi modum aut non norunt, aut non assumunt reliquæ scientiæ.

VI. Si Theologia probare satagit Deum esse; non id efficit ex prima et propria intentione, sed quasi per accidens ex adventitia necessitate, nimirum ad confutandos profanos et Atheos, qui excusso omni pudore et conscientiæ sensu id negare sustinent. 2. Axioma illud, *Scientiam non probare subjectum suum, sed supponere*, verum est in Scientiis humanis et inferioris ordinis; Sed Theologiæ quæ altioris est ordinis alia est ratio; extendit enim se ad omnia probanda quæ probari possunt per medium illis proprium, nimirum divinam revelationem; et hoc facit non instrumentaliter, sed architectonice.

VII. Non necesse est ad Scientiæ habitum, ut Objectum suum ita capiat, ut quæcunque ipsi competere possunt perfecte cognoscat; sufficit si multa ex eo noverit, et de principiis suis deducere possit; Non ergo oportet subjecto adæquari scientiam secundum exactam et arithmeticam æqualitatem; sed satis est si adæquetur secundum aliquam æqualitatis proportionem, quæ adæquatio in Theologia reperitur; versatur enim illa circa Deum et perfectiones ejus infinitas, non ut infinite cognoscat, sed finito modo, nec absolute quantum cognosci in se possunt, sed quantum eas revelare de se dignatus est; sic Theologia dici potest adæquari Objecto suo secundum formalem rationem revelationis, non adæquando Deum ipsum, sed tantum Revelationem de Deo datam.

VIII. Quod vulgo dicitur *Scientiam non esse singularium, sed universalium*, non sine limitatione admittendum est: Nam Metaphysica, Physica, &c. scientiæ sunt, nec tamen eo minus de singularibus agunt, de Deo et de Mundo: Axioma E. intelligendum est de singularibus ex materia compositis, et sub infima specie constitutis. Quod si de talibus agatur in Theologia, ut de Adamo, Noacho et aliis, hoc non fit principaliter, sed tantum ut aperiantur rerum origines, vel in exemplum vitæ, et testimonium divinæ providentiæ, atque adeo propter causas generales: At si fit aliquod singulare immateriatum et in actu puro, dubium non est quin possit esse de eo scientia; quia objectum intellectus est Ens; Ergo quo Ens est perfectius, eo magis sciri et cognosci potest; perfectius autem est, quo magis est in actu et minus in potentia. Deus inter universalia merito potest referri, est enim universale in *causando;* cum sit causa universalis rerum omnium; Item in *prædicando* non quidem in recto, sed in obliquo, nam omnia quidem Deus non sunt, sed omnia tamen sunt Dei, vel a Deo, vel ad Deum; Itaque non deest etiam hac in parte in subjecto Theologiæ omnis ratio universalitatis.

IX. Certum est in scientiis inferioribus principia scientiæ esse a subjecto diversa, ut quæ passiones et proprietates demonstrent de subjecto per propria principia; Quia cum scientiæ cujuslibet humanæ subjectum finitæ sit essentiæ et virtutis, necessarium est aliqua esse principia, ex quibus fluat vel componatur: Sed in Theologia quæ superioris est ordinis, datur subjectum plane divinum, quod est et natura et potentia infinitum, adeoque omni re prius, ut nullam principiati rationem habere possit; unde propter eam infinitatem fit, ut duas hasce rationes simul contineat, sitque subjectum de quo agit Theologia, et simul etiam ejus principium.

X. Theologia agit *de peccato* non prout Dei est, sed prout quandam σχέσιν ad Deum habet; vel sub ratione oppositi et contrarii; vel quatenus subjacet ejus Providentiæ et Justitiæ; ut Medicina agit de morbis et venenis, licet præcipuum ejus subjectum sit homo sanandus.

Digitized by Google

QUÆSTIO VI.

DE THEOLOGIÆ GENERE.

www.libtool.com.cn

Quodnam sit Genus Theologiæ?

Genus THEOLOGIÆ Systematicæ, Doctrina.

I. *Theologia* consideratur vel *Systematice et Objective* per modum disciplinæ, vel *habitualiter et subjective*, per modum habitus in intellectu residentis. Primo sensu non aliud genus accuratius illi potest assignari quam *Doctrina*, quia a Deo docetur et in Ecclesia discitur. Sed doctrina antonomastice talis, omni humana longe præstantior, tum ratione originis, tum ratione materiæ, tum ratione formæ, et finis. Sic passim describitur in Scriptura per διδαχὴν Joan. vii. 17; 1 Tim. iv. 6 et vi. 3. per τύπον διδαχῆς Rom. vi. 17, ut in Vet. Test. תורה totam salutis doctrinam notat. Posteriori bene per habitum aliquem mentis describitur.

Quisnam habitus illi sit assignandus.

II. Ut melius dignoscatur, Quisnam mentis habitus illi assignandus sit, Observandum, omnem habitum mentis esse, vel habitum *sciendi*, vel habitum *credendi*, vel habitum *opinandi*; Ut sunt tres assensus mentis ad quos ordinantur, actus sciendi, credendi, et opinandi: Nam omnis assensus mentis vel nititur testimonio, vel ratione; Si nititur testimonio, est *Fides*, si nititur ratione certa et solida, est *Scientia*, si tantum probabili, est *Opinio*.

Distinctio quintuplex habituum unde orta.

III. Habitus sciendi, prout opponitur habitui credendi et opinandi, sub se complectitur quinque habitus intellectuales ab Aristotele enumeratos lib. 6. Ethic. *Intelligentiam*, *Scientiam*, *Sapientiam*, *Prudentiam*, *Artem*, quia tunc sumitur late pro quavis notitia habituali certa et evidente, sive ea sit de rebus necessariis et speculabilibus, sive de rebus contingentibus et practicis. Quintuplex autem ista distinctio ex quintuplici varietate objectorum circa quæ mens occupatur, oritur. Nam vel versatur circa necessaria, quæ sunt, vel Principia quibus sponte assentimur sine demonstratione, et horum notitia vocatur *Intelligentia*, vel Conclusiones quibus assentimur per Demonstrationem, quæ *Scientiam* constituunt, vel Conclusiones cum Principiis conjunctæ, quæ *Sapientiam* exprimunt; Vel circa contingentia, quæ iterum, vel sunt πρακτὰ, quorum nullus alius est finis præter εὐπραξίαν, circa quæ versatur *Prudentia*, vel ποιητὰ, quæ habent pro fine effectionem, in quibus *Ars* occupatur.

Ad nullum habitum proprie refertur.

IV. Nullus habituum intellectualium, prout in Ethicis tractantur et a se invicem contradistinguntur, potest verum et proprium genus Theologiæ constituere, quia isti habitus omnes sunt habitus sciendi, sed Theologia non est habitus sciendi, sed credendi. 2. Sunt habitus naturales, et hominum solertia inventi et exculti; At Theologia est supernaturalis et θεόδοτος, cujus principium non est humana ratio, sed divina revelatio. 3. Sunt omnes vel Theoretici vel Practici simpliciter, sed Theologia mixti generis partim Theoretica, partim Practica.

V. In specie *Theologia* non potest esse *Intelligentia*, quia ista est tantum notitia principiorum, non conclusionum; At Theologia est notitia tum principiorum tum conclusionum. Deinde versatur circa principia natura nota, et sua luce clara; At Theologia circa principia Verbo Dei revelata. Non est *Scientia*, quia non nititur evidentia rationis, sed tantum testimonio,

Digitized by Google

nec in cognitione acquiescit, sed eam ad operationem dirigit et ordinat. Non est *Sapientia*, quia de ea negantur omnes partes Sapientiæ, puta intelligentia principiorum per se notorum, et notitia conclusionum. Non est *Prudentia*, quia non est tantum agendorum, sed etiam credendorum, et virtus est directiva actionum spiritualium, non civilium. Non denique *Ars*; quia non est habitus effectivus, et eorum quæ extra efficientem in aliquo opere terminantur.

www.libtool.com.cn

Omnes tamen continet eminenter.

VI. Licet vero Theologia nullus possit dici proprie et stricte ex istis habitibus, tamen bene dicitur eminenter omnes illos in se includere; Nam quatenus de Deo agit, ut summa causa, similis est Sapientiæ; quatenus principia continet, Intelligentiæ; quatenus conclusiones demonstrat, Scientiæ; quatenus actiones dirigit, Prudentiæ; quatenus vero est ædificativa Ecclesiæ, Arti. Hinc in Scriptura promiscue illi tribuuntur voces *Intelligentiæ*, Ps. cxix. 22, 34; *Scientiæ*, Ps. cxix. 66; Is. v. 13; *Sapientiæ*, 1 Cor. ii. 6, 7; *Prudentiæ*, Ps. cxix. 110, et passim in lib. Proverb. 1, 2, 3, 4, 5, capit. *Artis*, quum Doctrina fidei vocatur opus et ædificium quod debemus perficere, 1 Cor. iii. 11; 2 Cor. vi. 1.

Sapientia maxime ex omnibus illi convenit.

VII. Si genus aliquod ex istis habitibus est Theologiæ tribuendum, *Sapientia* ei maxime analoga est, et ad naturam ejus proxime accedit; Non quidem sensu Aristotelico præcise, quia sic non multum differt ab Intelligentia et Scientia, sed potius sensu Stoicorum, quomodo est collectio habituum omnium tam speculativorum quam moralium, apud Stobæ. Serm. 1, de Virtu. Unde Suidas ait Sapientiam esse *ἀκράτων μάθησιν καὶ τὴν τέχνην καὶ φρόνησιν, καὶ ἐπιστήμην, καὶ νοῦν.* Sic sæpe in Scriptura doctrina fidei Sapientiæ nomine designatur ut in lib. Proverb. et 1 Cor. ii. 6, 7, &c. Et ratio hoc evincit, 1. quia Sapientia est scientia rerum præstantissimarum; At Theologia de Deo et ejus operibus agit, et de æterna felicitate nostra, quæ sunt omnino res præstantissimæ, de quibus agit modo præstantissimo, non ex ratione, sed ex divina revelatione. 2. Sapientia est disciplina Architectonica, quæ aliis omnibus imperat, easque dirigit; At Theologiæ maxime proprium hoc est, quæ ita est omnium arbitra et domina, ut de ipsis judicet, et ipsa a nulla alia scientia judicetur, omnes enim aliæ disciplinæ exigendæ sunt ad ejus amussim, ut quicquid habent cum Theologia non consonum rejiciatur: Ita licet principia et objecta aliis disciplinis non præscribat, attamen illis eatenus dominatur, quia limites illis ponit, ut nec objectum aliquod statuere audeant contra Theologiam, nec suis principiis adversus illam utantur; tum etiam ratione finis ultimi, nimirum gloriæ Dei, quem quamvis non attingant immediate, tamen ad illum sese debent dirigere.

VIII. Si Theologia sumit quædam ab aliis disciplinis, non hoc petit ab illis ut inferior a superioribus, sed ut superior ab inferioribus, tanquam domina, quæ utitur libere ancillis suis; et non tam sumit ab aliis, quam præsupponit præcognita quædam quibus revelationem superstruit.

QUÆSTIO VII.

An Theologia sit Theoretica, an Practica?

Origo Quæstionis.

I. Primi Questionem hanc moverunt Scholastici, inter quos diu multumque jam olim agitata fuit. Quidam voluerunt Theologiam simpliciter esse speculativam, ut *Henricus* in summa artic. 8, q. 3. *Durandus* in proleg. sent. q. 6. *Joannes Rada* controv. 3.

Digitized by Google

Alii simpliciter practicam, ut *Scotus* cum suis. Alii nec Theoreticam, nec Practicam, sed potius *affectivam* vel dilectivam, altiorem scilicet disciplinis Theoreticis et Practicis; utpote cujus finis sit charitas, quæ sub praxi non contineatur, ut *Bonavent., Alberius, Ægidius Romanus.* Alii denique mixtam, speculativam scilicet et practicam simul, sed magis speculativam, ut *Thomistæ;* vel magis practicam, ut *Thom. de Argentina.*

Et momentum.

II. Quæstio non modo necessaria est ad intelligendam veram Theologiæ naturam; sed etiam propter Controversias hujus temporis, maxime contra Socin. et Remonstrantes, qui Theologiam ita stricte practicam dicunt, ut nihil in ea præcise ad salutem necessarium sit, nisi quod pertinet ad præcepta morum et promissiones; unde *Obedientia præceptorum et fiducia promissionum*, Religionem totam quoad fundamentalia absolvunt, seclusa mysteriorum notitia; Quo fine obscurum non est, ut elevent necessitatem cognitionis dogmatum de Trinitate et Incarnatione, &c. et sic viam facilius sternant ad Religionem communem, per quam omnes promiscue servari possint, id est ad Atheismum. Inter Orthodoxos nonnulli etiam mere practicam, plures mixti generis; sed alii magis speculativam, alii magis practicam statuunt. Ad quos accedimus, censemusque Theologiam nec esse simpliciter Theoreticam, nec simpliciter Practicam; sed partim Theoreticam, partim Practicam, utpote quæ simul conjungit theoriam veri et praxim boni; magis tamen esse practicam quam theoreticam.

Quid sit Disciplina Theoretica et Practica.

III. *Disciplina theoretica* dicitur, quæ in sola contemplatione occupatur, et finem alium non habet a cognitione; *Practica*, quæ non subsistit in sola rei notitia, sed natura sua et per se tendit ad praxim, et pro fine habet operationem. Rursus, Notitia aliqua potest ad operationem tanquam ad finem dirigi duobus modis, vel absolute et per se, vel secundum quid et per accidens: Illa notitia per se ad praxim dirigitur, quæ secundum naturam illius disciplinæ ad quam pertinet ad operationem refertur; quomodo notitia rerum Ethicarum est practica, quia natura Ethicæ postulat, ut quæcunque in ea tractantur ad operationem et usum referantur: Illa notitia per accidens ad operationem refertur, quæ non est practica secundum naturam illius disciplinæ ad quam pertinet, sed tantum ratione finis quem sibi proponit is qui ea notitia præditus est; sic Physica est practica per accidens, quando is qui ea notitia præditus est, eam ad operationem aut usum dirigit. Theologia non posteriori tantum sensu, sed priori dicitur practica.

IV. Scientia per se practica, non ea tantum dicitur quæ est de re operabili, estque *regulativa et directiva alicujus operationis;* alias ea Medicinæ pars quæ considerat partes humani corporis, et partium morbos, et signa et causas morborum, esset speculativa et non practica, quod absurdum; quia ultimus et præcipuus finis illius partis Medicinæ, non est morborum cognitio sed curatio: Sed etiam ea, quæ vel *est impulsiva ad operationem*, ut notitia bonorum vel malorum quæ sequuntur virtutem vel vitium, impellit ad honestas actiones; vel est prærequisita ad *melius operandum* et agendum, ut pars παθολογικὴ in Medicina. Theologia non dicitur tantum practica priori sensu, sed etiam secundo et tertio; quia nullum est Mysterium quod contemplationi nostræ tanquam credendum proponitur, quod non incitet nos ad Dei cultum, vel ad eum feliciter instituendum non prærequiratur.

V. Argumenta quæ probant Theologiam vel esse Theoreticam vel practicam, si exclusive de alterutra accipiantur, deficiunt et nimis eam restringunt; sed si inclusive intelligantur pariter vera sunt; Quia Theologia non est generis simplicis, id est vel tantum Theoretica, vel tantum practica,

Digitized by Google

prout Physica et Ethica in Philosophia, sed mixti quod utramque σχέσιν includit.

THEOLOGIA est Theoretico-practica.

VI. Theologiam esse mixtam id est partim theoreticam, partim practicam evincunt, 1. *Objectum*, Deus cognoscendus et colendus, ut primum Verum, et summun bonum. 2. *Subjectum*, Homo perficiendus cognitione veri quo illustratur intellectus, et amore boni quo ornatur voluntas, *fide* quæ ad πιστά, et *charitate*, quæ ad πρακτά extenditur. 3. *Principium*; tum *externum*, *verbum Dei* quod complectitur Legem et Evangelium, illa quæ facienda, istud quod credenda et cognoscenda proponit, unde *Mysterium pietatis et Verbum vitæ* dicitur; tum *internum*, *Spiritus*, qui Spiritus est veritatis et sanctificationis, scientiæ et reverentiæ Jehovæ, Isa. xi. 2. 4. *Forma*, quæ vera Religionis essentiam complectitur, quæ cognitionem et cultum Dei postulat, quæ inter se indivulso nexu copulantur, ut in Sole lux et calor nunquam a se invicem separantur. Ideo nec cognitio Dei potest esse vera, nisi quam praxis comitatur, Joan. xiii. 17; 1 Joan. ii. 5. Nec praxis recta et salutaris, nisi quæ a cognitione dirigitur, Joan. xvii. 3. Unde *Lactant.* lib. 1. cap. 1, *Nec ulla Religio sine sapientia suscipienda est, nec ulla sine Religione probanda sapientia.* Et lib. 3, de falsa Sapi. cap. 3. *Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat et colat*, Et lib. 4. cap. 4. *Non potest nec Religio a sapientia separari, nec sapientia a Religione secerni, quia idem Deus est, qui et intelligi debet, quod est sapientiæ, et honorari quod est Religionis; sed sapientia præcedit, Religio autem sequitur, quia prius est Deum scire, consequens colere. Ita in duobus nominibus una vis est, quamvis diversa esse videatur; alterum enim positum est in sensu, alterum in actis, attamen similia sunt duobos rivis ex uno fonte manantibus*, &c. 5. *Finis*, hominis beatitudo, quæ partim in visione Dei, partim in ejus fruitione posita est, ex qua utraque oritur assimilatio Dei, Joan. xiii. 17.

Fontes Solutionum.

VII. Ut scientia quædam sit mere practica, requiritur quidem ut *objectum* sit πρακτὸν et *operabile*; sed ut sit Theoretico-practica sufficit, non ut objectum ad praxim perducatur, sed ut praxis circa illud operetur: Ita Deus non est quidem πρακτὸς, sed circa illius cultum et amorem praxis debet occupari. Deinde, licet objectum materiale non sit πρακτὸν, tamen objectum formale, nimirum Deus qua supernaturaliter in Verbo revelatus est, partim θεωρητὸς, partim πρακτὸς dici potest, quia revelatur tum ut cognoscendus, tum ut colendus.

VIII. τὸ *Speculativum et Practicum* possunt esse differentiæ disciplinarum inferiorum, ad quas facultas naturalis intellectus pertingere potest; ita ut objectum non possit esse determinatum et ad contemplationem, et ad praxim simul: Sed cum Theologia sit ordinis altioris et eminentioris, inter breves hos naturæ cancellos non cohibetur, sed potest speculativum et practicum ambitu suo facile complecti; quomodo sensus communis eminenter continet differentias sensuum externorum, et vita rationalis vitam vegitativam et sensitivam in homine.

IX. Quum vita æterna dicitur sita in agnitione Dei, Joan. xvii. 3, et felicitas in ejus visione, hoc quidem ostendit Theologiam esse etiam speculativam, utpote quæ multa objecta θεωρητὰ habeat; sed non potest inde propterea colligi esse mere speculativam, quia cognitio ista non theoretica tantum est, sed practica, 1 Joan. ii. 5, et visio non cognitionem tantum, sed et fruitionem ex usu Scripturæ notat.

X. Disciplina potest dici *practica*, vel respectu *finis ultimi*, quia destinatur ad operationem tanquam ad finem suum, vel etiam respectu *objecti*, quia versatur circa objectum πρακτὸν, quod cadit sub voluntatem et actio-

Digitized by Google

nem hominis. Priori sensu Theologia vocatur practica, non posteriori, quia præter materias mere practicas, habet etiam multas theoreticas quæ constituunt dogmata fidei.

XI. Licet notitia Dei et attributorum ejus non sit stricte practica, quatenus practicum notat id quod est regulativum alicujus operationis, ut res cognita agatur; ut notitia Legis est regula obedientiæ, et actuum moraliter bonorum; est tamen practica, prout practicum dicit id quod movet et impellit ad operationem, ut, si res cognita non agitur, tamen ad actionem moralem incitet; Nam ideo Deus se nobis cognoscendum præbet, ut eum colamus; ideo potentiam suam nobis patefecit ut eam revereamur, et bonitatem ut eam amemus.

XII. Theologia consideratur vel abstracte in objecto, vel in subjecto concrete. Quamvis Theologus impius eam non transferat ad praxim, non desinit esse practica in se, quia abusus subjecti non evertit legitimum usum objecti.

XIII. Theologia Comprehensorum non potest dici mere Theoretica, quia beatitudo complectitur non modo summi boni *apprehensionem* per visionem quæ est in intellectu; sed et illius *fruitionem* per amorem qui est actus voluntatis.

XIV. Theologia ita est Theoretico-Practica, ut non dicenda sit mere Practica, sed etiam Theoretica, ut mysteriorum notitia pars ejus sit essentialis. 1. Quia cognitionem veritatis Deus non minus præcipit et urget, ac obedientiam præceptorum, Jer. xxxi. 34. Imo et vita æterna in Dei cognitione ponitur, Joan. xvii. 3. Nec dicendum cum Schlichtingio agi de cognitione voluntatis per Christum in Evangelio patefactæ, sed non de cognitione naturæ; Quia textus docet agi non tantum de voluntate, sed præcipue de natura, ut *cognoscant te*, &c., nimirum esse verum Deum, quod naturam non voluntatem notat. 2. Quia ex notitia oritur fides, ex qua pendet Religio, Rom. x. 17. 3. Quia Symbolum Apostolicum quod juxta Socinianos continet Religionis compendium et ejus articulos, agit tantum de credendis, non de faciendis. 4. Quia cognitio Dei ponitur pro universo cultu, Jer. xxxi. 34; Is. liii. 11; 1 Joan. ii. 3.

XV. Theologiam tamen magis esse practicam quam speculativam, patet ex *fine ultimo* qui est praxis; licet enim omnia mysteria non sint regulativa operationis, sunt tamen impulsiva ad operationem; Nullum enim est tam θεωρητὸν et a praxi remotum, quin incitet ad Dei admirationem et cultum; nec Theoria salutaris est nisi ad praxim revocetur, Joan. xiii. 17; 1 Cor. xiii. 2; Tit. i. 1; 1 Joan. ii. 3, 4; Tit. ii. 12.

QUÆSTIO VIII.

An Ratio humana sit principium, et norma ad quam exigi debent Religionis Christianæ et Theologiæ dogmata quæ sunt fidei objectum?—N. C. SOCIN.

Status Quæstionis.

I. Ut Quæstionis status clarius percipiatur, termini sunt ante omnia explicandi, et præcognita quædam præstruenda. 1. *Ratio humana* sumitur, vel *subjective* pro facultate animæ rationalis qua homo intelligit et dijudicat intelligibilia sibi oblata, naturalia et supernaturalia, divina et humana; Vel *objective* pro lumine naturali tum exterius proposito, tum interius menti impresso, quo ratio disponitur ad conceptus quosdam formandos et conclusiones eliciendas de Deo rebusque divinis: Illa vero iterum spectari potest bifariam, vel ut *sana* et in-

Digitized by Google

tegra ante lapsum, vel ut *corrupta* et cœca post illum. *Principium* de quo hic quæritur debet esse primum et *αὐτόπιστον* ex quo primo educuntur, et in quod ultimo resolvuntur omnes fidei veritates et articuli; Ut omnibus artibus sua sunt principia a quibus extructæ sunt et demonstrantur, et supra quæ non licet assurgere. *Objectum fidei* hic intelligitur *formale*, non *præsuppositum*, id est Articuli fidei salvificæ *ἰδιαίως*, proprii et stricte dicti; non vero præsuppositi, qui ipsi cum Theologia naturali et cum sana ratione sunt communes, quales sunt v. g. esse Deum, Deum esse justum, sapientem, bonum, Animam esse immortalem, &c.

II. In hac Controversia peccatum fuit et in excessu et in defectu: In *excessu* ab iis qui plus justo rationi tribuunt in rebus fidei, prout fit a Socinianis: In *defectu* ab iis qui non satis, ut fit ab Anabaptistis, Lutheranis et Pontificiis; Nos hic adversus primos disputamus, cum aliis acturi in sequentibus.

III. Non quæritur, An Ratio aliquem usum obtineat in rebus Theologicis; fatemur enim multiplicem esse ejus usum, tum ad *illustrationem*, ex rebus humanis et terrenis Mysteria divina declarando; tum ad *collationem*, vetera cum novis, Versiones cum Fontibus, Doctorum placita et Conciliorum decreta cum Verbi Divini Norma conferendo; tum ad *illationem*, consequentias nectendo; tum ad *argumentationem*, rationes ex penu suo depromendo ad propugnandam *ἐνδείξιν*, et *ἔλεγξιν* impugnandam: Sed quæritur tantum, An se habeat ad modum *Principii et Normæ* ad cujus trutinam debeant expendi maxima religionis Mysteria; ut nihil admittendum sit quod illius palato non sapiat, quodque in ratione non fundetur, et ex ratione non eliciatur; quod negamus contra Socinianos, qui ut facilius Mysteria Trinitatis, Incarnationis, et Satisfactionis Christi et alia idgenus quæ in Scripturis clarissime revelantur, rejiciant, contendunt, Rationem esse normam religionis et credendorum, et non esse credenda quæ menti impossibilia esse videantur; Ostoro. *Instit.* c. 6. *Homo non tenetur credere, quod ratio dictat falsum esse;* et Smalzius contra Frantzium; *Si rationi adversaretur religio, eo ipso religio non esset, summa enim et ipsa ratio Religio est.*

IV. Non quæritur, An Ratio sit *instrumentum quo*, vel *medium per quod* ad fidem possumus adduci; Agnoscimus enim Rationem utrumque esse posse, prius quidem semper et ubique, posterius vero quum agitur de articulis præsuppositis; Sed an sit *principium ex quo* fidei dogmata probantur, Vel *fundamentum* quo nituntur, ut falsum habendum sit in rebus fidei quicquid lumen naturale, aut ratio humana non capit; quod negamus.

Ratio non est principium fidei.

V. Rationes sunt 1. quia Ratio hominis irregeniti circa legem cœcutit Eph. iv. 17, 18; Rom. i. 27, 28, et viii. 7, et circa Evangelium plane cœca est et mersæ tenebræ Eph. v. 8; 1 Cor. ii. 14, quæ ideo captivanda est ut subjiciatur fidei, non efferenda ut illi imperet 2 Cor. x. 3, 4. 2. quia mysteria fidei sunt supra sphæram rationis, ad quæ homo animalis assurgere non potest: Et ut sensus sibi judicium non assumit in illa quæ supra sensum posita sunt; Ita nec ratio in ea quæ rationem superant et supernaturalia sunt. 3. Fides non resolvitur ultimo in rationem, ut credere debeam, quia ita intelligo et capio; sed in Verbum, quia Deus in Scriptura ita loquitur. 4. Spiritus S. ad solum Verbum nos remittit Deut. iv. 1; Isa. viii. 20; John v. 39; 2 Tim. iii. 15, 16; 2 Pet. i. 19. 5. Si ratio esset principium fidei, Primo sequeretur totam religionem esse naturalem, et naturali ratione et lumine demonstrabilem; sic confunderetur natura et gratia, revelatio naturalis et supernaturalis. Secundo, rationem nuspiam esse captivandam et abnegandam, contra loca

Digitized by Google

expressa Scripturæ; et eos qui acutiori pollent ratione, et ingenio magis subacto, posse melius percipere et dijudicare mysteria fidei, contra universalem experientiam, 1 Cor. i. 19, 20, et Matt. xi. 25. 6. Ratio religionis norma esse nequit; nec qua corrupta, quia non solum est infra fidem, sed et contra eam, Rom. viii. 7; 1 Cor. ii. 14; Matt. xvi. 17; nec qua sana, quia talis in homine corrupto non datur, nec in homine integro potuisset esse norma mysteriorum supernaturalium; nec ubi nunc per Spiritum corrigitur judicandum est juxta ipsam, sed juxta principium primum quod ratio illuminata jam admittit, nimirum Scripturam.

Fontes Solutionum.

VI. Aliud est *ministerialiter* et organice se habere; Aliud *principaliter* et despotice: Ratio priori modo se habet respectu Theologiæ, non posteriori: Est Agar ancilla quæ subjici debet Scripturæ, non Sara domina quæ illi præficiatur; debet exigere quæ proponuntur credenda ad Scripturas Sacras, ceu normam veritatis indeclinabilem, ut quum manu et oculo ad ulnam publicam exigimus quæ metiri volumus; sed ipsa in normam credendorum constitui non potest nec debet.

VII. Aliud est *instrumentum fidei;* Aliud *fidei fundamentum:* Aliud inferre aliquid credendum; Aliud efferre quid ex dictis sit intelligendum et explicandum, non textui aliquid imponendo, sed exponendo quod involutum videbatur: *Ratio* est *instrumentum* quo utitur fidelis, sed non est fundamentum et principium quo fides nitatur; et si in variis Scripturæ locis rationis usus prædicatur, non statim fundamentum fidei statuitur, ut ex ratione tanquam norma agere debeam; sed ministerium tantum ejus notatur, ut fideles secundum eam et per eam operentur ut instrumentum.

VIII. *Cultus rationalis* bifariam dicitur, vel *originaliter*, qui est a ratione ut origine et principio; vel *subjective*, et *organice*, qui est in ratione tanquam in subjecto, et per rationem tanquam per instrumentum exercetur: Paulus Rom. xii. 1, cultum rationalem quem fidelibus præscribit, non intelligit primo modo, sic enim ἰδιοθρησκίας quas alibi damnat approbaret; sed secundo, pro eo qui in ratione positus est, et per rationem exercetur, id est, qui spiritualis est et internus, non carnalis et externus, per antithesim ad cultum Leviticum et Cæremonialem V. T. qui carnalis fuit in brutorum oblatione; ubi jam non bruta amplius Deus postulat, sed *hostias rationales et spirituales*, ut Petrus vocat 1^ae^ c. ii. 5.

IX. Christus potest dici rationabiliter docuisse, Vel quoad doctrinæ genus, Vel quoad docendi modum: Si intelligatur primo modo, de quo hic quæritur, falsum est; imo doctrinam rationi cœcæ adversam et ignotam attulit, Matt. xvi. 17. Secundus vero modus non huc pertinet, fatemur enim rationem se habere ad modum instrumenti.

X. Aliud est doctrinam ex natura haurire; Aliud doctrinam jam cognitam aliquo modo illustrare, vel docendi occasionem ex natura arripere: Posterius in parabolis Domini agnoscimus; Prius non item: Nec enim per parabolas mysteria sua expresse probavit, sed tantum illustravit, ut facilius sub hisce emblematibus perciperentur.

XI. Alia est *veritas sententiarum;* Alia *veritas connexionum*, ut observat *Aug. lib.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 32. Illa respondet judicio axiomatico, Ista judicio dianoëtico: Axiomata sive sententias fidei dictat nobis in Scripturis divina revelatio; ideo ubi captum superant simpliciter credi debent propter authoritatem infallibilis istius Magistri sententiarum, cujus αὐτὸς ἔφα est in omnibus tenendum: At veritatem connexionum apprehendit recta ratio, et per se dijudicat quid ex altero sequatur.

XII. Aliud est Consequentiæ rationem deprehendere, Aliud vero ipsum

Digitized by Google

Consequens: Sæpe deprehenditur consequentiæ ratio, quum nec deprehenditur antecedens, nec comprehenditur consequens, tantum intelligitur hoc ex illo sequi; Consequens deprehendit fides, sed Consequentiam Ratio: Rationis enim est deprehendere consequentiæ rationem, an sit recta et necessaria, an secus; nec inde sequitur fidem qua consequens deprehenditur niti ratione, quia ratio hic non argumentum, sed instrumentum est; ut quum *fides* dicitur esse *ex auditu*, auditus non est argumentum fidei sed instrumentum; quia ratio non introducit in textum sensum qui ibi non erat, sed educit per legitimam consequentiam aliquid quod in textu latebat, adeoque eo implicite docebatur.

XIII. Licet ratio se habeat in rebus fidei non modo per modum organi quo, sed etiam nonnunquam *medii* et argumenti ex quo Theologus arguit, quum nimirum ex proprio penu argumenta pro fide promit; sive agat pro principiis, ostendendo eorum credibilitatem iis qui eam non agnoscunt, sive agat ex principiis, producendo argumenta ex natura ad conclusiones Theologicas vel probandas vel confirmandas; (unde fit ut eadem conclusio quatenus ex Scriptura probatur sit de fide, quatenus autem ex ratione demonstratur, de scientia;) Non potest inde colligi habere rationem principii et normæ, ad quam exigi debeant fidei dogmata.

Syllogismi mixti sunt de fide.

XIV. In *Syllogismis mixtis* ubi una propositio est de fide, altera ex ratione; ratio hac in parte non est fundamentum et norma qua nititur conclusio, sed tantum medium et instrumentum, cujus opera elicitur veritas in præmissarum altera virtualiter latens: Itaque in istiusmodi syllogismis medius terminus non sumitur a ratione, sed a Scriptura; nexus vero medii cum majore extremo quum negatur ab Adversario, per rationis principia ostenditur, non ad corroborandam Medii veritatem, sed connexionis: verbi gratia, nego Corpus Christi gloriosum esse ubique, assumpto hoc medio a Scriptura, quod sit corpus verum; Major vero, quod nullum corpus sit ubique, petitur a ratione; unde in talibus argumentis conclusio emergit Theologica a medio inferente, et Logica a ratione quæ consequentiam nectit; altera præmissarum, quæ est de fide, vim suam communicante conclusioni, eatenus ut quoad materiam et consequens sola revelatione nitatur, licet quoad formam et consequentiæ modum pendeat a ratione.

XV. Nec hic reponi debet conclusionem sequi semper debiliorem partem, id est rationem, quæ infirmior est divina revelatione. Nam 1. axioma illud non ultra quantitatem et qualitatem est extendendum, ut si præmissarum una sit universalis, alia particularis, una affirmans, alia negans, conclusio debeat semper esse particularis, et negans. 2. Juxta plerosque conclusio sequitur debiliorem partem, dum sequitur revelationem quæ est inevidens, saltem philosophice loquendo; ubi debilior censetur et inevidentior illa propositio quæ authoritate nititur, ea quæ nititur ratione, quia a scientifica demonstratione est remotior.

XVI. Hinc bene colligimus in istiusmodi syllogismis mixtis conclusionem esse Theologicam et de fide, quia propositio quælibet denominationem accipit a subjecto, non a prædicato suo. Cum ergo subjectum sit Theologicum, propositio est Theologica, licet prædicatum habeatur Philosophicum, vel de lumine naturali; Unde assensus qui istiusmodi conclusionibus adhibetur, est assensus fidei potius quam Scientiæ, quia assensus sequitur naturam Propositionis cui præstatur; Itaque si propositio sit Philosophica, assensum habet evidentem, ad quem mens inclinatur per lumen rationis et scientiæ; si vero sit Theologica, assensum habet fidei, ad quem inclinatur per lumen revelationis; quamvis ergo assensus conclusionis fiat

Digitized by Google

ab utraque propositione, quia tamen potior est ratio propositionis quæ ex Theologia deducitur, quam ejus quæ ex Philosophia habetur, fit ut assensus ille simpliciter ad Theologiam pertinere dicatur, non autem ad Philosophiam.

www.libtool.com.cn

XVII. Ratio vel *materialiter* sumitur pro genere doctrinæ quod petitur ex lumine rationis, vel *formaliter* pro modo eam tradendi, qui τέχνης παιδίας vulgo vocatur; At neutro modo potest dici principium Theologiæ; Non priori, quia nec ex ratione extruitur Theologia, nec in eam resolvitur; Non posteriori, quia licet sit hoc sensu instrumentum, ut jam dictum, non potest tamen censeri principium.

XVIII. Aliud est aliquid esse *contra rationem*, Aliud *supra et præter*: Aliud a ratione everti; Aliud ab ea ignorari. Mysteria fidei sunt quidem contra rationem corruptam, et ab ea impugnantur: Sed sunt tantum supra et præter rationem rectam, et ab ea non docentur; Sic neutro modo potest dici eorum principium.

XIX. Licet res fidei cum ratione consentiant, nec ullum dogma cum ratione recta et illuminata pugnet; Non sequitur consentire cum ratione corrupta et cœca; vel rationem etiam sanam esse ejus principium; Quia non solum consensus, sed dependentia facit principium, qualis est inter causam et effectum.

XX. Norma propria credendorum et non credendorum, non est sensus possibilitatis vel impossibilitatis, sed Verbum Dei: nec enim ea solum possibilia Deo, quæ humanæ menti videntur; potest enim facere supra id quod possumus cogitare, Eph. iii. 20, Matth. xix. 26, et impium esset mentis finitæ angustiis infinitam potentiam Dei circumscribere.

XXI. Quamvis lumen lumini non sit contrarium, et veritas naturalis et revelata sibi mutuo non repugnent, attamen ipsa veritas naturalis non est sæpe id quod dictat humana ratio, quæ sæpe hallucinatur abusu luminis naturalis et revelati: Ideo veritas revelata potest adversari ratiocinationi et humanis conceptibus, licet congruat cum veritate naturali, quam ratio sæpe non videt nec capit; ut hic distinguenda veniant prima principia naturæ per se nota, a conclusionibus et conceptibus rationis qui ex istis principiis educuntur: Illa sunt vera et certa; Isti vero obscuri, sæpe erronei et fallibiles.

XXII. Lux parva et magna possunt differre gradu, et specie; gradu quoad objectum naturale, specie quoad supernaturale: Ratio potest esse lux parva; sed in rebus civilibus et naturalibus, non supernaturalibus.

XXIII. Quamvis ratio non sit principium fidei, non sequitur Atheos non posse converti, quia modus agendi cum illis potest esse, vel Theologicus per argumenta Scripturæ insita, vel Philosophicus, ut ex rationis principiis tollantur præjudicia contra religionem Christianam ex corrupta ratione hausta.

XXIV. Perperam nobis impingitur a Lutheranis, quod rationem principium et normam demonstrationis in Controversiis statuamus, eo quod petamus aliquando argumenta ex rationis censu, et ubiquitatem corporis Christi ex ratione impugnemus. Nam rationi tribuimus tantum partes ministeriales et instrumentales non principales; et si in quæstionibus mixtis utimur ratione ad aliquid probandum, habet id rationem non principii, sed medii ex quo Theologus arguit; et ista nobis non sunt argumenta primaria, sed secundaria tantum et copiæ auxiliares: Adde quod dum Theologus argumentis utitur a ratione petitis, non tam Theologum quam Philosophum agit. Quoad ubiquitatem corporis Christi, rejicimus hoc dogma, et Philosophice et Theologice, quia absurdum est, contradicens principiis Theologiæ et Philosophiæ.

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

An Rationi judicium aliquod competat in rebus fidei? An vero nullus omnino ejus sit usus?

Status Quæstionis.

I. Duo extrema hic sunt vitanda; Alterum eorum qui in *excessu* peccant, nimium tribuentes Rationi, et eam pro Religionis et fidei Norma habentes; quod faciunt *Socinian*i, contra quos actum fuit Quæstione præcedenti: Alterum eorum qui in *defectu* errant, qui, ne videantur statuere rationem pro Norma fidei, vel parum vel nihil rationi concedunt; in qua sententia sunt non modo *Anabaptistæ* et *Weigeliani*, sed et *Lutherani*, et *Pontificii*, qui vellent testimonium Rationis non esse audiendum, quoties judicat de Mysteriis quibusdam fidei; verbi gratia, quum dogma transubstantiationis vel ubiquitatis non vult admittere, quia rationis rectæ lumini repugnat: Et nobis quia usum rationis plane non repudiamus, dicam talem propterea scribunt, quasi nos ipsos constituamus Judices et Arbitros ultimos in rebus fidei, et sic pulchro prætextu orbem decipiamus, dum nos solam Scripturam judicem agnoscere gloriamur.

II. Non Quæritur de *judicio decisionis*, quo publice determinatur controversia aliqua: Hoc nemo nostrum Rationi tribuit; Sed vel Deo soli in Scriptura loquenti, si de summo agatur, vel Pastoribus in Ecclesia constitutis, si de subalterno quæstio sit: Sed quæritur tantum de *judicio privatæ discretionis*, quo verum a falso discernitur, quodque rationi illustratæ recte tribui censemus. 2. In judicio distinguendum est *subjectum* sive potentia cognoscens, a *Norma* seu lege et fundamento quo nititur intellectus, ut ex illius præscripto judicet. 3. *Norma*, pro ratione Objecti judicandi, vel respicit veritatem sententiarum, vel veritatem connexionum: Sententiæ rursus, vel sunt rerum natura notarum, vel tantum ex supernaturali revelatione.

III. Hoc posito; Rationi dico competere judicium discretionis in rebus fidei; tum *subjective*, quia intellectus solius est cognoscere et discernere res fidei; tum *Normaliter*, et quidem respectu veritatis connexionum, in omnibus omnino enunciationibus, sive eæ natura notæ sint, sive ex revelatione; Sed respectu veritatis sententiarum, tantum in iis quæ naturaliter nota sunt, et quidem cum triplici hac cautione. 1. ne pro necessario habeatur id judicium rationis, quasi Theologia absque eo esse non possit. 2. ut Verbum Dei in quo etiam veritates istæ revelatæ sunt, pro primaria semper norma habeatur, Ratio vero pro secundaria. 3. ut quum Verbum aliquid addit rei natura notæ, quod natura ipsa ignorat, tum de ea non ex natura aut ratione, sed ex Verbo judicetur, non quasi Verbum et ratio inter se pugnent, sed quia ratio a Verbo perficitur; At in rebus tantum notis ex revelatione, ut in Mysterio Trinitatis, Incarnationis, &c. sola Norma Verbum Dei est, ultra aut præter quam non est sapiendum.

IV. Non quæritur, An mysteria fidei sint supra rationem, vel, An ratio illa assequi possit? Damus enim facile esse res quæ longissime captum non tantum humanum, sed Angelicum superant, et ad quarum cognitionem opus fuit supernaturali revelatione: Fatemur etiam rationem non modo incapacem esse ea retegendi nisi revelarentur; non modo infirmam ad ea capienda postquam revelata sunt; sed etiam lubricam et fallibilem, quæ facile mendacium loco veritatis, et veritatem loco mendacii sequitur, et quæ nunquam Verbo Dei ejusque mysteriis crederet, nisi Spiritus gratia eam

Digitized by Google

illuminante: Sed quæritur, An nullus sit omnino ejus usus, et An Rationis testimonium plane repudiare debeamus, quoties de veritate vel falsitate alicujus dogmatis judicandum; quod Adversarii vellent, Nos negamus.

V. Licet maxima sit intellectus humani cæcitas, certum tamen est reliquos adhuc esse in ipso radios aliquos luminis naturalis, et quædam principia quorum indubitata est veritas, qualia sunt, Totum majus esse sua parte, Effectum supponere causam, Esse et non esse terminos esse ἀντιστάτους &c. et nisi hoc foret, nullæ dari possent scientiæ aut artes nec quicquam certi esset in rerum natura. 2. Principia ista non modo certa sunt in natura, sed etiam in gratia et in mysteriis fidei; tantum enim abest ut ea destruat fides, quin contra ea mutuatur a ratione, et iis utitur ad confirmationem dogmatum suorum. 3. Quamvis ratio et fides sint diversi ordinis, illa naturalis, hæc supernaturalis, non tamen sunt oppositæ, sed relationem habent ad se invicem, et sibi subordinantur; ratio perficitur a fide, et fides supponit rationem, ut illi superstruat mysteria gratiæ.

VI. Ratio non potest nec debet ex penu suo Mysteria proponere; solum Verbum Dei hoc habet juris, et nisi inde petantur, eo ipso rejicienda sunt, Gal. i. 8. 2. Non audienda est ratio quoties queritur se non posse capere mysteria fidei; qui enim infinitum caperetur a finito? Velle ergo rejicere mysteria, quia a ratione capi non possunt, non modo est peccare in fidem, sed et in rationem, quæ se finitam et longe inferiorem agnoscit sublimibus istis mysteriis. 3. Non audienda est quoties sub prætextu mysteriorum fidei proprios errores vult stabilire, evertendo veritatem indubitatam principiorum luminis naturalis, sive quoad res mere naturales, sive quoad mere supernaturales, sive quoad mixtas, quæ gratia mutuatur a natura ad eas ad usum transferendas: Hinc recta ratio talia commenta debet rejicere, utpote ἀσύστατα cum principiis indubitatis luminis naturalis.

Rationis usus probatur.

VII. Rationis usum in Mysteriis fidei multiplicem esse antea visum, ad illustrationem, collationem, illationem, probationem: Et probatur insuper 1. ex. 1 Cor. x. 15. ubi Apostolus provocat ad judicium Corinthiorum, non modo Doctorum, sed et plebis. 2. ab exemplis Christi et Apostolorum ac Prophetarum, qui ubique ratiocinantur ad docenda mysteria fidei: Nec dicendum non licere ab illis qui διὰ πίστεως, ad nos argumentari qui fallibiles; quia vis ratiocinationum non nititur infallibilitate probantis, sed rei evidentia. 3. ex. 1 Joan. iv. 1. ubi jubemur *probare spiritus*, quod non potest fieri nisi rationis beneficio. 4. Sensus testimonium non est plane rejiciendum in rebus fidei, ut postea dicetur, ergo nec rationis, quia sensus est longe inferior ratione.

Fontes Solutionum.

VIII. Aliud est cognoscere sensum propositionis alicujus, Aliud cognoscere ejus veritatem; priori modo respicitur Evangelium simpliciter ut Verbum, posteriori ut Verbum divinum et infallibile: Ratio circa prius occupatur, sed fides tantum circa posterius.

IX. Aliud est rem aliquam esse *incomprehensibilem*, quæ capi non possit; Aliud esse *incompossibilem* quæ concipi non queat: Mysteria Trinitatis, Incarnationis et Prædestinationis sunt incomprehensibilia, quorum notionem tantum obscuram et imperfectam habere possumus; Sed figmentum Transubstantiationis vel Ubiquitatis, concipi non potest propter repugnantiam naturalem intellectus nostri in concipienda re penitus impossibili.

X. Ratio corrupta et in concreto potest repugnare Theologiæ, sed non sana et in abstracto, quæ potest mysteria ignorare et non docere, sed non statim ea negare censenda est. Ut male colliges Medicum repugnare Jurisconsulto, quia leges non citat, sic nec Philosophus Theologo repugnat, licet mysteria ejus non tractet, et supra se esse agnoscat.

Digitized by Google

XI. *Humana* dicuntur, vel quæ ex corruptione carnali sunt, et hoc sensu opponit Christus humana divinis Matt. xvi. 17. vel quæ ex imagine Dei residua sunt, et sic non repugnant, sed subordinantur; nec lumen lumini, nec veritas veritati contradicit, quia utriusque Deus Author est.

XII. Licet rationi per Spiritum Sanctum illustratæ judicium aliquod discretionis tribuamus; non propterea nosmet ultimos Arbitros et Judices in causis fidei constituimus, vel judicium supremum et decisionis Scripturæ detrahimus; hæc enim subordinata sunt, non contraria, et sic ratio judicat semper secundum Scripturam, tanquam normam primam et infallibilem.

XIII. Ex eo quod Mysteria fidei captum rationis superant, sequitur quidem eam non debere adhiberi tanquam principium et fundamentum ad ostendendam veritatem sententiarum fidei; sed non sequitur eam non posse adhiberi, ad ostendendam veritatem aut falsitatem connexionum in controversiis fidei; nam veritas connexionum in rerum natura perpetua est, et in scholis quoque illis quæ extra Ecclesiam sunt disci potest, ut *August.* non semel lib. 2, *de doctrina Christiana* docet.

XIV. Quando judicium aliquod rationi in rebus fidei tribuimus, non intelligimus rationem cæcam et corruptam per peccatum, quo sensu fatemur hominem animalem non posse percipere quæ sunt Dei, 1 Cor. ii. 14, et φρόνημα *carnis esse inimicitiam adversus Deum*, Rom. viii. 7, sed loquimur de ratione recta et sanata per gratiam, quo sensu *homo spiritualis dicitur omnia judicare*, 1 Cor. ii. 15, et Paulus sæpe provocat ad judicium fidelium, 1 Cor. x. 15, et xi. 13; Hebr. v. 13, 14.

XV. *Captivatio intellectus* quam Apostolus præscribit, 2 Cor. x. 5, non excludit omnem judicandi libertatem, sed tantum contradicendi studium, quando se effert adversus Christum et Evangelium ipsius, non ut ratio non possit discernere, sed ut non audeat repugnare, etsi mysteria quæ proponuntur, superent ejus captum, nec possit ea assequi; non vult ergo rationem prorsus tollere, quia gratia naturam non destruit sed perficit, sed tantum vult fidei servire et ancillari, ut sit pedissequa quæ obediat, non domina quæ imperet; ut subjiciatur, sed non ut penitus abjiciatur, ut fidem non fundet, pro fide tamen militet, et fidem jam fundatam amplectatur, defendat et illustret.

XVI. Aliud est negare vel impugnare aliquem Articulum fidei, quia non videtur cum ratione convenire; Aliud impugnare erroneas opiniones circa eum, et falsas Scripturæ expositiones; non quia regulæ philosophicæ eas non admittunt, sed quia Verbo Dei, cui veritas naturalis connexionum inservit, contrariæ sunt.

XVII. Licet utamur ratione et ejus principiis in controversiis Theologicis, non sequitur fieri a nobis mixturam Philosophiæ cum Theologia, et rerum humanarum cum Divinis; quia non adhibentur tanquam fundamentum et principium fidei ex quo mysteria probamus, sed tantum ut instrumenta cognitionis; ut quum oculo corporis, et lumine Solis videmus aliquod objectum visibile, nulla fit mixtio oculi cum Sole, quia non concurrunt eadem ratione sed diversa.

XVIII. Transitus de genere in genus tum committitur, quando, quod proprium est unius disciplinæ, assumitur ad demonstrandam conclusionem alterius disciplinæ; sed hoc nequaquam a nobis fieri solet in hoc negotio, quia non assumitur medius terminus ex Philosophia ad probandam conclusionem fidei, sed ex Scriptura. 2. principia vel axiomata quæ assumuntur ex ratione, vel ex Philosophia, ad probandum aliquem articulum fidei, non sunt ita propria Philosophiæ, quin censeantur etiam pertinere ad Theologiam saltem naturalem, quæ præstrui debet supernaturali et revelatæ;

Digitized by Google

atque ita ad Articulos fidei possunt dici spectare, si non formales, saltem præsupposito.

www.libtool.com.cn

QUÆSTIO X.

An Rationi humanæ judicium contradictionis in Rebus Fidei permittendum sit? Affirm.

Occasio Quæstionis.

I. Hæc etiam Controversia agitatur inter Nos et Lutheranos, potissimum Ubiquitarios, quibus quia objicere solemus opinionem eorum de πολυτοπία vel πανταχουσία Corporis Christi esse contradictoriam, regerere solent, Judicium contradictionis in articulis fidei non ad Rationem pertinere, sed ad Scripturam sacram, *Osiand. Enchiri. Calvin.* c. i. q. 3. *Menzerus in Elencho errorum Sadeelis ad Arg.* 6. *Stegmanus* in *Photin. disp.* 2, *q.* 3, unde *Meisnerus quæst. metaph.* 3, *contra Calvin.* dicit axioma istud, *Contradictoria prorsus sunt impossibilia quia idem esse et non esse sit ἀδύνατον*, periculosissimum esse in divinis. Ad quæstionis statum tenendum, distinguenda hic tria sunt, ratio judicans, principium ex quo judicium formatur, et norma consequentiæ qua judicium formatur. 1. *Ratio* hic intelligitur non cæca et depravata per peccatum, sed restituta et illuminata a Spiritu Sancto. 2. *Principia* sunt axiomata, non natura nota, aut humana authoritate constituta; sed in Scriptura tradita. 3. *Norma* qua dirigitur et firmatur ratio in eruenda et applicanda veritate e Scriptura, sunt regulæ bonæ consequentiæ a Deo Creaturæ rationali inditæ. Norma autem ista non est *Norma veritatis* ipsius, quæ est solum Dei Verbum et prima veritas normalis, sed *Norma* tantum *consequentiæ*, cujus interventu certius cognoscitur et discernitur quid sequatur ex vero, quid non.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur, An Ratio possit assequi Mysteria fidei per se; nemo enim diffitetur plurima ex ipsis longissime rationis captum superare; Sed, An possit cognoscere de contradictione propositionum, quæ nonnisi ex naturæ et rationis legibus discerni potest. 2. Non quæritur de Judicio decisionis absoluto et illimitato, sed de Judicio discretionis, quod limitatum est et alligatum Verbo, et quod ex eo semper probandum est, 1 Thes. v. 21; 1 Joan. iv. 1, quod si non facit semper ad convictionem alienam, sufficit tamen ad propriam.

III. Sic ergo statuimus; Judicium contradictionis ad rationem pertinere, sed 1. supposita semper revelatione, ejusque veritate per se fide digna. 2. Organice et ministerialiter, non despotice et autoritative. 3. Cum exigentia ad ipsam Scripturam, quæ satis seipsam interpretatur, nec extra se ullum requirit interpretem, quo ejus sensus stabiliatur. Atque ita Rationem a Spiritu Sancto illuminatam per Verbum, ex ipsomet Verbo juxta regulas bonæ et necessariæ consequentiæ posse considerare et judicare, quomodo partes doctrinæ inter se cohæreant, et quid ex illis sequatur, quid non.

Judicium contradictionis Rationi competere probatur.

IV. Rationes sunt, 1. Quia Scriptura hoc judicium non semel præcipit, Matt. vii. 15, et xvi. 6; Col. ii. 8; 1 Thessal. v. 21; Hebr. v. 14. 2. Exempla Sanctorum confirmant, ut Bereensium, Act. xvii. 11, et Corinthiorum, 1 Cor. x. 15. 3. Finis Scripturæ docet, qui est perfectio Viri Dei in veritatis cognitione, et contradicentium convictione, 1 Tim. iii. 16; Tit. i. 9, qui sine eo obtineri nequit. 4. Rationis usus evincit, quia ut

Digitized by Google

ad eam pertinet cognitio affirmationis vel negationis propositionum, et doctrina contradictionis, ita et judicium ejus ad eam spectat, et nisi hoc statuatur, latissima aperitur porta omnis generis hæreticis et fanaticis, figmenta sua et opinionum monstra obtrudendi, nec ulla unquam vera esse poterit contradictio.

www.libtool.com.cn

Fontes Solutionum.

V. Licet judicium hoc ab homine fiat subjective, non censendum tamen est *humanum*, quod more hominum originaliter ex ratiociniis aut affectibus humanis concipiatur, sed *Divinum*, quod ex luce et affectu Spiritus Sancti promitur, quo sensu Paulus ait 1. Cor. ii. 14. *hominem spiritualem omnia judicare*, spiritualiter scilicet ex lumine gratiæ, non rationis animalis.

VI. Ratio non potest judicare de potentia Dei ex principiis naturalibus; Sed nihil obstat quominus de ea judicet ex Verbo, Matth. xix. 26; 2 Tim. i. 12; Psal. cxv. 3. Ita periculosum est judicium contradictionis quoad rationem excœcatam, quando ex corruptis principiis judicat; sed nos loquimur de ratione illuminata, ex Verbo pronunciante.

VII. Captivanda est ratio 2 Cor. x. 5. quatenus se effert adversus Christum et Evangelium ejus, sed potest audiri quando illi subservit, et ex eo judicat.

VIII. Tenebræ ingenii humani non impediunt, quominus de veritate connexionum, et sic de contradictione sana ratio judicare possit; Damus quidem non posse judicare de veritate sententiarum, utpote quam ignorat per se, et quæ ex Lege et Testimonio petenda est; sed non inde sequitur non posse judicare de contradictione enunciationum, et opinionum ac interpretationum, quas homines formant circa ista mysteria.

IX. Ratio non tantum judicare potest de *contradictione directa* et formali, quæ constat iisdem terminis, et expressa affirmatione et negatione, sed etiam de *indirecta* et implicita, quæ per necessariam consequentiam deducitur: Qualis hæc est, Christi Sanguis nos purgat ab omni peccato, ergo non datur Purgatorium; Christus ascendit in cœlos, ergo non est ubique.

X. Non necesse est ad contradictionem cognoscendam nosse distincte res ipsas et earum essentiam, sed sufficit ut cognoscatur veritas connexionum, ex quibus de contradictione propositionis facile judicium ferri potest.

XI. Licet multa contradictoria variis videantur, quæ tamen reipsa non sunt; non sequitur hominibus ratione bene utentibus, et recte sentientibus tale quid videri quod non sit.

XII. Aliud est loqui de ratione sana et regenita, in abstracto; Aliud de eadem in concreto, et prout est in hoc vel illo subjecto corrupto: Judicium damus rationi non posteriori, sed priori tantum sensu.

XIII. Aliud est rationi omne judicium adimere, et statuere ei absolute credendum non esse; Aliud non tantum credenda esse quæ ratio novit, sed in perfectiore schola ea discenda esse quæ ratio tradere et assequi non potest; Prius non dicimus, sed posterius.

XIV. Licet Judicium contradictionis in rebus fidei rationi permittatur, non sequitur intellectum humanum fieri regulam potentiæ divinæ, quasi Deus non possit plura præstare, quam ratio humana possit concipere: Quia aliud est fieri posse aliquid a Deo *supra* naturam et conceptum humanum, quod verissime dicitur Ephes. iii. 20. Aliud vero *contra* naturam et principia luminis naturalis, quod falsissimum; Neque ita limitatur potentia Dei ad regulam intellectus nostri, sed mens nostra judicat ex Verbo, quid juxta rei naturam a Deo constitutam possibile vel impossibile dicendum sit.

XV. Ratio non potest judicare de potentia Dei, ut eam penitus comprehendere valeat, vel ut impossibilia putet quæ supra naturam sunt, vel ut

Digitized by Google

aliquid in Theologiam inferat sub prætextu potentiæ divinæ, nisi antea de illo ex Verbo constet; multo minus ut quum Verbum Dei aliquid certe et clare statuit, ad illud evertendum ad omnipotentiam Dei confugiat. Sed eatenus bene judicat de Potentia Dei, quum illam ad rerum naturam et Verbum ejus expendit; ut illud impossibile dicatur et contradictorium, non quod tale videtur huic vel illi, sed quod tale est reipsa, quia repugnat naturæ rei, et veritati in Verbo revelatæ.

XVI. Aliud est rationem esse posse Judicem falsi, contradictorii, et repugnantis tam rationis universalissimis principiis, quam revelationi, v. g. in materia de Transubstantiatione, Ubiquitate, Adoratione creaturarum et sim.; Aliud Rationem esse debere Judicem, et normalem quidem veri revelati, et μυστηριώδους, quod supra illius sphæram quam longissime evectum est, quod a Deo traditum, cujus cogitationes immensum quantum humanas transcendunt, et qui rationem vult captivam duci ad obsequium fidei. 2 Cor. x. 5. Istud negamus, sed illud asserimus.

QUÆSTIO XI.

An aliquis sit usus testimonii sensuum in Mysteriis fidei; An penitus sit repudiandum? Affir. pr. Neg. poster.

Status Quæstionis.

I. Quæstio hæc nobis movetur a Pontificiis, qui ut elevent argumentum quod petimus ad impugnandum commentum Transubstantiationis, et Præsentiæ carnalis Christi in Eucharistia, et ad confirmandam veritatem substantiæ panis et vini, ex Testimonio sensuum, quia sensus nihil vident, nihil tangunt et gustant nisi panem et vinum, eo deveniunt, ut dicant non esse audiendum in Mysteriis fidei sensuum testimonium, eo quod mysteria sint supra sensum, et fides in eo sita sit ut credamus quæ non videmus.

II. Licet Orthodoxi nolint sensus audiendos esse in omnibus Mysteriis, pertendunt tamen, suum etiam locum esse debere eorum testimonio, quum agitur de rebus sensibilibus et corporeis, quæ sunt in sphæra eorum activitatis.

III. Ad statum quæstionis, Observandum, Ut tria sunt genera rerum quæ cognosci possunt, aliæ quæ sunt πίστεως, aliæ νοητά, aliæ αἰσθητά, ita tres esse facultates quæ circa illas occupantur, *sensum*, *rationem*, et *fidem*; et Sensum res sensibiles percipere, Rationem res intelligibiles, Fidem spirituales et supernaturales: Ut vero sensus non sibi arrogat judicium de rebus quæ sunt objectum rationis; Ita multo minus rationem et sensum posse judicare de rebus fidei, sed unamquamque facultatem proprium habere objectum circa quod versatur, quæ ut confundi non debent, ita nec sibi invicem sunt opponenda.

IV. Non quæritur ergo, An sensuum testimonium sit ubique audiendum, ut nihil concedamus nisi quod sensus capere possunt; fatemur enim multa esse mysteria ad quæ ratio et multo minus sensus non potest assurgere, qualia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c. Sed quæritur, Quum sensus judicant de objecto proprio, neque extra sphæram suam egrediuntur, An repudiandum sit, An vero admittendum eorum testimonium; Quæritur, An fides opponatur judicio sensuum bene ordinato, illudque evertat; quod negamus.

V. Mysteria fidei alia sunt mere spiritualia et posita longissime supra captum nostrum, qualia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c. alia

Digitized by Google

vero quæ in rebus sensibilibus et corporeis sita sunt, sive Deus iis utatur tanquam organis et mediis ad exequenda consilia sua, sive velit nos per illa evehere ad clariorem cognitionem sublimiorum mysteriorum; qualia sunt miracula Christi, typi et figuræ Veteris Testamenti, Sacramenta Novi. Priora sunt proprie objectum fidei nostræ, nec ullo modo cadunt sub sensus; sed quoad posteriora, in quibus res spiritualis cum corporea jungitur, res spiritualis manet semper objectum fidei, sed res corporea manet objectum sensus. Quæritur ergo; An fides utatur testimonio sensuum in rebus corporeis v. g. quum judicat de substantia panis et vini in Eucharistia, et de absentia Corporis Christi; An vero illud rejiciat?

Testimonium sensuum probatur.

VI. Testimonium sensuum non esse rejiciendum patet, 1. Exemplo Christi, qui ad probandam veritatem Corporis sui post resurrectionem provocat ad sensus, *videte* et *palpate*, Luc. xxiv. 39; quod non fecisset omnino, si fallax et dubium esset eorum testimonium: Ita Angelus hoc argumento utitur, Matt. ii. 86. *Non est hic, sed suscitatus est; videte locum ubi jacebat*, et Act. 1, Apostoli eadem probatione utuntur, dum pollicentur reditum Christi eo modo quo abiit, sic Jo. 1us c. i. 1, 2, et Pet. c. i. 2us 17, fundant præcipuam rationem veritatis et Divinitatis Evangelii super testimonium sensuum. 2. Quia Deus utitur Verbi præconio et operum contemplatione ad nos ad fidem adducendos; certum est autem ista media præsupponere non modo usum sensuum, sine quorum ministerio et Verbum et opera Dei nobis ignota essent, sed etiam fidelitatem et veritatem testimonii eorum; nam si sensus possent falli, quænam certitudo posset ingenerari in nobis, vel ex Verbo, vel ex operibus Dei? 3. Spiritus S. utitur operationibus sensuum ad describendas actiones intellectus, ut visu, auditu, gustu, &c.; quod fieri non posset, nisi certum esset et non lubricum sensus testimonium. 4. Fidelitas Dei non patitur ut credamus Deum voluisse illudere hominibus, amandando ad testimonium quod decipere et fallere posset.

Fontes Solutionum.

VII. Licet sensus non sint absolute infallibiles; non sequitur eorum testimonium nullum esse debere; quia variæ sunt conditiones quibus positis sensus non falluntur, 1. Ut objectum sit in debita distantia. 2. Ut medium sit purum et immune ab omni eo quod imaginem corrumpere posset. 3. Ut organum sit legitime dispositum. 4. Ut omnes sensus, saltem qui possunt cognoscere aliquod objectum, consulantur, et idem judicium faciant. 5. Ut sensus attente agant et non præcipitanter, alias possunt decipi. 6. Ut phantasia sit libera, neque in ea vel phrenesis vel febris adsit, alias sæpe fieri solet, ut ea credamus videre et audire, quæ non videmus aut audimus tamen. Si ad istas conditiones omnes attendimus, patebit, ita concurrere omnes in testimonio circa veritatem substantiæ panis et vini in Eucharistia, ut nulla ratione fallax esse possit vel in dubium revocari.

VIII. Non potest dici facta sensibus illusio, Vel in Maria Magdalena, quæ Christum credidit esse hortulanum, Joan. xx. 15, quia decepta fuit judicii præcipitatione, quod statim correxit, quum auribus oculis succurrentibus, agnovit ex voce Servatorem esse. Vel in discipulis Emaunticis, Luc. xxiv. 31, qui non agnoverunt Christum, quia hoc testatur cognitionem eorum fuisse imperfectam et obscuram, sed non falsam, quippe credebant verum hominem esse qui incedebat cum ipsis, sed non Christum esse putabant. Vel in Angelis sub humana forma apparentibus; Nam licet non essent veri homines; vera tamen erant corpora et non phantasmata sub quibus apparebant, et aliquid in illis erat semper, unde discernere poterant non esse meros homines, sed aliquid esse supernaturale, qualis erat splen-

Digitized by Google

dor ille qui eos circundabat, ut visum in Angelo nuntiante Christi nativitatem, et vestes candidæ sub quibus apparebant Angeli testes resurrectionis Christi; unde non difficile erat sensibus et rationi rectum de illis judicium facere; Quod si nonnulli decepti sunt, ut credibile est hoc non raro contigisse, error fuit non a parte objecti, quod satis se prodebat, sed a parte subjecti et principii judicii sensuum.

IX. Aliud est a Deo percuti scotomate, ne videatur aliquod objectum recte et clare; Aliud sensus bene constitutos fallere in testimonio quod perhibent de objecto proprio et bene disposito; Prius dicitur de Sodomæis, Gen. xix. 11, et Syriis militibus. 2. Reg. vi. 18, qui non poterant januam Lothi invenire, et Urbem Samariæ agnoscere; sed non posterius.

X. Si Christus evasit per mediam turbam, quæ præcipitem eum agere voluit e monte, Luc. iv. 30, non propterea credendum eum Corpus suum reddidisse invisibile et imperceptibile sensibus; sed sese in turba abscondisse, ut se subduceret eorum furori, sive eos scotomate percusserit, sive eorum furorem subito pacaverit, vel represserit, ut volunt *Ambrosius* et *Beda*.

QUÆSTIO XII.

De Usu Consequentiarum.

An Dogmata fidei et morum tantum expresso Dei Verbo demonstranda sint; Annon etiam per Consequentias ex Scriptura institutas legitime probari possint?—Aff. Poster.

Status Quæstionis.

I. Quæstio nata est ex nova Agyrtarum et Circulatorum apud Pontificios disputandi methodo, qui ut facilius se expedirent ab argumentis nostris, quibus invicte ex Scriptura sententiam nostram adstruimus, et errores ipsorum confodimus; non aliam commodiorem elabendi rationem se habituros arbitrati sunt, quam si nos eo adigerent, ut dogmata nostra omnia totidem verbis in Scriptura contineri demonstraremus, rejecto omni consequentiarum usu. Primus inter Pontificios videtur hanc artem excogitasse *Perronius* Cardin. in Replica. sua adversus Regem M. Britanniæ, quem secuti sunt alii plures ejusdem furfuris, *Gunterius*, *Cottonus*, *Arnoldus*, et præcipue *Veronus*, qui peculiarem etiam Methodum exinde disputandi Veronianam dictam concinnavit, quibus se adjunxerunt *Fratres Wallemburgii* in Germania, aliique lucifugæ Missionarii. Sed veteres hæretici illis jam præluxerunt, Arriani enim hoc argumento non semel usi sunt ut τὸ ὁμοούσιον expugnarent; sic Macedoniani negabant Spiritus Divinitatem, eo quod in Scriptura nuspiam expresse dicatur Spiritum Sanctum esse Deum, vide *Greg. Nazianz. Orat.* 5, *de Theol.* Iisdem armis Apollinaristas et Monophysitas usos fuisse testatur *Maximus Monachus* in orationibus viginti, quæ vulgo, sed perperam, Athanasio tribuuntur.

II. Articulus quintus Confessionis Gallicanæ, unde videri volunt hausisse sententiam quam nobis affingunt, asserit quidem Scripturæ perfectionem, quum ait, eam *esse omnis veritatis regulam, et complecti quicquid ad gloriam Dei et salutem nostram requiritur, ut non liceat hominibus, imo ne Angelis ipsis, quicquam illi addere vel detrahere;* sed non statuit nihil admittendum, nisi quod totidem verbis in Scriptura legatur, imo sub finem

Digitized by Google

quando additur tria Symbola a nobis admitti, Apostolicum, Nicenum, et Athanasianum, satis innuitur nos apices verborum non sectari, sed veritatem doctrinæ et cultus. Vult ergo *solum* Dei *Verbum* retineri exclusive ad quasvis traditiones, sed non statim restringit nos ad expressum Verbum exclusive ad consequentias.

www.ibtoor.com.cn

III. Ad quæstionis intelligentiam, Observandum, aliquid in Scriptura posse dici bifariam, vel κατὰ διάνοιαν vel κατὰ λέξιν, vel expresse et totidem verbis, vel implicite et quoad sensum: omnia contineri dicimus in Scriptura non primo modo, sed secundo.

IV. *Consequentiæ* possunt spectari, vel *materialiter*, prout notant dogmata ipsa per consequentias educta, vel *formaliter* pro connexione ipsa terminorum, quo modo, Aug. lib. 2, de Doctrina Christi, c. 31, distinguit inter *veritatem sententiarum* et *veritatem connexionum*. Rursus aliæ sunt *innatæ* et eductæ ex Scriptura, quæ virtualiter in ea continentur, aliæ *illatæ* in Scripturam et invectæ in eam. Aliæ proximæ, necessariæ, et evidentes; Aliæ remotæ, probabiles, et obscuræ: de illis hic agitur non de istis.

V. Solida probatio rei, vel talis est in se, vel in ordine ad hominem hunc vel illum: illa in evictione rei sita est, ista in convictione hominis; illa semper habetur in argumentatione recta per consequentias, ista non item.

VI. *Articuli fidei* qui ex Scriptura probari debent, vel sunt *positivi* et *affirmativi*, qui dogma aliquod credendum continent, vel *negativi et exclusivi*, qui errores ab hæreticis invectos rejiciunt; Illi clare et certo ex Scripturis debent probari; quia sunt proprium objectum fidei; sed quod ad istos, sufficit de ipsis in Scripturis nullam mentionem fieri, et ea tradi ex quibus facile falsitatis convincuntur; Hinc ludibrium debent Adversarii, quum a nobis petunt ut probemus totidem verbis in Scriptura nullum esse Purgatorium, Papam non esse Caput Ecclesiæ, Missam non esse Sacrificium, &c. 1. Quia affirmantis est probare, non negantis. 2. Ista dogmata nobis non sunt positiva, sed negativa: sufficit ergo ut doceamus ea nuspiam contineri in Scripturis, et alia haberi ex quibus facile refutantur.

VII. Sufficientia et perfectio Scripturæ, non in eo est posita, ut omnes errores et hæreses nominatim in ea damnentur, sed tantum ut omnia dogmata positiva clare tradantur; nam ut rectum est index sui et obliqui, facile posita omni veritate necessaria, errores illi oppositi rejiciuntur.

VIII. Quæstio E. ad hosce terminos redigitur; An præter expressum Dei Verbum Consequentiæ evidentes et necessariæ in Theologia admittendæ sint; seu An dogmata fidei et morum ex iis legitime probari possint? affirmamus Nos, negant Adversarii; non tamen omnes. Nam *Bellarminus* nobiscum hic facit, lib. 4, de Verbo Dei, c. 9, et lib. 3, de Justificatione, c. 8. *Nihil est*, inquit, *de fide, nisi quod Deus per Apostolos et Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur;* cui adstipulantur *Canus*, l. 12, loc. com. c. 6. *Salmero*, tom. i. prol. 9, c. 7. *Turrecramata*, li. 4, sum. Eccl. p. 2, c. 8, et alii plures, id statuentes esse de fide, quod per necessariam et legitimam consequentiam ex Scripturis deducitur.

Consequentiarum usus probatur a fine Scripturæ.

IX. Consequentiarum usum in rebus fidei multa probant: 1. *Finis Scripturæ*, qui est διδασκαλία, ἔλεγχος, παιδεία, πραΰπαιδευσις, 2 Tim. iii. 16; Ro. xv. 4, qui sine illis obtineri nequit, quia nec thesis ad hypothesim transferri, nec ulla applicatio Scripturæ ad usus vel Theoreticos vel Practicos fieri unquam poterit. 2. *Natura hominis* cui mysteria Religionis concreduntur, qui non est truncus aut bru-

Natura hominis.

Digitized by Google

tum, sed creatura rationalis, quæ proinde, cum ratiocinationis sit capax, debet Scripturas scrutari, Jo. v. 39, et non in cortice verborum hærere, sed ad medullam ipsam et sensum penetrare, ut ex iis quæ legit, aliqua etiam quæ non legit intelligat, ut bene notat *Aug. lib.* 3, *contr. Maxi. c.* 3,

Sapientia Dei.

3. *Sapientia Dei;* Nam ut qui sapit, quando loquitur, vult ut omne illud dictum a se intelligatur, quod ex verbis legitime elici potest; Ita cum sapientissimus sit, qui prævidit quicquid ex Verbo deduci potuit, ita loquutus est, ut voluerit pro Verbo suo haberi quod ex dictis legitime colligitur. 4. *Praxis hæreticorum*, qui ut melius adversus Orthodoxos errores suos tuerentur, consequentiarum usum omnino repudiabant, ut Ariani τὸ ὁμοούσιον negabant, eo quod *ἀντολεξεὶ* non contineretur in Scripturis; unde *syllabarum aucupes* dicti sunt Basilio; et Nazian. orat. 37, Pneumatomachum simili fraude utentem vocat alphabetarium sophistam, et συλλαβῶν τῶν ἐνθυμάτων. 5. *Pontificiorum usus*, qui pleraque sua dogmata de primatu et infallibilitate Papæ, de Transubstantiatione, de Purgatorio, et sim. per consequentias probare solent. 6. *Exemplum Christi et Apostolorum*, qui passim usi leguntur consequentiis; Ut quum Christus ex formula fœderis contra Sadducæos probat resurrectionem mortuorum Matt. 22. cum tamen nihil expresse hic de resurrectione habeatur: Et quum Apostoli Jesum Nazarenum probant esse verum Messiam in V. T. promissum, cum tamen de eo nihil *ἀντολεξεὶ* legatur. Nec juvat excipere Christi et Apostolorum authoritatem esse infallibilem; ideo consequentias etiam indubitatæ veritatis esse, nostras vero tales non esse: Nam licet in se ab authoritate dicentis infallibiles sint Consequentiæ Christi; tamen vim suam non habebant apud Sadducæos ab authoritate dicentis, quam non agnoscebant, sed a natura dictorum; alias qui Christus illa ipsa probatione obstruxisset os hostibus suis, qui authoritatem ejus non agnoscebant?

Praxi Hæreticorum.

Pontificiorum usu.

Exemplo Christi et Apostolorum.

X. Licet illationes Christi quoad nos transeant eo ipso in Verbum Dei, qua a Christo proficiscuntur, et objectum fidei reddantur de jure, tamen falsum eas pro tali habitas a Sadducæis Christi hostibus de facto qua tales, imo ideo tantum admissæ sunt, quia habebant fundamentum in dicto Mosis a Christo allegato. Itaque ut tales ab illis cognoscebantur, ut ratio habita fuerit dictorum, non dicentis.

Fontes Solutionum.

XI. Λογισμοὶ adversus quos arma militiæ nostræ diriguntur de quibus 2 Cor. x. 4, non sunt quævis ratiocinationes, sed ut ibidem ait λογισμοὶ ἐπαιρόμενοι κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, *oppugnantes* scilicet non ancillantes, quæ opponuntur Evangelio, non quæ illi subserviunt: Illæ merito destruendæ sunt, quia *ἀσύνετατοι* cum fide; sed non pariter legitimæ ratiocinationes, quæ subjiciuntur revelationi, et ad illam explicandam et applicandam recte usurpantur.

XII. Aliud est *fundamentum* quo res aliqua nititur; Aliud *instrumentum* quo utimur ad rei istius cognitionem. Quod habet fundamentum fallibile non potest esse infallibile, quia effectus non potest esse nobilior toto genere causa sua: sed ratio hic non est fundamentum, sed instrumentum.

XIII. Licet intellectus qui elicit consequentias sit fallibilis; non sequitur consequentias esse falsas et incertas. 1. Quia aliud est fallere posse, aliud actu fallere; Aliud fallere aliquando, Aliud fallere semper: Potentia quæ est per se et semper fallibilis in omnibus operationibus, non potest fundare certitudinem infallibilem: sed intellectus talis non est, quia fallibilis est non per se, sed per accidens, nec in omnibus, sed in quibusdam tantum;

Digitized by Google

alias si universaliter procederet argumentum, et si quia ratio aliquando fallitur, nulla illi adhibenda esset fides; sequeretur omnem revera notitiam et certitudinem tolli de mundo, et introduci Pyrrhonismum et ἀκαταληψίαν; sic tolleretur omnis certitudo sensus, quia aliquando fallit, quod absurdissimum esse quivis facile intelligit; nam fallibilitatis potentia non necessario conjuncta est cum actu, imo caveri potest ne exeat in actum, adhibitis legitimis mediis: Ut ergo liberandi sunt sensus ab impedimentis, quibus eorum certitudo inhibetur, quæ vel in objecto, vel in medio, vel in organo deprehenduntur; ita liberandus est intellectus a præjudiciis rationem rectam impedientibus, et tunc non errabit: hic autem loquimur de intellectu sano et bene constituto.

XIV. Aliud est Consequentiæ rationem deprehendere, Aliud vero ipsum Consequens. Consequens deprehendit fides, Consequentiam Ratio; Nec tamen inde sequitur fidem qua consequens creditur, niti ratione, quia hic ratio non est argumentum propter quod credo, sed instrumentum quo credo; instrumentum autem non introducit in Textum quod ibi non erat, sed educit per legitimam consequentiam quod antea ibi latebat; Unde conclusio emergit Theologica a medio inferente, Logica vero a ratione sive instrumento eliciente consequentias; et Consequentia quoad τὸ *materiale* fundatur in Verbo, quoad *formale* in Ratione.

XV. Licet Ratio concurrat ad eliciendas consequentias, non sequitur fidem ratione stabiliri; ut nec, quamvis fides sit ex auditu, sequitur sensum esse fidei fundamentum; fides utitur ratione, non ea nititur; utitur tanquam instrumento applicationis et modo cognoscendi, non ea nititur ut fundamento et regula credendorum.

XVI. Syllogismi mixti, in quibus altera præmissarum est luminis naturalis, altera revelati, non desinunt esse de fide: 1. quia propositio quælibet denominationem accipit a subjecto non a prædicato. 2. propositio quæ est luminis revelati virtualiter continet id quod petitur a lumine naturali ad sui probationem, atque adeo vim suam illi communicat. 3. ad probandam fidei conclusionem medius terminus desumitur non a natura sed a Scriptura; sed ubi nexus medii cum majore extremo negatur ab Adversario, succurritur per rationis principia, non ad probandam medii veritatem, sed nexus: v. g. nego panem fieri in Cœna Corpus Christi, assumpto hoc medio, quia habet accidentia panis; si vero negatur connexio medii cum majore extremo; scilicet id quod habet accidentia panis, esse verum panem; probanda est ex ratione, quia formaliter non extat in Scriptura, sed tantum virtualiter.

XVII. Tantum abest ut ministerium rationis fidem dubiam faciat, ut potius cognitionem et certitudinem ejus plurimum adjuvet, et stabiliat: Distingue modo rationem in abstracto, et in concreto, rationem illuminatam in homine fideli, vel cæcam in irregenito: Verum est rationem cæcam et falsam dubiam fidem facere; sed negatur de ratione sana et illustrata.

XVIII. Licet Theologus perfectiorem notitiam habeat consequentiarum, Non obstat tamen quominus idiota idipsum possit pro modulo suo, quamvis ignoret Logicam et Metaphysicam, quia sufficit illi lumen rationis, et Logica naturalis ad discernendas consequentias naturales.

XIX. In hoc argumentationis genere, ubi aliquid per consequentiam elicitur, requiritur, 1. Ut altera præmissarum, vel utraque, immediate vel mediate, verbis propriis vel figuratis, in Scriptura contineatur. 2. Ut consequentia seu illatio sit necessaria et evidens; necessaria non solum necessitate formæ, sed etiam materiæ sive consequentis, ut quum ex ante-

Digitized by Google

cedente consequens, ex genere species, ex causa effectum deducitur. 3. Ut sit evidens propter assensum, ut propter evidentiam illationis non minus conclusionibus quam præmissis assentiamur.

www.libpol.com.cn

XX. Aliud est loqui de ratiocinationibus extractis ex Scriptura et secundum eam, et quæ subordinantur revelationi et in eam resolvuntur; Aliud de iis quæ illi opponuntur. Non sequitur, licet hæretici utantur istis ad errores suos confirmandos, illas non esse admittendas; nam propter rei abusum, ejus usus legitimus tolli non debet.

XXI. Usus consequentiarum non est alienus a simplicitate discipulorum Christi; nam oves Christi etsi simplices esse debent, non debent tamen esse brutæ, sed rationales; nec si unam Christi audire debemus vocem, continuo impeditur ratiocinationum usus, modo adhibeatur cum temperamento legitimo; imo quia Christi vox est audienda, scrutandæ sunt Scripturæ, et vox peregrina a voce Christi discernenda, quod sine rationis usu fieri nequit. Ita tantum abest ut ratiocinationibus per consequentias e Scriptura deductis recedatur a Scriptura, vel illi aliquid addatur, ut ea duntaxat quæ sunt in Scriptura eruantur et ad usum reducantur.

XXII. Licet Scriptura dicatur perfecta in genere fundamenti credendorum et faciendorum, quatenus omnia dogmata continet et præcepta morum, quæ necessaria sunt ad salutem; hoc non obstat quominus et explicatione et applicatione opus habeat; ut regula perfecta est, et tamen ejus applicatione opus est; nec ista applicatio intercedit perfectioni regulæ, sed potius eam probat et declarat.

XXIII. *Ματαιολογία* seu *vaniloquentia*, quam proscribit Apostolus 1 Tim. i. 6, non est ratiocinatio sana per consequentias ex Scriptura; sed est curiosa et anxia de rebus vanis dissertatio, quas vocat v. 4. *μύθους καὶ γενεαλογίας ἀνηράντους*, quales erant non modo Gentilium fabulæ de Diis suis et *Θεογονία*, sed et Judæorum deliria de Lilith, Behemoth, Leviathan, et aliis id genus Talmudicis nugis febrilibus.

XXIV. Abusus ratiocinationum non est confundendus cum earum usu, nec res considerata in abstracto in se damnanda, ob perversam ejus applicationem in concreto: Sic multi falluntur in objectis variis dignoscendis per auditum, vel visum, nec ob id tamen dicendum incerta omnia esse quæ sensibus istis apprehenduntur. Ita si peccant illi, qui consequentiis utuntur ad firmanda falsa Transubstantiationis vel Consubstantiationis dogmata, quia sunt violentæ et illegitimæ, non continuo damnari debent illi qui legitime iis utuntur; alias sequeretur damnandum etiam esse Scripturæ ipsius usum, quia multi hæretici ea abutuntur.

XXV. Aliud est aliquem audire, ut *artificem dogmatum*, sic Moses, Prophetæ, et Christus soli audiendi, et quoad res traditas, et quoad modum tradendi; Aliud audire, ut *artificem instrumentorum* dogmatibus explicandis et applicandis idoneorum, sic homines consequentiis utentes possunt audiri.

XXVI. Alia sunt *principia dogmatum* et Veritatis sententiarum, Alia sunt *principia veritatis eductionum;* Illa ducuntur ex Scriptura, Ista ex ratione; et quia Veritas sententiarum potissima est, spectatur potissimum in argumentis, et ex ista judicium fieri debet de conclusione; Unde conclusio argumenti Theologica erit, quia principium dogmatum tale est; *Ratio* vero non est *principium rei*, sed *cognitionis rei*, Nec tam principium, quam instrumentum quo cognoscitur id quod probatur.

XXVII. Consequentia est *opus rationis*, quatenus consideratur *formaliter* et organice, quia per rationem elicitur, sed non ut *originaliter* et *materialiter* spectatur, pro doctrina per consequentiam elicita. Ita Conse-

Digitized by Google

quentiæ non sunt de fide ex parte *organi*, quo eliciuntur, non enim credo, quia sic ratiocinor, sed quia hoc dicit Verbum Dei; sunt tamen de fide ex parte *principii*, ex quo eliciuntur; quales enim sunt præmissæ, tales conclusiones inde deductæ.

www.ibtool.com.cn

XXVIII. Aliquid censetur profectum a Spiritu Sancto, vel mediate et in ramis, quod nempe ex Scriptura elicitur ministerio ratiocinationis, vel immediate et in radice, quod totidem verbis in illa continetur: priori modo consequentiæ sunt a Spiritu Sancto, non posteriori.

XXIX. Licet pro Reformatorum doctrina non sit habendum, quod ex ipsorum Confessionibus quomodocunque elicitur, et illis imputatur; nec pro sententia Lutheranorum statim quod ex eorum dogmate colligitur; non sequitur non posse haberi pro Dei Verbo, quod ex eo legitime et evidenter elicitur, quia non est par ratio; Spiritus enim Sanctus, qui τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ scrutatur, 1 Cor. ii. 10, ut omniscius, potuit prævidere et intendere quicquid ex dictis suis erui rite poterat; sed homines, qui nec sunt omniscii nec infallibiles, scire non potuerunt quid ex dictis suis in posterum erui posset.

2 Pet. i. 20. XXX. Quum Petrus negat Scripturam esse privatæ interpretationis c. i. 2as, non intelligit *privatam subjective*, quæ a privato aliquo potest legitime ex Scripturæ collatione erui; alias non juberet Spiritus Sanctus legere et scrutari Scripturas, et spiritualia cum spiritualibus conferre 1 Cor. ii. 13, prophetare ad analogiam fidei, Rom. xii. 6, et applicare eas ad convictionem et correctionem, &c. 2 Tim. iii. 15. Sed intelligitur interpretatio *privata originaliter*, et ut habet textus ἰδία ἐπίλυσις, id est propria et singularis, quæ ex cujusque cerebro et arbitrio oritur, et quam non suppeditant Scripturæ verba eorumque collatio, quale est jus quod sibi tribuit Papa Scripturam pro libitu interpretandi secundum spiritum illum infallibilem, quem sibi proprium et privatum facit.

XXXI. Ut Scriptura per Scripturam exponatur, sufficit ut Scriptura in circumstantiis antecedentibus, consequentibus, parallelis, scopo, &c. fundamenta et rationes Interpreti suppeditet, quibus ille genuinum Scripturæ sensum eliciat, aliisque ad conscientiam eorum demonstret: Sed non necesse est ut Scripturæ ullibi dicant locum istum per alterum esse explicandum, et ut in Scriptura legatur expresse consequentia et interpretatio quam propono; ut quum Jurisconsultus legem cum lege conferens, et unam ex altera explicans, dicit Imperatorem et Legislatorem seipsum interpretari, non opus est ut Imperator alicubi dicat expresse hanc Legem per illam, et hæc verba ex istis esse exponenda.

XXXII. Licet Scriptura non judicet de bonitate consequentiæ quoad veritatem connexionis, quia hoc pendet a ministerio rationis, non desinit esse sola Judex contraversiarum fidei quoad veritatem sententiarum; ut Lex non desinit esse Judex litium quæ oriuntur in Republica, licet non dicat consequentias, quæ ex ipsa deducuntur ad hunc absolvendum et ad istum damnandum, bonas esse et bene formatas: Nec unquam auditum principia disciplinarum realium judicare de bonitate consequentiarum quæ inde formantur, quamvis ex illis controversiæ dijudicentur, Physicæ ex Physicis, Ethicæ ex Ethicis.

XXXIII. Ut auditus non facit sonum, et visus non facit lumen, quod videndo percipit; Ita nec intellectus facit objectum suum seu veritatem et Verbum Dei quod ratiocinando intelligit, sed supponit pariter: Sed ut intellectus ratiocinando facit ut veritas seu Verbum Dei sit conclusum; ita

Digitized by Google

visus et auditus videndo et audiendo faciunt ut lumen sit visum, et sonus sit auditus.

XXXIV. Licet id sit perspicuum et evidens, quod a nemine negatur, et quod ab omnibus statim comprehenditur; non sequitur non esse perspicuum quod ab omnibus statim non capitur, nam sæpe multis multa sunt obscura, quæ iisdem potuissent et debuissent esse maxime perspicua, vel quia non adhibent debitam attentionem, vel quia præjudiciis excœcati sunt. Quando dicimus consequentias nostras evidentes esse, non eo sensu intelligimus, quasi a nemine negentur, et a quovis facile capiantur sine ulla attentione et examine; sed intelligimus evidentes esse diligenter attendentibus, et debito modo considerantibus, vel tales, ut si quis eas non videat, bonam conscientiam habere nequeat.

XXXV. Si per τὸ *formaliter revelatum* intelligatur id quod expresse legitur in Verbo Dei, certum est consequentias non posse dici formaliter revelatas: Sed si intelligatur illud quod vel totidem verbis, vel æquivalentibus, vel per evidentem et necessariam consequentiam elicitur, non potest negari esse formaliter revelatas, ideoque bene dici objectum formale fidei.

QUÆSTIO XIII.

An aliquis sit Philosophiæ in Theologia Usus? Affirm.

In Excessu peccarunt Pseudapostoli.

I. Peccatur hac in parte in *Excessu* et in *Defectu*. In *Excessu*, ab iis qui Philosophiam cum Theologia confundunt; quod faciebant olim *Pseudapostoli*, qui dogmata varia Philosophica male sana doctrinæ Christianæ immiscebant, qui propterea arguuntur ab Apostolo, Colos. ii. 8.

Patres nonnulli.

Patres nonnulli, qui ex Philosophis egressi, nonnullas eorum sententias erroneas retinuerunt, et dogmatum Philosophicorum et Theologicorum mixtura Gentiles ad Christianismum adducere tentarunt, ut *Justin. Martyr*, *Origenes*, *Clemens Alexandrinus*.

Scholastici.

Et *Scholastici*, quorum doctrina magis est Philosophica quam Theologica, quæ magis nititur rationibus Aristotelis et aliorum Philosophorum, quam testimoniis Prophetarum et Apostolorum.

Sociniani.

In eundem lapidem impingunt hodie *Sociniani*, qui Philosophiam in arce collocant, ut fidei principium et Scripturæ interpretem, quod imprimis urget *Paradoxus Exercitator* in impio tractatu non ita pridem edito, de *Philosophia Scripturæ interprete*.

In Defectu.

In *Defectu* peccant qui Philosophiam Theologiæ contrariam censent, ideoque a Theologia penitus eliminandam, non modo, ut inutilem, sed itiam ut noxiam, quod superioribus seculis *Fanatici* et *Enthusiastæ* statuebant, et

Fanatici, Anabaptistæ, Weigeliani.

hodie *Anabaptistæ* et *Weigeliani* retinent, qui Philosophiæ et liberalibus artibus bellum ex professo videntur indixisse.

Orthodoxi medium tenent.

II. Orthodoxi medium tenent: non confundunt Theologiam cum sana Philosophia tanquam partes totius, nec opponunt ut contrarias, sed subordinant et componunt ut subordinatas, quæ non repugnent sibi, sed subserviant, quod Philo Judæus, et ex eo Patres apposite declararunt per allegoriam Sarræ et Agarræ, Do-

Digitized by Google

minæ et Servæ, ut Theologia dominetur Philosophiæ, et hæc ei ancilletur et subserviat. Fatentur varium et multiplicem ejus esse in Theologia *usum*, sed qui a multiplici ejus *abusu* sit accurate discernendus.

Et Usum ab abusu distingunt.

www.libtool.com.cn

III. Quamvis non quicquid verum est ratione demonstrari queat, cum multo latius pateant veritatis quam rationis fines; nullum tamen mendacium ullo versæ rationis patrocinio contra veritatem niti potest, nec veritas a veritate potest aboleri, quamvis una alteram transcendat et superet; quia quæcunque illa sit, sive *infra rationem*, quæ sensu, sive *juxta rationem*, quæ intellectu, sive *supra rationem*, quæ fide percipitur; non aliunde quam a veritatis parente Deo est profecta. Ita gratia non destruit naturam, sed perficit, nec revelatio supernaturalis naturalem abrogat, sed repurgat.

IV. *Philosophia* vel *proprie* sumitur et in *abstracto* pro rerum divinarum et humanarum cognitione, quatenus luce naturæ cognosci possunt; vel *improprie* et in *concreto* pro sylloge variarum opinionum inter se pugnantium, quas diversarum Sectarum Philosophi tenuerunt. Posteriori hoc sensu fatemur multos errores continere, et nullum usum ejus esse, sed maximum abusum, et sic eam damnat Paulus, Coloss. ii. 8; sed priori non potest negari multiplices ejus esse usus. Nos generales tantum obiter indicamus.

Usus Philosophiæ.

V. Primo ut sit medium tum convincendorum, tum ad fidem Christianam præparandorum Gentilium: unde *Clem. Alex.* stro. 1. dicit eam κεφαλαιοῦσθαι τὴν ἐδὲν τῇ βασιλικωτάτῃ διδασκαλίᾳ, ut patet ex concionibus Paulinis, Act. xiv. et xvii. et ex Scriptis Patrum contra Gentiles; quo pertinet Juliani Apostatæ vox, quum videret Gentilium errores profligari a Christianis Philosophiæ et humaniorum literarum studio, τοῖς αὐτῶν πτηνοῖς ἁλισκόμεθα, *nostris ipsorum alis capimur*. Ita Deus vult ut quicquid veri latet in scientiis inferioribus ad Theologiam applicemus, et Ethnicis ut malæ fidei possessoribus eripiendo, Christo qui veritas est asseramus et vindicemus, ad Templi mystici ædificium, ut olim tabernaculum auro Ægyptio exornavit Moses, et Sidoniorum et Tyriorum opera in extruendo Templo usus est Salomo. 2. Ut sit testimonium consensus in rebus natura notis, quo sic ex gemina revelatione veritas et certitudo ipsarum magis confirmetur. 3. Ut sit organum clare res percipiendi, et recte de iis disserendi, judicando de vero et falso, consequente et inconsequente, juxta regulas bonæ et necessariæ consequentiæ, naturæ rationali a Deo impressas, præeunte Verbi Divini luce, de quo actum supra Quæst. X. Quamvis enim Ratio Religionis principia sumat a lumine fidei, tamen hoc lumine prætereunte ex hisce principiis debet judicare, quomodo partes doctrinæ cœlestis inter se cohæreant et se mutuo stabiliant, quid cum illis consentaneum, quid ab illis sit dissentaneum. 4. Ut animus excolatur et præparetur in disciplinis inferioribus, ad tractationem et susceptionem scientiæ altioris. Quod ita tamen sobrie præstandum, ne nimius Philosophiæ nos capiat amor, ut eam semper ancillæ loco habeamus, non Dominæ, juxta illud *Clemen. Alex. Philosophia Theologiæ se submittat, ut Agar Saræ, patiatur se admoneri et corrigi; sin minus pareat, ejice ancillam.*

Et abusus.

VI. Sed multiplex etiam abusus ejus potest observari. 1. Quum ea quæ Philosophia de rebus sibi subjectis et in ordine inferiori vere pronunciat, ad mysteria Theologiæ transferuntur; v. g. ex nihilo nihil fieri, a privatione ad habitum non dari regressum, Virginem non esse matrem, &c. quia fit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, et quod Philosophia tra-

Digitized by Google

dit, de regno suo, et de causis naturalibus intelligendum est, non de regno gratiæ et in ordine supernaturali. Peccant ergo qui hinc argutantur contra Creationem mundi, Incarnationem, et Resurrectionem mortuorum, quia hæc Scriptura fieri docet, non per virtutem causarum naturalium, sed per omnipotentiam Dei. 2. Quum prætextu Philosophiæ, falsa placita Philosophorum assumuntur, et ex illis errores in Theologia extruuntur vel defenduntur, qualis est opinio Aristotelis de æternitate mundi, Platonis de Igne purgatorio, Stoicorum de fatali rerum necessitate, &c. At Errores Philosophorum non sunt decreta Philosophiæ, ut errata Artificum non sunt imputanda ipsi arti. *Philosophia*, inquit Clem. Stro. 1, *non est dicenda Stoica, nec Platonica, aut Epicurea, aut Aristotelica, sed quæcunque ab his sectis recte dicta sunt, hoc totum selectum dicendum est Philosophia.* 3. Quum Philosophia circa articulos fidei magisterium sibi assumit, non contenta ministerio, quod factum a Scholasticis qui Aristotelem in throno collocarunt, et a Socinianis qui mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c. nolunt admittere, quia Philosophiæ principiis non videntur congruere. 4. Quum novi termini et phrases e Philosophia in Theologiam inferuntur citra necessitatem, sub quibus nova sæpe et periculosa latent dogmata.

Fontes Solutionum.

VII. Aliud est a Philosophia negari; Aliud ab ea non doceri: Non negamus varia mysteria Theologica non doceri in Philosophia; sed non sequitur ea negari ab ipsa, quia limites scientiarum non sunt confundendi; Ut Geometrica non tractat Medicus, nec Physica Jurisconsultus, Ita intra terminos suos contineri debet Philosophia, nec falcem in alienam messem immittere; licet ergo nihil de Trinitate et Incarnatione tradat, non propterea illa mysteria negare censenda est.

VIII. Paulus Col. ii. 8, veram Philosophiam in se spectatam non damnat, sed vanam et falsam, quæ erat in Philosophis illius ævi, a quibus doctrina Evangelii corrumpebatur, qualis semper reperitur in concreto, quum fertur extra proprios limites, et judicium sibi sumit de rebus supernaturalibus et divinis, quo respiciunt ista *Prudentii*, lib. 2, *contr. Symma.*

Quippe minor natura aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei decreta supremi,
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo
Turbari invalidisque hebetem succumbere curis?
Sed facilis fidei via, &c.

Talem autem Philosophiam Paulum intelligere patet 1. ex descriptione addita, quia eam vocat κενὴν ἀπάτην *vanam deceptionem.* 2. ab exemplo de *Angelorum cultu*, v. 18, qui veræ Philosophiæ dogma non est, sed carcinoma. 3. a pari, quia Paulus damnat φιλοσοφίαν, v. 4, non omnem, siquidem et ipse ea usus legitur non semel, sed παραλογίζουσαν; Ita non damnat omnem Philosophiam, sed tantum male sanam et deceptricem, qualem scilicet Pseudapostoli invehere conabantur, ut sic a simplicitate et veritate Evangelii fideles abducerent, dum sub prætextu arcanæ cujusdam sapientiæ obtrudere satagebant Colossensibus novas et erroneas doctrinas de cultu Angelorum, ex Platonicorum lacunis forte traductas; vel παραλογισμοῖς et sophismatibus studebant Cæremoniarum legalium, et Traditionum humanarum usum et necessitatem commendare, et sic paulatim a Christo ad Mosem eos reducere.

IX. Apostolus Rom. i. 21, 22, non damnat veram Philosophiam, sed tantum abusum ejus; nec loquitur de Philosophia, sed de Philosophis, qui

Digitized by Google

inani sapientiæ suæ opinione turgidi, vani fiebant in ratiociniis suis. Ita quum disputat Act xvii, Athenis contra Stoicos et Epicureos, non rejicit propterea Philosophiam in se, sed dogmata tantum illorum Philosophorum, qui fidem unius veri Dei et Jesu Christi, et resurrectionem mortuorum oppugnabant.

www.libtool.com.cn

X. Absurde ex eo quod Deus est Philosophiæ et rationis naturalis author, infertur quod hæc Scripturæ sit interpres. Illius enim Deus est author per naturalem φαντασιαν, in statu hominis corrupto, quantum ad veritates natura adhuc notas: Hujus vero per gratiosam ἀποκαλυψιν in statu restituendo per gratiam, quantum ad mysteria rationi inaccessa. Nec quia Deus author est Philosophiæ, eo ipso statim author est interpretationum, quas elicit hic et ille Philosophus.

XI. Si aliquando Patres durius contra Philosophiam loquuti sunt; ut *Tertull.* contra Hermoge. c. 8, dum ait *Philosophos esse Hæreticorum Patriarchas*, et de Præscript. adv. hæret. c. 7. *Quid Athenis et Jerosolymis, quid Academiæ et Ecclesiæ, quid Hæreticis et Christianis? nostra institutio de porticu Solomonis est, non Zenonis: viderint qui Stoicum et Platonicum et Dialecticum Christianum attulerunt. Nobis curiositate opus non est post Jesum Christum, nec inquisitione post Evangelium*, &c. Cypri. lib. 4, epist. 2; Lactant. lib. 3, c. 13; et alii, non veram damnant Philosophiam intra terminos manentem, sed falsam et temerariam, quæ immiscere se audet rebus supra captum suum, et Philosophos illius temporis, qui fidei Christianæ hostes erant acerrimi.

XII. Licet Apostoli sine subsidio Philosophiæ Theologiam docuerint, non sequitur et nos hoc posse; quia ab extraordinaria et immediata Dei institutione, quæ necessaria erat primis illis nascentis Ecclesiæ primordiis, ad ordinariam et mediatam, quæ sit studio et subsidio disciplinarum inferiorum, non valet consequentia.

XIII. Licet Theologia multa tradat, quæ ignorat Philosophia; non sequitur aliquid falsum esse in Philosophia, quod Theologice verum est, quia verum vero non repugnat, nec lumen lumini contrarium est; sed cavendum ne veritates Philosophicæ ultra sphæram suam et vires ordinarias naturæ extendantur, ad ea quæ sunt supernaturalis revelationis aut potentiæ, et physica cum hyperphysicis, humana cum divinis confundantur; v. g. in Philosophia verum est, Virginem non parere, Corpus grave deorsum ferri, Ignem urere admota materia, Ex nihilo nihil fieri, &c. quibus contrarium Theologia statuit; Sed non sibi propterea adversantur, quia κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο ista dicuntur. In Philosophia negantur secundum leges naturæ; in Theologia vero affirmantur respectu omnipotentiæ divinæ, et supernaturaliter.

XIV. Quamvis Philosopho concedi posset, ad tutiorem rerum naturæ indagationem, ut a dubitatione incipiat; perperam tamen hoc ad res Theologicas et fidei traheretur, quæ certis et indubitatis nituntur principiis et veritatibus per se notis, de quibus dubitare est nefas ut de Dei existentia, nisi velimus conscientiam exuere, et dependentiam moralem a Creatore, quæ sine crimine excuti non potest vel ad momentum, ejerare; atque adeo ἐποχὴν Academicam in religionem invehere, et *Theologiam* totam *Scepticam* reddere.

Digitized by Google

QUÆSTIO XIV.

DE ARTICULIS ET ERRORIBUS FUNDAMENTALIBUS.

www.hbtool.com.cn

An dentur loci quidam Theologici fundamentales, Alii non, et quomodo inter se dignosci possint?

In Defectu peccant Sociniani.

I. Quæstio de *Articulis fundamentalibus* gravis est et ardua, quæ a variis movetur, et circa quam peccatum est diversimode, tum in defectu, tum in excessu. 1. In *defectu* peccant *Sociniani* qui fundamentalia paucissima admittunt, et nonnisi Practica, Theoreticis ferme sepositis, ut ita facilem esse dissidiorum de Religione compositionem doceant, utpote quæ versentur potius circa conclusiones Theologicas, et dogmata Scholarum, quam circa fundamentales fidei articulos, qui et pauci sint numero, et utrinque fere confessi. Hoc prætextu præcipua fidei dogmata removent a fundamentalibus, ut dogma de Spiritu Sancto, de Trinitate, de Persona Christi, de Satisfactione, &c. Ad eos accedunt non obscure *Arminiani*, qui fundamentalia etiam ad ea redigunt capita, quæ apud Christianos omnes ferme sunt extra controversiam posita, et tribus istis continentur, *fide divinarum promissionum, obedientia divinorum præceptorum, et debita Scripturis reverentia.*

In Excessu Pontificii et Lutherani.

II. In *excessu* peccant, tum *Pontificii* qui sæpe pro fundamentalibus fœnum suum et stipulas, et quicquid Romana Ecclesia definit, obtrudere non erubescunt; tum *Lutherani* rigidiores, qui ut syncretismum nobiscum difficiliorem reddant, fundamentalia latius quam par est extendunt, errorem quemlibet sæpe in hæresim vertunt, et ex adiaphoris necessaria faciunt, ut facilius evincant nos dissidere in fundamentalibus.

III. Inter utrosque medium tenent Orthodoxi, qui ut fundamentalibus quibusdam necessario nituntur, ita nec nimis ea restringunt cum illis, nec nimis extendunt cum istis.

Quid sit Articulus fundamentalis.

IV. Ut fundamentum in ædificio dicitur, quod illi ita substernitur, ut absque eo nec exstrui nec consistere possit; Ita in Religione illud *fundamentum* dicitur, quo Religio tota nititur, et quo stante stat, quo sublato corruit. Sumitur autem bifariam: Vel *incomplexe* et *personaliter*, et transfertur ad Christum salutis omnis fundamentum, cui Ecclesia et Religio ceu petræ immotæ et inconcussæ superstruitur, Matt. xvi. 18; 1 Pet. ii. 6, 7, et 1 Cor. iii. 11. *Fundamentum aliud nemo potest statuere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus;* Vel *complexe* et *naturaliter*, pro veritate fundamentali quæ omnibus credenda præscribitur, et quæ proinde fidei fundamentum dicitur. Hoc vero, vel *late* extenditur ad prima Religionis Christianæ rudimenta, quæ initiandis Catechumenis tradi solebant, quæ ab Apostolo Heb. vi. 1, 2, nomine θεμελίου *fundamenti* seu ἀρχῆς veniunt, qualia sunt *resipiscentia ab operibus mortuis, fides in Deum, baptismorum doctrina, impositio manuum, resurrectio mortuorum, et judicium æternum*, quæ tamen capita parem necessitatis gradum non obtinent; sed alia primario et per se, alia vero secundario tantum et per aliud necessaria sunt; quo sensu articuli fundamentales Religionis referuntur ad Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Sacramenta, et Potestatem clavium, quia illi necessariam et fundamentalem salutis doctrinam continent, sine qua reliqua capere non possumus.

Qui vel late,

Digitized by Google

Vel *stricte* notat essentialia Christianæ fidei dogmata, quorum θεωρία vel praxis simpliciter quoad rem ipsam est necessaria, seu quæ omnibus fidelibus simpliciter et absolute necessaria sunt creditu, quæque vel ignorari vel negari absque salutis dispendio nequeunt: quo sensu jam de Articulis fundamentalibus loquimur.

Vel stricte sumitur.

V. Licet veritates omnes quæ in Scriptura revelantur creditu sint necessariæ, ut divinæ et infallibiles, non tamen omnes ex æquo sunt necessariæ, et distinguenda est hic accurate *fidei amplitudo* et extensio, ab ejusdem *necessitate*. Non quicquid est de fidei amplitudine, statim est de ejus necessitate. Non omnes veritates ejusdem sunt ponderis; aliæ majorem, aliæ minorem necessitatis gradum obtinent; v. g. Alia est ratio eorum quæ necessaria sunt necessitate medii; Alia eorum quæ sunt tantum necessaria necessitate præcepti: Alia eorum quæ spectant dogmata stricte dicta; Alia eorum quæ ad ritus et cæremonias tantum pertinent: Alia ratio dogmatis vel articuli alicujus quoad substantiam, v. g. Christum passum esse et mortuum; Alia ejusdem spectati tantum quoad circumstantias, v. g. Christum passum esse sub Pontio Pilato, et crucifixum inter duos latrones; hæc enim possent sine salutis dispendio ignorari.

Non omnes articuli sunt fundamentales.

VI. Scriptura discrimen istud articulorum non obscure insinuat, 1 Cor. iii. 11, 12, 13, ubi Paulus distinguit fundamentum, ab iis quæ fundamento inædificantur, et Phil. iii. 15, ubi docet posse dari quædam doctrinæ capita, in quibus Christiani dissident salva pace et charitate; Fundamentalia si quis tangit, subjicitur anathemati, *Etiamsi nos aut Angelus e cælo evangelizat vobis præter id quod evangelizavimus, anathema esto*, Gal. i. 8. In aliis locus est tolerantiæ Christianæ; Rom. xiv. 1. *Eum qui fide infirmus est assumite*, et Phil. iii. 15, 16, *quotquot adulti sumus hoc sentiamus, quod si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis revelabit; Attamen in eo ad quod pervenimus eadem incedamus regula et idem sentiamus.* Ut vero in fide discrimen est respectu dogmatum; Ita et in Lege respectu præceptorum, alia est necessitas moralium, alia cæremonialium; illa absoluta et indispensabilis, ista vero hypothetica et mutabilis.

Quod probatur ex Scriptura.

VII. Hinc dogmata quædam necessaria sunt scitu simpliciter *ad ipsum esse* fidei; Alia κατὰ τὶ tantum, et ad *bene esse*. Alia ad generationem fidei, Alia ad perfectionem, Heb. vi. 1. Alia per se et absolute omnibus sive πιστοῖς, sive τελείοις, Alia per *accidens* tantum τελείοις, et provectis, Heb. v. 13, 14, et relate ad institutionem aliorum; quæ rursus necessitas cum quadam latitudine est intelligenda, pro ratione donorum, institutionis, vocationis, sexus, ætatis; prout alii sunt de grege, alii vero Pastores quibus commissa sunt Dei eloquia, quibus competit διδάσκειν, et τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. i. 9.

VIII. Rursus; ut objectum fidei aliud est generale et adæquatum, totum scilicet Dei Verbum; Aliud vero speciale et proprium, doctrina scilicet de Christo cum annexis capitibus et promissionibus Dei; Ita *dogmata* fidei alia sunt *primaria* et *immediata*, quales sunt articuli de Trinitate, Christo Mediatore, Justificatione, &c.; Alia *secundaria* et *mediata*, seu consectaria, hypotheses et conclusiones ex illis primariis natæ atque eductæ. Alia *positiva*, quæ dogma aliquod verum affirmant; ut Christum esse Filium Dei, Mortem ejus esse λύτρον pro peccatis nostris; Alia *negativa*, quæ falsum rejiciunt, ut non dari Missam, nec Purgatorium, &c. Pro varia autem istorum dogmatum ratione, alia creditu necessaria *explicite* et *formaliter*, ut speciale et proprium fidei objectum, et primaria ac immediata dogmata, et positivi articuli de præcipuis fidei capitibus; alia tantum *implicite et virtualiter*.

Digitized by Google

Error triplex, contra fundamentum, circa fundamentum, et præter fundamentum.

IX. Quod autem de fidei articulis dicimus; Idem et de *Erroribus* quibus oppugnantur dici debet. Ut non omnes Veritates sunt ejusdem necessitatis; Ita nec omnia vulnera quæ Veritati infliguntur statim sunt lethalia, nec omnis Error est capitalis. Unde triplex *Error* potest statui, 1. *contra fundamentum*. 2. *circa fundamentum*. 3. *præter fundamentum*. *Error contra fundamentum* ille est, qui directe aut unum aut plures fidei articulos evertit, v. g. qui negat Christi Divinitatem, et Trinitatem Personarum. *Circa fundamentum*, qui non negat quidem directe articulum fundamentalem, sed tamen antithesim tenet, qua stante, indirecte et per necessariam consequentiam articulus ille evertitur; ut qui Deum credit, sed non agnoscere vult ejus providentiam; quia sublata providentia tollitur Deus. *Præter fundamentum* est error, qui vel non tangit omnino fundamentum, vel illud respicit tantum per remotam et obscuram consequentiam; qui versatur circa quæstiones problematicas et curiosas, quæ nec in Verbo sunt revelatæ, nec scitu necessariæ. Cujusmodi sunt doctrinæ quas Apostolus vocat *fœnum* et *stipulas*, 1 Cor. iii. 11, quæ possunt consistere cum vero fundamento, et quæ non impediunt quominus salvetur is qui eas profitetur, amisso tamen operæ suæ pretio.

X. Alius est error qui *directe*, primo et *immediate* fundamentum evertit; Alius qui *indirecte*, secundario et per consequentiam: Ille proculdubio gravior est isto. Rursus error potest evertere fundamentum indirecte et per consequentiam proximam, evidentem, necessariam, vel per remotam, inevidentem et contortam: Ille proprie lethalis est, non item iste. Sic Pontificii Satisfactionis Christi sufficientiam, et Justificationem per fidem, et alia id genus dogmata non directe adoriuntur, sed indirecte et per consequentiam, sed evidentem et necessariam, suis, de meritis operum, satisfactionibus propriis, sacrificio missatico, purgatorio, &c. erroribus, impugnant, et non minus censendi sunt fundamentum evertere quam ii qui directe illud impetunt, qui consistunt in terminis implicitæ contradictionis, ubi sit oppositum in apposito, et contradictio in adjecto.

XI. Error qui per consequentiam inevidentem et violentam deducitur ex aliquo dogmate, vel quem serio et sancte detestantur et rejiciunt qui dogma illud retinent, non potest juste impingi iis; v. g. quæ Reformatis imputantur, quod Deum faciant peccati authorem, quod negent Dei omnipotentiam, quia ubiquitatem corporis Christi nolunt admittere, quod Sacramenta in nuda signa convertant, quia negant corporalem Christi in Cœna præsentiam, et ejus oralem manducationem, &c. non legitime possunt illis adscribi: quia isti errores, nec sequuntur, sed sequi tantum supponuntur; nec consequentiæ istæ evidentes sunt et innatæ, quæ educantur ex Reformatorum vera doctrina, sed contortæ præter eorum mentem; nec ab iis recipiuntur, sed damnantur et rejiciuntur.

XII. Alius est *error verbalis* circa phrases tantum, Alius *realis* circa dogmata ipsa: Ille non potest esse fundamentalis, quia *de intelligentia est hæresis, non de Scriptura*, ut ait *Hilar.* li. 8. *de Trinitate*, et sensus, non sermo fit crimen, et ut *Hieron*, in cap. 1. ad Galat., *Evangelium non in verbis Scripturarum, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

XIII. Aliud est loqui de *Dogmatibus*, et *Principiis Theologicis*, Aliud de eorum *Conclusionibus* et consectariis: Horum quidem notitia et assensus in hanc vel illam partem, Theologis necessaria est ad rerum divinarum uberiorem scientiam habendam, et ad κατανυξιν veri et ἀνανυξιν falsi: Sed Christianis in communi non semper necessaria sunt, et possunt ab iis citra

Digitized by Google

salutis periculum ignorari. Nos vero hic, quando loquimur de articulis fundamentalibus, non intelligimus eos, qui homini *perfecto*, imprimis vero *viro Dei* explicite necessarii sunt cognitu, ut muneris et nominis sui mensuram impleat; sed præcise eos, qui cuilibet fideli et Christiano ad salutem sunt creditu necessarii.

ebibtool.com.cn

XIV. Alia sunt quæ habent necessitatem medii; Alia quæ tantum necessitatem præcepti: Illa fundamentum per se et primo constituunt; Ista secundario, fundamento firmando et obsignando superstruuntur: Illa necessaria absolute et semper; Hæc vero secundum quid; sine illis salus non potest obtineri, sed sine his potest; nec privatio simpliciter horum damnat, sed tantum contemptus, qualia sunt Sacramenta.

XV. Distinguendum *Articuli* seu dogmatis Corpus, et *substantia*, ab ejus *modo et circumstantiis; Substantia* articuli fundamentalis non potest nec debet ignorari, et semper eadam fuit; sed alia ratio circumstantiæ seu modi, cujus ignoratio non statim damnat. Hinc *Error*, vel est circa *rei substantiam*, vel circa *modum*, circumstantias aut gradum; vel circa τὸ ὅτι, vel circa τὸ πῶς, et τὸ διότι. Verum est, aliquando modo everso tolli rem ipsam, quia modus ingreditur essentiam rei eamque ex parte constituit; ut in practicis, qui tollit *modum* divini *cultus* a Deo sancitum, cultum ipsum evertit, Matt. xv. 9; qui tollit modum redemptionis per λύτρον Christi, modum justificationis per fidem, Redemptionem ipsam et Justificationem evertit; Sed fieri potest alias, ut error circa modum et circumstantias, ipsa salva, occupetur; v. g. Græci erroris arcessuntur circa *modum processionis* Spiritus S. qui tamen Trinitatis mysterium et Divinitatem Spiritus profitentur.

XVI. *Fides* potest spectari, vel secundum *plenitudinem* et *gradum luminis*, Vel secundum *multitudinem credendorum:* Priori respectu fides potuit crescere juxta mensuram revelationis, et amplior esse sub Novo Testamento quam sub Veteri: sed non posteriori, quia hoc sensu una semper fuit fides, Eph. iv. 5. et *Christus idem est heri, et hodie, et in secula*, Heb. xiii. 8.

XVII. Dogma de Jesu filio Mariæ vero Messia, non est novus articulus fidei quoad substantiam, et *in Thesi;* siquidem Veteres crediderunt Messiam venturum; Sed est tantum determinatio et applicatio specialis Oraculorum propheticorum in *hypothesi.*

XVIII. Alii sunt loci fundamentales per se; alii fiunt tantum tales per accidens, quatenus in locum aliquem fundamentalem incurrunt; v. g. Circumcisio non est per se fundamentalis, sed fit fundamentalis quum fingitur necessaria ad salutem, et incurrit in articulum Justificationis, quo sensu Apostolus invehitur in Pseudo-Apostolos, qui Circumcisionis usum retinere volebant, tanquam errantes exitialiter, Gal. v. 2, 3, &c. Sic articulus de Cœna non est per se fundamentalis, redditur tamen talis a Pontificiis, quando fingitur esse sacrificium propitiatorium pro peccatis.

XIX. Articulorum fundamentalium hæc sunt propria. 1. Ut sint *Catholici*, quia requiruntur ad fidem Catholicam, quæ singulis salvandis est necessaria, juxta illud Symboli Athanas. *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat fidem Catholicam, quam nisi quis integram inviolatamque servarit in æternum peribit.* 2. Ut eorum fides salutem necessario post se trahat; Et eorum ignoratio damnabilis sit, dubitatio periculi plena, negatio impia et hæretica. 3. Ut fideles quoad eos verum consensum foveant, neque alii ab aliis diversum sentiant, quia si quis aliter sentiat vel loquatur, subjicitur anathemati, Gal. i. 8. Unde ubi est dissensus in fundamentalibus, nullus potest dari Syncretismus. 4. Ut ad

Digitized by Google

eos reducantur omnia dogmata Theologica tanquam ad regulam, quod Apostolus vocat ἀναλογίαν πίστεως. 5. Ut sint primariæ et principales veritates, quibus omnes aliæ tanquam fundamento nitantur, et quibus sublatis fides prorsus evertatur; non secundariæ et minus principales, quibus sublatis fides tantum quatiatur.

www.libtool.com.cn

Criteria articulorum fundamentalium petuntur.

1. a natura dogmatum.

XX. *Criteria* quibus possunt discerni articuli fundamentales a non fundamentalibus possunt peti. 1. a *natura et conditione ipsorum dogmatum;* Illa scilicet quæ necessarias salutis tum causas tum conditiones continent, tum finem, tum necessaria ad illum media, quia negatis causis tollitur etiam effectus, et negatis mediis non potest haberi finis: Hinc ut Gratia Dei qua eligimur, Meritum Christi quo redimimur, et Spiritus quo sanctificamur sunt causæ principales salutis, et instrumentalis fides, Joh. iii. 16, 17, pœnitentia vero et conversio ad Deum conditiones necessariæ, Heb. vi. 2, Matt. iii. 2, dicimus hæc omnia dogmata fundamentalia.

2. A Scriptura.

XXI. Secundo ex ipsius *Scripturæ declaratione;* Nam quorum cognitio necessaria et salutaris dicitur, et ignoratio vel negatio exitialis, illi merito censentur fundamentales. Talis est articulus de Deo Uno et Trino, tum positive Joh. xvii. 3, tum negative 1 Joh. ii. 23. De Peccato 1 Johan. i. 10; Eph. ii. 1. de Christo quoad personam, naturas, et officia, 1 Cor. iii. 11; Act. iv. 12; 1 Johan. iv. 3; Eph. ii. 11, 12. de Evangelio, Rom. i. 16, 17; Gal. i. 8, 9; de Fide, Heb. xi. 6; Marc. xvi. 16; de Justificatione absque operibus, Rom. iii. 27; Gal. ii. et iii. cap.; de Sanctificatione et cultu Dei, Eph. ii. 10; Heb. xii. 14; de Resurrectione et Vita æterna, 1 Cor. xv. 14; 2 Tim. ii. 8; Rom. x. 9, &c.

3. A Symbolo.

XXII. Tertius Character Articulorum fundamentalium peti potest ex *Symbolo Apostolico*, quo Veteres ex Scriptis Apostolicis summam doctrinæ fundamentalis complexi sunt; Unde et illi nomen *Symboli* inditum, quia fuit veluti tessera et signaculum Christianismi. Ubi tamen accurate observandum 1. non posse esse notam adæquatam articulorum fundamentalium, quia agitur tantum de articulis theoreticis, qui spectant ad fidem, non de practicis, qui ad cultum. 2. Credenda hic exhiberi non σύνολῳ, et explicite, sed implicite et per consequentiam et analogiam, v. g. licet nihil de gratia Dei, et satisfactione Christi, nihil de providentia et conservatione et sim. dicatur, facile tamen ex dictis colliguntur. 3. Symbolum non spectandum esse tantum quoad verba, sed quoad sensum, quia *Scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistunt*, ut ait *Hilar.* et *fundamentalia non sunt in verbis, sed in sententia*, ut Hiero. Ergo licet hæretici profiteantur se recipere Symbolum, non faciunt tamen, quia sensum ejus verum et genuinum non retinent. Sic olim frustra fidem in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum professi sunt ex Symbolo *Sabellius*, *Arius*, *Macedonius*, et alii Antitrinitarii, dum hanc ipsam non occultis cuniculis, sed apertis machinis oppugnandam suscepere, quod faciunt et hodie Sociniani eorum discipuli; Frustra Pontificii fidem ejus profitentur, qui variorum articulorum ejus de morte et passionibus Christi, de descensu ad inferos, de Ecclesia Catholica, de remissione peccatorum et sim. sensum corrumpunt.

XXIII. Licet Theologia non sit tantum Theoretica, sed Practica, perperam tamen articuli fundamentales a non fundamentalibus discerni dicuntur a Socinianis unico hoc Criterio, *Obedientia Deo et Christo præstanda*, seu studio pietatis ac bonorum operum; quia non tantum præcepta faciendorum necessaria sunt ad salutem, sed etiam dogmata credendorum ex

Digitized by Google

locis Johan. xx. 31 ; 2 Tim. iii. 16, unde ut sunt Articuli fundamentales Practici, ita et debent esse Theoretici.

XXIV. Licet ex Orthodoxis quidam plures, quidam pauciores articulos fidei statuant, non dissentiunt reipsa, sed tantum verbis et modo proponendi, quia alii generalius et summatim eos complectuntur, alii specialius ea enarrant et κατα μέρη. Hinc quidam unica veritate de Jesu Christo crucifixo Redemptore nostro ex 1 Cor. ii. 2, sed quæ plures alias complectatur, fundamentum salutis describunt: Alii duabus cognitione Dei et Christi ex Joan. xvii. 3. Alii ad quatuor capita extendunt tum Theoretica tum Practica, Alii ad sex. Cæterum omnes consentiunt articulos fundamentales esse, Dogmata de Scriptura Sacra διεπνίστῳ sola et perfecta fidei regula, de Deo Uno et Trino, de Christo Redemptore et plenissima ejus Satisfactione, De Peccato et morte ejus salario, De Lege et ejus impotentia ad salutem, De Justificatione per fidem, De Necessitate gratiæ et bonorum operum ad Sanctificationem et Cultum Dei, De Ecclesia, de Resurrectione mortuorum, Judicio ultimo et Vita æterna, et si quæ alia hisce connexa sunt, quæ omnia ita inter se copulantur, ut a se invicem pendeant, nec unum subduci queat, quin cætera corruant.

Quæstio de numero articulorum fundamentalium temeraria, et inutilis.

XXV. Quæstio de *numero Articulorum* fundamentalium, quæ nobis ab Adversariis subinde movetur, præterquam quod temeraria est, Scriptura nihil hac in parte præcise definiente, inutilis etiam et non necessaria deprehenditur ad Controversias quæ nobis cum ipsis intercedunt; quia non opus est sigillatim nosse quot sint numero tales articuli, si possumus evincere ipsos in uno, vel in pluribus errare fundamentaliter, quod facile demonstrari potest contra Pontificios, Socinianos, Anabaptistas, et similes hæreticos.

XXVI. Neque hinc sequitur, vel Scripturæ ipsius perfectionem in necessariis laborare, vel Communionis Ecclesiasticæ normam apud nos deficere: Quia non desinit Scriptura plenissime continere omnia necessaria ad salutem, licet numerum eorum præcise non definiat, et Veritas Articulorum fundamentalium, qui nobis normæ loco esse debent, satis colligitur ex Criteriis ante allatis.

XXVII. Si Orthodoxi aliquando articulos fundamentales paucos esse statuunt, hoc non absolute et simpliciter intelligendum est: Sed tum quoad primaria capita, quæ συλλήβδην sumpta pauca sunt præ reliquis, tum comparate ad Pontificios, qui in immensum eos augent, dum Canones Ecclesiæ, Scholarum placita publice recepta, et Traditiones Patrum, in fidei articulos vertunt, a quibus sine hæresis crimine nemo discedere possit.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS SECUNDUS.

DE SCRIPTURA SACRA.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS SECUNDUS.—DE SCRIPTURA S.

QUÆSTIO PRIMA.

DE VERBO DEI.

An necessaria fuerit Revelatio per Verbum?—Aff.

I. Ut *Verbum Dei* unicum est Theologiæ principium, Ita de ejus *necessitate* merito quæritur ante omnia; An necesse fuerit Deum se nobis revelare per Verbum; seu, An Verbum Dei necessarium fuerit? Fuerunt enim jam olim, et sunt etiamnum hodie varii, qui sentiunt satis esse præsidii in humana ratione ad bene beateque vivendum, unde omnem revelationem cœlitus profectam, non modo supervacaneam, sed et ridiculam existimant; eo quod verisimile sit omnino, naturam homini, non minus ac cæteris animantibus prospexisse: Itaque rationem seu naturæ lumen abunde sufficere censent ad vitæ directionem, et felicitatis consecutionem.

II. Sed longe aliter Ecclesia Orthodoxa semper credidit, quæ Verbi Dei revelationem homini ad salutem absolute et simpliciter necessariam statuit. Quia *semen* est quo regeneramur, 1 Pet. i. 23, *lux* qua dirigimur, Ps. cxix. 105, *cibus* quo pascimur, Heb. v. 13, 14, et *fundamentum* quo nitimur, Eph. ii. 20.

Necessitas Verbi probatur a Dei bonitate.

III. Eam demonstrat 1. *summa Dei bonitas* sui communicativa: cum enim hominem condiderit ad se, id est ad finem supernaturalem, et conditionem hac terrena longe feliciorem, noluit illi proculdubio hac in parte deesse, sed illi felicitatem ipsam, et viam eo perveniendi, quam ratio ignorabat Verbo declaravit. 2. *Extrema hominis cæcitas et corruptio;* qui licet in terrenis rebus et mundanis post peccatum residuum adhuc habeat aliquod lumen ad sui ductum; tamen in divinis et cœlestibus quæ felicitatem spectant, ita cœcus est et depravatus, ut nec quidquam veri cognoscere, nec quidquam boni præstare, nisi Deo præeunte, possit 1 Cor. ii. 14; Eph. v. 8. 3. *Recta Ratio* quæ docet Deum nonnisi Dei lumine cognosci posse et coli ad salutem, ut Sol a nobis nonnisi proprio lumine videri potest, Ps. xxxvi. 10. Nec debuissent Impostores, qui nova sacra sunt commenti, fingere colloquia cum Numinibus aut Angelis, ut Numa Pompilius cum Ægeria Nympha, et Mahumetes cum Gabriele, nisi omnibus esset persuasum, rectam colendi Numinis rationem ab illius revelatione pendere. Unde omnium Gentium etiam barbararum consensu receptum est, ut homini bene sit, præter eam rationem, quam vitæ ducem vocant, requiri præterea cœlestem quandam sapientiam; quod ortum dedit Religionibus variis,

Hominis cæcitate.

Recta ratione.

Digitized by Google

quæ passim in Orbe obtinuerunt. Nec hic audiendi, qui hæc ingeniosa tantum volunt esse hominum commenta ad populos in officio continendos: licet enim certum sit plurima astutos homines in Religione commentos esse, quibus reverentiam plebeculæ injecerunt, quo haberent obsequentiores ejus animos, nunquam tamen id obtinuissent, nisi jam prius ingenitus fuisset humano animo ignorantiæ suæ et inopiæ aliquis sensus, quo factum ut facilius se ab istiusmodi agyrtis et circulatoribus circumduci passus sit.

Duplici hominis appetitu.

IV. Hoc confirmat duplex *appetitus* homini naturaliter insitus, alter *veritatis*, alter *immortalitatis*, unus sciendi verum, alter fruendi summo bono, ut intellectus contemplatione veri, voluntas fructu perficiatur boni, in quo vita beata sita est: Cum autem frustra esse non possint isti appetitus, necessaria fuit revelatio quæ primum verum et summum bonum, et utriusque viam ostenderet, quod natura non potuit. Denique *Dei gloria* et *hominum salus* eam postulabat, quia Schola naturæ, nec ad veri Dei cognitionem, ejusque legitimum cultum ducere nos potuit, nec salutis rationem aperire, qua possent homines ex peccati miseria ad perfectæ beatitatis statum, qui in unione cum Deo positus est, eluctari. Necessaria ergo fuit Schola superior gratiæ, in qua Deus per Verbum veram Religionem nos doceret, nos in sui cognitione et cultu instituendo, et ad æternæ salutis fruitionem in sui communione evehendo, quo nec Philosophia nec Ratio unquam assurgere potuit.

Dei gloria et hominum salute.

V. Licet in operibus Creationis et Providentiæ luculenter jam Deus se patefecerit, adeo ut τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *in illis manifestum sit, et invisibilia ejus a Creatione mundi conspiciantur*, Rom. i. 19, 20, non potuit tamen post peccatum sufficere ad salutem Revelatio illa realis, non modo ratione *subjecti*, quia nullam habuit vim Spiritus comitem, qua cæcitas et malitia hominis corrigeretur; sed etiam ratione *objecti*, quia de mysteriis salutis, et misericordia Dei in Christo, sine quo nulla salus, Act. iv. 12, nihil ibi habetur: Occurrit quidem τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ sed non τὸ σωστὸν; Deus Creator, sed non Redemptor; potentia et Divinitas, id est existentia Numinis, et virtus ejus infinita ex opere Creationis colliguntur, sed non gratia et misericordia salutaris. Necesse ergo fuit suppleri defectum prioris revelationis, quæ per peccatum facta fuerat inutilis et insufficiens, per aliam luculentiorem, non modo quoad gradum, sed et quoad speciem; ut non mutis tantum magistris uteretur Deus, sed os quoque sacrosanctum reseraret, quod non modo excellentiam virtutum suarum patefaceret, sed et mysterium voluntatis suæ ad salutem nobis aperiret.

VI. Quamvis Revelatio naturalis varia tradat de Deo et ejus proprietatibus, de ejus Voluntate et operibus; non tamen ea nos docet, quæ possint sufficere ad salutarem Dei cognitionem sine revelatione supernaturali Verbi. Ostendit quidem *quod sit Deus*, et *qualis*, tum unitate Essentiæ, tum Attributorum variorum proprietate; sed *quis sit* in individuo, et ratione Personarum ignorat. *Voluntatem Lege* expressam patefacit imperfecte et obscure, Rom. ii. 14, 15, sed *Mysterium Evangelii* apud illam plane absconditum. *Opera Creationis* et Providentiæ exhibet, Ps. xix; Act. xiv. et xvii; Rom. i. 19, 20. Sed ad *Opera Redemptionis* et gratiæ non assurgit, quæ solo Verbo nobis possunt innotescere, Rom. x. 17, et xvi. 25, 26.

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

DE NECESSITATE SCRIPTURÆ.

www.libtool.com.cn

An necesse fuerit Dei Verbum scripto consignari? Aff.

I. Ut præcedenti quæstione necessitatem Verbi probavimus, Ita in hac agitur de *Necessitate Scripturæ*, seu Verbi scripti, contra Pontificios. Nam ut illi magno studio Scripturæ authoritatem deprimere conantur, ut facilius Traditiones suas ἀγεάφους, et supremum Pontificis sui Tribunal stabiliant; Ita eadam de causa necessitatem ejus non una ratione elevare solent, ut evincant utilem quidem fuisse Ecclesiæ, sed non necessariam, ut *Bellar.* probat lib. 4, de Verbo Dei, c. 4, imo *Hosius* Cardinalis eo blasphemiæ prorupit ut dixerit, *melius consultum fuisse Ecclesiæ, si nulla unquam extitisset Scriptura;* et Valentia, *commodius fuisse non scribi.*

Status Quæstionis.

II. Ad quæstionis statum observa, *Scripturam* posse considerari bifariam; vel *materialiter* ratione *doctrinæ traditæ*, vel *formilater* ratione *scriptionis* et modi tradendi: Priori sensu fatemur, ut antea dictum, necessariam esse simpliciter et absolute, ita ut nunquam ea carere possit Ecclesia: Sed posteriori de quo nunc quæstio est; agnoscimus non esse necessariam absolute respectu Dei; quia ut Deus ante Mosem per bis mille annos viva voce sola Ecclesiam suam instituerat, Ita et poterat si voluisset eam eo modo docere postea; sed *hypothetice* tantum propter voluntatem divinam, quatenus Deo visum est gravibus de causis Verbum suum scripto consignari: unde posita ordinatione divina facta est adeo necessaria Ecclesiæ, ut non tantum pertineat ad bene esse Ecclesiæ, sed etiam ad ipsum esse, ut Ecclesia absque ea hodie non possit subsistere: Ita Deus quidem non est alligatus Scripturæ, sed nos alligavit Scripturæ.

III. Non ergo quæritur, An scriptio Verbi absolute et simpliciter necessaria fuerit, sed secundum quid et ex hypothesi; non ab omni ævo, sed hodie hoc rerum statu; nec relate ad Dei potentiam et libertatem, sed ad sapientiam et œconomiam ejus cum homine agentis. Nam ut in œconomia naturali parentes institutionis rationem cum crescente liberorum ætate variant, ut infantes viva voce primo formentur, tum voce Magistri, et librorum lectione doceantur, ac demum subducta manu ferulæ per se doctrinas ex libris hauriant: Ita Pater cœlestis, qui erudit populum suum ut pater filium, Deut. viii. 5, Ecclesiam infantem et balbutientem adhuc, cum ea balbutiens viva voce, qui simplicissimus est revelationis modus, instituit: Mox adolescentem et in prima juventute sub Lege constitutam, et viva voce docuit, propter reliquias infantilis ætatis, et scripto propter primitias ætatis robustioris ad Apostolorum tempus: Tandem adultam sub Evangelio perfectissimo revelationis modo Verbi scilicet scripti luce contentam esse voluit. Ita Scriptura necessaria facta est non modo necessitate mandati, sed ex hypothesi œconomiæ divinæ, quam Deus pro variis ætatibus Ecclesiæ, voluit esse variam et πολυποίκιλον, Eph. iii. 10.

IV. Hinc orta distinctio *Verbi* in ἄγραφον et ἔγγραφον; quæ non est divisio generis in species, ut Pontificii statuunt; quasi aliud esset Verbum non scriptum a scripto: sed est distinctio subjecti in sua accidentia, quia eidem Verbo accidit, ut fuerit non scriptum olim, et nunc sit scriptum: ἄγραφον ergo dicitur, non respectu temporis præsentis, sed præteriti, quo visum est Deo Ecclesiam sola viva voce et non scripto edocere.

Digitized by Google

V. Licet Deus πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, Heb. i. 1, Patres olim alloquutus fuerit, modo clara voce et sermone προφορικῷ, modo interno afflatu tanquam sermone ἐνδιαθέτῳ, nonnunquam immissis somniis, quandoque visionibus exhibitis, aliquando assumpta specie humana, sæpe Angelorum ministerio, aliisque præsentiæ suæ symbolis: Doctrina tamen semper fuit eadem; nec revelandi tradendique modo, vel temporum mutatione mutata est.

Necessitas Scripturæ probatur.

VI. Tria potissimum necessitatem Scripturæ confirmant, 1. *Conservatio* Verbi. 2. *Vindicatio.* 3. *Propagatio.* Necesse fuit Verbum scriptum Ecclesiæ tradi, ut esset constans et immotus fidei et vitæ Religionis Canon, qui conservaretur facilius purus et integer adversus memoriæ infirmitatem, hominum perversitatem, et vitæ brevitatem: Ut vindicaretur certius a fraudibus et corruptelis Satanæ: Ut commodius non tantum ad absentes et dissitos, sed et ad posteros propagaretur et transmitteretur: *Literis* enim, ut bene monet *Vives* de Causis Corrupt. Artium, lib. 1, *Artes omnes ceu thesauro conservantur, ne unquam intercidant, cum contra infelix sit illa per manus traditio. Divinum hoc literarum et mirabile beneficium,* ut ait Quintilianus, *ut custodiant voces, et veluti depositum reddant absentibus.* Nec alia de causa Leges publicæ, Statuta et Edicta Regum et Plebiscita in ære inscribuntur, vel tabulis publicis consignantur, nisi quia hæc certissima est ratio conservandi incorrupte, et per multa secula propagandi earum rerum, quas publice interest scire, memoriam.

Fontes Solutionum.

VII. Etsi Ecclesia ante Mosem caruerit Verbo scripto; non sequitur et posse nunc eo carere: quia alia est ratio Ecclesiæ adhuc infantis, quæ nondum Corpus Reipublicæ constituebat; alia jam auctæ et populosioris: alia primorum temporum, alia vero sequentium: In illis facilius Verbum ἄγραφον conservari potuit propter *longævitatem Patriarcharum, fœderatorum paucitatem,* et *frequentiam revelationum;* (licet suas etiam non paucas passum sit corruptelas.) Sed in aliis, ubi vita hominum ad brevius tempus contracta fuit, et Ecclesia non intra unam vel alteram familiam inclusa latuit, sed in populum numerosissimum excrevit, et Oracula divina parcius sunt exhibita; alia debuit esse institutionis ratio, ut sacra hæc Respublica non viva voce tantum, sed legibus scriptis regeretur.

VIII. Licet Ecclesiæ quædam particulares ad tempus carere potuerint scripto Dei verbo, maxime quum primum erigebantur; tamen nec caruerunt eo Dei Verbo quod scriptum est, quod proculdubio per hominum ministerium auribus eorum insonabat, nec Ecclesia tunc in communi caruit Scriptura.

IX. Spiritus Sanctus ἐπιχορηγία qua fideles debent esse θεοδίδακτοι, Jer. xxxi. 34; Johan. vi. 43; 1 Johan. ii. 27, Scripturam non reddit minus necessariam; quia non datur nobis, ut afferat novas revelationes, sed ut Verbum scriptum cordibus imprimat: Ut hic nunquam Verbum a Spiritu divellendum sit, Isa. lix. 21. Illud objective, hic efficienter operatur; illud extrinsecus aures ferit, hic intus corda aperit; Spiritus est Doctor, Scriptura est doctrina quam nos docet. 2. Verba Jeremiæ xxxi. et 1 Joh. ii. 27, non sunt absolute et simpliciter intelligenda, quasi non amplius esset necesse fideles Novi Testamenti uti Scriptura; alias frustra ad eos scriberet Johannes; sed secundum quid, quia propter pleniorem copiam Spiritus Sancti in Novo Testamento non tam operose erant docendi, ut sub Veteri per rudia et egena elementa. 3. Promissio Jeremiæ complementum suum tantum obtinebit in cœlis, ubi propter claram Dei

Digitized by Google

visionem, nullo amplius erit opus vel Scripturæ vel Pastorum ministerio, sed quisque immediate facie ad faciem Deum contemplabitur.

X. Falsum est Ecclesiam conservatam fuisse in captivitate Babylonica absque Scriptura; nam Daniel. c. ix. 2, dicitur sub finem 70 annorum considerasse ex libris numerum annorum, et Nehem. viii. 2, dicitur Esdras afferre, non de novo condere, librum Legis. Locus 4 Esd. cap. iv. 23, ut apocryphus nihil probat. Etsi vero Esdras libros sacros collegerit in unum corpus, imo Scribarum negligentia depravata correxerit, non sequitur Ecclesiam absolute Scriptura caruisse.

XI. Gratis fingitur a Bellar. post tempora Mosis, eos, qui ex aliis populis ad veram Religionem adducebantur, sola traditione usos fuisse, et Scriptura caruisse: Nam si qui proselyti fiebant, in Mosis et Prophetarum doctrina erudiebantur sedulo, quod vel ex uno Eunuchi Candacis Reginæ exemplo constat Act. viii. Nec absolute Scriptura ignota fuit gentibus, maxime postquam in linguam Græcam tempore Ptolemæi Philadelphi translata fuit.

XII. Christus ita est unicus Doctor noster, Matt. xxiii. 8, ut non excludatur ministerium Scripturæ, sed includatur necessario, quia nunc in ea tantum nos alloquitur, et per eam nos instituit. Non opponitur Christus Scripturæ, sed falsis Pharisæorum Doctoribus, qui ambitiose magisterium affectabant, quod soli Christo debetur.

XIII. Quamvis Scriptura formaliter nullum usum habeat personalem erga ἀναλφαβήτους, legere nescios, tamen materialiter eorum instructioni et ædificationi inservit, quatenus non aliunde desumitur doctrina quæ in Ecclesia resonat.

QUÆSTIO III.

An Scriptura Sacra occasionaliter tantum absque jussu divino sit exarata? Neg. contra Pontificios.

Status Quæstionis.

I. Hæc Quæstio inter Nos et Pontificios movetur; qui ut Scripturæ authoritatem et perfectionem imminuant, non tantum docent minus necessariam fuisse, et Ecclesiam potuisse ea carere, sed etiam non expresso Dei mandato, sed peculiaribus tantum occasionibus traditam Ecclesiæ fuisse; Nec Christum Apostolis præcepisse ut scriberent, nec Apostolos de scribendo Evangelio primaria intentione cogitasse, sed secundaria tantum, et ex occasione, *Bellarm. lib.* 4, *de Verbo Dei*, cap. 3, 4.

II. Non quæritur; An Scriptores S. quibusdam occasionibus impulsi fuerint ad scribendum? Non negamus enim oblatis occasionibus sæpius usos fuisse ad scriptis consignanda Dei mysteria: Sed quæritur; An ita occasionaliter scripserint, ut non scripserint etiam ex professo et mandato divino? Nos enim hæc non opponenda, sed componenda censemus; potuerunt et oblata occasione scribere, et tamen ex mandato divino, divinaque inspiratione; Imo quia occasio talis nonnisi divinitus oblata illis fuit, divina etiam voluntate illis scribendum fuit, nec enim vel temere iis oblata, vel sponte fuit ab ipsis occupata.

III. Mandatum aliud est *implicitum* et *generale;* Aliud *explicitum* et *speciale:* Licet Scriptores S. omnes non habuerint mandatum speciale scribendi, quod in multis tamen occurrit, Exo. xvii.; Deut. xxxi. 19; Isa. viii. 1; Jer. xxxvi. 2; Habac. ii. 2; Apoc. i. 12, &c. habuerunt

Digitized by Google

tamen omnes generale. Nam *mandatum docendi*, Matt. xxviii. 19, continet etiam mandatum scribendi, cum absentes et posteros nonnisi Scriptura docere possimus, unde prædicatio alia dicitur fieri in *scripto*, alia *in facto*, alia *in verbo*: Deinde *inspiratio immediata*, et impulsus internus, quo acti fuerunt a Spiritu S. fuit Scriptoribus S. loco mandati; Unde Paulus, 2 Tim. iii. 16, vocat Scripturam θεόπνευστον, et Petrus, secundæ c. 1, 21, dicit *Prophetiam non allatam esse voluntate hominis, sed viros Dei loquutos esse ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι; a Spiritu S. actos: ἐνέπνευσεν* autem dicere Deo inspirante et movente Apostolos scripsisse, et tamen non præcipiente. Nec efficacius mandatum datur inspiratione rerum scribendarum; Nec fidorum est Legatorum quicquam præter mandata exequi.

IV. Licet Apostoli nuspiam mandatum speciale Christi commemorarent, quod faciunt tamen non raro, ut *Joannes*, *Judas* et alii; sufficienter hoc testantur, 1. quum se universales omnium gentium Doctores profitentur. 2. quum se fidos Christi servos vocant, adeoque de mandatis Christi implendis unice sollicitos. 3. quum se a Spiritu actos testantur, 2 Pet. i. 21. Unde *Grego.* præfat. in Job. optime, *Ipse scripsit qui hæc scribenda dictavit; Ipse scripsit qui et illius operis inspirator extitit.*

Fontes Solutionum.

V. Non debuerunt Apostoli singuli scribere, licet singuli tenebantur prædicare. Nam sicut divinæ inspirationi se committebant in prædicationis exercitio; sic eandem debuerunt expectare, et sequi in scriptione: munus enim æquale fuit, in iis quæ essentialia Apostolatui fuere, ut essent ex æquo omnes Doctores θεόπνευστοι; non vero fuit munus æquale in exercitio omnium actuum singularium ad id pertinentium; Unde non mirum si pro libertate Spiritus Sancti, alii ad scriptionem simul et prædicationem, alii ad prædicationem tantum fuerint adhibiti.

VI. Communis liber non fuit condendus ab omnibus Apostolis conjunctim; tum ne viderentur omnes ex compacto egisse, tum ne majoris videretur authoritatis, quam quod a singulis seorsim scriptum foret; quæ ratio etiam videtur esse, cur Christus a scribendo abstinuerit: ne hic dicamus, eum esse qui doctrinam suam non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in charta sed in corde scribit, 2 Cor. iii. 2; suffecit ergo ea ab aliquibus scribi, quæ a cæteris probarentur: Imo plurimum addit ponderis et authoritatis scriptis Apostolicis, quod variis in locis, variis de causis et occasionibus, vario stylo et diversa methodo scribentes ad varios, tam consona tamen scripserint.

VII. Non necesse fuit Catechismum ab Apostolis conscribi, ut doctrinam suam traderent ex professo: sufficiebat ea illos tradere, ad quæ libri symbolici omnes et Catechismi essent exigendi. 2. Si formaliter Catechesim non scripserunt; at materialiter ea tradiderunt sive in Evangeliis, sive in Epistolis, ex quibus possumus luculenter κατηχεῖσθαι.

VIII. Ut non debemus legem figere Spiritui Sancto, et illi præscribere methodum revelandi voluntatem suam: Ita non debemus dubitare, quin convenientissima sit scribendi ratio quam secuti sunt; non tantum, quia mos erat tunc temporis receptus apud plerosque docendi per Epistolas; quia hoc scribendi genus commodissimum erat ad disseminandum propere Evangelium, qui fuit præcipuus Apostolorum scopus; sed et quia methodus illa scribendi simplex et popularis omnibus se accommodabat tam indoctis, quam doctis, et Theologiam non idealem et mere theoreticam, sed practicam et in hypothesi tradebat.

IX. *Symbolum Apostolicum* ita dicitur, non *efficienter* quod ab Apos-

Digitized by Google

tolis sit traditum, sed *materialiter*, quod ex doctrina Apostolica fuerit confectum, et medulla sit et compendium doctrinæ Apostolicæ.

X. Qui ex oblata occasione et illius necessitate scripserunt, potuerunt tamen scribere ex mandato; subordinata enim non pugnant: Christi mandatum fuit causa impulsiva principalis, et occasio oblata tanquam causa impulsiva secundaria et minus principalis, qua uti sciverunt ad gloriam Dei et proximi ædificationem, plane ut Apostoli et ex mandato et ex occasione prædicarunt.

XI. Licet Apostoli ideo debuerunt scribere, quia tenebantur docere, non sequitur Pastores hodiernos pariter teneri semper ad scribendum, ut ad docendum, quia alia est utrorumque ratio; Apostoli quippe omnes gentes debuerunt docere, ut Doctores Œcumenici, non sic Pastores ordinarii, qui peculiarem gregem habent sibi commissum.

QUÆSTIO IV.

DE SCRIPTURÆ S. AUTHORITATE.

An Scriptura Sacra vere sit authentica et divina? Affir.

I. Ex Scripturæ Origine, de qua in præcedentibus, pendet ejus Athoritas; quia enim a Deo est, non potest non esse authentica et divina. Hinc oritur quæstio de ejus *Authoritate*, quæ bimembris potest esse. 1. Cum Atheis et Ethnicis, qui nullam agnoscunt Scripturæ authoritatem, præ reliquis libris humanis. 2. Cum Christianis, qui eam agnoscentes suspendere tamen volunt, saltem quoad nos, a Testimonio Ecclesiæ. Quoad illos, Quæritur, An Scriptura Sacra sit vere αὐτόπιστος et divina? Quoad istos vero; Unde nobis constet talem esse, seu quo Testimonio præcipue fides αὐτοπίστως Scripturæ nitatur; Hic de prima tantum quæstione agitur, non de secunda.

Authoritas Scripturæ.

II. Licet vero prima quæstio parum necessaria videatur inter Christianos, apud quos extra omnem controversiam positum esse debet, Scripturam esse θεόπνευστον, tanquam fidei primarium fundamentum; Quia tamen nimis multi sunt adhuc hodie inter Christianos Athei et Libertini, qui sanctissimam hanc veritatem labefactare modis omnibus conantur; Ideo maximi est ad salutem momenti, fidem nostram adversus talium impiorum diabolica cavilla mature muniri.

III. *Authoritas* Scripturæ, de qua hic quæritur, nihil aliud est quam jus et dignitas librorum sacrorum, propter quam in iis quæ credenda proponunt dignissimi sunt fide, et in iis quæ omittenda vel facienda præcipiunt obsequio. Fundamentum est divina et infallibilis horum librorum Veritas, qui Deum authorem habent, quia jus summum habet obligandi homines ad fidem et obsequium. Ea vero potest esse, vel *intrinseca*, vel *extrinseca*. Illa est ipsius Verbi ἐξουσία in se, quæ semper æqualis est et sibi constans, sive accedat hominum testimonium, sive non. Ista est æstimatio sive judicium hominum de Scriptura, quod varium est pro ratione subjectorum.

Intrinseca et extrinseca.

Historiæ et normæ.

IV. Rursus *Authentia*, alia est *historiæ* seu *narrationis*, alia insuper *veritatis* et *normæ*; Juxta illam quicquid narratur in Scriptura verissimum est prout narratur, sive bonum, sive malum; sive verum sit, sive falsum. Istam vero habere

Digitized by Google

dicuntur ea quæ ita in se vera sunt, ut pro norma fidei et morum tradantur. Non omnia quæ sunt in Scriptura habent authentiam normæ, ut ea quæ ab impiis vel Diabolo dicta referuntur; sed omnia tamen habent authentiam historiæ.

www.libtool.com.cn

Status Quæstionis.

V. Non quæritur; An Scriptores Sacri *qua homines* simpliciter et in *sensu diviso*, errare potuerint; hoc enim facile concedimus: seu, An *qua homines sacri* acti a Spiritu S. et in *sensu composito*, reipsa errarint; hoc enim nemo ut opinor ex Adversariis, nisi plane Atheus dicere sustinebit: Sed, An in scribendo ita acti et inspirati fuerint a Spiritu Sancto, et quoad res ipsas, et quoad verba, ut ab omni errore immunes fuerint, et scripta ipsorum vere sint authentica et divina? Adversarii negant; Nos affirmamus.

Scriptura seipsam probat.

VI. Scriptura seipsam Divinam probat, non modo *authoritative* et per modum argumenti inartificialis seu Testimonii, quando se θεόπνευστον vocat; quod licet bene usurpetur adversus Christianos, qui eam se recipere profitentur, non potest tamen urgeri adversus alios qui eam rejiciunt: Sed *ratiocinative* argumento artificiali, ex *Notis* quas Scripturæ Deus impressit, quæ indubitata præ se ferunt Divinitatis argumenta. Nam ut opera Dei incomparabilem Opificis sui præstantiam veluti oculis conspiciendam certis characteribus exhibent, et ut Sol propria luce innotescit: Ita voluit in Scriptura, quæ est ἀπαύγασμα Patris luminum et Solis justitiæ, fulgere varios divinitatis radios quibus se cognoscendam præbeat.

Per Notas, quæ sunt vel

VII. *Notæ* autem istæ, vel sunt *extrinsecæ* vel *intrinsecæ*. Illæ etsi non possunt sufficere ad plenam rei demonstrationem, magni tamen sunt ponderis ad ejus confirmationem, et contradicentium convictionem. Sed in istis præcipuum robur argumenti situm est.

Externæ.

VIII. Externæ sunt, 1. ex parte *originis;* Prima Antiquitas supra omnia Pagana monumenta; *Primum* enim *quodque verissimum*, ut inquit *Tertull.* 2. Ex parte *durationis;* Mira Verbi Divini per providam ejus curam, contra hostes potentissimos et infensissimos qui ferro et flammis illud excisum voluerunt, in hunc usque diem conservatio, cum tot alii libri, adversus quos nihil tale tentatum est, penitus interciderint. 3. Ex parte *Instrumentorum* et Amanuensium; Summus in scribendo *candor* et sinceritas, qui nec propria sua ἁμαρτήματα dissimulant, sed ingenue pandunt. 4. Ex parte *adjunctorum;* Numerus, constantia et conditio *Martyrum*, qui eam suo sanguine obsignarunt. Cum enim nihil homini sit vita carius, non potuissent tot hominum myriades omnis sexus, ætatis, et conditionis, pro defensione Scripturæ tam libenter mortem oppetere etiam crudelissimam, nisi de ejus Divinitate persuasi fuissent. Nec Deus omnipotentiam suam adhibere voluisset ad tot tantaque *Miracula* patranda quæ facta sunt, tum in Lege tum in Evangelio, ad fidem faciendam Scripturæ Divinitati, si merum humani cerebri figmentum fuisset. Accedunt Adversariorum ipsorum testimonia; ut Ethnicorum de Mose, Josephi et Thalmudistarum de Christo, et Mahumetis ipsius de utroque Testamento, quæ ex *Vive*, *Plessæo*, *Grotio* et aliis peti possunt. Denique *Populorum consensus*, qui licet ritibus, opinionibus etiam circa sacra, cultu, lingua et studio differrent, hoc Verbum tanquam pretiosum divinæ Veritatis thesaurum exceperunt, illudque pro Religionis et Dei cultus fundamento habuerunt: nec enim credibile est Deum passurum fuisse, ut tanta hominum multitudo, quæ ipsum studiose quærebat, mendacibus libris tamdiu deciperetur.

Digitized by Google

Vel Internæ.

IX. *Internæ*, quæ potissimæ sunt, sunt etiam multiplices. 1. Ex parte *materiæ;* Admiranda *Mysteriorum sublimitas*, quæ nulla rationis sagacitate investigari potuissent; qualia sunt Trinitas, Incarnatio, Satisfactio Christi, Resurrectio mortuorum, et sim. *Præceptorum sanctitas* et puritas, quæ cogitationes ipsas et affectus internos cordis in ordinem cogunt, et apta sunt ad hominem omni virtutum genere perfectum et Deo dignum reddendum. *Oraculorum* de rebus etiam occultissimis et remotissimis *certitudo:* Prævidere enim, et prædicere futura ex sola Dei voluntate pendentia, solius est Numinis, Isa. xli. 23. 2. Ex parte *styli;* Divina *Majestas*, non minus ex simplicitate quam gravitate dictionis elucens, et summa illa quibusvis promiscue et summis ac imis imperandi *πειθανότης*. 3. Ex parte *formæ;* Divinus *doctrinæ consensus* et *παναρμονία*, non modo inter utrumque Testamentum prædictionum et typorum complemento, sed etiam inter singulos utriusque Testamenti libros, tanto magis mirandus, quanto illorum Scriptores, et plures numero fuerunt, et variis temporibus et locis scripserunt, unde de rebus scribendis inter se conferre non potuerunt. 4. Ex parte *finis;* omnium ad unius Dei gloriam, et hominum sanctitatem et salutem directio. 5. Ex parte *effectuum;* divinæ doctrinæ *Lux* et *Efficacia*, quæ tanta est, ut penetrantior quovis gladio ancipiti ad ipsam animam pertingat, fidem et pietatem auditorum suorum animis, invictam Confessoribus constantiam ingeneret, et semper victrix de regno Satanæ et falsis Religionibus triumphet. Quæ sane criteria talia sunt, ut in nullum humanum scriptum, quod humanæ fragilitatis semper præ se fert argumenta, cadere queant, sed Scriptum vere divinum arguunt; maxime quando non seorsim, sed omnia *ἀθρόως* considerantur.

X. Non putandum tamen notas istas pariter et æquali gradu fulgere in omnibus Scripturæ libris: Ut enim stella a stella luce differt; ita in hoc Scripturæ cœlo, libri quidam splendidiores et uberiores lucis radios emittunt, alii longe tenuiores et pauciores, prout magis vel minus necessarii sunt Ecclesiæ, et doctrinas majoris vel minoris momenti continent; ut longe magis radiant isto splendore Evangelia et Epistolæ Paulinæ, quam liber Ruthæ vel Estheræ, sed tamen certum in omnibus ea esse veritatis et majestatis argumenta, quæ librum divinum et authenticum per se arguunt, vel saltem nihil in iis deprehendi, quod eorum *αὐθεντίαν* dubiam reddere queat.

XI. Non opus est etiam, ut notæ istæ omnes in qualibet libri Canonici pericope vel versiculo occurrant, quibus ab Apocrypho discernatur; vel in singulis Scripturæ partibus a toto separatis: sufficit ut dentur in Scriptis divinis, prout considerantur conjunctim et secundum se tota.

XII. Licet falsæ Religiones Criteria ista doctrinæ suæ vindicare soleant; Non minus tamen juste vera poterit illa sibi tribuere; quia vana et falsa hominum opinatio, rei veritatem non labefactat: Nec si Turca Alcorano, vel Judæus Cabalæ suæ divinatem falsissime affingit, quia fabulæ et mendacia quibus uterque liber totus consutus est contrarium satis produnt; fidelis Scripturæ Sacræ non vere poterit Divinatem prædicare, in qua fulgentissimos ubique videt divinæ Veritatis radios.

XIII. Quamvis fides authoritate testimonii nitatur, non autem scientifica demonstratione; non sequitur argumentis artificialibus non posse subinde adjuvari, maxime in principio fidei adstruendo; quia fides antequam credat, debet perspectam habere divinitatem Testis cui credere debet, ex certis quibusdam notis quas in eo deprehendit, alias ipsi credere non posset. Nam ubi desunt idoneæ alicui credendi rationes, talis Testis testimonium non potest esse *ἀξιόπιστον*.

Digitized by Google

Authentia Testimonii Prophetarum et Apostolorum.

XIV. *Testimonium Prophetarum et Apostolorum* omni exceptione majus est, nec potest a quoquam cum ratione in dubium vocari: Nam si incertum esset et fallax, id foret, vel quia ipsi decepti sunt, vel quia alios ipsi decepuerunt: sed neutrum dici potest.

Qui nec decepti sunt.

1. *Non decepti sunt* nec decipi potuerunt. Nam si decepti sunt, vel ab alio decepti sunt, vel a seipsis; Illud dici nequit, quia nec a Deo, qui ut falli a nemine potest, ita nec quemquam potest fallere; nec ab Angelis qui non fallunt; nec a Dæmonibus, quia doctrina ista tota ad destructionem regni Diaboli tendit. Istud vero non magis; nam si quis fallitur in re aliqua, hoc fit ideo potissimum, vel quia ipse eam non vidit, sed ab aliis accepit quorum fide nititur, vel quia eam obiter tantum et in transcursu aspexit, vel quia res est obscura et difficilis quæ hominis captum longe superat, vel quia subjectum est male dispositum et aliquo morbo præpeditum quominus rite judicet. Sed hic nihil tale occurrit: Nam 1. ea quæ narrant profitentur se non ex incerto rumore, et ab aliis accepisse qui minus accurate ea novissent, sed quorum certissimam et exploratissimam habebant notitiam, utpote qui testes oculati et auriti fuerant, et in quibus pernoscendis magna attentione et studio versati erant. 2. Nec de remotis et dissitis rebus loquuntur, sed quæ in iis ipsis locis et eo tempore quo scribebant gesta erant, unde Jo. 1ae 1. 1. *Quod vidimus*, inquit, *oculis nostris, quod audivimus de Verbo vitæ id annunciamus*, &c. 3. Non agebatur de rebus obscuris et in mera speculatione positis, in quibus rudes et illiterati potuissent facile decipi, non assequendo eam sublimitatem, sed de factis in sensus et oculos incurrentibus, v. g. de resurrectione Christi; cum quo ante obitum versati fuerant familiariter, et qui se ipsis post resurrectionem conspiciendum præbuerat, non obiter, sed diu, non semel, sed sæpius, non coram uno vel altero, sed coram pluribus omnis sexus, et conditionis. 4. Denique nec dici potest facultatem ipsorum male dispositam fuisse: nam præterquam quod nulla præ se ferunt indicia corruptæ phantasiæ et mentis emotæ, imo sapientiam et bene compositum animum verbis suis et vita produnt; Accedit quod non unus aut alter, sed plures numero idem sentiant et loquantur. Unde sequitur causæ nihil esse cur decepti hic dicantur.

Nec decipere voluerunt.

XV. Sed ut decepti hic non sunt, Ita *nec decipere voluerunt:* Nam qui fallunt et mentiuntur, aliquod sibi proponunt mendacii et deceptionis emolumentum, vel ut gloriam captent, vel ut hominum gratiam aucupentur, vel ut opes et commoda sibi comparent: At Viris Dei in isto testimonio dicendo, quid optabile vel viventibus quærebatur, vel vita functis? Viventibus quidem ea omnia propter quæ propulsanda mentiri homines non raro consueverunt, inopia, exilia, cruciatus, et extrema supplicia, post mortem vero infamia et pœna æterna. Et tamen omnibus istis posthabitis non dubitarunt scientes prudentes ad hoc suum confirmandum testimonium infinita adire discrimina, et gravissimas subire contumelias et acerbissimas perpeti mortes. Quis ergo credat eos talia ferre non recusasse pro eo quod haberent incertum et falsum; cum pro certissimis et compertissimis vix ac ne vix quidem reperiantur, qui vel existimationis, vel bonorum discrimen adire sustineant, nedum mortem oppetere? Nemo sane eos affectati tam ingentis mendacii reos agere potest, quin eos faciat stultissimos simul et pessimos; stultissimos, qui nullo suo bono, certissimoque malo suo mentiri voluerint, contra ipsa religionis suæ quam scribebant, quæ tam severe mendacium vetat, dogmata; pessimos vero, qui mentiendo mundum universum fallere voluerint, nulloque ipsorum bono secum malis omnibus involvere.

Digitized by Google

Nec potuerunt.

XVI. Denique *nec decipere potuerunt*, etsi voluissent; quia scribebant non de rebus remotis et dissitis, aut quæ priscis temporibus, aut quæ clam et remotis arbitris in angulo aliquo gestæ erant; prout vulgo impostores solent, ne facile possint mendacii coargui: Sed ea referebant, quæ illo ipso tempore publice et coram Sole, illo ipso loco quo scribebant, et quidem sæpe iis videntibus et audientibus ad quos scribebant, contigerant, quique facile fraudem et imposturam, si qua fuisset, retegere poterant. Si ergo nec decepti sunt nec deceperunt, dubium non est, quin divinum sit eorum Testimonium, atque adeo authentica omnis illa doctrina quæ ex eo pendet et illo nititur.

XVII. Non potest in dubium vocari, An Prophetæ et Apostoli fuerint aliquando, et libros scripserint qui illorum esse dicuntur, quin nutet totius Antiquitatis fides; et Pyrrhonismus introducatur: Sic enim pariter de omnibus aliis scriptis, quæ in manibus versantur dubitari poterit: Cum autem certum sit tales libros a certis authoribus scriptos fuisse, quis sanæ mentis non crediderit potius scriptos esse ab iis quorum nomen præferunt, quod Ecclesiæ omnes Christianæ ubique locorum constanter crediderunt, de quo nulla unquam aut a Judæis, aut a Paganis mota controversia fuit, et quod antiquissimis temporibus, cum ea de re constare posset, jam receptum est, quam a quolibet alio?

Authentia librorum Mosis ostenditur.

XVIII. Quicquid in medium afferri potest ad elevandam fidem historiæ Mosaïcæ, facile refelli potest si penitius excutiatur. Nam si quis forte neget Mosem unquam fuisse, vel authorem esse librorum qui illi adscribuntur, nullo negotio convincetur: tum quia non soli Judæi et Christiani ejus meminerunt, sed et profani Scriptores non pauci; tum quia hoc constanter creditum est a numerosissima gente, nec ulla causa dubitandi est, nisi velimus fidem omnium omnino historiarum convellere, et negare Platonem, Aristotelem, Ciceronem et alios unquam extitisse, et libros qui eorum nomen præferunt scripsisse, quod nemo nisi mente captus dixerit. Multo vero minus hoc de Mose, quam de cæteris dici potest, quia nullus liber majori cum rationis specie debuisset a Judæis aboleri, quia sic a Legis durissimæ jugo se liberassent: et nullus tamen majori studio et zelo ab iis exceptus est et conservatus, nullus unquam tantam authoritatem subito consecutus est, ut pro Lege divina et Religionis norma haberetur; non alia sane de causa, quam ex veritatis illo contentæ persuasione.

XIX. Secundo, si quis inde depulsus alio se recipiat, et fateatur quidem Mosem extitisse, et libros qui illi tribuuntur conscripsisse; Sed fuisse Impostorem et fabulatorem insignem asserat, qui inanibus mendaciis et falsis prodigiis populo Israëlitico imposuerit, ut eum Legi, quam proponebat, atque adeo sibi ipsi manciparet; non minus facile confutabitur. Nam præterquam quod ipsi Ethnici, et infensissimi hostes, ut *Porphyrius* li. 4, adversus Christianos, veracis scriptoris laudem dant Mosi: facile capi non potest, quomodo insignis illa sapientia et eximiæ virtutes, quibus tota vita Mosis radiat, cum tam nefanda impostura conciliari queant, vel quo pacto tam admirabilem Legem, a qua quicquid boni cæteræ habuerunt mutuatæ sunt, quæ ad unius Dei gloriam et populi sanctitatem respiciebat, excogitare potuerit ut fraudi et impposturæ suæ faveret. Deinde, si impostor fuit, mirum est cur viam consilio suo plane contrariam secutus sit, ex qua facile falsitatis convinci potuit. Nam si falsa est quam tradidit narratio originis mundi, nihil facilius fuit quam mendacii eum arguere ex exiguo generationum numero, quæ ab Adamo ad diluvium, et a diluvio ad exitum populi ex Ægypto recensentur, siquidem tempore Mosis superesse adhuc poterant

Digitized by Google

varii, qui Josephum viderant, cujus parens Semum viderat, qui usque ad centesimum annum vitæ suæ potuit versari cum Methusalem ad illud usque tempus superstite, qui et ipse Adamum viderat; unde nullo negotio rei veritas vel falsitas deprehendi potuit. 3. Si Moses impostor fuit, qui Israëlitas decipere voluerit, speravit proculdubio, se mendacia sua et fraudes Israëlitis persuasurum: sed quo tandem pacto potuit in animum suum inducere, se persuasurum illis tot tantaque prodigia, quæ vel in Ægypto vel in deserto facta dicuntur, si nihil tale contigisset? maxime cum ad eos scriberet, qui vel auriti vel oculati testes eorum esse debuerunt, et cum de iis scriberet, non quæ multa ante secula gesta erant, sed illo ipso tempore, non clam et in angulo, et coram paucis testibus, qui facile corrumpi potuissent, sed palam et publice sub oculis sexcentorum millium hominum, et hostium etiam ipsorum infensissimorum, qui potuerunt mendacia ipsius arguere? An potuit sperare nullum repertum iri in populo qui de istis dubitaret, vel qui ab Ægyptiis rerum gestarum veritatem non requireret? An credibile est, ex tanto hominum numero, quos subinde durissime tanquam gentem rebellem et indomitam increpabat, imo pœnis nonnunquam gravissimis affligebat, subitanea morte non centenos tantum sed millenos plectendo, et talia præstando quibus merito exacerbari potuerunt adversus ipsum, neminem futurum fuisse qui suam illi fraudem et imposturam non objecisset, cum toties adversus ipsum tam inique murmurare et rebellare cernantur? Denique si impostorem egit, commodum aliquod sine dubio, vel gloriam vel opes inde captavit, ut vel Imperium sibi et posteris confirmaret, vel laudem sapientiæ et heroïcæ virtutis apud homines consequeretur; sed quam alienus a lucri vel gloriæ cupiditate Moses fuerit, et res ipsa clamat, et sinceritas qua propria peccata sua, et incredulitatem inprimis tam ingenue confitetur, satis testatur.

XX. Sed forte Israëlitæ falsitatem rerum quæ a Mose referebantur agnoscentes, consenserunt in fraudem et imposturam, ad majorem genti gloriam conciliandam. Sed quis credere ausit Israëlitas tam insanos fuisse, ut consentire non recusarint in tam insignem imposturam per quam jugo ἀβαστάκτῳ Legis durissimæ subjiciebantur, si persuasi vere fuissent talem Legem fuisse merum Mosis commentum? Vel an ulla veri specie dici potest ex sexcentis hominum millibus ad unum omnes in talem fraudem consensisse, ut nemo repertus fuerit qui tali consilio se opposuerit? 2. Tantum abest ut gloriam et laudem apud alios sibi inde conciliarent, ut contra odium et contemptum omnium merito in se accerserent: quis enim dixerit ad decus gentis pertinuisse, ut eorum murmura et peccata gravissima oculis hominum exponerentur, ut arguerentur tanquam σκληροτράχηλοι et ingratissimi mortalium, ut pœnæ severissimæ quibus Deus eorum pervicaciam et rebellionem ultus erat non semel recenserentur, imo quis non videt hæc in æternum gentis probrum cedere? Uno verbo, causa nulla est, cur populus tam duræ cervicis, et φιλήδονος, Legis molestissimæ et quæ minimam transgressionem tam severe ulciscebatur, jugum adeo facile subire voluisset, nisi de divinitate vocationis Mosis, et veritate dictorum ejus persuasus fuisset.

Conversio mundi Scripturæ Divinitatem probat.

XXI. *Conversio Mundi et Evangelii successus* clarissimum est Divinitatis ejus argumentum; Nam nisi Viri Dei fuissent Apostoli, et cœlestem veritatem attulissent, capi animo non potest qui fieri potuerit, ut eorum doctrina iis omnibus præsidiis destituta, quibus doctrina aliqua humanitus commendari et propagari potest, et iis omnibus rebus pertinacissime oppugnata quibus doctrinæ alicui resisti potest, authoritate Majorum, consuetudine Populorum, favore Principum, eloquentia Oratorum, subtilitate Philosophorum, accommodatione

Digitized by Google

ad mores et ingenium humanum; quæ per paucos rudes et infirmos homines promulgata est, a fingendi non modo fraude sed et suspicione alienissimos, nullo eloquentiæ adjumento instructos, nullo simulationis artificio eruditos, spretos et despicabiles, sola persuasione, sine ullo authoritatis et favoris publici præsidio, sine armorum auxilio, per mille mortes et discrimina, brevissimo tamen tempore ubique locorum ferme, ita propagata fuerit, ut omnia obstacula perruperit, et aliarum Religionum quæ istis omnibus præsidiis communitæ erant victrix evaserit, ut integri populi et Reges ipsi, relictis patriis Religionibus in quibus nati erant et educati, sine spe commodi, imo cum certa malorum expectatione, istam, quæ rationi absurda et carni ingrata erat, et quæ repellere potius a se homines quam ad se allicere videbatur, amplexi fuerint.

XXII. *Certitudo* triplex potest esse, 1. *Mathematica*, 2. *Moralis*, 3. *Theologica*. *Mathematica*, seu metaphysica illa est, quæ competit primis principiis natura et per se notis, et conclusionibus per hujusmodi principia demonstratis; ut quando *Totum dicitur esse majus sua parte*, et quod *idem non possit simul esse et non esse*. 2. *Moralis*, quæ cernitur in rebus quæ quidem demonstrari non possunt, sed talibus tamen indiciis et argumentis tam probabilibus suadentur, ut de iis vir prudens dubitare nequeat; ut Æneidem scriptam esse a Virgilio, et historiam Livii a Livio; etsi enim res non est per se nota, tam constanti tamen fama testata est, ut de ea dubitare nemo possit, qui aliquam rerum et literarum notitiam habet. 3. *Theologica*, quæ habetur in rebus, quæ etsi demonstrari nequeant, vel per se et natura notæ sint, non tamen probabilibus tantum indiciis et moralibus argumentis nituntur, sed vere Theologicis et divinis, divina puta revelatione, quæ proinde non certitudinem tantum moralem et conjecturalem faciunt sed fidem vere divinam. Scriptura non habet certitudinem *metaphysicam;* alias assensus quem illi præbemus scientiam pareret non fidem: non habet etiam simpliciter *moralem* et probabilem, alias fides nostra non certior esset quolibet assensu historico qui scriptis humanis adhibetur; sed habet certitudinem *Theologicam* et infallibilem, quæ hominem fidelem et Spiritu Dei illustratum decipere non potest.

Fontes Solutionum.

XXIII. Prophetæ non errarunt in illis quæ scripserunt θεοπνεύστως et *qua Prophetæ*, nequidem in rebus minoris momenti, quia alias universæ Scripturæ fides dubia redderetur. Sed potuerunt errare in aliis *qua homines*, quo modo David erravit in Epistola de Uria occidendo, quæ authentiam quidem habet historiæ sed non normæ, et Nathan in consilio quod dedit Davidi condendi Templum, sed inconsulto Deo, 2 Sam. vii. 3, quia nec universalis, nec continuus fuit Spiritus Sancti afflatus, ne putaretur esse motus ordinarius, vel effectus naturæ, 2 Reg. ii. 17.

XXIV. Apostoli fuerunt infallibiles in fide, non in moribus; et Spiritus deducturus fuit eos in omnem veritatem ne unquam errarent, non in omnem pietatem ne unquam peccarent, quia similes nobis fuerunt in omnibus. *Petri simulatio* et hypocrisis, de qua Galat. ii. 12, fuit peccatum vitæ, non error fidei; lapsus moralis conversationis ex infirmitate et timore, ne in odium incurreret Judæorum; non vero error mentis ex libertatis Christianæ ignorantia, quam se cognoscere in familiari cum Gentilibus commercio ante Judæorum adventum satis testabatur.

XXV. Quum Paulus ait, 1 Cor. vii. 10. *Ego dico non Dominus*, non negat inspirationem Domini cui dicta sua vindicat, v. 40, sed tantum præceptum hoc, seu hanc legem a Domino expresse ante se latam esse; ut sensus sit, controversiam illam de malitiosa desertione, Christi tempore

Digitized by Google

non fuisse adhuc motam, neque eam decidendi illum occasionem tum habuisse; quod Paulus jam Spiritu illustratus facit.

XXVI. Quæ ludicra et inutilia videntur in Lege, maximi inveniuntur esse momenti a piis et cordatis ad exercendam obedientiam, aversandam idololatriam, mores informandos, et Messiam indigitandum, si dextre ut oportet accipiantur. Genealogiæ, et cætera quæ videntur superflua, testimonia sunt ortus, propagationis et conservationis Ecclesiæ, et impletæ promissionis de Messia e Semine Abrahami et Davidis deducendo.

XXVII. Prophetæ Hoseæ cap. 1. 2, non injungitur ut meretricem ducat in uxorem, sic enim filii ex tali matrimonio non possent dici spurii, ut vocantur v. 2. Sed hæc *allegorice* sunt intelligenda, ut Israëli spurca sua idololatria sub tali Symbolo repræsentetur.

QUÆSTIO V.

An in Scriptura occurrant veræ contradictiones, seu loca quædam ἄλογα, quæ nulla ratione solvi et conciliari possint? Neg.

I. Quamvis asserta Scripturæ Divinitate, de qua actum fuit quæstione præcedenti, sequatur necessario ejus Infallibilitas: Quia tamen non pauca ab omni ævo ἐναντιοφανῆ in Scriptura invenire sibi visi sunt, et studiose conquisita jactarunt, veræ Religionis et Scripturæ hostes ad ejus αὐθεντίαν convellendam, ut *Porphyrius*, *Lucianus*, *Julianus Apostata*, aliique olim ex Gentibus, et hodierno die Athei varii, qui non paucas in ea contradictiones et ἄτοπα, quæ nulla ratione conciliari possint, occurrere clamitant; Ideo peculiari quæstione cum illis agendum est, ut Scripturæ Integritas adversus impia ipsorum tela sarta tectaque conservetur.

II. Res nobis hic est, non modo cum apertis Atheis et Gentilibus, qui Scripturam Sacram non admittunt, sed et cum aliis qui, licet recipere illam videantur, indirecte tamen illam hac ratione evertunt: Ut *Enthusiastæ*, qui imperfectionem Verbi scripti prætexunt, ut homines ad verbum suum occultum, seu privatas revelationes abducant; *Pontificii*, qui licet alias Divinitatem Scripturæ contra Atheos tueantur, non verentur tamen ipsorum armis sibi aptatis propriam suam atque adeo totius Christianismi causam quantum in se est oppugnare, et hostibus suis prodere, corruptionem Fontium urgendo, ut Versioni suæ Vulgatæ authoritatem concilient; Denique *Libertini* varii, qui in sinu Ecclesiæ versantes, non desinunt varia ista ἄτοπα et ἐναντιοφανῆ objicere, ad Scripturæ authoritatem labefactandam.

III. Ut illis occurratur diversam sequuntur viam Doctores. Quidam facile rem expediri posse putant, si dicatur Scriptores sacros, memoria labi, aut in levioribus errare potuisse; Sic *Socinus* de authoritate Scripturæ, *Castellio* in Dialogis, et alii. Ast hoc non est causam tueri adversus Atheos, sed illam turpiter prodere. Alii Hebræos et Græcos fontes in aliquot locis corruptos esse fatentur, Judæorum vel hæreticorum malitia, sed remedium facile peti posse a Vulgata Versione et Ecclesiæ authoritate infallibili. Quæ sententia est plurimorum ex Pontificiis, adversus quos postea disputaturi sumus, quum de puritate Fontium agemus. Alii paucula quædam menda irrepsisse in Scripturam censent, et nunc etiam extare, quæ nulla Msc. Codicum fide et collatione sanari possint, sed quæ Scriptoribus ipsis sacris non sint adscribenda, sed partim tempo-

Digitized by Google

rum injuriæ, partim Exscriptorum et Librariorum culpæ; Unde tamen Scripturæ αὐθεντία labefactari nequeat, quia occurrunt tantum in rebus minus necessariis, et levioribus; sic *Scaliger*, *Cappellus*, *Amama*, *Vossius*, et alii statuunt. Alii denique Scripturæ integritatem tuentur, et contradictiones quidem varias apparentes occurrere non diffitentur, sed non veras et reales; loca quædam esse δυσνόητα, sed non plane ἄλυτα et desperata; quæ communior est Orthodoxorum sententia, quam ut tutiorem et veriorem sequimur.

www.libtool.com.cn

Status Quæstionis.

IV. Non quæritur de *irregulari* vocum *scriptione* vel *punctatione*, vel de *variis lectionibus*, quas non raro occurrere fatentur omnes. Vel, An Apographa quæ habemus ita cum Autographis primis conveniant, ut in nullo plane apiculo, vel literula ab illis recedant: Sed, An ita ab iis discrepent, ut sensus genuinus corrumpatur, nec possint amplius Textus originales censeri fidei et morum regula.

V. Non quæritur de *particulari* quorundam Codicum *depravatione;* Vel de Erratis quæ Exscriptorum, vel Typothetarum negligentia in hujus vel illius editionis Codices irrepserunt; Nam nemo negat varias esse tales corruptelas; Sed, An dentur corruptelæ et *menda universalia* per omnes Codices tam manuscriptos quam impressos ita diffusa, ut nulla vel Codicum variorum, vel Scripturæ ipsius et locorum parallelorum collatione sanari et corrigi possint; An sint quædam veræ et reales, et non tantum apparentes contradictiones; Quod negamus.

Scripturam non esse corruptam probatur.

VI. Rationes sunt, 1. Quia Scriptura est θεόπνευστος, 2 Tim. iii. 16. Verbum Dei mentiri nescii, Psal. xix. 8, 9; Heb. vi. 18, quod excidere et solvi non potest, Matth. v. 18, quod manet in æternum, 1 Pet. i. 25, et quod est ipsa Veritas, Joan. xvii. 17. Quomodo enim talia de ipsa prædicarentur si esset contradictionibus obnoxia, et si Deus passus esset, vel Scriptores sacros errare et memoria labi, vel menda in eam irrepere insanabilia?

VII. 2. Quia nisi integritas illibata Scripturæ tribuatur, non poterit censeri unica fidei morumque regula, et lata porta aperietur Atheis, Libertinis, Enthusiastis, et aliis idgenus Profanis, ad ejus αὐθεντίαν convellandam et salutis fundamentum evertendum. Cum enim fidei non possit subesse falsum, quomodo authentica haberi poterit, et divina censeri Scriptura, quæ contradictionibus et corruptelis esset obnoxia? Nec dici hic debet corruptelas tantum esse in levioribus quæ fidei fundamentum non attingunt: Nam si semel Scripturæ αὐθεντία convellitur, quod fit vel ex unius loci corruptione insanabili, quomodo fidem nostram ulterius fundare poterit? Et si in levioribus corruptio admittitur, cur non in aliis gravioribus? Quis mihi fidem facere poterit, nullam labem vel mendum in loca fundamentalia irrepsisse: Vel quid responderi poterit Atheo vel hæretico subtili, qui hunc vel illum locum minus sibi faventem in mendo cubare pertinaciter asseret? Neque hic reponendum, Providentiam divinam voluisse a gravioribus corruptelis eam immunem præstare; non vero a levioribus. Nam, præterquam quod hoc gratis dicitur; non sine quadam ejus injuria asseritur; quasi defuerit in necessariis, quæ ad plenam Scripturæ αὐτεντίαν requirebantur: Nec facile credi potest, Deum, qui omnia et singula verba Viris θεοπνεύστοις dictavit et inspiravit, de omnibus etiam conservandis non curasse. Si homines verba sua solicite conservari curant quantum possunt, maxime si sint alicujus momenti, v. g. si sit Testamentum vel contractus, ne quid immutetur vel corrumpatur: Quanto magis Deus, Verbi sui, quod Testamenti et Tabularum publicarum fœderis sui nobiscum initi

Digitized by Google

loco esse voluit, curam gessisse censendus est, ne quid in eo corrumperetur; maxime cum similes corruptelas prævidere et impedire facile potuerit, ad confirmandam Ecclesiæ suæ fidem?

VIII. Quatuor præcipua Argumenta sunt Integritatis Scripturæ, et Puritatis fontium. 1. Primarium, *Dei Providentia*, qui ut prospicere voluit fidei nostræ, Scriptoribus Sacris inspirando quæ scriberent, et Scripturam conservando contra hostium molimina, qui nihil intentatum reliquerunt ut eam delerent; Ita eam puram et intemeratam tutari debuit adversus falsariorum corruptelas, ut fides nostra firmum semper haberet fulcrum quo niteretur. 2. *Judæorum religio*, qui ad superstitionem usque solliciti fuerunt semper de fideli sacrorum Codicum custodia. 3. *Masoretharum diligentia*, qui notis suis sepimentum veluti Legi apposuerunt, ne mutari ullatenus vel corrumpi posset. 4. *Exemplarium numerus* et *multitido*, per quam factum, ut si quidam Codices corrumpi potuerint, non tamen omnes.

Fontes Solutionum.

IX. Quæcunque in Scripturis reperitur ἀντιλογία, apparens est, non vera; nostri respectu tantum intelligenda, qui consensum ejus ubique cernere et capere non possumus, sed non in re ipsa. Et si legitimæ contradictionis leges observentur, ut opposita conveniant τῷ αὐτῷ, *eidem*, κατα τὸ αὐτὸ, *secundum idem*, πρὸς τὸ αὐτὸ, *ad idem*; et τῷ αὐτῷ χρόνῳ, *eodem tempore*; facile conciliari poterunt varia ἐναντιοφανῆ Scripturæ. Nam vel *de eodem* non est sermo, ut quum Jacobus adscribit justificationem operibus, quam Paulus detrahit ipsis: Ille enim de *justificatione effectus* declarativa a posteriori loquitur; Iste vero de *Justificatione causæ* a priori. Sic Luc. vi. 36, præcipitur misericordia, *Estote misericordes*, quæ vetatur, Deut. xix. 13, *Non miseraberis;* Illud de privatis, hoc vero de Magistratibus. Vel non *secundum idem* dicuntur, ut Matth. xxvi. 15, negatur præsentia Christi in mundo, *Me non semper habebitis*, et cap. 28, 20, eadem promittitur, *Ero vobiscum usque ad consummationem seculi;* Illud respectu naturæ humanæ, et præsentiæ corporalis; hoc vero respectu divinæ et præsentiæ spiritualis. Vel non *ad idem:* ut quum aliquid absolute, aliud vero comparate dicitur; *Honora patrem tuum*, et Luc. xiv. 26, *Si quis non oderit patrem suum:* Illud absolute; hoc comparate intelligendum, pro eo quod est minus diligere, et posthabere Christo. Vel non *eodem tempore;* unde illud, *Distingue tempora et conciliabis Scripturas:* sic modo extollitur Circumcisio, tanquam magnum Judæorum privilegium, Rom. iii. 2, modo deprimitur, ut res nihili, Gal. v. 3, sed illud de V. T. tempore quo fuit Sacramentum ordinarium et sigillum justitiæ fidei, hoc vero de tempore Evangelii post abrogatam Legem cæremonialem. Modo mittuntur Apostoli ad solos Judæos ante passionem Christi missione speciali, et prohibentur ire ad gentes, Matt. x. 5. *In viam gentium ne abieritis;* modo ad omnes gentes missione generali post resurrectionem, Marc. xvi. 15.

X. Licet integritatem absolutam tribuamus Scripturæ, non ideo tamen censemus Exscriptores vel Typothetas διορθώτους fuisse; sed tantum Dei Providentiam invigilasse sacrorum librorum exscriptioni, ut etsi potuerint irrepere varii errores, non irrepserint tamen, vel non ita in Codices irrepserint, quin ex collatione aliorum, vel Scripturæ ipsius inter se, sanari facile possint. Itaque fundamentum puritatis et integritatis fontium, non ponendum est in hominum ἀναμαρτησία, sed in Dei providentia, quæ, utcunque homines in sacris Literis describendis occupati varios errores admiscere potuerint, sedulo tamen semper cavit ut corrigerentur, vel corrigi facile possent vel ex Scripturæ ipsius collatione, vel ex probatioribus Codicibus.

Digitized by Google

Non ergo necesse fuit Scribas omnes infallibiles reddere, sed tantum eos ita dirigere, ut vera lectio semper reperiri queat, et liber hic supra quosvis alios puritate longe emineat.

XI. Quamvis non possemus statim invenire conciliationem planam et omnis difficultatis expertem inter loca Scripturæ, quæ vel de nominibus vel de notis numericis, et chronologicis agunt; non statim inter ἄλυτα reponenda sunt: vel si ἄλυτα dicuntur, talia erunt tantum τῇ ἀδυναμίᾳ τοῦ λύοντος, non reipsa, ut hic satius sit ignorantiam nostram agnoscere, quam contradictionem ullam admittere. Historiæ enim illæ non ita sigillatim conscriptæ sunt, ut omnes circumstantiæ notatæ fuerint; multa proculdubio in epitomen redacta sunt, aliis omissis, quæ non ita necessaria videbantur: fieri etiam potest, ut loca ista varias σχίσεις habeant, quæ Scriptoribus apprime cognitæ erant, licet jam nos lateant. Hinc *P. Martyr* in 2 Reg. viii. 17, optime; *Licet occurrant*, inquit, *obscura loca in chronologicis, ad ea concilianda non est eo concedendum ut dicamus Codicem sacrum mendosum. Nam Deus qui pro sua misericordia divinas Literas nobis conservatas voluit, eas etiam integras et non corruptas concessit. Quamobrem si quando quoad numerum annorum explicare non valeamus, fatenda est ignorantia qua laboramus, et attendendum sacras Literas tam concise loqui, ut non facile appareat unde supputatio incipienda sit: maneat itaque Scriptura incorrupta, quæ si labefactetur in uno vel altero loco, in aliis quoque suspecta erit.* Et ad 1. Reg. cap. 15. v. 1. *Fit non raro, ut in hac historia numeri annorum qui Regibus tribuuntur parum videantur inter sese consentire. Verum dubitationes istiusmodi possunt multiplici ratione discuti: fit enim quandoque ut unus idemque annus duobus tribuatur, quod a neutro impletus fuerit et perfectus. Aliquando filii cum parentibus regnarunt aliquot annos, et illi nunc parentum, nunc vero liberorum regno adscribuntur. Contingebant etiam aliquando interregna, et vacuum tempus modo priori, modo posteriori Regi attribuitur. Sunt etiam nonnunquam aliquot anni, quibus Principes tyrannice et impie regnarunt, ideoque prætereuntur, neque cæteris annis imperii eorum accensentur.*

De Cainan. XII. Locus, Luc. iii. 36, de *Cainane* juniore, qui inseritur inter Arphaxad et Sala, contra historiæ Mosaïcæ veritatem, Gen. xi. 13, revera est δυσνόητος, qui doctorum ingenia diversimode exercuit; non tamen censeri debet plane ἄλυτος, cum varii dari possint solutionis modi. Nos missis aliis sententiis, commodissimam putamus eam quæ statuit Cainan esse ὑποβολιμαῖον et spurium, qui ex versione LXX. in qua etiam ante Christi tempora extitisse Demetrii Chronologia apud *Eusebium* Evang. præpar. l. 9. testatur, irrepserit Exscriptorum incuria, vel pio quodam studio, ne committeretur Lucas cum LXX. Versione, quæ magnæ tum erat authoritatis. Hoc autem manifeste evincit 1. *Authoritas Mosis et Libri Paralipomenon*, qui in descriptionibus genealogicis, quas tribus in locis instituerunt, Gen. x. 24, et xi. 13, et 1 Paral. i. 18, ubi sane de eo loquendum fuit, nullam mentionem ejus faciunt. 2. *Paraphrases Chaldaicæ*, quæ constanter tam in Genesi quam in libro Paralipo. Cainanem omittunt. 3. *Josephus* illum non agnoscit, nec *Berosus* ab ipso productus, nec *Africanus* cujus verba citat Eusebius in Chronico. 4. Sic conturbatur Chronologia sacra, et in dubium vocatur in historia Mosis, si inferuntur anni Cainanis inter Arphaxad et Sala; et Abrahamus non erit decimus a Noacho, ut apud Mosem asseritur, sed undecimus. 5. Non extat in omnibus Codicibus. *Beza* noster testatur non extare in MS. antiquissimo suo, et *Usserius* dissert. de Cainane pag. 196, asserit sibi visum librum Lucæ Græco-Lat. in antiquissimis membranis, literis majusculis sine spiritibus et accen-

Digitized by Google

tibus descriptum, qui ex Græcia in Galliam translatus olim in Monasterio S. Irenæi in suburbio Lugdunensi repositus, et anno 1562 repertus, in Angliam postea delatus sit, et Cantabrigiensi Academiæ donatus, ubi Cainam non comparet. *Scaliger* in Prologo. in Chroni. Eusebii, in antiquissimis exemplaribus secundum Lucam Cainan desiderari affirmat. Quicquid sit, licet in mendo cubare dicatur locus apud Lucam, non potest propterea in dubium vocari ejus αὐθεντία 1. quia corruptio non est universalis; 2. parum in eo errore situm est, eique corrigendo facile remedium suppetit ex Mose, ut nihil opus fuerit Doctiss. Is. Vossium ideo puritatem Hebræi codicis solicitare, ut αὐθεντίαν Versioni LXX. conciliaret.

Matth. i. Luc. iii.

XIII. Si varietas magna occurrit in *Genealogia Christi*, quæ texitur a Matthæo et Luca, tum quoad personas, tum quoad numerum ipsarum, mirum videri non debet; quia non est eadem, sed diversa. Matthæus enim genealogiam instituit Josephi, cujus genus a Davide per Salomonem deducit, Lucas vero Mariæ genus per Nathanem alterum Davidis filium ad eundem Davidem refert. Matthæus genus Sponsæ in genere Sponsi more Hebræo quærendum relinquit; Lucas vero voluit supplere quod prætermissum erat, describendo stemma Mariæ, ut scilicet plena et perfecta extaret genealogia Christi ab utroque parente, ne vel scrupulis infirmorum, vel cavillis hostium Evangelii locus esset, et illi confirmarentur, isti convincerentur, Christum juxta vaticinia Prophetica verum et naturalem fuisse Davidis filium; sive Josephi Sponsi, in cujus familiam transierat per conjugium Mariæ, sive ipsius Mariæ haberetur ratio. Maxime cum certum sit virgines ἐπικλήρους, quæ dotem habebant in hæreditatibus familiarum, qualis fuit B. Virgo, extra tribum et familiam nubere non debuisse. Genealogia autem ideo refertur ad Josephum, non ad Mariam apud Lucam, quia mos non erat per mulieres genealogiam texere, nam censebantur vel in parentibus aut fratribus si innuptæ, vel in maritis si desponsæ; hinc Judæorum axioma משפחת אם אינה משפחת, *Matris familia non familia.*

XIV. Licet *Jacobus* vocetur pater Josephi apud Matthæum, *Heli* vero apud Lucam, nulla tamen est contradictio, quia hoc κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο intelligendum. Primo nihil est absurdi unum filium duos habere patres in diverso genere, ut alter pater sit *naturalis* qui ex se filium genuit, alter *legalis* qui ab alio genitum secundum legem sibi in omnia jura adoptat: quomodo Manasse et Ephraïm solius Josephi fuerunt filii naturales, sed Jacobi legales per adoptionem; Davidis Avus Obed naturalem patrem unum habuit Boas, sed legalem etiam Machlon maritum priorem suæ matris Ruth, cui maritus posterior Boas secundum legem suscitavit semen: Sic Jacobus fuit pater naturalis Josephi; Heli vero qui pater naturalis fuit Mariæ, potest dici pater Josephi vel *legalis*, ut voluit Africanus, quia mortuo Heli sine liberis, Jacobus duxit ejus uxorem ex Lege, Deut. xxv. 5, et ex ea Josephum Mariæ maritum procreavit: Vel *civilis*, ratione matrimonii cum Maria filia contracti, quo factus est ejus gener, quo modo Noëmi vocat nurus suas *filias suas*, Ruth. i. 11, 12, qui mos loquendi receptus est apud omnes. Vel dici potest Josephum non vocari filium Heli sed Christum, ut ista verba parenthesi sint includenda ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, non vero parenthesis ut vulgo fieri solet, post verbum ἐνομίζετο finiatur, hoc sensu, ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλὶ, *existens* scilicet Jesus (ut *existimabatur filius Joseph*) *Heli* scilicet filius, id est, nepos in Virgine Maria filia: Nec insolens est iste transitus ab avis ad nepotes, præsertim ubi patres extincti, eoque magis in hoc exemplo, quia Christus fuit ἀπάτωρ secundum naturam humanam.

XV. Si quæritur, Cur Matth. i. 8, Joram dicatur genuisse Oziam, cum

Digitized by Google

constet ex 2 Reg. viii. 24, et 1 Chro. iii. 11, 12, Joramum genuisse Achaziam, Achaziam Joasum, Joasum Amaziam, et sic tres omittuntur Reges, et saltus fit a Joramo abavo ad Oziam abnepotem; Responderi potest non insolitum esse in Scriptura ut seri nepotes atavorum et ab ultima antiquitate majorum, dicantur filii et filiæ; ut Judæi vocant se Abrahami filios Johan. viii. 39, Elizabetha dicitur esse ex filiabus Aaron, Luc. i. 5, Christus filius Davidis dicitur, Matth. xxii. Ita Joram dicitur genuisse Oziam generatione mediata, ob quam nepotes et abnepotes a majoribus descendentes filii dicuntur. Cur vero tres isti Reges omissi sint præ cæteris non usque adeo est obvium, nec rationes quæ afferri solent a variis assensum possunt impetrare; Commodius est quod dicitur, hoc factum esse rotundandi numeri causa, quia voluit Matthæus omnes illas generationes in tessaradecadas referre, opportuno ad memoriam juvandam compendio; quod ut consequeretur parvi duxit personas quasdam minus nobiles transilire, quod et alii historici facere non raro solent, ubi rem in summam conferunt. Peculiariter vero isti tres possunt dici omissi, ut posteritas Achabi usque ad tertiam aut quartam generationem hoc etiam maledictionis charactere notaretur, 1. Reg. xxi. 22, tres hosce Reges qui erant e posteritate Achabi prorsus eradendo, et quasi capite minuendo, ut haberentur quasi nunquam vixissent aut regnassent. Non excluditur autem Joram, quia ex maledicto Achabi sanguine non erat oriundus, nec abnepos Ozias licet ab Achabo descenderit, quia ultra tertiam aut quartam generationem maledictio divina non solet procedere.

XVI. Si quæritur, quomodo Matth. i. 11, Josias dicitur *genuisse Jechoniam* cum ex libris Regum, 2 Reg. xxiv. 6, et 1 Paralip. iii. 15, 16, constet Josiam habuisse quatuor filios ἐπιφανίμους, Joanan, qui et Joachaz, Joiakim, qui et Eliakim, Sedekiam, qui et Mattanias, et tandem Sallum? Jechoniam vero fuisse filium Joiakim: R. varie responderi potest, vel Textum a Librariis corruptum esse et supplendum esse inter Josiam et Jechoniam Ιαχείμ, Joakimum filium Josiæ et patrem Jechoniæ, quod firmatur authoritate vetusti Codicis quo usus est R. Stephanus et Henricus filius, quem Stapulensis et Bucerus laudant, atque ita restituendus sit verius Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιαχείμ. Ιαχείμ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν. Vel Josiam dici patrem Jechoniæ mediate quia fuit ejus avus, omissum vero fuisse Joakimum, quia ut non erat dignus luctu et sepultura Regum Juda, Jer. xxii. 18, ita nec dignus erat qui genealogiæ Christi insereretur. Vel Jechonias duos fuisse et commemorari v. 11 et 12, primum *Joakimum* Josiæ filium, qui et *Eliakim* vocatur, et *Jechonias;* Nec id mirum videri debere cum non pauci Reges Judæorum binomines, vel etiam trinomines fuerint, ut Zedekias dictus et Mattania, Ozias dictus Azarias; alterum vero Jechoniam proprie 1 Chron. iii. 16, qui et Joiachim, nepotem Josiæ de quo v. 12, qui recte a priore distinguatur, tum mentione fratrum, quibus hic postremus caruit, Jerem. xxii. 18, 19, tum commemoratione geniti a Jechonia Salathielis μετὰ μετοικεσίαν v. 12.

XVII. Quamvis *Salathiel* dicatur genuisse Zorobabelem, Matth. i. 12, et 1 Chron. iii. 17, 18, dicatur *filius Pedajæ*, nulla tamen est contradictio: Quia Salathiele extincto sine liberis, Pedaja frater potuit illi suscitare semen, et ex uxore ejus jure Leviratus Zorobabelem habere, unde vocatur filius Pedajæ, 1 Chron. iii., quia ab eo vere genitus est, et Salathielis, Matt. i. 12; Agg. i. 1, quia illi suscitatus fuerat a fratre; Vel quia Zorobabel successor fuit Salathielis, mortuo scilicet Pedaja ante Salathielem patrem, ut filius fuerit immediatus Pedajæ, Salathielis vero avi sui tantum mediatus.

Digitized by Google

XVIII. Non est contradictio inter 1 Chro. iii. 19, et Mat. i. 13, et Luc. iii. 27, quum filii Zorobabelis dicuntur esse in lib. Chro. *Meschullam* et *Hanania*, apud Matthæum vero *Abiud*, apud Lucam *Resa;* quia hoc facile conciliatur, si tres lineas Zorobabelis diversas describi dicamus, unam in lib. Chroni. filii ejus natu maximi *Mesullam* et aliorum quorum progenies fuit præclara, et ex quibus gubernatores et duces aliquot seculis Judæorum Genti Babylone reduci præpositi sunt; secundam apud Matth. *Abiud*, ex quo Josephus; tertiam apud Lucam *Resæ*, ex quo Maria, qui fuerunt homines privati, quorum vita inter populum obscura, propterea in Chronicis videtur omissa. Vel cum aliis dicendum diversos fuisse Zorobabeles et Salathieles, ideo non mirum videri debere si diversi sint eorum posteri.

XIX. Quum Josias dicitur genuisse Jechoniam ἐπὶ τῆς μετοικεσίας, verba ista non sunt vertenda præcise *in transportatione*, cum constet ex promissione divina peculiari non vidisse malum illud et aliquot annis ante captivitatem fuisse mortuum, 2 Chron. xxxiv. 28, et xxxv. 24, sed *ad* vel *circa* eam, cum scilicet illa deportatio immineret; ita ut ἐπὶ coincidat cum ἕως usque ad deportationem, ut μετὰ cum ἀπὸ v. 17. Sic ἐπὶ notabit tempus quo res gesta fuit, non tamen stricte sumptum, sed cum latitudine, ut Marc. ii. 26; Luc. iii. 2, ut sit idem quod ב Hebræis, quod sæpe valet *circa* vel *prope*, Genes. ii. 2; Exod. xii. 15, et vertendum est *sub* vel *circa*, q. d. instante transportatione. Vel vox ἐπὶ non est referenda ad verbum remotius *genuit*, sed ad proximum *fratres ejus* ἐπὶ μετοικεσίας pro ἐν μετοικεσίας per enallagen præpositionis quæ frequentissima est, pro τοῖς ἐν μετοικεσίας, qui fuerunt ex deportatione, id est, *inter eos qui Babylonem sunt abducti.*

XX. Licet Jechonias dicatur genuisse Salathielem, Matt. i. 12, et Luc. iii. 37, *Salathiel* dicatur *filius Neri*, nulla est contradictio; Quia diversi fuerunt Salathieles, unus filius Jechoniæ, de quo Matthæus, alter Neri, de quo Lucas; Ille ex linea Salomonis, Iste ex linea Nathanis; Et cum alii longe fuerint majores Salathielis usque ad Davidem apud Lucam, quam Salathielis apud Matthæum, probabile est de diversis personis sermonem esse. Nec obstat quod Salathiel tam apud Matthæum, quam apud Lucam dicatur pater Zorobabel, quia pariter duo potuerunt esse Zorobabeles, ut similis est duorum aut plurium eodem ordine succedentium concursus, Luc. iii. 34, Mattati et Levi, et v. 29, et 1 Chro. vi. 7, 8, idemque de quatuor eorum nepotibus repetitur, v. 12.

XXI. Locus Ps. xxii. 17 de כארי non est ὄρυξαν. Nam licet retineatur lectio vulgata non propterea corruptio ibi esset statuenda, sed tantum Scriptionis anomalia, ubi א additum esset per epenthesim, ut non raro alibi, Zach. xiv. 10, ראמה pro רמה, *exaltabitur*, et ו in י mutatum esset, ut literæ istæ inter se facile permutantur, Esd. x. v. ult. נשאו pro נשאי, *acceperunt.* Et *Marinus in Arca Noæ*, literam illam non Jod sed Vau diminutum vocat, et ideo positam existimat, ut innuat clare clavorum Christi stigmata; Unde in Codicibus regiis cum Iod punctato scribitur, quasi esset Jod schurec כארי, loco Vau schurec, ut Jerem. l. 11; 2. confirmatur ex eo, quod Masora parva notat ad hunc locum, bis tantum כארי occurrere in Scriptura cum Cametz sub כ et quidem in diversa significatione. At Isa. xxxviii. 13, ubi semel occurrit, non potest aliter exponi, quam *sicut Leo;* Ergo hic alio sensu ista vox venit exponenda, qui alius esse non potest ex ἀλληλουχίᾳ verborum, quam qui vulgo ponitur, nimir. *foderunt.* 3. In Masora magna finali proponitur alphabetum constans ex binis vocibus quæ scriptione conveniunt, significatione vero differunt, inter quas recensetur ista quæ, Isa. xxxviii., et hic occurrit; unde alia signifi-

Digitized by Google

catio apud Psaltem debet obtinere, quam apud Isaiam. 4. Versiones antiquissimæ ita exponunt, LXX. ὤρυξαν, sic Arabica, Syriaca, Æthiopica. 5. Psalmi scopus, qui est agere de consilio hostium Christi circa ejus crucifixionem; quod patet ex vestium divisione, et tunicæ sortitione et sim. Quis vero credat id quod præcipuum erat, et cæterorum caput, silentio fuisse prætermissum? 6. Series verborum hoc postulat; nam si legamus sicut Leo, hiulca erit oratio, et nullus ejus sensus; *manus et pedes meos sicut Leo;* oportet ergo ut sit aliquod verbum periodum claudens, quod non potest aliud esse quam כרו, *foderunt*, quo respicit aliud Oraculum Zacha. xii. 10, *videbunt quem transfixerunt.* 7. Quamvis daremus locum fuisse corruptum a Judæis, non sequeretur corruptionem esse universalem, quia Masorethæ testantur se in Codicibus probatioribus scriptum invenisse כארי, Masora marginalis ad Num. xxiv. 9. Et *Jacob Ben-Haiim* collector operis Masorethici Veneti in quibusdam exemplaribus correctis invenit scriptum, scilicet in textu, כארי, lectum vero, id. in margine notatum כאריו, *Joh. Isaacus* ex Judæo Christianus factus contra Lindanum testatur in Psalterio avi sui se idem reperisse, quod confirmat *Capito.* Instit. Hebr. li. i. cap. 10. Nec diffiteri possunt Pontificii, cum Biblia Complutensia ita legant, et Genebrardus variis testimoniis Judæorum probet ita lectum fuisse.

XXII. 2 Sam. xxiv. 24, David dicitur emisse ab Arauna aream et boves siclis quinquaginta argenti. At 1 Paralip. xxi. 25, siclorum auri sexcentorum fit mentio: Conciliatio facilis est ex materia emptionis; dedit 50 siclos pro ea parte areæ in qua altare primo ædificavit; sed postquam ex igne cœlitus delapso cognovit locum esse quem Deus ad ædificandam domum selegerat; jam exigua illa area non contentus, universum agrum et montem emit 600 siclis.

XXIII. Ibidem, vers. 13, proponuntur a Gade Davidi septem anni famis in pœnam a Deo infligendam: At 1 Paralip. xxi. 12, fit tantum mentio trium. Sed ista facili negotio conciliantur, si dicamus, vel Gadem primo proposuisse septennium, quod postea cohorrescente Davide, ad preces Gadis sive Davidis ad tres annos reductum fuerit, ut Gen. xviii, numerus 50 justorum redigitur ad decem; Vel in numero septenario, de quo agit liber Samuelis, includi tres annos famis, qui jam præterierant, quæ imposita fuit propter Gibeonitas, de qua, 2 Sam. xxi. 1, cum anno labente; sed in lib. Chroni. mentionem tantum fieri trium annorum, qui venturi erant: sic sentiunt *Kimchi*, *Martyr*, *Junius.*

XXIV. 2 Reg. xxiv. 8, Joachim dicitur regnum adiisse quum annos 18 natus esset. At 2 Chro. xxxvi. 9, dicitur natus tantum octo. Nimirum anno octavo regnare cœpit cum Patre, prout ferebat sæpe Regum eo tempore consuetudo, ut patres filios sibi in regni societatem assumerent, ut jam designaretur et agnosceretur legitimus regni hæres; At anno demum 18, defuncto parente regnare cœpit. Sic *Wolphius*, *Sanctius*, et alii post Kimchium conciliant. *Abarbenel* vult *decem dies*, qui adduntur in lib. Chron. sumi pro *decem annis*, ut non raro alibi, quod eo verisimilius putat, quia alias non commemorari solent dies quibus Reges regnant, sed tantum anni vel menses.

XXV. Licet varii nodum insolubilem esse putent inter 2 Chron. xxii. 2, et 2 Reg. viii. 26, ubi Joram pater Achaziæ dicitur cœpisse regnare anno tricesimo secundo ætatis, 2 Chron. xxi. 5, et regnasse octo annis, ut sit mortuus anno 40 ætatis v. 20. Achazias vero dicitur, c. 22, cœpisse regnare an. 42, atque ita filius duobus annis antiquior patre videretur. Rursus in libro Regum dicitur cœpisse regnare an. 22, non 42. Non

Digitized by Google

omnium tamen ea est sententia; nec desunt varii conciliationis modi, qui nodum commode solvunt. Quidam, ut *Junius* et *Tremellius* secuti R. Levi ben Gerson, volunt in libro Regum enarrari verum ætatis Achaziæ annum, quo cœpit regnare, et durationem ipsius vitæ: in li. Chron. vero non durationem ipsius vitæ, sed maternæ familiæ Omri, ex quo regnare cœpit usque ad ejus finem, qui hoc ipso anno clarissimo Dei judicio contigit; ob cujus insignis miraculi memoriam calculus hic Achaziæ tributus est, qui eodem anno, cum cætera Achabi et Omri familia gladio Jehu sublatus est: Nam Omri regnavit 6 annis in Israël, 1 Reg. xvi. 23. Achab filius ejus 22, annis, 1 Reg. xvi. 19. Achazia Achabi filius 2 annis, Joram hujus filius 12 annis, qui simul collecti faciunt numerum 42. Jorami autem regis Israël anno 12, regnare cœpit hic Achazia Rex Judæ, 2 Reg. viii. 25. Qui in ea sunt sententia volunt trajectionem esse in verbis v. 1, ut sic invertantur, *Cujus matri nomen Athalia nata Omri* (id. neptis, puta filia Achabi Omri filii) *agentis quadragesimum secundum annum quum Achazia regnaret.* Quia vero coactior et obscurior videtur trajectio, satius esse putant alii, ut an. 42 notatio, non ad Omri, sed ad ipsam Athaliam referatur, et sic legatur; *Cujus matri nomen Athalia nata Omri agens 42 annum;* quia nihil erit quod vel Achaziam vel regni Judaïci statum propius attingeret, quam ortus Athaliæ fœminæ, non ad mariti solum et filii, sed etiam ad totius Reip. et regii imprimis seminis, perniciem natæ. Alii quibus durior etiam videtur hæc conciliatio, aliam addunt, nim. ut Joram pater Achaziæ præter annos regni et vitæ commemoratos in Scriptura, vixerit adhuc et regnarit viginti annos, dicatur vero regnasse tantum 8, annis בגבורתו *in fortitudine sua*, id. bene et feliciter; sed ab eo tempore quo incidit in manus Arabum, et morbo gravi correptus fuit, de quo agitur c. xxi. 16, 17, 19, 2 Chroni., per plures annos adhuc vixerit, sed qui non accensentur ipsius regno, sed Achaziæ filii in lib. Regum, quia inglorius vixit, unde nullum sui desiderium reliquisse dicitur, nec sepulchris Regum fuit illatus, 2 Paral. xxi. v. ult. Achazias vero qui cœpit regnare cum Patre anno 22, post mortem anno 42 solus regnum adiit, et per unum annum tantum regnavit, quod notatur in lib. Parali. xxii. 2. Sic conciliant post *Kimchium*, *Martyr*, *Vatablus*, *Lyranus*, et alii, quæ fuit sententia *Hieronymi* in lib. Paralip. Alii fatentur mendum esse in lib. Paralipo. non a Scriptoribus sacris profectum, sed ab Excriptoribus, quod facile irrepere potuit eorum incuria, in *βεμχνγεαφίᾳ*, quæ in recensione numerorum sæpe obtinebat, ut בב, quod 42 notat, positum sit pro כב, quod 22 designat. Sed negant inde sequi locum esse ἄλυτον, quia facile solvi potest nodus, et restitui vera lectio ex collatione libri Regum, qui numerum veritati historiæ, et annorum Jorami et Achaziæ respondentem refert. Et constat varias versiones in lib. Paralipo. numerum 22 retinere, ut Syriacam, Arabicam, et varios Codices græcos mss. ut Oxoniensem, Cantabrigiensem, et Romanum.

XXVI. Exo. xii. 40, habitatio filiorum Israël dicitur futura in Ægypto quadringentorum et triginta annorum; Et tamen Gen. xv. 13, dicitur semen Abrahæ quadringentis annis vexandum ab alienigenis, quod confirmatur, Act. vii. 6. Responsio facilis est: Gen. xv. numerum rotundum pro obliquo poni, ut sæpe fieri solet tam apud Sacros quam profanos Scriptores; licet ergo ab eo tempore, quo oraculum hoc datum Abrahæ, a quo inchoandus est iste numerus, revera effluere debuerint 430 anni; numerantur tantum 400, ad rotundationem numeri, nec ratio habetur 30 annorum. Quod si dicuntur Israëlitæ habitaturi in Ægypto 430, Exo. xii. non ideo fit, quod per tot annos manere debuerint in Ægypto, cum

Digitized by Google

constet eorum moram fuisse tantum 210 annorum, sed refertur ad Ægyptum afflictio Israëlitarum, quia fuit principium ejus ex Gen. xii. 10, et finis; vel quia diuturnior, durior et posterior fuit nobilitata imperio Josephi, Hebræorum multiplicatione et eorum oppressione gravissima, et stupenda liberatione.

XXVII. 1 Reg. ix. v. ultim. Servi Salomonis dicuntur attulisse ex Ophir auri talenta 420. At 2 Chro. viii. v. ult. recensentur 450. Sed facile ista conciliantur si dicamus, vel non de eodem, sed de diversis profectionibus sermonem esse, eo quod Salomon singulis tribus annis naves illuc mitteret ex 1 Reg. x. 22, vel quia triginta talenta non ad Regem fuerunt perlata, sed in usum Classis consumpta.

XXVIII. Matth. xxvii. 9. Jeremiæ tribuitur Oraculum quod citatur de 30 Siclis argenteis, et de agro ex illis empto, quod certum est apud Zach. extare c. xi. 12, unde videtur colligi mendum universale et σφάλμα μνημονικὸν in Matthæo. Sed varie solvi potest nodus. Quidam volunt nomen Ιερεμίου irrepsisse in textum ab exscriptore, compendio Scripturæ non intellecto, cum adscriptum esset per abbreviationem ζοῦ pro ζαχαρίου. Sed errorem esse exigui momenti, puta in nomine proprio, et correctionem facilem esse ex collatione V. et N. T. Alii, quod verisimilius est, statuunt dari hic σύγχυσιν duorum locorum propheticorum, ex quibus coaluit hoc testimonium, scilic. ex Jerem. xxxii. et Zach. xi. Quibus varia exempla similia occurunt, ut Mat. xxi. 8, ex Isa. lxii. 11, et Zach. ix. 9; et Matth. xxi. 14, ex Isa. lvi. 7, et Jerem. vii. 11; Act. i. 20, ex Ps. lxix. 26, et cix. 8; 1 Pet. ii. 7, ex Ps. cxviii. 22, et Is. viii. 14. Nec inusitatum est, quum verba aut testimonia duorum sunt, ut altero omisso, alterius tantum nomine exprimantur, ut Marc. i. 2, 3, ubi prior testimonii pars Malachiæ est, posterior Isaiæ, et tamen omisso Malachia unus nominatur Isaias. Hoc autem eo magis fieri potest, quando alter qui citatur, vel antiquior est altero, et ex quo postremus multa hauserit, ut hic obtinet: nam et Jeremias prior est Zacharia, et multa solet ab eo mutuari Zacharias, et quasi imitari ejus conciones, ut facile ostendi potest ex Zach. i. 14, quod petitur ex Jerem. xviii. 11, et xxxv. 15; et Zach. iii. 8, ex Jerem. xxiii. 5, et sim. unde dicere solent Judæi, *Spiritum Jeremiæ fuisse in Zacharia.* Quibus addi potest quod ex traditione Rabbinorum in Talmude Babyl. Bava bathra fol. 14, quam citat R. D. K. in præfat. in Jerem., volumine Prophetarum Jeremias primum locum obtinuerit, unde primus nominatur, Mat. xvi. 14. Potuit ergo Matthæus verba ista in volumine Prophetarum citans, sub illius nomine tantum referre, quia primum locum ibi tenuit; ut Lucæ xxiv. 44, Liber Hagiographorum exprimitur nomine Psalmorum, quia primus est inter eos. Denique Jeremias hic potuit a Matthæo solus nominari, quia rationem reddere voluit non tam 30 siclorum, seu pretii quo Christus emptus est, de quo Zacharias, quam agri de pretio empti, de quo Jeremias. Quod ergo hic de pretio dicitur, ex Zacharia, quod vero de agro, ex Jeremia petitur.

XXIX. Gravis quidem et intricatus nodus oritur ex locis, Gen. xi. 26, et Act. vii. 4, inter se collatis, in cujus enodatione ipse *Josephus Scaliger* ἰπίχυ, nec quicquam respondere conatur, animadv. in Euseb. p. 17, et *Hiero.* in qu. Hebr. et *Aug.* in 15, de C. D. c. 16, profitentur esse dubium insolubile. Verum non desunt tamen commodæ conciliandi rationes, quæ modestis ingeniis satisfacere possint. Nodus in eo est quod Moses, Genes. xi. 26, velit Abrahamum natum anno Tharæ septuagesimo, et Stephanus, Act. vii. 4, diserte asserat Abrahamum translatum Charrane in Canaan postquam mortuus est Thare. At certum ex Gen. xii. 4, Abrahamum

Digitized by Google

profectum fuisse Charrane ætatis anno septuagesimo quinto, et patrem Thare vixisse ad 205, ex Gen. xi. 32. Jam si constat Abrahamum natum anno 70 Tharæ, et profectum Charrane anno ætatis suæ 75, non profectus erit post mortem Patris, ut ait Stephanus, sed 60 annis ante, id. 145 anno ætatis Tharæ. Sunt qui volunt Stephanum memoria lapsum hic fuisse in temporis computatione, nec propterea historiam Lucæ minus esse αὐτόπιστον, quia sat illi fuit referre fideliter quæ a Stephano dicta fuerant, nec de corrigendo ejus errore fuit sollicitus. Sed cum certum sit Stephanum Spiritu plenum fuisse, etiam θεόπνευστον, non potest erroris argui, quin Verbi αὐτοπιστία nutet. Alii statuunt Abrahami nativitatem non præcise assignandam esse anno 70 ætatis Tharæ, sed tantum anno 130, nec contrarium posse inferri ex eo quod, Gen. xi. 26, dicitur *Thara anno* 70 *genuisse Abraham, Nachor et Haran*, quia licet primus ponatur, non hoc fiat tamen *ætatis* sed *dignitatis* privilegio, ut Gen. v. 32, *Noachus* dicitur *genuisse anno* 500 *Sem, Cham et Japhet*, id. generare cœpisse tres suos filios, quorum dignissimus fuit Sem, licet anno uno aut duobus post Japhetum majorem genitus: Ita Tharam anno 70, generare cœpisse tres suos filios, quorum Abraham dignissimus fuit, ideoque primo loco positus, non tamen primogenitus: Juxta hanc sententiam Abram natus anno 130 ætatis Tharæ, vixit cum ipso partim in Chaldæa, partim in Charan 75 annos, usque ad obitum ejus, post quem Dei mandato quod in Chaldæa acceperat obtemperaturus ex Charan in Cananæam cum suis emigravit. Verum alii quibus durum videtur differre generationem Abrami ad an. 130 Tharæ, quia de eo nihil habet Scriptura, et sic tota Abrami genealogia incerta redditur, quam tamen supra cæteras omnes Moses recensere instituit, aliter solvunt nodum, duas statuentes vocationes Abrami, primam ex Ur Chaldæorum Caranem, vivente adhuc patre et agente annum 145, ipso vero Abramo 75 an. nato, de qua Moses loquatur, Gen. xi. 3, et xii. 1. Alteram vero post mortem patris Carrane in Canaan, quæ videtur insinuari, Gen. xii. 4, 5. Stephanus certe hoc non obscure indicat, Act. vii. 4, quum ait *Abramum a Deo vocatum exivisse ex terra Chaldæorum et habitasse in Caran*, et postea *post mortem patris Deum transtulisse ipsum in terram Canaan*, ubi bis Deus dicitur eum evocasse, primo ex Ur Chaldæorum in Caran, postea ex Caran in Canaan; quæ commoda et facilis videtur conciliationis ratio. Denique sunt qui mendum volunt esse in recensione annorum vitæ Tharæ, quæ non protendenda sit usque ad an. 205, sed tantum ad an. 145, ut habet Pentateuchus Samaritanus quod *Euseb. in Chroni. Canon græc.* li. 1, p. 10, annotavit κατὰ τὸ Σαμαρικὸν Ἑβραικὸν, Θαῤῥὰ γενόμενος ἐτῶν ο γεννᾷ τὸν Αβραὰμ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη οε μίχρις οε ἐτους Αβραὰμ, *Thara natus annos* 70, *genuit Abrahamum, et vixit annos* 75, *usque ad* 75 *annum Abrahami.* Errorem autem vulgarem conjiciunt ex eo facile oriri potuisse, quod computando per literas, litera ה quæ valet 40, mutata sit in ק quæ notat centum, unde discrimen sexaginta annorum ortum sit. Verum cum communis sit Judæorum et Christianorum sententia, solum Pentateuchum Hebraïcum, non vero Samaritanum esse authenticum, non facile quis dixerit illum ex isto corrigendum esse.

XXX. Si quæratur quomodo locus, Gen. xlvi. 27, ubi *septuaginta* Israëlitæ in Ægyptum descendisse dicuntur, cum Act. vii. 14, ubi *septuaginta quinque* numerantur, conciliari possit, diversimode respondetur; 1. Quidam nullam esse discrepantiam volunt, quia loca non sint parallela; Mosem scilicet instituere genealogiam Jacobi, sive catalogum solorum posterorum, qui ex ejus femore egressi erant, et ingressi in Ægyptum cum eo, exceptis uxoribus filiorum; et sic dicuntur fuisse 66, v. 26, qui nu-

Digitized by Google

merus ut inveniatur, excludendi sunt ab eo Josephus et duo filii; qui non ingressi sunt cum ipso in Ægyptum, quia jam ibi erant, et Er et Onam qui mortui sunt in Canaan, et addenda Dina filia, nam integer numerus filiorum et nepotum Jacobi ascendit ad 71, e quo si demas quinque, restabunt 66; At v. 27, Mosem texere Catalogum totius familiæ, tam eorum qui ingressi sunt cum ipso in Ægyptum, quam eorum qui ibi jam erant, id est, Josephi cum duobus filiis, quibus si addas Jacobum familiæ ipsius caput, habebis numerum 70; Stephanum vero docere voluisse, quosnam Josephus in Ægyptum advocaverit, propterea Josephum cum duobus filiis ejus excludere, et duos Judæ nepotes Hezron et Hamul, de quibus v. 12, qui nati sunt tantum in Ægypto, Jacobum vero seorsim connumerare, a συγγενία sua eum distingendo; Ita restare 11 fratres filios Jacobi, cum Dina sorore, 52 nepotes, quibus si addantur 11, uxores filiorum quæ ad την συγγένειαν pertinebant, haberi numerum 75 animarum. Alii volunt locum esse depravatum, nec Stephanum dixisse, vel Lucam scripsisse πάντα, sed πάντες, quam particulam expressit quoque Moses, Genes. xlvi. 27, *omnis anima*, &c., et locum sic vertendum esse, *qui omnes* id. simul conjuncti *erant animæ*, id. capita *septuaginta*, vel πάντως *omnino;* Librariorum autem incuria facile fieri potuisse, ut ex πάντες vel πάντως πάντα prodiret, tum apud LXX. tum apud Lucam; nec tamen propterea authentiam Scripturæ labefactari, cum ex aliorum locorum collatione, et analogia fidei facile emendari possit, et salva nihilominus tum doctrinæ, tum historiæ fides permaneat. Alii Stephanum hic non secutum fuisse textum Hebræum, sed Versionem LXX. quæ numerum 75 habet, veluti vulgatiorem et ubique receptam, et quod non existimaret numeri rationem ad id de quo agebatur pertinere; hunc autem numerum LXX. colligunt additis quinque filiis Josephi ex lib. 1 Chron. cap. vii. quos Moses non memorat, quique post ingressum in Ægyptum nati sunt, videlicet *Machir*, *Gilead*, *Stuthelah*, *Toben*, *et Eden*. Sive autem Stephanus secutus sit hic LXX. sive error in LXX et in Lucam irrepserit Exscriptorum incuria; certum est errorem non esse insanabilem, cum ex textu Hebræo proclive sit illum corrigere; Scripturæ enim per Scripturas exponi debent.

XXXI. Act. vii. 16. Stephanus ita loquitur de Patriarchis, *Translati sunt in Sichem, et positi in monumento quod emit Abraham pretio argenti a filiis Emmor* τοῦ Συχὲμ. At ex Genes. xxiii. 9, constat Abrahamum emisse sepulchrum ab Ephron juxta urbem Hebron, et ex Genes. xxxiii. 19, et Jos. xxiv. v. 32, certum est non Abrahamum, sed Jacobum a filiis Emmor agrum emisse, non pretio argenti, sed centum agnis. Unde nodus videtur oriri insolubilis. Non incommode tamen solvi potest, si dicamus Stephanum non respicere ad emptionem Abrahami de qua agitur Gen. xxiii. 9, sed ad illam Jacobi de qua Genes. xxxiii. 19. *Deinde venit Jacob incolumis ad Civitatem Sichem, emitque portionem illius agri a filiis Emmor Patris Sichemi centum agnis*, ubi sepultus dicitur Josephus. Josu. xxiv. v. 32. Nec obtsat 1, quod dicitur a Stephano Abraham emisse agrum, non Jacobus; quia vel Abraham hic potest esse genitivus ut legatur ὁ τοῦ Αβραὰμ sub. υἱὸς; vel quod satius est, Abraham patronymice sumitur pro Abrahamide, id est, pro Jacobo Abrahæ nepote, ut sæpe patrum nomina solent poni ad designandos posteros; ubi etiam de singularibus personis agitur, ut David pro Roboamo nepote ponitur, 1 Reg. 12, 16, *quæ nobis portio est cum Davide?* &c., et Roboam pro Abia, 1 Reg. 14, 15. David pro Christo, Jer. xxx. 9; Ezec. xxxiv. 23; ut apud Virgilium Æneas *Dardanus* pro Dardanide, Ænei. 4, dicitur; vel cum Beza dicendum nomen *Abraham* esse glossema, quod a sciolo in margine adscriptum, tan-

Digitized by Google

dem in textum irrepserit. Ita non Abraham sed Jacob dicitur emisse hunc agrum. Nec 2, quod Patres dicuntur translati in Sichem, cum Josephus legatur tantum ibi sepultus. Nam licet de solo Josepho fiat mentio apud Mosem, quia solus vates erat et liberationem prævidit, et ex fide petiit, ut ossa in Canaanem transferrentur, Hebr. xi. 22, quod et cavit juramento, Gen. l. 28, unde et hoc narrari oportuit, quia se hoc modo juramento liberarunt Israëlitæ, Exod. xiii. 19, potuit tamen Stephanus loqui in plurali per enallegem numeri, vel per synecdochen integri, ut sæpe ita Scriptura amat loqui, Matth. xxvi. 8, *murmurare* dicuntur *discipuli*, quod de uno Juda Iscariota intelligitur, qui solus indignabatur ob profusum unguentum, ut exponit, Joh. xii. 11, et Matt. xxvii. 44, latrones dicuntur obloquuti Christo in cruce, quod ad unum latronem impœnitentem refertur, ut Lucas explicat xxiii. 39. Deinde licet expresse hoc non indicavit Moses, alios tamen fratres Josephi ibidem sepultos fuisse facile colligi potest, quia par erat ratio omnium Patriarcharum apud Judæos, eadem dignitas et eadem omnibus causa, quæ Josephum movit ut hoc peteret, fides in promissione Dei, proprietas in terra, et spes resurrectionis. Eo pertinet quod *Hiero.* in *Epitaph. Paulæ* refert eam in Sichem divertentem, vidisse ibidem duodecim Patriarcharum sepulchra; quod testimonium utpote oculati testis videtur præferendum testimonio *Josephi*, qui libro 2 Antiq. c. iv. tradit Patriarchas Hebrone sepultos fuisse. 3. Non obstat quod in textu non extat *Patris Sichem*, ut habetur, Gen. xxxiii. 29, sed simpliciter τοῦ Συχὲμ. Nam recte subintelligi potest nomen Patris, ut alibi non semel; ut Luc. xiv. 10, *Maria Jacobi*, id est Jacobi mater. *Herodo. Thalia*, Κῦρος ὁ Καμβύσεω *Cyrus Cambysis* scilicet Pater; *Ælia.* lib. xiii. 30. Ολυμπιὰς ἡ Αλεξάνδρου *Olympias Alexandri* puta mater. Denique nec obstat, quod Jacobus dicitur emisse agrum *centum agnis* apud Mosem, apud Lucam vero ager emptus dicitur *pretio argenti*. Nam vox קשיטה non minus *nummum* quam *agnum* notat, quia nummi tum signabantur imagine agni, ut olim omnis pecunia gestabat pecudis imaginem, quia ante nummos pecudibus mercimonia commutabantur. Vide *Radices* R. D. K. in voce קשיטה et *Buxtor. Dictio. Chald.*, *Bochar. Hieroz.* p. 436, &c.

XXXII. Nulla est contradictio inter 2 Cor. xi. 4, et Gal. i. 8, quia in isto non *aliud* dicitur *Evangelium* esse reipsa et quoad veritatem ab eo quod Apostolis fuit prædicatum: Sed in illo tantum ex hypothesi per impossibile, non quod detur revera, vel dari possit, sed ut omnem Corinthiis excusationem adimat in levitate quam ostendebant in recipiendis Pseudo-Apostolis; q. d. Si ita esset ut quis ad vos veniens alium Jesum et aliud Evangelium perfectius afferre potuerit, recte admitteretis et ferretis talem magistrum, nobis contemptis. Sed cum hoc sit penitus impossibile, ut vos agnoscitis, nec ipsi Pseudo-Apostoli diffiteri possunt, non potestis ad excusationem vestri quicquam prætendere.

XXXIII. Licet 1 Reg. 8, 9, dicatur nihil fuisse *in Arca præter Legis tabulas;* Et Heb. ix. 4. Apostolus alia dicat ibidem fuisse, quum ait, In ea, scilicet Arca de qua immediate loquutus erat, fuisse *Urnam auream habentem manna, et virgam Aaronis quæ germinavit, et tabulas pacti;* Non occurrit contradictio, et facile difficultas solvitur, sive dicamus ἐν ᾗ referri non ad vocem proximam κιβωτὸν *arcam*, sed ad remotiorem nimirum σκηνὴν v. 3, ut notum est, relativum aliquando ad antecedens non proximum, sed remotius referri; sive præpositionem ἐν hic non poni pro *in*, quasi in arca ipsa fuerit manna et virga Aaron, sed pro *cum* vel *juxta* et *ad*, et sic respondere præpositioni ב apud Hebræos, quæ non semper notat rem quæ intra aliam est, sed et quæ alteri annexa et illi adhæret, et valet modo *cum*,

Digitized by Google

ut Deut. vi. 7, *loqueris* בם *cum eis*, 1 Sam. i. 24, בפרים *cum juvencis*, Hos. iv. 3, *in bestia*, id. *cum bestia*, sic Mat. xvi. 27, ἐν δόξῃ *cum gloria*, 1 Thess. iv. 10, *in voce*, *in tuba* pro *cum*; modo valet *apud* vel *juxta*, Jos. x. 10, *in Gabaon*, Jud. xviii. 12, in Ciriathiarim, id est, prope illa loca, Matth. xxi. 12, *Ementes et vendentes* dicuntur *in templo fuisse*, id est, in porticibus ejus, ut et Joan. x. 23, alibi, Christus dicitur passus *in Jerusalem*, id est, prope eam. Ita potest optime verti in qua vel juxta quam, nempe Arcam, erant Urna et Virga, ut significetur non impositio, sed appositio. Vel *cum qua*, id est, cui Arcæ urna ac virga et tabulæ Legis conjunctæ fuerunt, sed diversimode, tabulæ quidem intra Arcam, urna vero et virga foris, sive ad Arcam.

XXXIV. Quum Christus, Matth. v. 33, prohibet jurare ὅλως *omnino*, non vult absolute et simpliciter damnare juramentum, quod alibi permittitur et probatur ac præcipitur a Deo, Exod. xxii. 8, 10, 11; Levi v. 4; Num. v. 19, 20; Prov. xviii. 18; Heb. vi. 16, sed certas species juramenti, quæ a Judæis usurpari solebant, de quibus ibidem agitur, nimirum per *cœlum*, *terram*, *Hierosolymam*, caput et alias idgenus creaturas, quæ omnes ut temerariæ et illicitæ damnantur a Christo. Quomodo notæ universales sæpe restringuntur ad certam speciem, Joh. x. 8, *Quotquot ante me fuerunt*, *sunt fures*, scilicet non vocati, nec missi, vel se aut alium quemvis dicentes esse ostium ovium. Et 1 Cor. x. 20, *Omnia mihi licent*, et cap. ix. 22, *Omnia omnibus factus sum*, nimirum in rebus licitis et indifferentibus, nec enim malæ et vitiosæ cuiquam vel unquam licent.

XXXV. Act. xiii. 21, Saül dicitur quadraginta annis regnasse, sed 1 Sam. xiii. 1, biennio tantum regnasse dicitur. Respondetur non dici, 1 Sam. xiii. Saülem biennio tantum regnasse: sed tantum biennio jam tum regnasse, cum tria illa satellitum millia elegit de quibus agitur v. seq. cum duobus annis regnasset tum demum exacto illo biennio coegisse copias illas militares, ut Syrus et Arabs notant.

XXXVI. Ex quibus patet loca ista varia ἐναντιοφανῆ, quæ afferuntur ad αὐθεντίαν Scripturæ convellendam, quæ speciminis ergo a nobis allata sunt, licet difficilia sint et δυσλύτα, non esse tamen plane ἄλυτα. Sunt et alia nonnulla quæ a Pontificiis afferri solent ad evincendam corruptionem fontium a Judæis vel Hæreticis factam; sed vindicabuntur commodius in sequentibus, quum de Editione authentica disputabimus.

QUÆSTIO VI.

Unde nobis innotescat Divinæ Scripturæ Authoritas? An ea vel quoad se, vel quoad nos, pendeat a Testimonio Ecclesiæ? Neg. contra Pontificios.

Occasio Quæstionis.

I. Scopus Pontificiorum in hac et in cæteris, quæ de Scriptura ab ipsis moventur Controversiis, non obscurus est; ut scilicet Scripturæ tribunal, in quo satis præsidii ad errores suos tuendos non inveniunt, declinent, et ad Ecclesiam id. Pontificem suum provocent, atque ita in propria causa Judices fiant. Hinc, cum antea ex Scriptura disputaretur de doctrina; An esset ipsi consentanea necne? jam de ipsa Scriptura disputari cœptum est; An idonea esset cujus authoritate et testimonio Religionis controversiæ definirentur. Eum in finem de ejus Origine et Necessitate, de Perfectione et Perspicuitate, de Canonis Integritate et Puritate, et præcipue de ejus Authoritate gravis mota lis fuit, ad eam si non penitus evertendam, mirum in modum saltem

Digitized by Google

labefactandam. Ita apprime in eos quadrat quod *Irenæus* de hæreticis sui temporis ait lib. 3, cap. 2. *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex authoritate.*

Pontificii alii durius alii mollius loquuntur.

II. Observandum autem alios durius, alios moderatius in hac quæstione loqui. Quidam enim γνμνῇ τῇ κεφαλῇ Scripturæ αὐθεντίαν in se sine testimonio Ecclesiæ simpliciter negarunt, nec majori fide dignam censuerunt, horresco referens, quam Alcoranum, Titum Livium, vel Æsopi fabulas; quas blasphemias eructabant qui superiori seculo adversus Nostros de Scripturæ Authoritate disputare cœperunt. Quo pertinent impiæ voces Hosii libro 3, contra Brentium, qui asserit pio sensu posse dici; *Scripturas tantum valere quantum Æsopi fabulas, si destituantur Ecclesiæ authoritate:* Eckii de authoritate Ecclesiæ; *Scripturam non esse authenticam, nisi Ecclesiæ authoritate:* Bayli. tractat. i. catech. q. 12; *Sine Ecclesiæ authoritate non magis se crediturum S. Matthæo quam Tito Livio* profitentis: Andradii lib. 3. defens. Conc. Trid. *Nihil inesse divinitatis in iis libris quibus sacra mysteria conscripta sunt, nec inveniri in iis, quod nos religione cogat et constringat ad credendum quæ in illis continentur; sed Ecclesiæ tantam esse vim et amplitudinem, ut nemo sine maxima impietatis nota repugnare illi possit.* Stapletoni adversus Whittak. lib. i. c. 7. *Sic attestari Ecclesiam, ut non secus Ecclesiæ testimonio credere debeamus, ac Christi testimonio crediderunt Apostoli, et non credi Deum esse nisi propter Ecclesiam.* Quia vero hoc tanquam impium et blasphemum a Nostris exagitari nec sine ratione viderunt alii, cautius loquuti sunt, ita mentem suam exponentes, ut fateantur quidem Scripturam absolute et in se authenticam esse et Divinam, utpote a Deo omnis veritatis fonte profectam, sed velint tamen *relate* et *quoad nos* istam authoritatem non obtinere nisi propter Ecclesiæ testimonium, cujus beneficio nobis innotescat, et a nobis ut Divina recipiatur. Unde orta distinctio Authoritatis *quoad se* et *quoad nos*, quam *Bellar.* lib. 2, de Concil. c. 12, *Staplet.* doctri. princip. c. 1, et de auth. Eccles. li. 2, c. 11, et alii subinde afferunt.

III. Sed quocunque modo mentem suam explicent, si rite rem putamus, patebit ad fucum faciendum, et invidiam tam impii dogmatis amoliendam potius, quam ad explicandam rei veritatem distinctionem istam fuisse excogitatam: Quia cum authoritas sit ex genere relatorum, et ἐκ τῶν πρὸς τι, non debet absolute spectari, sed relate; itaque non potest Scriptura esse authentica in se, quin sit etiam quoad nos: nam quæ argumenta illi authoritatem quoad se conciliant, eadem debent nos ad assentiendum permovere, ut quoad nos sit authentica; sin vero authoritas Scripturæ quoad nos suspenditur a testimonio Ecclesiæ, ut sit ratio formalis propter quam credo Scripturam esse divinam, necesse est ut suspendatur etiam quoad se, quod magis rotunde alii fatebantur. Nec aliam esse ipsorum mentem facile colligitur ex aliis quas hic movent controversiis: nam quomodo vel perfectionem ejus, vel perspicuitatem, vel puritatem negarent, si vere authenticam in se crederent?

Status Quæstionis.

IV. Ut Status Quæstionis pateat, 1. Non quæritur; An Scriptura S. sit authentica et Divina, hoc enim non diffitentur Adversarii, vel videri volunt saltem credere. Sed unde ut talis nobis innotescat, seu quo argumento nobis constare possit hæc divinitas. Pontificii enim authoritatem istam suspendunt a Testimonio Ecclesiæ, et volunt præcipuum motivum, quo movemur ad credendum Scripturæ αὐθεντίαν esse Ecclesiæ vocem. Nos vero licet non negemus Ecclesiæ testimonium suum habere pondus, ut postea videbitur; statuimus

Digitized by Google

tamen primario et præcipue Scripturam ut Divinam propter seipsam seu notas ipsi insitas, non propter Ecclesiam a nobis credi.

V. Secundo, non quæritur de *Principio* seu Causa efficiente fidei per quam Scripturæ Divinitatem credimus; An Spiritus S. eam in nobis operetur, necne? Hoc enim ad aliam quæstionem pertinet de libero arbitrio, et nobiscum agnoscunt Adversarii, *Stapleto. triplic. adv. Whita.* cap. 9. *Canus, lo. Theo. lib.* 2. *c.* 8. Sed de *Argumento* seu motivo præcipuo quo Spiritus iste utitur in persuadenda nobis ista veritate; An sit argumentum inartificiale Testimonii Ecclesiæ, quod volunt Pontificii; An artificiale petitum ex notis ipsius Scripturæ? quod statuimus.

VI. Ut triplex dari potest causa ad rei alicujus manifestationem, *objectiva, efficiens, et instrumentalis* seu organica; Ita triplex formari potest Quæstio circa cognitionem Divinitatis Scripturæ: Prima de *argumento propter quod* credo; Secunda de principio seu *causa efficiente a qua* ad credendum adducor; Tertia de *medio et instrumento per quod* credo. Et ad triplicem quæstionem trifariam respondetur. *Scriptura* enim in notis suis habet se ad modum argumenti propter quod credo; *Spiritus Sanctus* se habet ad modum causæ efficientis et principii a quo fit ut credam; *Ecclesia* vero est instrumentum et medium per quod credo. Unde si quæritur, *Cur vel propter quid* credam Scripturam esse Divinam; respondebo hoc fieri propter ipsam Scripturam quæ se talem per notas demonstrat: Si quæritur, *Unde seu a quo* fiat ut credam, respondebo a Spiritu Sancto, qui fidem istam in me produxit: Denique si quæritur, *Quo medio vel organo* hoc credam; respondebo per Ecclesiam qua utitur Deus in tradenda mihi Scriptura.

VII. 3. Non quæritur de motivo seu medio διακονικῷ et λειτουργικῷ, cujus ministerio utatur Spiritus S. in suadenda nobis Scripturæ authoritate, hoc enim Ecclesiæ facile concedimus: sed de argumento et motivo principali, quo ad fidem, non humanam sed divinam adducamur, quod Illi in Ecclesia statuunt; Nos extra Scripturam ipsam non esse quærendum credimus.

VIII. 4. Non quæritur, An Revelatio Divina sit fidei nostræ ratio formalis simpliciter et absolute; hoc enim Adversarii nobiscum agnoscunt: Sed quænam sit illa Revelatio nostri respectu prima et notissima quæ per et propter se recipi debet, non vero propter ullam aliam quæ nobis sit notior, quæque adeo sit communissimum et primum fidei principium per quod omnia probari debeant, ipsum vero a nullo priore: An illa Revelatio in Scriptura quærenda sit, An vero in Ecclesia? Nos revelationem istam sola Scriptura contineri censemus, quæ prima est et infallibilis Veritas et fidei regula. Pontificii vero in Ecclesiæ voce et testimonio quærendam esse statuunt. *Stapleto.* lib. 1, de auth. Eccl. contra *Whita*, c. 8. *Nunc ergo supremum externum testimonium in terris est Ecclesiæ vox;* et c. 9. *Deus per Ecclesiam loquens non aliter loquitur, quam si immediate per visiones et somnia, aut quovis alio supernaturali revelandi modo Deus loqueretur;* et c. 14, l. 12. *Tota formalis ratio fidei nostræ est Deus per Ecclesiam revelans.* Gretser. de Script. Cano. c. 7. *Solum Testimonium Ecclesiæ apte redditur ad quæstionem, Unde scis Scripturam esse divinitus revelatam?* Bell. li. 3, de V. D. c. 10, resp. ad arg. 13. *Certum est nos non certo scire quod Deus revelavit nisi ex Ecclesiæ testimonio;* et li. 6, de libero arbit. c. 3. *Credunt Catholici id quod credunt, quia Deus revelavit, Deum autem revelasse credunt, quia Ecclesiam ita dicentem et declarantem audiunt.*

IX. Quæstio ergo redigitur ad hos terminos, *Cur seu propter quid cre-*

Digitized by Google

damus Scripturam esse Verbum Dei; seu quo argumento præcipue utatur Spiritus S. ad persuadendam nobis Scripturæ Divinitatem. An Testimonio seu voce Ecclesiæ; An vero notis et criteriis ipsi Scripturæ insitis? Prius asserunt adversarii; Nos posterius.

www.indobooks.com

Scripturæ authoritas non pendet quoad nos a Testimonio Ecclesiæ.

X. Scripturæ authoritatem nec quoad se, nec quoad nos pendere a Testimonio Ecclesiæ probatur, 1. quia Ecclesia fundatur super Scripturam, Eph. ii. 20, et omnem authoritatem suam a Scriptura mutuatur, quod Adversarii non possunt diffiteri; siquidem quum de ea quæritur, non alio quam ad Scripturam confugiunt ut eam probent. Ergo non potest Scripturæ authoritatem conciliare vel quoad se vel quoad nos, nisi velimus causam pendere ab effectu, principium a principiato, et fundamentum ab ædificio. Neque hic excipi debet utrumque verum esse posse, Ecclesiam mutuari suam authoritatem a Scriptura, et Scripturam vicissim ab Ecclesia, ut Johannes testimonium perhibuit Christo, qui et ipse testimonium dedit Johanni. Nam aliud est testimonium alicui perhibere ut Ministrum, quomodo Johannes testatus est de Christo, ut *δι' αὐτοῦ per ipsum*, non *δι' αὐτὸν propter ipsum* crederent Judæi, Jo. i. 7. Aliud vero authoritatem illi conciliare ut Dominum, quod Christus fecit erga Johannem. 2. Quia authoritas Ecclesiæ esset prior authoritate Scripturæ, atque ita primum esset credibile, a quo primo penderet et in quod ultimo resolveretur fides nostra; quod non admittent Adversarii, qui volunt Ecclesiæ authoritatem pendere a Scriptura. 3. Quia manifestus committitur circulus dum Ecclesiæ authoritas probatur ex Scriptura, et vicissim authoritas Scripturæ ex Ecclesia. 4. Quia nondum inter Adversarios constat quid per Ecclesiam intelligendum sit; An hodierna, An vetus, An collectiva, An repræsentativa, An particularis, An universalis; Quisve sit ille actus testans de Scripturæ authoritate, vel signatus per sententiam aliquam judicialem, vel exercitus per continuam et successivam traditionem? 5. Quia testimonium fallibile et humanum, quale est testimonium Ecclesiæ, non potest fundare fidem divinam: Nec si per Ecclesiam hodie loquitur Deus, sequitur statim eam esse infallibilem; quia alia est inspiratio specialis et extraordinaria, quæ Apostolos et Prophetas reddidit *ἀναμαρτήτους*, et de qua Christus proprie loquitur quum dicit Spiritum S. ducturum Apostolos in omnem veritatem, Joan. xvi. 14, alia communis et ordinaria, quæ non reddit Pastores *ἀναμαρτήτους*.

Sed probatur per seipsam.

XI. Scripturam per se ipsam nobis innotescere probatur. 1. a *Scripturæ ipsius natura.* Nam ut Lex suam a Judicibus subalternis qui eam interpretantur, vel a Præconibus qui eam promulgant authoritatem non mutuatur, sed a solo Principe qui eam sancit; ut Testamentum non a Notario cui commissum est, sed a voluntate Testatoris pondus obtinet; ut Regula virtutem regulandi ab innata sua perfectione habet, non ab Artifice qui ea utitur: Ita Scriptura quæ Lex est summi Principis, Testamentum Patris Cœlestis, et Regula fidei *ἀκλινὴς*, non potest authoritatem etiam quoad nos habere ab Ecclesia, sed tantum a seipsa. 2. A *natura summorum generum et primorum Principiorum.* Ut enim ista nota sunt seipsis, et sunt *ἀναπόδεικτα* quæ aliunde demonstrari non possunt, alioqui res abiret in infinitum, unde *Basil. in Ps.* 115, *ἀνάγκη ἰκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς ἀρχάς*: Ita Scriptura quæ primum est Principium in ordine supernaturali nota est se ipsa, nec argumentis extra se petitis opus habet quibus nobis probetur et innotescat. Si omnibus principiis notas indidit Deus quibus ab omnibus cognoscantur, dubium non est, quin tales posuerit in Sancto hoc Principio ad salutem

Digitized by Google

summe necessario. 3. A *Comparatis*. Ut Objecta sensuum facultatibus bene dispositis applicata, dijudicantur statim et cognoscuntur absque ullo alio argumento externo, propter arcanam proportionem et propensionem facultatis ad objectum; Lux proprio splendore, Cibus propria dulcedine, Odor propria fragrantia, etiam nemine testante, statim a nobis cognoscitur certissime: Ita Scriptura quæ nobis respectu novi hominis et sensuum spiritualium, modo sub lucis admirabilis, Ps. cxix. 105, modo cibi suavissimi, Ps. xix. 10; Is. lv. 1, 2; Heb. v. 14, modo odoris fragrantissimi symbolo describitur, Cant. i. 3, per seipsam a novi hominis sensibus statim atque illis objicitur, facile internoscitur, et propria luce, suavitate et αὐτόπιστος cognoscendam se præbet, nihil ut opus sit argumenta aliunde quærere, quæ hoc esse lucem vel cibum vel bonum odorem doceant. 4. A *Testimonio Adversariorum* qui Scripturæ Divinitatem probant ex notis ipsius, Bell. li. 1, de V. D. c. 2, *Sacris Scripturis, quæ Propheticis et Apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui fidem illis habendam negat.* Vide Canum loc. Theo. l. 2, c. 8, Greg. de Valen. l. 1, de Analy. fid. c. 15, Soto defens. Catho. c. 47.

Fontes Solutionum.

XII. Multiplex officium Ecclesiæ circa Scripturam competere non diffitemur, 1. Ut sit *Custos* Oraculorum Dei, cui sunt concredita, quæque tabulas authenticas Fœderis Gratiæ summa fide, Tabellionis instar, asserveat; Rom. iii. 2. 2. *Index* qui indicat Scripturam, et ad eam manuducit, Isa. xxx. 21. 3. *Vindex* qui eam tuetur et vindicat, libros genuinos ab adulterinis secernendo, quo sensu vocatur ejus ἐξαίρεμα; 1 Tim. iii. 16. 4. *Præco* qui eam proponit et promulgat; 2 Cor. v. 19; Rom. x. 16. 5. *Interpres* qui verum ejus sensum scrutatur et aperit. Sed ista omnia ministerium tantum important, non magisterium; ut per eam quidem credamus, sed non propter eam; ut per Johannem Baptistam fideles in Christum credebant, non propter ipsum, Jo. i. 7, et per Mulierem Samaritanam Christus cognitus est a Samaritanis, non propter eam, Jo. iv. 39.

XIII. Alia est *Resolutio fidei* spectatæ *objective*, quoad *res credendas;* Alia dum spectatur *subjective* vel formaliter ratione *actus credendi.* Illa fit in Scripturam et Testimonium externum Spiritus S. expressum in Scriptura; Ista in Testimonium ejus internum impressum in conscientia, et loquens in corde. Ut enim duo sunt ad fidem ingenerandam necessaria, Veritatis propositio in Verbo, et ejusdem applicatio in corde, *Spiritus S.* utrobique operatur, et in Verbo et in Corde. Ideo dicitur *testari* proprie in Verbo *objective*, per modum argumenti propter quod credimus. In Corde vero dicitur etiam, sed minus proprie, testari *efficienter*, et per modum *principii* cujus virtute credimus, quo sensu, 1 Joh. v. 6, *Spiritus* qui inter testes Divinitatis Christi, et Veritatis Evangelii reponitur, dicitur *testari quod Spiritus est veritas;* id. Spiritus in corde fidelium agens, testatur quod doctrina Evangelii a Spiritu tradita est vera et divina.

XIV. Quum Confessionis Gallic. Arti. 5, dicitur, *Nos cognoscere Scripturæ libros esse Canonicos, non tam communi Ecclesiæ consensu, quam testimonio et persuasione interna Spiritus S.*, per Spiritum S. intelligendus est Spiritus tam in Verbo, quam in corde loquens. Idem enim Spiritus qui agit objective in Verbo veritatem proponendo, operatur etiam efficienter in corde veritatem istam mentibus nostris imprimendo; et sic alienissimus est a *Spiritu Enthusiastico.*

XV. Aliud est *Judicium privatum* Spiritus, quod est tale *subjective* ratione subjecti cui inest; Aliud quod tale est *originaliter*, quia a proprio hominis arbitrio pendet. Prius concedimus hic dari, sed non posterius:

Digitized by Google

Nam Spiritus qui testatur in nobis de Divinitate Scripturæ, non est proprius singulorum ratione principii et originis, quia communis est toti Ecclesiæ, et omnibus fidelibus in quibus eandem fidem ingenerat; etsi sit talis subjective ratione cujusque individui, quia singulis fidelibus privatim datur.

www.libtool.com.cn

XVI. Licet *Ecclesia* sit *antiquior Scriptura formaliter* considerata et quoad modum scriptionis: non tamen talis dici potest respectu Scripturæ *materialiter* spectatæ et quoad substantiam doctrinæ; quia Verbum Dei antiquius fuit ipsa Ecclesia, utpote ejus fundamentum et semen. 2. Non quæritur de testimonio Ecclesiæ Veteris Patriarcharum quæ fuit ante Scripturam, sed hodiernæ quæ ipsa longe recentior est.

XVII. Licet fideles Spiritus S. testimonio persuadeantur de Scripturæ Divinitate; non sequitur tamen omnes qui Spiritum illum habent consentire debere in singulis libris pariter accipiendis: quia ut non datur omnibus æquali mensura, ita nec omnes æquali cognitionis luce tam quoad principium Religionis, quam quoad ejus dogmata perfundit, vel æquali efficacia ad assensum permovet: Hinc quidam Protestantes potuerunt dubitare de uno vel altero libro Canonico, quia nondum satis illustrati erant lumine Spiritus Sancti.

XVIII. Non necesse est semper, ut quicquid probatur per aliud probetur. Quædam enim sunt nota seipsis, juxta Philosophos, ut summa rerum genera et ultimæ differentiæ et prima principia, quæ aliunde non possunt demonstrari sed sua luce patent, et tanquam certa et indubitata supponuntur; et si quis ea forte negaverit, non argumentis conveniendus est, sed ad agnatos relegandus aut suppliciis coërcendus, ut qui teste Philosopho, vel sensu vel pœna indigeat. Sic Posteri. Analyt. l. i. c. 10, dicit quædam Axiomata esse, quæ veritatis causam externam non habent; *ὃ ἀνάγκη εἶναι δι' αὑτὸ καὶ δοκεῖν ἀνάγκη, quod necesse est per se esse et videri tale*, id est, quod non modo est *αὐτόπιστον*, verum a nemine serio negari potest qui modo sit rationis compos. Cum ergo Scriptura sit primum Principium, et prima et Infallibilis Veritas, quid mirum si per se ipsam probari dicatur? 2. Scriptura potest se ipsam probare; vel pars ex parte, quum non omnes pariter in dubium vocantur, ut quum Judæos convincimus ex Veteri Testamento; vel tota ex tota, non argumento inartificiali testimonii, quia divinam se dicit; sed artificiali et ratiocinativo, quia in ea deprehenduntur notæ divinæ quæ in hominum scripta non cadunt. Ideo nec petitur principium, quia Criteria ista sunt aliquid contradistinctum Scripturæ, si non materialiter at formaliter, ut adjuncta et proprietates quæ demonstrantur de subjecto: Nec idem per æque ignotum probatur, quia sunt *notiora nobis;* ut bene causam ab effectis, et subjectum a proprietatibus suis demonstramus. 3. Argumentum Pontificiorum, quod Scriptura per seipsam probari non possit, quia notior et ignotior seipsa foret; multo fortius retorqueri potest adversus Ecclesiam.

XIX. Si qui sunt qui non agnoscunt Scripturæ Divinitatem; non inde est quod objectum per se non sit notum vel cognoscibile, sed quia facultate bene disposita destituuntur; quibus Evangelium tectum est, quia Satan excœcavit oculos eorum, 2 Cor. iv. 4, ut qui Deum negant, qui est maxime intelligibilis, quia mente capti sunt, vel qui Solem non vident quia cæci sunt; ut apud Senecam mulier illa quæ oculis capta Solem non exoriri quiritabatur; nihilo tamen minus Sol radios semper emittit, quos per se usurpant qui valent oculis.

XX. Aliud est *Scripturæ Canonem discernere* et declarare, Aliud *Canonem ipsum constituere et authenticum facere.* Ecclesia posterius non

Digitized by Google

otest facere, quod ad Deum solum Scripturæ authorem pertinet; sed icit tantum prius, quod ministerii est non magisterii: Ut aurifex qui coriam ab auro secernit, vel qui lydio lapide explorat aurum, discernit uidem verum ab adulterino, sed non facit esse verum, nec quoad se nec uoad nos: Ita Ecclesia per examen suum discernit quidem libros Canonicos a non Canonicis et Apocryphis, sed tales non facit; nec judicium Ecclesiæ potest authoritatem libris quam per se non habebant conciliare, ed authoritatem jam existentem declarat argumentis a libris ipsis petitis.

XXI. Alia est Cognitio rei confusa, Alia distincta. Cognitione confusa Ecclesia potest cognosci ante Scripturam, sed distincta Scripturæ cognitio præcedere debet, quia veritas Ecclesiæ nonnisi in Scriptura deprehendi otest. Ecclesia potest a nobis apprehendi *fide humana* ante Scripturam anquam Cœtus hominum iisdem sacris utentium; Sed non potest cognosci t credi, ut Cœtus fidelium et Communio Sanctorum *fide divina*, nisi post ognitam Scripturam quæ Ecclesiæ notas nobis suppeditat.

XXII. Quum Apostolus, Rom. x. 17, dicit *fidem esse ex auditu*, innuit uidem Ecclesiæ ministerium intercedere debere tanquam medium ordinaum ad fidem in adultis ingenerandam: sed non docet propterea Ecclesiam lariorem et notiorem esse Scriptura.

XXIII. Aliud est quærere de librorum sacrorum numero, authoribus, artibus, et singulis verbis; Aliud de doctrina fundamentali libris istis ontenta: Cognitio ista ad quemlibet fidelem pertinet, sed non illa; nec ericlitabitur salus illius qui nesciret a quo scriptum sit Evangelium Matthæi, modo crederet librum esse authenticum et divinum. Alia est cognitio authoris primarii alicujus libri; alia vero ejus amanuensis tantum: Ista est tantum fidei historicæ; Illa vero divinæ.

XXIV. Cum *Circulus* juxta Philosophos sit argumentatio sophistica, qua idem probatur per seipsum, quæ versatur circa idem causæ genus ambitu quodam sine fine in se recurrente; non potest nobis impingi Circulus, quum Scripturam probamus per Spiritum, et Spiritum vicissim ex Scriptura: Nam hic quæstio diversa est, et aliud medium seu causæ genus; quippe probamus Scripturam per Spiritum tanquam per causam efficientem qua credimus; sed probamus Spiritum ex Scriptura, tanquam ex objecto et argumento propter quod credimus. In primo respondetur ad quæstionem, *Unde, seu qua virtute* credis Scripturam esse Divinam? scilicet per Spiritum. In secundo vero respondetur ad quæstionem, *Quare, seu propter quid* credis Spiritum qui est in te, esse Spiritum Sanctum? nimirum propter notas Spiritus Sancti quæ sunt in Scriptura. Sed Pontificii qui Circulum nobis objiciunt, in illum manifeste incurrunt in hac quæstione, quum probant Scripturam ex Ecclesia et Ecclesiam ex Scriptura; hoc enim fit per idem medium, et idem causæ genus. Si quærimus, Cur vel propter quid credant Scripturam esse divinam? quia Ecclesia hoc dicit, respondent; Si petimus rursus, Cur Ecclesiæ credant? quia Scriptura illi infallibilitatem tribuit, regerunt, dum eam vocat columnam et firmamentum veritatis: Si instamus, unde sciant hoc Scripturæ testimonium esse *αὐτόπιστον*? quia Ecclesia de eo nos certiores facit, addunt: Ita revolvuntur eo unde fecerant disputandi initium, et in infinitum progrediuntur, nec in ullo primo credibili sistere possunt. Neque hic diversa quæstio est; utrobique enim quæritur de ratione et argumento propter quod credo, non vero de facultate aut principio per quod credo.

XXV. *Ecclesia* dicitur *στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*, 1 Timot. iii. 15, non quod Veritatem fulciat et illi authoritatem conciliet; cum potius Veritas sit Ecclesiæ fundamentum cui superstruitur, Eph. ii. 20; sed quia in

Digitized by Google

Ecclesia tanquam in columna prostat et omnibus se conspiciendam exhibet. *Columna* ergo dicitur non *sensu architectonico*, quatenus columnæ adhibentur ad ædificii sustentationem, sed *sensu forensi* et politico, prout Columnis ante Curias et Prætoria, et pro foribus Basilicarum Edicta Principis et Decreta ac Leges Magistratus affigi solebant, ut omnibus innotescerent, ut notat *Plin. histo. natur.* lib. 6. c. 28, et *Joseph.* lib. 1. *Antiq.* c. 4. Ita *Ecclesia Columna* est Veritatis, tum ratione *promulgationis* et præconii, quia Leges Dei promulgare tenetur, et cœlestis Veritas illi appenditur ut omnibus innotescat, tum ratione *custodiæ*, quia eam non modo proponere sed et vindicare debet et tueri, atque ideo non tantum στύλος, sed etiam ἑδραίωμα dicitur, *firmamentum* quo Veritas cognita vindicetur et adversus omnes corruptelas sarta tectaque conservetur; sed non θεμέλιον *fundamentum*, quod det ipsi veritati suam ὑπόστασιν et firmitatem. 2. Quicquid *Columna et firmamentum veritatis* dicitur, non statim est infallibile; sic enim Veteres vocabant eos, qui vel doctrinæ fulgore, vel vitæ sanctimonia, vel constantiæ firmitate cæteris præstabant, et doctrinam Evangelii et fidem Christianam doctrina vel exemplo confirmabant; quomodo fideles Lugdunenses apud *Euseb.* histor. lib. 5. cap. 1, vocant Attalum Martyrem; *Basili.* ep. 120, Episcopos Orthodoxos qui Arrianam hæresim oppugnabant hoc nomine insignit, οἱ στύλοι καὶ τὸ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Et *Grego. Nazianz.* Athanasium sic appellat. Eodem sensu in Republica integri et incorrupti Judices dicuntur Columnæ et firmamenta Legum. 3. Locus docet officium Ecclesiæ, sed non ejus privilegium infallibile; quid teneatur facere in promulganda et defendenda veritate contra Adversariorum corruptelas, non vero quid faciat semper; ut nomina sæpe ab officio desumuntur non a rei veritate, Malac. ii. 7, *Labia Sacerdotis* dicuntur *custodire scientiam*, quia tenetur hoc facere, licet non faciat semper ut v. 8, docetur. 4. Quicquid hic Ecclesiæ tribuitur pertinet ad *Ecclesiam particularem Ephesinam*, cui tamen privilegium infallibilitatis nollent dare Pontificii: deinde agitur de *Ecclesia collectiva* fidelium, in qua Timotheus versari debuit, et ministerium suum exercere, non repræsentativa Pastorum; multo minus de Pontifice, in quo solo ἀναμαρτησίαν residere arbitrantur. 5. Alludit hic Paulus tum ad usum Columnarum in Delubris Gentilium, in quibus vel Deorum imagines, vel Leges et morum præcepta, imo et Oracula appendebantur, teste *Pausania* et *Athenæo*, ut opponat *Columnas* illas *mendacii* et erroris ubi nihil præter fabulas et falsorum Deorum imagines proponebantur, *Columnæ* isti mysticæ *Veritatis*, in qua vera Dei invisibilis imago exhibetur, Col. i. 15, et cœlestia Dei Oracula proponuntur: Tum ad Columnam illam memorabilem, quam in Templo erigi curaverat Solomon, de qua, 2 Chron. vi. 13, et 2 Reg. xi. 14, et xxiii. 3, quam veluti suggestum conscendebant Reges, quoties vel populum alloquebantur vel solemne aliquid præstabant, quæ ideo *Regia Columna* Judæis dicebatur. Sic Veritas Reginæ instar Ecclesiæ insidet, non ut suam authoritatem ab ea mutuetur, ut nec Solomon suam habebat ab ista Columna; sed ut Veritas in ea proponatur et conservetur.

August. locus contra Epist. fundam. c. 5.

XXVI. Locus *Augustini* contra Episto. Funda. cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret authoritas*, non favet Pontificiis. 1. Quia August. loquitur de se adhuc Manichæo, et nondum Christiano, et quod ponit in imperfecto valet præteritum plusquam perfectum; *crederem et commoveret*, pro *credidissem* et *commovisset*, phrasi Afris usitatissima, ut Docti observant, sic lib. 2. Confess. cap. 8, *Si tunc amarem poma illa*, pro amavissem. 2. *Authoritas* de qua loquitur, non est *juris* et *imperii*, quam hic obtendunt Adversarii, quasi crediderit quia Ecclesia dicebat; sed *dignitatis*, quæ

Digitized by Google

petebatur ex magnis et illustribus Providentiæ Dei argumentis, quæ in Ecclesia conspiciebantur, qualia erant miracula, vetustas, populorum consensio, successio, *&c.* c. 4, quæ potest ad fidem manuducere, licet non possit illam primario ingenerare. 3. Notatur ergo hic *motivum externum* ad fidem, non vero *infallibile credendi principium*, quod in veritate sola quærendum docet c. 4, dum agnoscit veritatem omnibus esse præferendam, si tam perfecte monstratur ut in dubium revocari non possit, et cap. 14, *Eos sequamur qui nos invitant prius credere, quum nondum valemus intueri, ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non jam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram formante et illuminante:* sic intelligit *Petrus de Alliaco* q. 1. in 1. sent. art. 3; et *Canus*, lib. 2, lo. Theo. c. 8, *Gerson*, *Driedo*, *Durandus* de Ecclesia primitiva et Apostolica interpretantur, non de præsenti pro cujus authoritate hic pugnatur. Vide Disput. nostr. de Authori. Scripturæ.

QUÆSTIO VII.

DE CANONE.

An Liber aliquis Canonicus perierit? Neg.

Canon vel late vel stricte sumitur.

I. Ut variæ quæ de *Scripturæ Canone* moventur quæstiones facilius possint expediri, præmittenda est *Canonis* distinctio. Vox enim ista vel *late* vel *stricte* sumitur. Priori sensu adhibita fuit a Patribus designandis *Decretis* et *Constitutionibus Ecclesiasticis*, quibus Concilia et Rectores Ecclesiarum definire solebant quæ ad fidem, vel mores, vel *αὐταξίαν* pertinere videbantur. Quo spectant *Canones* varii, tum *Ecclesiæ universalis* tum *Africanæ*, et *Canonum collectio* Burchardi, Ivonis, Gratiani, et *Jus* ipsum *Canonicum*, quod Codice Canonum continetur, distinctum a *Jure Divino* quod Codice S. Scripturæ ineluditur. Posteriori *κατ' ἐξοχὴν* soli Scripturæ tribuitur, quia Deus nobis eam dedit, ut sit fidei morumque regula, quo sensu Irenæo *Κανὼν τῆς ἀληθείας ἀκλινὴς norma veritatis invariabilis*, li. 4. c. 69, *Chrysostomo ἀκάντων ἀκριβὴς ζυγὸς, καὶ γνώμων καὶ κανὼν Exquisita omnium rerum trutina, norma et regula*, dicitur.

Canon Dogmatum et Librorum.

II. Ut vero Verbum Dei bifariam spectari potest, vel pro Doctrina divinitus revelata, vel pro Libris sacris quibus illa continetur; Ita duplex *Canon* esse potest; Unus *Dogmatum*, qui doctrinas omnes fundamentales complectitur; Alter *Librorum*, qui libros omnes θεοπνεύστους continet. *Scriptura Canonica* dicitur duplici de causa, tum ratione dogmatum, quia est Canon et norma fidei et morum, originatione ducta ab Hebr. קנה quod *arundinem* seu calamum mensorium significat, et ita usurpatur, Gal. vi. 16, Phil. iii. 16, tum ratione librorum, quia continet libros omnes Canonicos, quo sensu *Athanasius in synopsi* ab initio monet libros Christianorum non esse infinitos sed finitos, et *certo Canone* comprehensos.

Scriptura cur Canonica dicatur.

Status Quæstionis.

III. Prima Quæstio de Canone agit de ejus *Integritate*, An liber aliquis Canonicus perierit, seu, An Scripturæ syntagma ullo libro quem Deus in Canonem retulit hodie destituatur? Circa quam in partes varias abeunt tum Pontificii tum Orthodoxi. Plerique ex Pontificiis varios libros Canonicos periisse contendunt, ut ita imperfectionem Scripturæ et Traditionum necessitatem, quibus

Digitized by Google

ejus lacunas expleant, evincant. Quidam ex nostris, ut *Musculus*, *Whitakerus*, post Chrysostomum idem asserunt, sed duplici cum discrimine; primo quod hoc de libris nonnullis Vet. Test. tantum affirment; non vero Novi, ut Pontificii; secundo quod nihil propterea perfectioni Scripturæ quam Pontificii inde oppugnant decedere arbitrentur, quia integritatem Canonis non metiuntur ex numero Librorum sacrorum, seu *perfectione* eorum *quantitativa*, sed ex plenitudine dogmatum, et *perfectione essentiali* rerum omnium ad salutem necessariarum, quæ in libris qui supersunt abunde occurrat. Communior tamen est et sanior aliorum sententia, qui nullos libros vere Canonicos periisse censent, et si qui perierunt, tali charactere insignitos non fuisse.

www.hbook.com.cn

Nullum Librorum Canonicorum periisse probatur a Testimonio Christi.

IV. Rationes petuntur 1. a *Testimonio Christi*, Matt. v. 18, et Luc. xvi. 17, *facilius est cælum et terram præterire, quam Legis unum apicem excidere.* At si ne apex quidem, vel minima literula potest excidere, quomodo varii libri Canonici potuerunt intercidere? Licet vero Christus directe de doctrina Legis loquatur, non de ejus libris; analogice tamen potest libris sacris applicari, ut eorum immunitas ab interitu asseratur; eo magis quod, non solum literarum et apicum quibus Scriptura perficitur mentio fiat, sed etiam in libris scriptis Deus doctrinam istam conservari voluerit. 2. A *Lucæ et Pauli declaratione.* Nam nec Lucas, xxiv. 27, mentionem facere potuisset *omnium Prophetarum* et *omnium Scripturarum*, si aliquæ ejus partes periissent: Nec Paulus, Rom. xv. 4, *quæcunque scripta sunt ad nostram institutionem* scripta esse asserere posset, nisi omnia scripta V. T. extare supponeret.

2. A Lucæ et Pauli declaratione.

3. A Providentia Dei.

V. 3. a *Providentia Dei* pro Ecclesiæ salute perpetuo excubante, quæ concipi non potest pati voluisse tam exitialem jacturam; alias quid fiet tum sapientiæ, tum bonitati, tum potentiæ Dei, si tanti pretii thesaurum Ecclesiæ suæ ostensum quidem, sed subductum voluit, et Corpus Scripturæ lacerum et mutilum hodie extare? 4. ab *Ecclesiæ officio*, quod est Oracula Dei sibi commissa religiose servare, et studiose scrutari; Cui non defuisse vel ex eo patet, quod nec Christus nec Apostoli Judæos unquam hoc nomine accusent; quod sacrilegium non tacuissent omnino, qui minora non omittunt, si hic rei fuissent: Imo Paulus hoc privilegium Judæorum prædicat, quod λόγια τοῦ Θεοῦ ipsis fuerunt concredita, Rom. iii. 2, et ix. 4. 5. a *Fine Scripturæ*, quæ consignata est in Canonem fidei et vitæ usque ad consummationem seculi, qui obtineri non posset, si per jacturam quorundam librorum Canonicorum, Canon mutilus et truncatus Ecclesiæ relictus esset, id. qui amplius Canon esse non possit. 6. a *Judæorum praxi;* quia nunquam plures libri Canonici V. T. iis quos habemus agniti sunt, nec a Targumim expressi, nec a LXX. versi.

4. Ab Ecclesiæ officio.

5. A Fine Scripturæ.

6. A Judæorum praxi.

Fontes Solutionum.

VI. Non omnia quæ scripserunt Viri Dei continuo sunt divina et θεόπνευστα; quædam enim ut *homines* historica diligentia meditari et exarare potuerunt ad ubertatem cognitionis, quædam ut *Prophetæ* inspiratione divina ad authoritatem Religionis; illa cum libertate judicari possunt, hæc cum necessitate credi debent, ut bene *Aug.* de C. D. lib. 18, c. 38. Ut non quicquid dixerunt Canonicum fuit, ita nec quicquid scripserunt. Si ergo Salomon libros varios scripsit Parabolarum et Carminum, ut de Plantis et Animalibus, 1 Reg. iv. 32, 33,

Digitized by Google

non sequitur eos fuisse Canonicos; potuerunt enim humana diligentia adornari, ad testandam multiplicem qua instructus erat rerum cognitionem, non vero in argumentum divinæ et supernaturalis inspirationis.

VII. Libri qui dicuntur periisse. Vel non sunt *Sacri* et *Canonici*, qualis fuit *liber bellorum Jehovæ* de quo Num. xxi. 14; Jos. x. 15; *Liber Justi*, 2 Sam. i. 14; *Chronica Regum Judæ et Israëlis*, 1 Reg. xiv. 19, 20, et xv. 7; qui non doctrinam Religionis, sed vel Annales Politicos, quibus res gestæ Israëlitarum consignabantur, vel Tabulas Actorum publicorum et Statutorum politicorum complectebantur, ut patet ex 1 Reg. xi. 41. Vel libri qui dicuntur periisse, adhuc extant sub aliis nominibus, ut *libri Nathanis* et *Gadis* de quibus, 1 Chron. xxix. 29; Et *Jehdonis*, 2 Chro. ix. 29; *Semajæ* et *Hiddonis* c. xii. 15, quos partem librorum Samuelis et Regum facere, et Judæi docent, et Patres quidam notant, et varii ex Pontificiis non obscuri nominis, ut *Sixtus Senensis*, *Paulus Burgensis*, *Ludo. de Tena*, *Sanctius*, et alii fatentur.

VIII. *Liber Jehovæ* de quo Isa. xxxiv. 16, non alius est ab ipsa Prophetia quam scribebat nomine Domini, et quem propterea librum Jehovæ vocat. *Liber Lamentationum Jeremiæ* super morte Regis Josiæ cujus mentio fit, 2 Paral. xxxv. 25, etiamnum in Threnis legitur.

IX. Non dicitur Coloss. iv. 16, ullam fuisse Epistolam Pauli ad Laodicenses, quia agitur de epistola ἐκ Λαοδικείας non πρὸς Λαοδικεῖς, quæ poterat esse Epistola a Laodicensibus ad Paulum scripta, in qua, quia nonnulla erant quæ scire interesset Collosensium, Paulus vult cum sua ab illis legi. Unde liquet quam sine ratione *Faber Stapulensis* voluerit Epistolam ad Laodicenses obtrudere orbi Christiano, quod cordatiores ex Pontificiis agnoverunt.

X. *Judæ* 14, non fit mentio Libri Enochi, sed tantum ejus Prophetiæ, quia dicitur *Prophetasse* non scripsisse; Librum autem, si quis fuit, nunquam in Canonem relatum fuisse, patet tum ex Josephi et Hieronymi silentio, tum ex eo quod Moses tanquam primus Scriptor Canonicus recensetur, Luc. xxiv. 27. Apparet quidem ex Augustino lib. xv. de C.D. c. 13, extitisse iis temporibus librum Apocryphum, cujus index mentiebatur Enochum authorem, cujus etiam fragmentum debemus Scaligero in animadvers. Euseb.

XI. Si quædam ab Apostolis referuntur loca ex Vet. Test. quæ nunc non leguntur expresse in ullo libro Canonico; Non sequitur librum aliquem Canonicum in quo ista extabant periisse: sed, Vel continentur implicite et κατὰ διάνοιαν, ut quod Matt. ii. 23, dicitur de Christo, *Nazarenus vocabitur*, desumitur, vel ex Isaiæ xi. 7, juxta *Hier.* ubi Christus surculus vocatur, vel ex Jud. xiii. 5, ubi agitur de Samsone Christi typo, qui *Nazarenus Dei* dicitur futurus ab utero. Vel in eo quod dicitur, 1 Cor. v. 9, de Epistola quam ad ipsos scripserat, nihil obstat quominus illam ipsam intelligamus epistolam quam scribebat, in qua paulo ante jusserat excommunicari eum qui se incesto coinquinarat, ut Col. iv. 16, quando ἡ ἐπιστολὴ *lecta fuerit*, nim. hæc quam exarabat. Vel mere historica sunt, ut quod refert Judas, v. 9, de altercatione Diaboli cum Michaële super corpore Mosis, quod potuit habere sive ex traditione, ut quidam volunt, sive ex libro aliquo Ecclesiastico, sed non Canonico, qui perierit.

XII. Quamvis fieri potuerit ut Autographa Legis et Prophetarum quæ asservabantur in Arca, cum ea conflagrarint, quum eversa est Civitas et incensum Templum tempore Captivitatis Babylonicæ; Non sequitur propterea tunc intercidisse omnes Libros sacros, qui per Esdram denuo velut per alterum Mosem intra 40 dies restituti fuerint; quia apographa penes

Digitized by Google

pios varia remanere potuerunt, ex quibus postea cultus Dei instauratus est, Esd. vi. 18, Nehem. viii. 2. Nec verisimile est Ezechielem et pios Sacerdotes, ut et Jeremiam, Gedaliam et Baruchum, qui libertatem manendi in Judæa acceperant, illis caruisse, maxime cum custodia et lectio Librorum sacrorum ad ipsos pertineret; de Daniele videtur planum ex c. ix. 2. Locus 4 Esdr. c. iv. 23, et c. xiv. 21. unde universalis interitus petitur, ut Apocryphus ipsis etiam Pontificiis, nihil probat, et refellitur ab alio libro Apocrypho qui Canonicus est Pontificiis, 1 Maccab. ii. 4, qui Arcam in qua depositus erat liber Legis Deuter. xxxi. 26, servatam dicit a Jeremia in Cavea montis Nebo. Præcipue hoc commentum refellit altum Scripturæ silentium, quæ cum tam anxie Sanctuarii pollutionem, Jerosolymorum excidium, Vasorum S. interceptionem, Templi ruinam et alia defleat, tantam jacturam sine publico luctu non prætermisisset. Esdras ergo potuit operam ponere in colligendis, imo et corrigendis et restituendis exemplaribus quæ depravata fuerant in captivitate, quod optime potuit ut διάπυστος; sed non opus fuit illum de novo illa Ecclesiæ tradere.

QUÆSTIO VIII.

An Libri Veteris Testamenti sint adhuc pars Canonis fidei, morumque Regulæ in Ecclesia Novi Test.? Affir. contra Anabaptistas.

Status Quæstionis.

I. Quæstio hæc nobis intercedit cum Anabaptistis, qui V. T. libros a Canone fidei rejiciunt, quasi ad Christianos minime pertineant; nec ex illis fidei dogmata vel vitæ præcepta peti debeant. *Memnonitæ* in Confess. sua, Artic. xi. Docent *omnes Christianos, quantum ad fidem attinet, debere se tantum necessario componere ad Evangelium Christi;* quod confirmatur in Colloquio Francothal. Act. i. 57. Orthodoxi contra statuunt V.T. non minus ad Christianos pertinere quam N. et ex utroque fidei dogmata et vitæ regulam esse petendam, Confess. Gallic. art. 4 et 5; Helvetica, art. 1.

II. Non quæritur De V. T. ratione *Oeconomiæ Mosaïcæ;* hanc enim ita abrogatam esse censemus per Christum, ut nullus amplius ei locus esse debeat in Oeconomia Gratiæ: Sed de eo quoad *doctrinam;* An nullus sit amplius ejus usus in N. T. quoad Canonem fidei et morum?

III. Non quæritur, An Christus Legem in V. T. datam reformaverit sub N. corrigendo eam et perficiendo; de hoc enim cum Socinianis postea agetur: Sed, An V. T. Scriptura ad Christianos pertineat, ut ex ea non minus ac ex N. Test. Canon fidei et regula vitæ peti debeat et probari, et Christi Religio non minus in Mose et Prophetis quam in N. T. libris contineatur, et ex iis demonstrari possit; quod Adversarii negant, Nos asserimus.

IV. Non quæritur de discrimine Vet. et Novi Test. et de differentia doctrinæ quæ utrobique sonuit: hanc enim non diffitemur longe clariorem esse in N. Test. quam in Veteri, tum propter typos quibus involvebatur, tum propter prædictiones et promissiones, quæ in ea tradebantur: Sed de *Principio Religionis Christiana;* Utrum principium illud sint tantum Libri N. Test. An vero etiam Vet. Testamenti? quod statuimus.

V. T. esse Canonicum Christianis probatur.

V. Rationes sunt 1. Quia Christus V. T. commendat, et Mosem et Prophetas vult a fidelibus audiri, Luc. xvi. 29. Nec dicitur hoc Judæis exclusive ad cæteros, quia hic præceptum datur generale quod pertinet ad omnes qui æter-

Digitized by Google

num judicium prævertere cupiunt, et quod hic proponitur ut præceptum, ejus praxis commendatur a Petro in Christianis, 2 Pet. i. 19, *Habemus Sermonem Propheticum firmissimum cui recte facitis quod attendatis, velut lucernæ splendenti in loco obscuro, usque dum dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Nec excipi potest, limitationem addi a Petro, ut hoc locum habeat tantum usque ad tempus N. T. quo dies illucescere debuit; Nam si de N. T. sumatur, non propterea restringitur hac voce usus sermonis Prophetici usque ad tempus N. Test. quia τὸ ἕως οὗ *usquedum*, non ita semper est positivum præteriti, ut sit exclusivum futuri, ut constat ex variis locis, Gen. xxviii. 15; Matth. xxviii. 30; 1 Corint. xv. 25. Si vero ad diem vitæ æternæ referatur, et ad exortum Luciferi in hemispherio gloriæ, quæ dies revera est κατ' ἐξοχὴν, quod satius videtur, quia scribit ad fideles qui jam sortiti erant fidem ἰσότιμον, adeoque in quorum cordibus dies gratiæ, et Lucifer Evangelii jam exortus erat: fortius stringet argumentum, attendendum scil. sermoni Prophetico, usque ad finem seculi, donec beata illa dies exoriatur quæ vera dies, perpetua quippe et nulla nocte terminanda.

VI. 2. Quia Ecclesia N. T. superstruitur fundamento Prophetarum et Apostolorum, Eph. ii. 20, id. doctrinæ Propheticæ et Apostolicæ. Neque hic Prophetæ N. T. de quibus Eph. iii. 5, et 1 Cor. xii. 28, intelligi possunt; quia loquitur de fundamento perpetuo universalis Ecclesiæ; At donum Propheticum N. T. fuit temporarium: Nec ordo collocationis prioritatem vel posterioritatem temporis vel durationis statim infert; ut Eph. iv. 12, Prophetæ N. T. ponuntur ante Evangelistas, nec tamen illis ideo fuere anteriores.

VII. 3. Quia *Quæcunque antescripta sunt ad nostram doctrinam antescripta sunt, ut per tolerantiam et consolationem Scripturarum spem habeamus*, Rom. xv. 4. Quamvis vero omnia non sint æqualia in Scriptura ratione materiæ et usus, omnia tamen sunt æqualia ratione originis et αὐθεντίας, data proinde ex æquo ad bonum et ædificationem Ecclesiæ.

VIII. 4. Quia Canon V. T. habet sufficientiam ad fidem et mores, et sacræ illæ literæ in quibus Timotheus institutus erat a puero, quum nondum erat consignatus Canon N. T. potuerunt illum σοφίσαι ad salutem, 2 Tim. iii. 15, 16. Et si *homo Dei* id. minister Evangelii potest ad omne bonum opus ex illis instrui, multo magis fidei hominis privati, et vitæ ejus dirigendæ utiles sunt et necessariæ: Neque hoc Paulus refert tantum ad tempora antecedentia scriptionem N. T. quia loquitur in genere de tota Scriptura θεοπνευστῳ, v. 16.

IX. 5. Quia Christus Judæos amandat ad scrutandas Scripturas, Joh. v. 39, utpote ex quibus haberi possit vita: Nec hoc indicative dicitur tantum Judæis, sed et imperative; quia scopus Christi est inducere Judæos ad lectionem Scripturarum tanquam medium ad sui cognitionem conducens, et testimonium omni exceptione majus. 2. licet Christus loquutus fuisset indicative res eodem rediret, quia Christus praxim illam probat non culpat.

X. 6. Quia Scriptura V. T. eandem doctrinæ substantiam cum N. T. sive quoad credenda, sive quoad facienda, continet, nec aliud Evangelium nobis hodie proponitur, quam quod antea in Scripturis Propheticis promissum, Rom. i. 3, et xvi. 25, 26. Unde Paulus qui totum Dei consilium de salute annunciavit Christianis, Act. xx. 26, nihil tamen extra ea quæ a Mose et Prophetis dicta sunt, se dixisse profitetur, Act. xxvi. 22. Nec alia Lex nobis præscribitur, quam quæ a Mose olim lata, quæ amorem Dei et dilectionem proximi imperat. Matth. xxii. 37, 38.

Digitized by Google

XI. 7. Quia si V. T. ad Christianos non pertinet, non poterit solide probari adversus Judæos Jesum Christum Nazarenum esse verum Messiam; quod nonnisi per collationem Scripturarum et σύγκρισιν characterum prædictorum in Vet. Test. de Messia, et impletorum in Jesu nostro sub Novo fieri potest, ut hoc non semel a Christo et Apostolis præstitum, Luc. xxiv. 27, 44; Act. x. 43, et xvii. 11, et xxvi. 22; Rom. iii. 21. Nec poterunt Judæi erroris convinci, et ad fidem adduci; quia aliud principium non agnoscunt.

www.libtool.com.cn

Fontes Solutionum.

XII. Per *Legem et Prophetas* qui debuerunt durare usque ad Johannem, Matth. xi. 12, non intelligendi sunt libri V. T. eorumque duratio; Sed *œconomia V. T.* collata cum œconomia Novi, quarum illa erat Prophetica, ista Evangelica; illa umbratilis et typica quæ promittebat Messiam exhibendum; Ista clara et aperta, quæ annunciabat Messiam exhibitum: Christus ergo duos istos modos revelationis inter se conferendo dicit, primum per προφητείαν durasse tantum usque ad Johannem, quia Messia exhibito, non amplius prædici voluit ut futurus, alterum vero per εὐαγγελισμὸν qui nunciabat Christi adventum, cœpisse a Johanne.

XIII. Quum Apostoli dicuntur *Ministri Spiritus, non Literæ*, 2 Cor. iii. 5, 6, per *Literam* non intelliguntur libri V. T. quasi nullus amplius eorum usus esse deberet, cum tamen passim illis utantur; sed Oeconomia Legalis contradistincta Evangelicæ, quæ multis modis illi præstat, non modo ratione claritatis et amplitudinis, sed præcipue ratione efficaciæ, quia non tantum jubet et imperat officium ut Lex, sed etiam operatur, per Spiritum Legem inscribendo in cordibus.

XIV. Aliud est *Vetus Fœdus antiquatum* esse quoad *modum administrationis*, et quoad accidentia fœderis, sive observationem externam appendicum fœderi annexarum; quod Paulus asserit, Heb. viii. 13; Aliud vero quoad *rem administratam* et substantiam, seu internam fœderis ipsius formam, quod negamus.

XV. Aliud est loqui de vigore cæremoniarum V. T. vel Legis secundum illas; Aliud de duratione, et cognitione ac meditatione librorum Legis et Prophetarum. Quod umbram tantum habet futurorum bonorum non pertinet ad Christianos, qui habent expressam rerum imaginem, quoad *praxim* et *observationem*: potest tamen pertinere quoad *doctrinam* et cognitionem, et relationem ad τὴν εἰκόνα. Imo ex collatione umbræ et formæ expressæ, clarius elucescit ipsum *Corpus*.

XVI. Christus, Matth. v. non disputat contra Mosem et ipsa præcepta Legis, sed agit potius interpretem et vindicem Legis, corruptelas et glossemata quæ a Judæorum magistris infarta erant in Legem rejiciendo, et illam nitori suo et genuino sensui restituendo; ut sigillatim videbitur in loco de Lege.

XVII. Quamvis Scriptura N. T. *perfecta* sit *intensive*, quoad doctrinæ salutaris substantiam; non tamen talis est *extensive*, quoad omnem Revelationis divinæ latitudinem; quia loquitur tantum de Christo exhibito, non vero de eo exhibendo, quod testimonii genus utilissimum fuit confirmandæ fidei: Ideo perfectio librorum N. T. non excludit usum librorum V. tum quia se inniti testantur V. T.; tum quia iteratum plurium testium de eadem re testimonium validius est respectu nostri, et facit ad majorem fidei nostræ ἀσφάλειαν.

XVIII. Quod nullo modo datum fuit a Christo, nec *meditate* nec *immediate*, id non pertinet ad Christianos. Sed Lex quæ data fuit per Mosem, data etiam fuit a Christo, per Mosem ut servum, a Christo ut Domino:

Digitized by Google

Unde Act. vii. 38, *Angelus* idem qui apparuit Mosi in deserto, v. 30, et qui fuit ipse Jehova, Exod. iii. 2, dicitur *alloquutus Mosem in monte Sinai*, quia Filius Dei qui Angelus fœderis et faciei vocatur, fuit primarius author et promulgator Legis, cujus Moses erat tantum minister. Nec sic discrimen tollitur inter promulgationem Legis et Evangelii, quia Filius Dei *mediate* tantum, et ut ὑσταρχος, in Lege operabatur, sed author dicitur primus Evangelii *immediate*, et ut ἴνσταρχος, Heb. ii. 3.

XIX. Christus dicitur *finis Legis*, Rom. x. 4, tum quia fuit *scopus* ad quem Lex tota respexit; tum quia fuit ejus τελείωσις et *complementum*, non abrogando omnem ejus usum, sed implendo ejus Oracula, et eam exequendo, tum in se, agendo et patiendo, tum in suis, inscribendo eam in cordibus fidelium; unde Matth. v. 17, dicitur *non venisse ad dissolvendam Legem, sed ad eam implendam.*

XX. Non sunt audiendi servi præsente Domino, si testantur aut injussu ejus, aut contra eum; Sed audiri possunt et debent, si ex mandato ejus testantur de ipso. Quod non minus fecerunt Moses et Prophetæ, Joan. v. 46; Act. x. 43, quam Apostoli: et Christus, Luc. xvi. 29, jubet expresse audiri Mosem et Prophetas. Nec hoc est a Christo ad Mosem retrogredi, sed a Mose ad Christum progredi, qui pædagogus est ad Christum, Gal. iii. 24.

XXI. Initium prædicationis Johannis bene dicitur *Initium Evangelii*, Marc. i. 1, quoad *complementum*, et respectu Christi exhibiti, non quoad *promissionem* et respectu Christi exhibendi, quod jam sub V. T. locum habuit, Rom. i. 2; Gal. iii. 8; Is. lii. 7, et lxi. 1.

QUÆSTIO IX.

DE LIBRIS APOCRYPHIS.

An Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo priores Maccabæorum libri, Baruch, Additamenta ad Estheram et *Danielem, bene referantur in censum librorum Canonicorum?* N. contra Pontificios.

Libri Apocryphi unde dicti.

I. *Libri Apocryphi* ita vocantur, non quod Authores librorum ignorentur; sunt enim et Canonici quorum Author ignoratur, et Apocryphi nonnulli quorum scitur; non quod privatim tantum, et non publice legerentur; nam varii legebantur etiam publice: Sed vel quia remoti erant ἀπὸ τῆς κεύπτης a sacra illa capsula, in qua Libri sacri recondebantur, ut volunt *Epiphanius* et *Augustinus:* Vel quod occulta fuerit et suspecta eorum authoritas, et consequenter absconditus quoque eorum usus; quippe quos non consuevit Ecclesia legere ad Ecclesiasticorum dogmatum authoritatem confirmandam, ut habet *Hiero. præf. in Proverb. Salom:* Vel quod verius est, quia sunt incertæ et occultæ originis, quorum occulta origo non claruit illis quorum testificatione authoritas Scripturarum ad nos pervenit, ut ait *Aug.* l. 5, de C. D. c. 24.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur de Libris V. et N. T. quos pro Canonicis habemus, hos enim Pontificii ut Canonicos nobiscum admittunt. Nec de omnibus Apocryphis, sunt enim qui a Pontificiis non minus ac a nobis rejiciuntur, ut 3 et 4 *Esdræ*, 3 et 4 *Maccabæorum*, *Oratio Manassis*, &c. Sed agitur tantum de *Tobia*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientia*, *Ecclesiastico*, 1 et 2 *Maccaborum*, *Additamentis Esthe-*

Digitized by Google

ræ et *Danielis*, quos in numerum Canonicorum referunt Pontificii: Nos ab illo eos excludimus; non quod multa vera et pia iis non contineantur, sed quod librorum Canonicorum notas non habeant.

Cur Libri Apocryphi a Canone excluduntur.

III. Rationes sunt variæ. 1. Quia ecclesia Judaïca cui commissa sunt Eloquia Dei, Rom. iii. 2, nunquam eos habuit pro Canonicis, eundem nobiscum Canonem retinens, ut testatur *Joseph li.* 1, *contra Appionem*, et fatetur *Beca. Manu. Contr.* li. 1, c. 1, et *Sapleto.* to. 1, li. 3. Contr. 5, c. 14. Quod fieri non potuisset sine gravi crimine, si libri illi non minus ac cæteri ipsi concrediti fuissent; quod tamen ipsi nec a Christo, nec ab Apostolis unquam impactum. Neque hic Canon Judæorum a Canone Christianorum distingui debet; quia Christiani nec possunt nec debent acceptare alios libros V. T. pro Canonicis, quam quos acceperunt a Judæis eorum Capsariis, ut vocat eos *Aug.* in Ps. xl., *qui studentibus nobis Codices portant.* 2. Quia nusquam citantur a Christo et Apostolis ut Canonici non secus ac cæteri; imo dum Christus omnes V. T. Libros, Luc. xxiv. 44, in tres Classes partitur, Legem, Psalmos, et Prophetas, non obscure Canonem Judæorum probat, et libros istos qui illa divisione non continentur a Canone excludit. 3. Quia Ecclesia Christiana per 400 annos eosdem nobiscum, et non alios libros Canonicos agnovit; patet ex *Conc. Laodic.* c. 59, *Melitone* Sardensi Episcopo qui vixit a. C. 16, *apud Euseb. Hist.* l. 4. c. 25. *Epiphanio* in hæresi Epicuræorum, *Hieronymo* in Prologo galeato, *Athanasio* in synopsi, &c. 4. Quia nec authores fuerunt Prophetæ et Viri διάπνοστοι, cum scripti sint post Malachiam ultimum Prophetarum; nec Lingua Hebraïca exarati sint, ut Libri V. T. sed Græca. Unde Josephus loco citato agnoscit ea quæ apud suos scripta fuerunt post Artaxerxis tempora, non paris esse fidei et authoritatis cum præcedentibus *διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν.*

IV. Quia *stylus* et *materia* Librorum eos humanos esse non divinos clamant, ut minime sagacem oporteat esse eum, qui non sentiat eos ab humana profectos industria, licet alii aliis sint præstabiliores. Nam præterquam quod stylus non resipit majestatem et simplicitatem styli divini, sed redolet vitia et infirmitates ingenii humani, in vanitate, assentatione, curiositate, affectatione, intempestiva eruditionis et eloquentiæ affectatione, quæ non raro occurrunt: in illis tot extant, non modo frivola et absurda, sed et falsa, superstitiosa et contradictoria, ut facile pateat non divina sed humana esse scripta. Pauca e multis damus Errorum specimina. *Tobias* mendacium Angelo tribuit qui capite 5, v. 15, dicit se Azariam Ananiæ filium, et cap. 12, 15, Raphaëlem Angelum Domini: Idem capite 6, consilium magicum dat de fugando dæmone fumo piscini hepatis contra illud Christi, Mat. xvii. 21. Sibi tribuit oblationem precum uni Christo propriam, cap. xii. 12. Liber *Judith* factum Simeonis celebrat, c. ix. 2, quod Jacobus ferit anathemate, Genes. xlix; fraudis et mendacia Judithæ laudat, c. xi. quæ male conveniunt pietati; pejus adhuc, quod illa fraudibus et mendaciis suis benedictionem a Deo petit, c. ix. 13. Nulla *Bethuliæ* urbis in Scripturis mentio, nec vel apud Josephum vel Philonem, qui de rebus Judaïcis scripserunt, ullum vestigium occurrit liberationis ibi memoratæ. Author *Sapientiæ* falso se Regem in Israële fuisse asserit, c. ix. 7, 8, ut pro Salomone habeatur, cum tamen c. iv. 2, alludat ad Certamina athletica nondum in usu apud Græcos Salomonis tempore; adde quod Pythagoricam adstruit *μετεμψύχωσιν* c. viii. 19, 20, et falsa narrat de origine Idolorum, c. xiv. 15, 16. *Syracides* c. xlvi. 20, Samuëli tribuit quod factum est a Cacodæmone malis artibus evocato, 1 Sam. xxviii. 11, falsa

Digitized by Google

narrat de Elia corporaliter reversuro, c. xlviii. 10, et hallucinationes suas in Prologo excusat.

V. In Additionibus *Estheræ* et *Danielis* tam multa sunt contradictoria et absurda, ut *Sixtus Senensis* eas plane rejiceat. *Baruch* dicit se anno quinto post excidium Hierosolymitanum librum suum legisse Jechoniæ et toti populo Babylone; cum tamen Jechonias esset in carcere, et Baruch cum Jechonia abductus fuisset in Ægyptum post cædem Godoliæ, Jer. xliii. 10. Aram Domini commemorat, c. i. 10, cum Templo diruto nulla esset. *Libri Maccabæorum* non semel inter se dissentiunt: confer 1 Maccab. c. i. 16, cum c. ix. 5, 28, et li. 1, c. 10. Αἰτοχυρία Raziæ laudatur, 2 Maccab. xiv. 42. Εὐλογησία commendatur, lib. 2. c. xii. 42, in Juda sacrificium pro mortuis præter Legem offerente: Author infantiam et infirmitatem suam excusat, et de laboris in consarcinando Centone suo ex quinque libris Jasonis Cyrensei molestia quæritur c. ii. 24, et xv. 39. Si quis de Libris istis plura desideret, consulat *Rainoldum*, *Chamierum*, *Molinæum*, *Spanhemium*, et alios qui fuse et solide hoc argumentum sunt executi.

Fontes Solutionum.

VI. Alius est *Canon fidei*, Alius *Canon lectionis Ecclesiasticæ:* Non agitur hic de Canone posteriori sensu; Nam certum est libros istos Apocryphos publice etiam lectos aliquando fuisse in Ecclesia; sed *ad ædificationem plebis* tantum, *non authoritatem dogmatum confirmandam*, ut habet *Hiero. præfat. in lib. Salomo.* Sic *Legendæ* quæ a legendo dicuntur, et quæ passiones Martyrum continebant, publice in Ecclesiæ legebantur, licet pro Canonicis non haberentur. Sed agitur hic de Canone fidei.

VII. Vox *Canonis* apud Patres bifariam sumitur, vel *late* vel *stricte*. Primo sensu complectitur Canonem non tantum fidei, sed et lectionis Ecclesiasticæ. Et hac ratione intelligendum est Concilium Carthaginense III. Can. 47, quum hos Libros Canonicos vocat (si tamen Canon ille non est παρέκκλητος, quia Bonifacii Papæ meminit, qui eo tempore Papa nondum fuit: unde *Surius* Monachus Canonem hunc non Carthaginensi III. sed VII. vindicat To. 1, Concil. p. 546,) non stricte et proprie de Canone fidei, sed late de Canone lectionis, ut expresse Synodus loquitur, quæ vult etiam legi *passiones Martyrum:* et sic intelligendus etiam *August.* quum eos vocat *Canonicos;* facit enim duos ordines Canonicorum: Primum eorum qui ab omnibus admittuntur Ecclesiis, et de quibus nunquam est dubitatum: Secundum eorum qui a nonnullis tantum sunt admissi, et qui solebant ex ambone legi; et hos judicat non esse faciendos quanti priores, et longe imparem eorum esse authoritatem lib. ii. *cont. Manich.* cap. 5. Apocryphi vero illi sunt scripta adulterina, falsa et improba l. 5, de C. D. cap. 24, fabulas vocat Scripturarum, quæ Apocryphæ dicuntur. Canon vero *stricte* sumitur pro eo quod habet divinam et infallibilem authoritatem ad probanda fidei dogmata: Et sic *Hiero.* vocem Canonis sumit, quum eos excludit a Canone. Ita August. latius accipit vocem *Canonici* quam *Hiero.* qui vocem *Apocryphi* latius accepit quam *Augustinus*, non modo pro aperte falsis et fabulosis libris, sed etiam pro iis, qui licet legerentur in Ecclesia, non adhibebantur ad probanda fidei dogmata: Unde facile conciliantur dicta Patrum istorum, quæ inter se hoc in negotio arietare videntur. Sic *Caieta.* Commen. in Esther. sub finem, dicta Patrum explicat, ut *ad limam Hieronymi reducenda* dicat *tam verba Conciliorum, quam Doctorum, ut libri isti non sint Canonici*, id. *regulares ad firmandum ea quæ sunt fidei, licet possint dici Canonici*, id. *regulares ad ædificationem fidelium, utpote in Canone Biblico ad hoc recepti*, &c. cum quo facit *Diony. Carthus. procem, in l. Tobiæ.*

Digitized by Google

VIII. Frustra Pontificii distinguunt inter Canonem Judæorum, et Canonem Christianorum: Nam licet Canon noster prout totaliter sumitur pro omnibus libris V. et N. T. in quibus consistit adæquate, non ex æquo admittatur a Judæis, qui N. T. rejiciunt: tamen si sumatur partialiter ratione V. T. quo sensu de eo hic loquimur; Certum est nostrum non differre a Canone Judæorum, quia non alios admittebant in Canonem, ab iis quos recipimus.

IX. Si apud Patres mentio fit nonnunquam Deutero-Canonicorum, non intelliguntur illi qui vere et univoce sunt Canonici quoad fidem, sed tantum qui referebantur in Canonem Lectionis, propter multa pia et utilia quæ facere possunt ad ædificationem.

X. Citatio loci alicujus non probat statim librum esse Canonicum; sic enim *Aratus*, *Menander*, *Epimenides* citati Paulo Act. xvii. 28; 1 Cor. xv. 33; Tit. i. 12, essent Canonici, 2. quæ allegantur ab Adversariis tanquam citata ex Apocryphis, eadem in aliis libris Canonicis habentur, ex quibus proinde Apostoli potius quam ex Apocryphis citare illa potuerunt.

XI. Si conjunguntur cum Libris Canonicis, non sequitur eos esse paris authoritatis, sed tantum utiles ad mores formandos, et historiam temporum cognoscendam, non vero ad fidem stabiliendam.

XII. Quamvis quidam ex Apocryphis meliores sint et castigatiores cæteris, et habeant varia ethica probi commatis, quæ usum suum habere possunt, ut liber Sapientiæ et Syracides; quia tamen alia habent non pauca falsa et absurda, merito ex Canone fidei removentur.

XIII. Licet quidam dubitarint de authentia nonnullorum librorum N. T. ut Epistolæ Jacobi, posterioris Petri, ii. et iii. Johan. et Apoc. qui postea ab Ecclesia pro Canonicis sunt habiti; Non sequitur idem fieri potuisse respectu Librorum Apocryphorum: quia alia est ratio Librorum V. et N. T. in hoc negotio. Nam Libri V. T. non per vices, temporis successu, et per partes Ecclesiæ Christianæ dati sunt: Sed uno et eodem tempore libros omnes ad illud pertinentes in uno Codice descriptos a Judæis accepit, postquam authoritatem indubitatam habuissent, ab ipso Christo et Apostolis confirmatam. Sed Libri N. T. per partes variis temporibus ét locis editi fuerunt, et paulatim in unum Corpus collecti. Unde factum ut libri nonnulli posteriores, qui tardius in manus venerunt apud aliquas Ecclesias, in locis præsertim remotis a nonnullis habiti fuerint dubii, donec paulatim authentia eorum innotuit. 2. Quamvis in quibusdam Ecclesiis sit contradictum nonnullis Epistolis et libro Apocal., semper tamen multo plures fuerunt qui receperunt quam qui contradixerunt. Sed de libris Apocryphis non disceptatum fuit, quia semper ab Ecclesia Judaïca sunt rejecti.

QUÆSTIO X.

DE PURITATE FONTIUM.

An Textus Originales V. et N. Test. puri et incorrupti ad nos pervenerint? Affir. contra Pontif.

I. Quæstio hæc Nobis movetur a Pontificiis; qui puritatem Fontium ideo impugnant, ut Vulgatæ suæ Versioni authentiam facilius concilient, et ad Ecclesiæ Tribunal nos abducant.

Digitized by Google

II. *Textuum Originalium* nomine, non intelligimus ipsa *Autographa* manu Mosis, Prophetarum et Apostolorum exarata, quæ desiderari hodie constat. Sed eorum *Apographa*, quæ eo nomine veniunt, quia exprimunt nobis Verbum illud Dei illis ipsis verbis quibus Scriptores sacri id consignarunt sub immediata inspiratione Spiritus S.

III. Non quæritur, An fontes ita sint puri, ut nulla menda in multos Codices sacros irrepserint, vel temporum injuria, vel librariorum incuria, aut malitia Judæorum aut Hæreticorum; Hoc enim utrinque est in confesso, et *Variæ Lectiones*, quas studiose observarunt *Beza* et R. *Stephanus* in Græcis, et in Hebræis Judæi, satis hoc testantur. Sed, An Textus Originales sive Codices Hebræi et Græci, ita sint corrupti sive a librariis per incuriam, sive a Judæis et Hæreticis per malitiam, ut non possint amplius censeri Judex Controversiarum, et Norma ad quam omnes omnino Versiones sint exigendæ. Affirmant Pontificii; Nos negamus.

IV. Non omnes tamen Pontificii in ea sunt sententia: sunt enim non pauci quos *Hebraïzantes* vocant, qui fontium puritatem agnoverunt, et ex professo etiam propugnarunt, ut *Sixtus Senensis*, Bibli S. l. 8; *Bannes* in 1 Thom. q. i. artic. 8; *Andradius*, Defens. Concil. Triden. lib. iv; *Driedo*, lib. ii. de Dogma.; *Arias Montanus*, in Præfat. ad Bib. Heb.; *Joh. Isaacus*, contra Lindanum; *Jac. Bonfrerius*, in Præloq. in Scrip. S. c. xii. § 5; *Simeon de Muis*, Epist. de veri. Heb. p. 17, et alii non pauci. Verum alii ex opposito corruptionem fontium urgent acriter, ut *Stapletonus*, *Lindanus*, *Canus*, *Cottonus*, *Morinus*, *Perronius*, *Gordonus*, et sim. Sunt qui mediam viam sequentes, nolunt quidem asserere corruptos esse fontes; interea non ea puritate et integritate fluere asserunt, ut omnia in Versionibus ad eos examinari et emendari debeant; quæ sententia est *Bellarmini*, lib. ii. de Verbo Dei, c. ii. qui hac in parte parum sibi constare, ut non semel alibi, deprehenditur.

Fontes non esse corruptos probatur a Dei Providentia.

V. Fontes non esse corruptos evincit, 1. *Providentia Dei*, cui repugnat, libros quos ad salutem hominum exarari voluit ab hominibus διεφθάρθαι, quosque permanere voluit ad finem mundi ut ex iis aquæ salutares haurirentur, ita falsari sivisse ut ad hunc finem inepti essent. Et cum novæ revelationes non sint expectandæ; postquam Deus totam voluntatem suam de doctrina salutis libris Scripturæ consignavit; quid magis injurium Deo, qui se Ecclesiæ semper adfuturum promisit, quam asserere passum esse, ut libri quibus hæc doctrina continetur, corrupti sint eatenus ut non possint esse Canon fidei? 2. *Ecclesiæ Christianæ fidelitas*, et improbus in conservandis Codicibus labor; cum enim magno studio semper Christiani in id incubuerint, ut sacrum hoc depositum intemeratum servarent, credibile non est eos vel illud falsasse, vel falsari a quoquam permisisse. 3. *Judæorum Religio*, qui circa Codices sacros magna fide et diligentia ad superstitionem usque versati sunt; Hinc *Josephus*, lib. ii. *contr. Appio.* post seculorum decursum, neminem ait ausum ex propriis Judæorum libris quicquam vel addere, vel demere, vel immutare, atque adeo innatum ipsis esse pro Scriptura decorum mori. *Philo* libro de egressu filiorum Israël ab Ægypto citatus, *Eusebio*, lib. viii. præpa. Evang. c. ii. ulterius progreditur, dum asserit *usque ad sua tempora, per spatium amplius quam duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse in Lege Hebræorum mutatum, et quemlibet Judæum centies potius moriturum, quam ut pateretur Legem in aliquo mutari.* Imo eousque ridicule superstitiosi deprehenduntur circa Codicem sacrum, ut si liber Legis emendatus in terram ceciderit in-

Ecclesiæ fidelitate.

Judæorum religione.

Digitized by Google

dicant jejunium, et metuendum dicant ne tota rerum universitas in pristinum Chaos revertatur; tantum abest ut fraudem facere sacro Codici sustineant. 4. *Masoretharum diligentia* non tantum circa versus et voces sed et singulas literas, quas una cum omnibus variationibus punctationis et scriptionis, non solum in numerato habuere, sed et scripto consignavere, ne falsariis manibus, vel locus, vel suspicio saltem daretur: quod argumentum urget *Arias Montanus*, præfat. in Bibl. 5. *Exemplarium multitudo*, cum enim longe lateque diffusi essent Codices sacri quo tandem pacto potuerunt omnes corrumpi, vel Librariorum injuria, vel falsariorum malitia? Aug. li. 15, de C. D. c. xii. *Absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ, tantum potuisse credat, in codicibus tam multis, et tam longe lateque diffusis:* quod *Vives* dicit opponi debere iis qui *falsatos et corruptos Hebræos V. T. Codices et Græcos Novi objiciunt, ne veritas sacrorum Librorum ex illis fontibus petatur.*

A Masoretharum diligentia.

Ab Exemplarium multitudine.

www.tutool.com.cn

VI. 6. Si corrupti fuissent fontes, vel *ante Christum* id factum, vel *post:* sed neutrum dici potest. Non *ante;* quia Christus hoc non dissimulasset, qui varias doctrinæ depravationes arguit, nec libris corruptis uti sustinuisset: An tam parum sollicitus fuit Dominus de salute suorum, ut falsatos esse Mosis et Prophetarum libros nec per se, nec per Apostolos verbo saltem admoneret, cum interea ex libris illis revincat Judæos, (quorsum autem, si corrupti erant et adulterati) et discipulos suos ad eorum librorum lectionem et scrutinium invitet et urgeat? Non *post;* tum quia exemplaria inter Christianos distracta irritos reddidissent tales conatus, tum quia talis corruptionis nullum vestigium occurrit: Nam si tale quid contigisset, Cur loca quæ Christus et Apostoli citant ex Mose et Prophetis eodem modo hodie ac olim, et nullatenus depravata leguntur? Cur *Origines* et *Hieronymus*, qui linguæ sanctæ peritia excellebant ab hoc crimine Judæos tam diserte absolvunt? Igitur si nec ante nec post Christum corruptio facta est, sequitur nunquam factam esse, quod argumentum persequitur Bellarminus, lib. ii. de V. D. c. ii.

VII. 7. Judæi nec *voluerunt* nec *potuerunt* fontes corrumpere. *Noluisse*, præter Religionem eorum de qua diximus, probat *Textuum Sacrorum consideratio:* quia si quid corrumpere voluissent, utique Oracula quæ de Christo loquuntur, et fidem Christianam confirmant, depravassent; quis enim credat eos, si odio Christianorum hoc fecerunt, ut supponitur, ea loca falsasse ex quibus nihil adversus Christianos emolumenti capiunt; ea vero intacta prætermisisse in quibus tanquam palmariis Veritatis Evangelicæ fundamentum Christiani constituunt? At res omnino ita se habet, quæcunque depravata dicuntur a Judæis, vel parum vel nihil obsunt Christianis; Et potissima Oracula de Christo, integra supersunt, et multo clariora et ἐμφατικώτερα in Hebræo, quam in Versionibus extant, ut *Hiero.* epist. lxxiv. ad Marcellam; *Johannes Isaacus* adversus Lindanum, lib. ii.; *Andrad.* lib. ii. defens. Conc. Triden. observant. Non *potuisse* etiam licet maxime voluissent, evincit non modo *Exemplarium multitudo*, sed et *Christianorum vigilantia*, quorum exemplaria Judæi ne cuncti quidem corrumpere potuerunt; Et *provida Dei sapientia*, quæ si non patitur unum jota aut apicem perire ex Lege quin impleatur, Matth. v. 18, multo minus siverit Corpus doctrinæ cœlestis labefieri a Judæis, et tantum thesaurum nobis eripi; quin potius ut bene notat Bell. *in eum finem Judæos dispergere voluit per totum orbem terrarum, et circumferre libros Legis et Prophetiarum, ut inimici nostri Christianæ veritati testimonium præberent*, lib. ii. de V. D. c. ii. arg. 5; Hinc August. Judæos vocat, *Gentem scrinariam, bajulantem Legem et Prophetas, quomodo solent servi codices ferre, ut illi portando defi-*

Digitized by Google

ciant, et hi legendo proficiant; nobis enim serviunt; Judæi tanquam Capsarii, et Librarii, qui studentibus nobis Codices portant, lib. xxii. cont. F. Manich. c. xxiii. *in Cordibus hostes, in Codicibus testes*, ut alibi loquitur.

Fontes Solutionum.

VIII. Quamvis Exscriptorum incuria, vel temporum injuria variæ corruptelæ in Codices Hebræos irrepere potuerint, non desinunt tamen esse Canon fidei et morum. Nam præterquam quod sunt in rebus levioris momenti, et quæ fidem et mores non spectant, ut *Bellarm.* ipse fatetur, lib. ii. de V. D. c. ii. quas propterea Scripturæ integritati officere negat; Non sunt universales in omnibus omnino Codicibus, vel tales quæ ex Scripturæ ipsius et variorum Codicum collatione facile corrigi non possint.

IX. Odium Judæorum erga Christianos potuit quidem esse causa corruptionis Fontium remota; sed quæ ab alia causa superiore impediri potuit, nimirum Dei providentia, quæ non minus prospexit Christianis de certa fidei regula, ac Judæis, ut ex indubitatis fundamentis Evangelium deduceretur, quod fieri non potuit, si corrumpi fontes permisisset.

X. Discrimen Versionis LXX. a Textu originali, non infert Textum esse corruptum, sed potius Versionem esse vitiatam; quod *Hiero.* suo tempore jam agnovit, Præfat. in Deutero. et in Paralipo. et Epist. ad Suniam et Fretellam. *Bellarminus* de V. D. lib. ii. cap. vi. dicit adeo esse corruptam et vitiatam, ut omnino alia videatur, ita ut jam tutum non sit Hebræos vel Latinos Textus ex Græcis Codicibus emendare.

XI. Tantum abest ut *Keri* et *Cethib*, quæ 848 vulgo numerantur, corrumpant Textum, ut varias potius ostendant lectiones variorum Exemplarium, per quas excluditur omnis Novatorum corruptio: Quo pertinent etiam *Chasir* et *Jother*, qui defectus aut redundantias grammaticales indicant; Ex quibus Masoretharum patet superstitiosum quasi Textus conservandi, non minimum depravandi studium.

XII. *Tikkun Sopherim* seu *Correctiones Scribarum*, quæ sunt tantum 18, non supponunt aliquid in Textu fuisse vitiatum; alias, vel Christus si ante ipsum factæ fuissent, vel Orthodoxi Patres si post Christum contigissent sine censura non prætermisissent. Nec sunt necessariæ correctiones, ut legenti patet, sed potius elegantes lectiones, et non tam sensus quam verborum mutationes, quæ factæ sunt, vel a Viris Synagogæ magnæ quorum Esdras princeps fuit Διδάσκαλος, qui post reditum ex Captivitate Babylonica Exemplaria Librorum Sacrorum dissipata vel vitiata in integrum restituit, et eo quem habemus ordine digessit; vel ab Authoribus ipsis, qui Rhetorum more per Epanorthosim quod dixerant in textu corrigunt; sed minus esse necessarias res ipsa clamat, quia non desinit sensus integer esse, licet verba retineantur prout sonant. Vid. *Glass. Philol.* s. l. 1, *Tract.* 1, *de Textus Hebr. puritate.*

XIII. Literarum quarundam similitudo, potest quidem facere, ut quidam Errores irrepserint in varios Codices Exscriptorum negligentia, sed non ita universales fuerunt, quin corrigi potuerint ex aliis, maxime post Masoretharum diligentiam, qui non tantum dictiones omnes, sed et literas numerarunt quoties in textu occurrebant.

XIV. Tantum abest ut opus Masorethicum sit argumentum corruptionis fontium; ut contra ad præcavendos errores sit institutum, ne vel unus apex in posterum possit mutari aut excidere.

XV. Licet Apostolus, Rom. x. 18, reddat per φθόγγος, quod Ps. xix. 5, per קו expressum fuerat; Non sequitur corruptum esse textum Hebræum, et repositum קו *linea eorum*, pro קול *vox*, vel *sonus eorum*. Nam ק non significat tantum lineam extensam seu perpendiculum, sed etiam *lineam*

Digitized by Google

scriptam, seu literam qua pueri elementarii informantur; qua voce usus est Isa. xxviii. 10, ut rudem infantiam populi Israëlitici designaret, dum *præceptum post præceptum*, *lineam post lineam*, populum illum ait esse docendum instar puerorum. Sic Psaltes, *Dies*, inquit, *diem docet, et nox alteri ostendit scientiam.* Huic autem voci non male respondet φθόγγος, quæ non modo pro sono, sed et pro Scriptura literæ sumitur, non aliter quam diphthongum et vocalem scriptam dicimus. Deinde Paulus non allegat proprie hunc locum, sed tantum allusive et anagogice accommodat ad prædicationem Evangelii ab Apostolis factam, ad sensum potius quam ad verba respiciendo.

XVI. Alia est *depravatio verborum;* Alia vero *interpretationis.* Judæi potuerunt corrumpere interpretationem loci, Isa. ix. 6, ut verba ista ויקרא שמו *et vocabit nomen ejus*, referantur ad Patrem qui vocat, non ad Christum qui vocatur; sed non depravarunt ipsa verba, quia sive passive, sive active reddantur res eodem redit, siquidem ex idiotismo linguæ Hebraïcæ, futurum activum sine supposito sæpe passivam habet significationem, ut habet *Ribera* in Mich. ii. 17, et ita verba tertiæ personæ impersonaliter accepta modo active, modo passive reddi possunt. Itaque non mutanda est lectio Hebræa, *et vocabit nomen ejus*, sed explicanda subaudiendo subjectum, non *Deus Pater*, quod Judæi supplent, sed *unusquisque*, nimirum fidelium, vocabit nomen ejus scil. Christi, quod ut clarius liqueret, redditum est passive, *Vocabitur nomen ejus.* Sic Jerem. xxiii. 6, corruptela est in interpretatione non in verbis, quæ recte redduntur; Vel in singulari *vocabit eum* uti sonant relate ad nominativum præcedentem, *Israël et Juda*, ut LXX. vertunt; Vel in plurali *vocabunt*, ut vertunt *Pagninus*, *Vatablus*, *Arias Montanus* post Chaldæum, Syrum, Arabem et Vulgatam. Hieronymus in h. l. utramque lectionem habet *vocabit et vocabunt;* nec apud Veteres ullus est qui locum hunc depravatum dixerit.

XVII. Cum Gen. xlix. 10, per שילה tria Targumim, Onke. Hieroso. et Jonath. et Kimchi intelligant *Messiam*, liquet Judæos locum hunc non corrupisse, ut probarent Messiam nondum venisse: adde quod nomen שילה, quod in *Talmude* Messiæ attribuitur *Codi. Sanhed.* c. 11, non minus adversatur Judæis et Christum indicat, quam vox שילוח *missus*, quam ibi fuisse pertendunt; sive a שיל deducatur, quæ filium significat, sive a שלה quæ pacificum esse innuit, sive quod LXX. sequuntur, et commodius videtur pro אשר לו ᾧ ἀπόκειται *cujus est regnum*, ut similis phrasis legitur apud Ezec. c. 21, 32.

XVIII. Locus Zacha. ix. 9, non est corruptus, quando Messias dicitur futurus Rex justus et נושע: vox enim ista vel passive sumi potest, ut denotet Christum salvatum fuisse ut loquitur Apost. Heb. v. 7, a morte, vel seipsum salvasse ut dicitur, Isa. lxiii. 3, vel per formam deponentis active usurpatur, ut apud Hebræos non pauca reperiuntur, ut נשבע *juravit*, נצל *spoliavit;* et erit participium idem significans quod מושיע *Liberator*, *Servator.*

XIX. Licet Exod. xii. 40, Habitatio filiorum Israël in Ægypto fuisse dicatur annorum quadringentorum et triginta, quod non potest intelligi de mora in Ægypto, quæ fuit tantum 215 annorum; sed de mora quam fecerunt tam in terra Canaan, quam in Ægypto, ut explicant Samaritanus et Græcus contextus: Non propterea Codex Hebræus debet censeri corruptus, sed est locutio synecdochica, quæ meminit tantum Ægypti, quia præcipuum fuit Israëlitarum exilium, denominatione facta a potiori.

XX. Psalmo xiv. nulli versus sunt omissi, nam qui Rom. iii. 11, 12,

Digitized by Google

&c., citantur, non hinc petiti sunt ab Apostolo, sed ex pluribus Psalmis in unum contracti; ut ex Ps. v; xi; xxxvi; cxl; et Isa. lix, quod Hiero. docuit præfat. in 16 lib. Commen. in Isa.

XXI. 1 Cor. xv. 47, non est corruptio in Textu Græco, sed in Vulgata Versione, quæ omisit nomen Κύριος, quo hic insignitur Christus, ut constet esse Dominum Jehovam, non nudum hominem, et sic antithesis primi et secundi Adami multo est fortior, *Primus homo de terra terrenus, sed secundus homo Dominus e cœlo.*

XXII. Quamvis δοξολογία, quæ habetur, Matth. vi. 13, in clausula Orationis Dominicæ non extet apud Lucam, c. 11, nec in variis exemplaribus: Non sequitur corruptum esse locum, quia Dominus potuit bis eandem precandi formulam proponere, primo in privata discipulorum institutione sine ea, deinde turbæ promiscuæ, ubi illam adjecit. Nec insolitum unum Evangelistam præterire quod alter exponit, cum omnia omnes perscribere non necessarium duxerint, ut Matt. vi. 33, habetur *Quærite Regnum Dei et justitiam ejus;* At Luc. vi. 31, simpliciter habetur, *Quærite Regnum Dei.* Non ergo eradere, sed supplere oportet ex Matthæo, quod Lucas omisit, cum uterque sit διόπτωτος; maxime cum ista pericopa habeatur in omnibus Græcis codicibus apud Matthæum, ut *Erasmus* et *Bellar.* fatentur.

XXIII. Quamvis in quibusdam Codicibus legatur, Rom. xii. 11, καιρῷ δουλεύοντες *tempori servientes*, hoc non habetur in omnibus, imo *Franciscus Lucas* testatur se sex vidisse, in quibus esset Κυρίῳ. *Beza* asserit ita legi in probatissimis quibusque, et *Dom. a Soto* observat eam lectionem jam universim extare, tum Græce tum Latine.

XXIV. Certum est omnes Græcos Codices dissidere a Latinis, 1 Joh. iv. 3, nam ubi Græci habent *omnis Spiritus qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse*, Latini sic legunt, *omnis Spiritus qui solvit Jesum:* non sequitur corruptos esse fontes, quia lectio Græca et augustior est, et longe fortior adversus Nestorium et Eutychem.

XXV. Aliud est *Corruptio*, Aliud *varia Lectio.* Varias lectiones plures dari tam in V. quam in N. T. fatemur, quæ ex variorum Codicum collatione oriuntur; sed corruptionem saltem universalem dari negamus.

XXVI. Aliud est loqui de *hæreticorum conatu* in corrumpendis quibusdam Codicibus, quod facile concedimus, quo pertinent querelæ Patrum, ut de Marcione *Irenæ.* li. xi. c. 29, et *Orige.* in Ro. xvi. 13, et *Theodor.* de Tatiano lib. 1. hæres. Aliud vero de *successu*, seu de plenaria et universali corruptione, quam negamus, tum propter Providentiam Dei, quæ non passa est eos perficere quod intendebant, tum propter Patrum Orthodoxorum diligentiam, qui penes se Codices varios habentes, a corruptelis immunes eos præstiterunt.

QUÆSTIO XI.

DE EDITIONE AUTHENTICA.

An sola Editio Hebræa Veteris Test. et Græca Novi sit authentica? Affir. contra Pontificios.

I. *Editiones Scripturæ*, aliæ sunt πρωτότυποι seu ἀρχέτυποι, *originales* et *primariæ* quibus primo usi sunt authores librorum; Aliæ vero ἔκτυποι vel *secundariæ*, nim. Versiones quibus in alias linguas est derivata. Hebræam V. et Græcam N. T. esse originalem et primigeniam nemo negat: Sed,

Digitized by Google

An Authentica sit utraque, quæ ex se fidem et authoritatem mereatur, ad quam exigendæ sint Versiones omnes, id inter Nos et Pontificios controvertitur.

Sententia Pontificiorum.

II. Licet quidam ex Pontificiis æquiores sint fontibus, puritatem eorum asserendo, ut antea visum, et ex puritate authentiam illis adscribendo, ut Versiones omnes et Vulgata etiam ad eos revocari debeant, et ex iis corrigi possint; ut *Sixtus Senen. lib.* 8, *hær.* 2, *Driedo, li.* 2; *Andradius, lib.* 2, *defens. Conc. Trid.*, et alii; Plerique tamen illis sunt iniquiores, qui dicunt nullam esse contextus Hebraïci certitudinem, nec in disputationibus fidei ad fontes esse provocandum, vel V. Versionem ex iis emendandam esse, ut *Stapleto. de princip.* fid. *doct. contro.* 5, q. 3, a. 1. *Canus lib.* 2, c. 11, 13; *Lindanus*, et alii, qui corruptionem fontium tuentur. Hausta autem est hæc sententia ex Decreto Concilii Tridentini Sessi. 4, quo sancitur, ut *V. Versio Latina in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, ita ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat.* Licet vero non pauci ex Pontificiis quos hujus decreti pudet, alienum sensum ei affingere conentur, quasi nihil contra Textuum originalium authentiam Concilium decreverit, nec V. Versionem fontibus prætulerit; sed solum ex Latinis Versionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerit, quam cæteris anteponeret, ut ait *Bell.* lib. 2, de V. D. c. 10, quæ sententia est *Andradii, Salmeronis, Serarii*, et aliorum; Tamen hanc detortionem esse Decreti Synodici merito clamat D. *Bannes*, et ex ipsis decreti verbis facile colligitur. Nam si pro authentica haberi debet, ut nemo illam quovis prætextu rejicere audeat, nonne fontibus ipsis æquatur, imo et præfertur? nec enim si discedit a fontibus exigenda erit ad ipsos, sed ipsi potius ad eam. Unde *Mariana* de V. V. pag. 99, conqueritur post promulgationem Concilii Tridentini, *Græca et Hebræa uno impetu concidisse.* Nostra vero sententia est, solam Editionem Hebraïcam V. T. et Græcam N. semper fuisse et adhuc esse authenticam, ad quam omnes de fide et Religione Controversiæ, omnesque Versiones probari et examinari debeant.

Authenticum Scriptum quid sit?

III. *Authenticum Scriptum* illud est, cui ad fidem faciendam abunde omnia suppetunt, et cui plenissima fides in suo genere debetur; de quo certo constat quod et profectum sit ab eo authore, cujus nomen præ se fert, et quod omnia in eo scripta sint quomodo illa scribi ipse voluit. Duobus autem modis scriptum aliquod *authenticum* esse potest, vel *primario* et *originaliter*, vel *secundario* et *derivative*. Primario authenticum est id scriptum quod est αὐτόπιστον, cui sua per se fides constat, et cui ob seipsum plane creditur ac credi debet, quo pacto sunt authenticæ tabulæ archetypæ Edictorum Regum, Decretorum Magistratuum, Testamentorum, Contractuum, et quævis Authorum Autographa. Secundario authentica sunt omnia Apographa accurate et fideliter ex archetypis descripta per idoneos homines, quales pro Edictis Principum, aliisque tabulis publicis, sunt duntaxat Tabelliones publica authoritate ad id destinati; pro libris autem et aliis scriptis quivis probi et diligentes scribæ et descriptores. Primo sensu sola Autographa Mosis, Prophetarum, et Apostolorum sunt authentica: Sed posteriori Apographa fidelia et accurata sunt etiam authentica.

IV. Rursus, *Authoritas* cujusque Scripti authentici duplex est; Altera in *rebus ipsis* de quibus id agit fundatur, et homines spectat ad quos id scriptum dirigitur: Altera circa *sermonem* ipsum et *scripturam* versatur, et ad congenera exemplaria, et translationes inde factas refertur; inque ea omnia jus tale obtinet, ut hæc ad scriptum authenticum examinari debeant,

Digitized by Google

et sicubi ab eo variant corrigi et emendari. Prior illa authoritas potest esse vel major vel minor, prout est ejus authoritas a quo scriptum id de quo quæritur profectum est, et prout is vel majus vel minus imperium obtinet in homines ad quos scriptum suum dirigit: In sacris autem Scripturis est ea longe maxima, qualis in nullo alio scripto esse potest, cum Deo, pro summo illo imperio quod in homines, ut in alia omnia obtinet, et pro summa illa veritate et sapientia quæ in ipso eminent, simpliciter credere debeamus, et parere in omnibus quæ sacratissimum ejus Verbum Scriptura authentica comprehensum aut credenda aut facienda proponit. Sed posterior in eo consistit, ut autographa, nec non accurata et fidelia apographa sint norma aliorum omnium ejusdem scripti exemplarium, ut et ejus Translationum; quibus, si aliquid a scriptis authenticis sive ea sint autographa sive apographa, dissonum reperitur, id authentici nomine indignum est, et pro spurio et adulterino rejiciendum, nec ulla alia ratione ad exercendam illam censuram opus est præter ipsum dissensum. De priori authoritate actum fuit antea Quæst. IV. quum de Scripturæ Divinitate disputavimus; nunc de altera disputamus, quæ in Editione authentica deprehenditur.

V. Denique *Authentia* bifariam spectatur, vel *materialiter* quoad *res enunciatas*, vel *formaliter* quoad verba et *modum enunciandi*. Non quæritur hic de authentia priori sensu, hanc enim Versionibus non denegamus, quando cum fontibus consentiunt, sed tantum posteriori quæ solis fontibus competit.

Editio Hebræa V. T. et Græca N. sola est authentica.

VI. Rationes sunt, 1. Quia soli fontes sunt θεόπνευστοι, tam quoad res quam quoad verba, 1 Tim. iii. 16, unde soli possunt esse authentici; Nam si quid Viri Dei scripserunt, id fecerunt acti a Spiritu Sancto, 2 Pet. i. 21, qui ipsis ne errarent, non modo res sed ipsa etiam verba dictavit; quod de nulla Versione dici potest. 2. Quia sunt norma et regula ad quam Versiones omnes sunt examinandæ, ut ἴκτυπον debet referri ad ἀρχέτυπον et rivus ex fonte discerni. Quo pertinet *Gratiani* Canon ex Augustino Dist. 19. *Ut Veterum librorum fides de Hebræis Voluminibus examinanda; Ita Novorum veritas Græci sermonis normam desiderat.* Multus est in hac re *Hieron.* ut Hebraïci textus authoritatem tueatur, tanquam fontis ad quem rivuli omnes Versionum referri debent et emendari; vide ep. 102, *ad Marcellam*, et *ad Vitalem*, et *ad Suniam* et *Fretellam*. 3. Quia Editiones istæ ab ipsa origine authenticæ fuerunt, et pro talibus ab Ecclesia Judaïca et Christiana semper habitæ, multis post Christum seculis: nec ulla dari potest ratio propter quam authenticæ nunc esse desierint. Nam quæ a corruptione petitur, præterquam quod supponit quod est in quæstione, ante a nobis confutata est.

VII. 4. Quia si Editio Hebræa V. et Græca N. T. non est authentica nulla erit editio authentica; nulla quippe præter istas habuit αὐθεντίας suæ divinum testimonium. Sic nullum esset Dei Verbum authenticum in Ecclesia, nullus esset contentionum finis, quia nulla esset certa regula fidei et morum in qua omnino sit acquiescendum; et Scriptura instar nasi cerei, vel regulæ Lesbiæ posset in utramque partem pro arbitrio flecti. 5. Quia Adversarii ipsi fatentur in certis casibus ad fontes fas esse recurrere. *Bellar.* lib. 2, de V. D. c. xi. 1. *Cum in Latinis Codicibus error aliquis esse videtur Librariorum.* 2. *Quum varias habent lectiones, ut quæ vera sit certo statui nequeat.* 3. *Quando habent aliquid anceps sive in verbis, sive in rebus.* 4. *Quando ἰδιότης et proprietas vocabulorum non videtur satis expressa.* Quod fieri utique non posset nisi fontes authentici essent. *Arias Montanus* præfat. in Bibl. variis rationibus ostendit errores Versio-

Digitized by Google

num non posse emendari nisi ex primariæ linguæ veritate. *Vives* in lib. 14, Aug. de C. D. c. 8, hoc tanquam certum et indubitatum ponit, ad fontes esse recurrendum. Idem sentiunt *Salmero*, *Bonfrerius*, *Masius*, *Muisius*, *Jansenius* cum familia sua, aliique qui subinde ad fontes provocant.

www.libtool.com.cn

Fontes Solutionum.

VIII. *Variæ Lectiones* quæ occurrunt in Scriptura, authentiam ejus non evertunt, quia facile deprehenduntur et dijudicantur, partim ex cohærentia Textus, partim ex collatione meliorum Codicum; nonnullæ etiam tales sunt, ut licet diversæ, non male tamen eidem Textui conveniant.

IX. Licet ex Hebræis et Græcis fontibus variæ contentiones oriantur, non sequitur non posse esse authenticos; quia alias nulla omnino editio Bibliorum authentica foret ad quam recurrendum esset; nulla enim est lingua quæ non præbeat multam contentiosis rixandi materiam. Deinde, quia hoc non sit fontium vitio, sed eorum qui fontibus abutuntur, vel non intelligendo vel torquendo verba ad sua placita, iisque pertinaciter inhærendo.

X. Falso Editio Hebræa Veteris et Graca N. T. dicitur mutila: Nec quæ ab Adversariis afferuntur testimonia hoc evincere possunt. Non historia adulteræ, Joh. 8, licet enim desit in Syriaca Versione, reperitur in omnibus Græcis Codicibus. Non dictum, 1 Joh. v. 7, quamvis enim quidam in dubium olim vocarint, et vocent hodie hæritici, habent tamen omnia Exemplaria Græca, ut *Sixtus Senensis* agnoscit: *verba indubitatæ semper veritatis fuerunt, et in omnibus Græcis exemplaribus ab ipsis Apostolorum temporibus lecta.* Non Marci 16 caput, quod potuit in variis exemplaribus desiderari tempore Hieronymi, ut ipse fatetur; sed nunc in omnibus habetur, etiam in Syriaca Versione, et est plane necessarium ad pertexendam historiam resurrectionis Christi.

XI. Frustra Adversarii, ut Editionis Hebraïcæ *αὐθεντίαν* labefactent, ad *punctorum novitatem* confugiunt, quasi punctatio fuerit tantum humanum inventum a Masorethis excogitatum, quod humana proinde nitatur authoritate non divina et infallibili, quodque pro libitu sine periculo mutari possit, atque ita sensum Textus incertum et ambiguum semper relinquat. Varia enim reponi possunt. 1. *Bellarminus* pro nobis hic respondebit lib. ii. de V. D. c. 2. *Errores qui ex punctorum additione acciderunt nihil officere veritati, quia puncta extrinsecus sint addita, nec Textum mutent.* 2. Posita hac hypothesi, corruit certitudo non modo Textus originalis, sed et Vulgatæ Versionis, quæ ex illo fonte deducta est, nisi probetur eum qui primus fuit Versionis illius author, sive Hieronymus sive alius fuerit, a Spiritu S. immediate accepisse vocalium necessariarum revelationem, quam alioqui a Judæorum traditione accepisse certum erit; quæ si incerta fuerit, nutabit omnis sacri Textus authoritas.

XII. 3. Licet puncta de novo addita essent, ut pertendunt illi qui a Masorethis Tiberiensibus illorum originem arcessunt; non sequeretur punctationem esse inventum mere humanum, quod ab humano tantum penderet arbitrio; quod sane si statueretur non parum Codicis Hebraïci authentiam labefactaret: Quia Punctatio, ex mente saltem plerorumque qui in ea sunt sententia, non supponitur facta pro libitu Rabbinorum, sed juxta analogiam Scripturæ, genium Linguæ Sanctæ, et sensum inter Judæos longo usu receptum; Quippe licet Puncta non fuerint juxta illam hypothesim a principio quoad *figuram*, negari non potest fuisse semper quoad *sonum* et valorem, seu *potestatem:* alias cum vocales sint animæ consonantium, ambiguus esset semper, imo nullus plane exurgeret verborum sensus, nisi essent illæ coævæ consonantibus: Quod *Prideauxius*

Digitized by Google

Lectione 12 de Punctorum antiquitate, bene observat; *Quoad sonum*, ait, *et valorem, nullus negaverit ab origine fuisse puncta et accentus, sed tantum quoad signa et characteres.* Et paulo post, *Vocales fuerunt coævæ consonantibus quoad vim substratam et sonos, tametsi apices et figuræ de quibus agitur, lucem tunc temporis nondum aspexissent.* Imo vix dubitari potest, vocales, sinon eadem figura qua nunc pinguntur, notulis tamen quibusdam vice punctorum designatas esse, v. g. per literas אהוי, ut quidam censent, quæ propterea *matres lectionis* dicuntur, ut certus et constans posset haberi Spiritus S. sensus; qui alias a mera Traditione, et hominum institutione ac memoria pendens, facile potuisset oblivioni tradi, et adulterari; quæ sententia est Doctissimi *Waltoni*, Proleg. 7, ad Bibl. Polyglotta: *Ex usu* inquit, *et Majorum Traditione ope trium literarum* אהוי *quæ matres lectionis vocantur et ante punctorum inventionem loco vocalium erant, vera lectio et pronunciatio conservata fuit.*

XIII. 4. Gratis supponunt Adversarii quod probandum fuit, Puncta recens et humanum esse inventum, cujus contrarium magno consensu Judæi hactenus, præter unum Eliam Levitam, qui ante annos centum vixit, asseruerunt, quos hic sequuntur complures Viri Celeberrimi tam Grammatici, quam Theologi, Protestantes et Pontificii, *Junius*, *Illyricus*, *Reuchlinus*, *Munsterus*, *Cevalerius*, *Pagninus*, M. *Marinus*, *Polanus*, *Deodatus*, *Brougthonus*, *Muisius*, *Tailorius*, *Bootius*, *Ligtfootius*, maxima pars recentium Theologorum, et qui omne punctum videntur hic tulisse *Buxtorfii* pater et filius, Ille in sua Tiberiade, Iste in solidissimo opere quod opposuit *Arcano Punctationis Revelato*. Nec difficile esset variis argumentis hanc sententiam confirmare, si id nunc ageremus: Sed cum quæstio ista magis videatur Grammatica, quam Theologica, nostram litem eam nolumus facere: Verbo notasse sufficiat, veriorem et tutiorem nobis semper visam, ad Textus originalis αὐθεντίαν adversus quævis profanorum et hæreticorum cavilla sartam tectamque conservandam, ad certum immotumque fidei principium constituendum, illam quæ Puncta originis esse divinæ statuit, sive ea ad Mosem sive ad Esdram Synagogæ magnæ Principem referantur; atque adeo perperam Adversarios ex novitate Punctorum Codicis Hebraïci authoritatem impugnare velle.

QUÆSTIO XII.

An Textus Hebraïcus hodiernus tam circa res quam circa verba ita sit authenticus et διάπνευστος, ut ad ejus normam universæ quæ extant Versiones sint exigendæ, et sicubi deflectunt revocandæ sint? An vero liceat lectionem quam suppeditat, si minus commoda judicetur, deserere, et eam vel ex Veterum Interpretum collatione, vel quandoque ex proprio judicio, et facultate στοχαστικῇ corrigere, et aliam commodiorem sequi? Affir. Prius; Neg. Posterius.

I. Ut Textus Sacri αὐθεντία primarium est fidei fundamentum, nihil antiquius piis omnibus esse debet, quam ut illibata conservetur adversus eorum molimina qui eam vel penitus convellere, vel quocunque modo labefactare conantur. In eum finem præcedens jam instituta fuit Controversia adversus Pontificios; Eo etiam spectat Quæstio proposita, in qua ad examen revocatur R. et D. Viri *Ludovici Cappelli* sententia, qui, ut novitatem Punctorum, tanquam recens Masoretharum inventum, ab humana proinde industria et labore profectum, acerrime propugnandam suscepit in *Arcano*

Digitized by Google

Punctationis revelato; Ita in *Critica sua sacra* magno studio probare intendit, Nos ad hodiernam Lectionem Textus Hebraïci nequaquam ita teneri, quin licitum sit sæpe ab ea discedere, quoties vel ex Veterum Interpretum collatione, vel ex rectæ rationis vi, vel proprio judicio, et conjectandi facultate lectionem aliam meliorem et convenientiorem deprehendere possumus, ut fuse hoc persequitur libro 6, cap. 4, 5, &c. Quod eo animo non facimus, quasi quicquam propterea detractum velimus famæ Viri de Ecclesia Dei alias bene meriti, sed tantum ut sententiam hactenus in Ecclesiis nostris constanter receptam de integrata Textus sacri αὐθεντίᾳ confirmemus adversus eos, qui καινίας istas δόξας et novitias hypotheses adoptare adhuc hodie sustinent, vel de illis tanquam de re levicula, et quæ vel nullius vel admodum exigui sit ad fidem momenti, loquuntur.

II. Ejus sententia eo redit. 1. Quia puncta sunt humanum inventum, posse ea, necessitate ita postulante, immutari et alia substitui, quando sensus quem fundunt vel falsus est vel absurdus. 2. Non modo liberum esse lectionem mutare quoad punctationem, sed etiam quoad ipsam scriptionem; majorem tamen libertatem esse circa illam quam circa istam, quia illam Masorethæ sæpe pro suo arbitrio et ex privato judicio fecerunt, ad quos nos non debemus esse adstricti. 3. Si ex Veterum Interpretum, sive Græcorum, sive Chaldæorum, sive Latinorum collatione ostendi potest sensum Versionum, vel æque bonum et commodum, vel veriorem et convenientiorem quam nostri Codicis Hebræi, licere lectionem hodiernam immutare, et aliam sequi ac substituere. 4. Nec modo ex Interpretum collatione, hoc fieri posse: sed etiam si ostendere possumus vitium in lectione hodierna subesse; et sensum vel nullum, vel absurdum et falsum esse, atque adeo vel ex rectæ rationis vi, et naturali ratiocinandi et argumentandi facultate, vel etiam ex conjecturis divinando meliorem, planiorem et aptiorem sensum invenire possumus per aliam commodiorem lectionem; tum licere in his casibus lectionem hodiernam configere, et aliam ei præferre. Hanc autem ejus esse mentem ex variis locis patere potest, et ex hoc imprimis *Criti.* lib. vi. c. 5, parag. 9. *Ex his liquet, quod si qua lectio discrepans ab hodierno Textu Hebræo*, etiam quoad consonas, *sive literas, adeoque et* quoad voces et periodos integras, *sensum parit commodiorem, illam esse magis genuinam, sinceram atque germanam, ubicunque tandem illa inveniatur, sive apud LXX. sive apud Chaldæos Paraphrastas, vel Aquilam, Symmachum, Theodotionem, vel S. Hieronymum V. Versionis authorem, ac proinde magis esse sequendam et amplectendam hodierna Masorethica;* quod confirmat alibi sæpius.

III. Ut vero hanc sententiam confirmet, aliam hypothesim adducit, nimirum Codices Hebræos quibus usi sunt LXX. et alii Interpretes, diversos fuisse a Codice hodierno, quem per contemptum Codicem Masorethicum et Judaïcum vocat, et discrepantias Versionum Veterum ab hodierno Codice Hebraïco totidem esse varias Lectiones Textus Hebraïci, exceptis forte illis quæ ab hallucinatione ipsorum Interpretum oriuntur, qui vocum Hebraïcarum significationem, vel non ceperunt vel non satis ad eas attenderunt. Unde negat Biblia nostra Hebraïca hodierna totum constituere fontem, sed pro unico exemplari tantum esse habenda; et verum ac genuinum Textum originalem authenticum, ex omnium demum Versionum Veterum collatione constituendum et formandum esse. Atque ideo distinguit inter *Codicem Hebræum in se*, et *Codicem hodiernum Masorethicum.* Istum haberi in omnibus exemplaribus quæ hodie habentur, sive inter Judæos sive inter Christianos; Illum vero demum posse colligi ex collatione Textus hodierni et Versionum Veterum; Quas in casibus positis

Digitized by Google

non modo æquiparat Codici hodierno, sed et non obscure præfert, dum sensum quem illæ fundunt, ut commodiorem et veriorem sequendum esse præ alio quem reddit Codex hodiernus passim statuit, ut supra visum. *Nec modo*, inquit, Apol. contra Bootium, p. 54, *si meliorem, verum etiam si tam bonum et commodum sensum fundit Lectio τῶν LXX. quam hodierna, tam haberi debet illius ratio, quam istius, quia illa antiquior est ista, atque in pari bonitate lectionis et sensus, potior habetur ratio Codicis antiquioris*, Et paulo post, *Authoritas Codicis τῶν LXX. aliqua est supra hodiernum, non modo iis in locis ubi ejus lectio sensum parit convenientiorem, sed etiam ubi tam bonum et commodum fundit; et quidem propter illius antiquitatem. Idem dici potest et debet de omnibus Codicibus Veterum Interpretum.*

IV. Sed longe alia est recepta et communis in Ecclesiis nostris sententia; Non alium scilicet agnoscendum esse Codicem præter Hebraïcum hodiernum pro Authentico, ad quem ceu Lydium lapidem Versiones omnes tam veteres quam recentiores exigendæ sint, et sicubi ab eo deflectunt corrigendæ sint; non vero ex illis ipsum esse emendandum. Quamvis vero Codices varios inter se conferri posse ac debere censeant, ut variæ lectiones, quæ descriptorum vel librariorum incuria oriri potuerunt discernantur, et menda quæ in his vel illis Codicibus occurrunt corrigantur; Nec diffiteantur fructum non exiguum percipi posse ad veri sensus indagationem, ex Veterum Versionum collatione: Negant tamen eas unquam æquiparandas esse, multo minus præferendas Textui originali, ut liceat sensum quem illæ fundunt, et qui commodior nobis videtur amplecti, et alium qui ex lectione Textus hodierni fluit rejicere.

V. Hanc fuisse semper inde ab initio omnium Protestantium mentem res est luce meridiana clarior; et Controversia quæ cum Pontificiis ipsis intercedit de Editione Authentica de qua superius actum, satis hoc evincit. Nec diffiteri potest V. D. cum quo agimus, qui in ipso *Criticæ* Initio lib. i. c. 1. *Primi quique ac Veteres Protestantes dixerunt omnia examinari et emendari debere ad Hebræum Textum, quem purissimum fontem appellant.* Quod *Sixtinus Amama* in laudatissimo Opere Antibarb. Biblici lib. i. c. 3, confirmat; postquam propriam sententiam super hac re proposuit, *Concludimus*, inquit, *ad eum* scil. Textum Hebraïcum, *examinandas esse omnes qua veteres, qua recentes, nulla excepta, Versiones*, &c. *eum etiamnum esse normam, regulam et Canonem omnium Versionum;* et c. 4. *Proinde nulla Versio, qualiscunque ea sit, Textui Hebraïco æquari, nedum præferri potest. Ita Protestantes de omnibus Versionibus veteribus et recentibus sentiunt omnes.*

Status Quæstionis.

VI. Ex quibus facile colligitur Status istius quæstionis. Non quæritur enim; An liceat Versiones inter se, et cum Originali conferre ad veri sensus investigationem. Sed; An liceat ipsi vel æquiparare vel præferre lectionem quæ ex illis oritur, et quæ commodior videtur, substituendo in locum lectionis hodiernæ, quum ea nostro judicio, vel nullum, vel falsum et absurdum sensum reddit. Non quæritur; An discrepantiæ sint variæ inter Textum hodiernum, et Versiones veteres; Sed, An illæ discrepantiæ habendæ sint pro totidem variis lectionibus Codicis Hebraïci, ita ut lectio authentica non alia agnoscenda sit, quam quæ exurgit ex collatione Textus hodierni, et Veterum Versionum. Denique non quæritur; An in examine et collatione Codicum inter se, tum manuscriptorum tum impressorum, possimus uti judicio nostro, et ratiocinandi facultate ad discernendos probatiores, et ad dijudicandum utra lectio sit melior et convenientior; Sed an liceat conjecturas criticas facere in Textu sacro, non minus ac in authoribus profanis ad mutationem lite-

Digitized by Google

rarum et punctorum imo et vocum integrarum, quando sensus nobis non videtur commodus ex lectione hodierna; quod V. D. pertendit; Nos negamus.

VII. Rationes sunt, 1. Quia ex hac hypothesi sequitur nullum dari Textum authenticum, in quo fides omnino acquiescere possit; Nam vel esset Codex hodiernus Hebraïcus: sed ex ista sententia locum tenet tantum unius Exemplaris, et illa demum lectio haberi potest pro authentico fonte Hebræo, ubi nullus est inter Interpretes dissensus a Codice hodierno, ut ait V. D. Apolo. cont. Bootium, pag. 17. Vel Codices alii quibus usi sunt veteres Interpretes; Sed præterquam quod gratis fingitur eos diversos fuisse a Codice hodierno, quod est ejus πρῶτον ψεῦδος, ut postea probabitur; licet hoc illi daretur, non possent tamen nunc fidem facere, quia desiderantur, nec amplius extant uspiam nisi in ista Versione, quæ cum sit humana et fallibilis, non potest Codicem authenticum reddere. Deinde quis fidem facere poterit, LXX. fidelissime secutos fuisse suum Textum Hebræum, et Textum Græcum qui hodie legitur ipsissimum esse cum eo quem LXX. exararunt?

VIII. 2. Si discrepantiæ omnes Versionum veterum a Textu hodierno essent totidem variæ lectiones Codicum Hebræorum diversorum a nostro quibus usi sunt Interpretes; Cur talium Codicum nulla remansit memoria apud Veteres, et nulla sunt vestigia apud Hebræos, qui a multis jam seculis tam diligentes fuerunt in minimis etiam varietatibus observandis et colligendis, uti docent discrepantes lectiones Ben Ascher et Ben Nephtali, Orientalium et Occidentalium? Quis enim credat has varietates quæ minoris sunt momenti remansisse, et illas quæ ex V. Interpretibus hodie observantur, ita plane intercidisse ut nulla eorum supersit memoria? ut enim plura fuerunt exemplaria, mirum est nulla ad nos usque pervenisse. 2. Supponitur gratis nullas esse discrepantiarum istarum causas præter diversitatem Codicum; cum aliæ plures longe certiores occurrant; quemadmodum in hodiernis Versionibus male quis colligeret Interpretes usos fuisse diversis Codicibus, quia diversitates innumeræ translationum occurrunt, cum nullus præter Codicem hodiernum extet ex quo factæ sunt. Nam quis nescit eos sæpius ad sensum potius quam ad verba attendere potuisse, ut Hieron. non semel ait de LXX. Interpretibus? Deinde aliquando discrepantia potuit oriri ab eorum imperitia vel negligentia, quia non satis attenderunt ad verba, unde sæpius aberrare potuerunt in literis et vocibus similibus, etiam sine vario codice; ut *Hiero.* hoc non semel in illis carpit. 3. Nimiam licentiam potuerunt etiam sumere, ut licet aliter legerent in suo codice, aliter tamen nimis audacter redderent, quod non satis sensum et cohærentiam Textus Hebraïci assequerentur, et cum levi mutatione sensum quem existimabant commodius fluere sequi mallent. 4. Constat Versiones varias veteres non amplius tales esse quales primitus adornatæ fuerant, sed mirum in modum corruptas et immutatas, ut certum est præsertim de LXX. et Vulgata. 5. Exscriptorum oscitantia vel imperitia fieri potuit, ut multæ corruptelæ in Versiones irreperent, quæ non ideo a varietate Codicum ortæ sunt.

IX. 3. Sic Versiones Veteres æquiparantur Textui originali; Nam si in omnibus discrepantiis, nihilo magis V. Interpretes ad Textum sunt examinandi, quam hic ad illos, sed utrique ad communem Canonem commodioris sensus sint exigendi, ut illa lectio vincat, quam major sensus convenientia commendaverit, sive illa in Textu Hebræo, sive in quocunque istorum Interpretum inveniatur; Nulla Textui Hebraïco supra V. interpretes authoritas relinquitur, nisi quæ a majore sensus commoditate pe-

Digitized by Google

titur, imo sæpe infra Translationes deprimitur, dum lectio ejus aliis postponitur.

X. 4. Si non adstricti sumus ad lectionem hodiernam Textus Hebraïci, sed vera lectio authentica petenda est partim ex collatione veterum Versionum, partim ex nostromet judicio et facultate στοχαστικῇ, ut nullus alius Canon lectionis authenticæ sit, quam commodior sensus qui nobis ita videtur; Constitutio lectionis authenticæ erit humani arbitrii, et rationis opus, non Spiritus S. Ratio humana in arce collocabitur, et pro norma et principio fidei cum Socinianis erit habenda.

XI. 5. Si Conjecturas licet facere in Textu sacro, etiam quum Codices Hebræi cum Versionibus consentiunt, ut V. D. ait Criti. lib. 6, cap. 8, parag. 17, nullo amplius poterit esse certitudo αὐθεντίας Textus sacri, sed dubia omnia et incerta reddentur, et privati cujusque Conjectoris arbitrio Textus sacer subjicietur; quod annon sit omni authoritate eum exuere quivis cordatus facile agnoscit. Nec reponi debet, Conjecturas non esse admittendas nisi certis rationibus et argumentis nitantur, et demonstrentur: quum lectio recepta sensum fundit vel falsum et absurdum, vel dubium et perturbatum. Nam nemo erit qui rationes Conjecturarum suarum non putet se reddere posse, et qui lectionem quam configere satagit falsitatis et absurditatis non insimulet. Quis vero Judex poterit esse istarum conjecturarum, an recte et vere sint factæ? At sine Judice perpetuæ lites et contentiones inter Interpretes erunt, dum quisque pro suis pugnabit, nec alias suis præferri patietur. Nec si conjecturæ locum possunt habere in examine variorum Codicum, ut expendatur quænam lectio melior sit et convenientior, continuo admittendæ erunt aliæ, quæ proprio judicio, nullius autem Codicis probati authoritate nitantur, quarum nullus usus esse potest, sed maximum periculum et certa Scripturarum pernicies ex magna et audaci ingenii humani præsumptione. Neque hic exemplum Authorum profanorum circa quos Critica potest libere et sine periculo exerceri valere debet. Quasi eadem sit ratio Criticæ sacræ et profanæ, et maximum non sit discrimen inter scripta humana ac errori obnoxia, et divinum ac θεόπνευστον cujus sacrosancta debet esse majestas, quod tanta veneratione fuit exceptum, tanta cura conservatum, tanto consensu approbatum, ut veritatis authenticæ, et fontis elogium meruerit; Quid vero fiet de Codice hoc sacro, si cuivis æque in illum liceat censorium stylum stringere et Criticam exercere, ac in quosvis libros profanos?

XII. 6. Si nulla datur prærogitiva Codicis hodierni Hebraïci supra veteres Interpretes, ut non major sit habenda ratio illius quam istorum; imo istorum lectio præferenda sit non raro lectioni hodiernæ, quando commodiorem sensum fundere videtur; Perperam Protestantes contra Pontificios hactenus pugnarunt, ut Textus Hebraïci hodierni solius authentiam, supra Versiones quascunque sive veteres, sive recentiores asserent, nec poterit amplius urgeri adversus ipsos, Versiones omnes et præsertim Vulgatam ad eum exigendas esse, et ex eo corrigendas, cum toties Versiones non modo illi æquiparentur, sed et præferantur.

Fontes Solutionum.

XIII. Aliud est *varia lectio*, Aliud *varians interpretatio*. Interpretes potuerunt varias interpretationes dare; ast non sequitur eas ex variis variorum Codicum lectionibus esse profectas, sed aliis ex causis memoratis.

XIV. Non necesse est ut Scribæ fuerint ἀναμάρτητοι, si non dantur varii Codices Hebræi; sed sufficit Providentiam ita invigilasse integritati Codicis authentici, ut licet varios errores vel imperitia vel oscitantia potuerint in Textum sacrum inducere, non induxerint tamen, vel non induxerint in

Digitized by Google

omnia omnino exemplaria, vel ea ratione, ut nullo modo restitui et corrigi possint ex collatione variorum Codicum et ipsius Scripturæ.

XV. Licet bene dicamus Scripturam incertam reddi per diversas varias lectiones ex variis Interpretibus, nonnisi per conjecturam erutas; Non statim incerta reddetur ex diversis interpretationibus, quia Interpretes illi diversimode ex uno et eodem Textu sunt interpretati. Nam sic sensus quidem redditur dubius et incertus, sed non lectio verborum et phrasium; sed difficillimum est positis tot variis et incertis lectionibus et conjecturis, certitudinem illius tueri; quia hic gemina inducitur incertitudo et lectionis et sensus; Illic fundamentum certum positum est, ad quod Interpretes dissentientes adstringuntur; sed hic nullum certum fundamentum positum est, sed a judicii humani arbitrio et decisione omnia suspenduntur.

XVI. Ut adstricti simus Codici hodierno, non opus est, ut repræsentet nobis ipsum Mosis et Prophetarum αὐτόγραφον sine ullo vel minimo discrimine: Nam ad tuendam exactam exemplarium cum archetypis conformitatem, sufficit ut eædem sint utrobique voces sine quibus sensus non constat, et cum vocibus quoque literæ sine quibus non constant voces, neque scribi aut exarari possunt, licet quædam discrepantiæ possint in minutiis aliis et apiculis occurrere.

XVII. Quamvis sæpius profiteatur V. D. Versiones omnes ex Textu Hebraïco authentico judicandas esse et corrigendas, ipsumque quibuslibet translationibus esse præferendum; Non continuo liberari potest a culpa quæ illi impingitur, quod Versiones Veteres Textui originali æquiparet, imo et quandoque præferat: Quia per Textum Hebraïcum non intelligit Textum originalem hodiernum, qui omnium manibus teritur tam Judæorum quam Christianorum, sed Textum Hebræum in genere, quem vult colligere tum ex Codice hodierno, tum ex Codicibus veteribus quibus supponit Interpretes usos fuisse, quod, ut antea dictum, sine ullo solido fundamento asseritur: Et omnes Theologi qui huc usque de Textu Hebræo et ejus authentia disputarunt, nullum alium intellexerunt quam communem et hodie receptum.

XVIII. Ex quibus, ne plura jam addamus, liquere satis potest, quam periculosæ sint V. D. hypotheses, et quanta cum ratione Nostri Operis illius Editioni ubique restiterint, ne scilicet, quod futurum prævidebant, aliquod inde causa Dei detrimentum pateretur, et ne Adversariis contra Textus S. αὐθεντίαν, licet procul dubio præter ejus mentem, arma suppeditarentur.

XIX. Si quis porro plura desideret, consulat Celeberrimi *Buxtorfii Anti-Criticam*, quam isti Criticæ V. D. opposuit, in qua accurate et solidissime totum hoc argumentum executus est. Possent et alia magnorum Virorum afferri testimonia, quibus constat quantopere ipsis sententia et Scriptum V. D. displicuerit. Ut summi Viri *Jacobi Usserii* Archiepiscopi Armachani, qui *errorem periculosissimum* continere ait, cui mature occurrendum sit, priusquam latius serpat, in *Epistola ad Bootium*. Et ejusdem *Arnol. Bootii* in *Epistola* ad venerandum illum Præsulem, et in ejus *Vindiciis*, in quibus de hoc opere loquitur, tanquam *de scripto perniciosissimo, in quo οὐδὲν sit ὑγιὲς*, pag. 51; quod vocat *infelicem et vere sacram Criticam, quæ sententiam summe falsam et in sacrum Dei Verbum unice injuriosam proponat*, pag. 57; Cujus Author *Veritatis Hebraïcæ sit infensissimus hostis, qui omni eam certitudine et authoritate exuat*, p. 1; et aliorum non paucorum qui publice de eo conquesti sunt. Sed nobis nunc quidem sufficiant magni et tota Gallia et Belgio Celeberrimi *Andreæ Riveti* testimonium, qui licet Arcano V. D. lecto, in ejus sententiam pertractus videretur; tamen per-

Digitized by Google

lecta Celeberr. Buxtorfii responsione, aliter longe de ea loquitur in epistola ad Buxtorfium Haga-Comitis data anno 1645, quam ipse refert l. 1. *Anti-Criti*, c. 20, p. 345; *Quod spectat Cappellum, Clariss. amicus noster curabit ad Te deferri ejus Diatribam contra Te, quam nondum vidi, sed editum esse et Amstelodami prostare novi. Illa tibi occasionem præbebit exactius in alia inquirendi quæ adversus Textum sacrum, periculosis rationibus innixus, sub candoris et veri specie, meditatur. In quibus video eum Viris doctis et gravibus, sed in talibus non satis exercitatis, imposuisse, quorum nonnulli Criticen ejus extollunt, tanquam elimatum non solum sed et pene necessarium opus. Aliter hic judicarunt Collegæ nostri in literis istis versatissimi, qui non authores potuerunt esse Typographis nostris ut eam typis suis describerent.* Et in alia Breda ad eundem data anno 1648; *Hoc mihi inter alia summe probatur, quod vero ductus zelo pro Verbi Divini αὐθεντίᾳ subruisti penitus fundamentum pessimæ illius et profanæ Critices, quam vir ille molitus est, et hostibus suscipiendam dedit, postquam ab Orthodoxis fuit rejecta. Ea certe si obtineret, actum esset de Scriptura tota V. T. quæ nihil aliud esset quam Cothurnus Theramenis, omnibus aptandus pedibus.* Et mox; *Coërcebit Deus hanc audaciam, ne ulterius prorumpat. Gratulor tibi ex animo, quod Te vindicem pium non tantum privata causa τοῦ μακαρίτου parentis tui excitarit, sed etiam publici totius veræ Ecclesiæ peculii. Benedicat Deus huic tuo labori, teque diu servet, ut aliis similibus nos beare possis.* Hoc Viri Celeberrimi Judicium non pauci secuti sunt, qui licet faventiores fuissent ab initio Viri Docti hypothesibus, re accuratius postea expensa, et perlectis Clariss. Buxtorfii et aliorum adversus ipsas lucubrationibus, priorem revocare sententiam non erubuerunt, et meliori locum dederunt.

QUÆSTIO XIII.

DE VERSIONIBUS.

An necessariæ sint Versiones, et quinam earum usus et authoritas in Ecclesia esse debeat?

I. Duæ sunt Quæstionis partes. Prima de *Necessitate* Versionum agit; Secunda de earum *Authoritate*. Quoad priorem, licet saniores ex Pontificiis Versionum necessitatem et utilitatem agnoscant, unde et ipsi varias in variis linguis adornarunt; Non pauci tamen illis infensi, ut noxias et periculosas eas damnant, ut *Arboreus* Theosoph. lib. 8, c. 4, qui *hæresium unam originem esse*, ait, *S. Literas in vulgarem linguam vertere*, cum quo faciunt *Asoto*, *Hardingus*, *Baylius*, et plerique ex societate Loyolitica, qui pium et sanctum Literas sacras transferendi studium, ut *hæreticorum orthodoxæ religionis extorrium curiosum σύγμα*, *Ecclesiis proinde inutile, et ad serendas hæreses excogitatum* impie et inique exagitare solent; adversus quos Orthodoxi non modo utilitatem, sed et necessitatem Versionum tuentur, et variis argumentis probant.

Versiones Vernaculæ sunt necessariæ.

II. 1. Quia Scripturæ lectio et meditatio omnium linguarum hominibus est præcepta. Ergo ejus interpretatio in linguis vernaculis est necessaria: nam ex quo homines in multiplices linguas sunt divisi, nec omnibus familiares sunt duæ illæ linguæ, quibus primum tradita est, non potest ab illis percipi, nisi verteretur; perinde autem est nihil omnino dixisse, et ea dicere quæ

Digitized by Google

nemo intelligat. Sed hic mirabili Dei gratia factum, ut divisio linguarum, quæ olim maledictionis fuerat signum, jam benedictionis cœlestis sit argumentum, quæ ad destructionem Babelis inducta fuerat, jam ad extructionem Sionis mysticæ usurpetur.

III. 2. Quia Evangelium in omnibus linguis prædicatum est, Ergo in omnes linguas verti potest et debet: Conseq. valet a Verbo prædicato ad scriptum; quia eadem est utriusque ratio, et quæ rationes movebant Apostolos, ut vernacule prædicarent, eædem Versionum necessitatem evincunt. Licet autem Apostoli una tantum lingua scripserint, non sequitur in alias non esse Scripturam vertendam, quia alia ratio est Fontium, alia Versionum: Fontes una tantum lingua exarari debuerunt, et propterea Apostoli, ut Doctores universales Ecclesiæ, non alia quam universali et communissima lingua, quæ Græca erat tunc temporis, scribere debuerunt, ut V. T. quod Judæis destinabatur, lingua Hebræa ipsis vernacula conscriptum est. Sed ubi usus Græcæ linguæ desiit, Versionibus opus fuit ad Evangelii præconium.

IV. 3. Praxis constans Ecclesiarum, juxta quam certum est Ecclesias tum Orientales tum Occidentales Versiones suas habuisse, et sacra lingua populo Vernacula celebrasse, ut constat ex earum Liturgiis: quidni ergo idem fiat hodie, cum eadem sit populi instituendi necessitas et ratio? Ita cum duæ fuerint memorabiles Israëlis dispersiones, una apud Chaldæos, altera apud Græcos, et populus Dei eorum idiomatis utendo, Hebrææ linguæ pene oblitus esset; hinc Thargumim seu Paraphrases Chaldaïcæ, inde Versiones Græcæ adornatæ fuerunt in gratiam populi rudioris. Et quoad Thargumim plures fuerunt. Primo occurrit *Paraphrasis Chaldaïca*, *Jonathanis* Uzielis filii discipuli Hillelis, Simeonis coætanei, qui vixit 40 annis ante Christum. Is cum videret linguam pure Hebræam paulatim abire in desuetudinem, et versari solum in usu doctiorum, Versionem Chaldaïcam adornavit, ne vulgus tanto defraudaretur thesauro; Ex eo habemus Versionem Prophetarum priorum et posteriorum. Cui *Onkelos*, qui post Christum floruit, et Gamalieli fuit σύγχρονος, addidit translationem Pentateuchi. Paraphrasis etiam exstat Hagiographorum, sed de authore nihil certi habetur. Extant præterea Versiones Syriacæ, Arabicæ, Persicæ, Æthiopicæ, sed minus usitatæ et cognitæ. Quoad N. Test. datur *Translatio Syriaca*, quæ censetur opus esse antiquissimum, et a quibusdam Ecclesiæ Antiochenæ nascenti tribuitur.

V. Has sequuntur Versiones Græcæ V. T. quæ etiam sunt multiplices. Prima celebratissima est *Versio LXX.* quæ sub Rege Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege, 300 circiter ante Christum annis facta est. Secunda *Aquilæ Pontici* sub Adriano Imperatore, anno C. 137, qui initio Græcus religione, post Christianus, cum ob insanum Astrologiæ studium Ecclesia moveretur, odio Christianorum deficit ad Judæos, et V. T. vertit ut Oracula de Christo corrumperet. 3. *Theodotionis* qui sub Commodo vixit ann. C. 184, et genere Ponticus, religione Marcionita, postea Judæus factus novam Versionem paravit, in qua sequitur ut plurimum LXX. 4. *Symmachi* sub Antonino et Aurelio Vero Imperatore circa ann. C. 197, qui Samaritanus primo, mox Judæus factus V. T. transtulit, ut Samaritanos confutaret. Quibus aliæ adduntur duæ incerti authoris, una *Hierichuntina* in dolio Inventa prope Jerichuntem sub Caracalla an. C. 220. Altera *Nicopolitana* reperta etiam prope Nicopolim sub Alexandro Severo ann. C. 230. Ex quibus omnibus inter se junctis *Origenes* Tetrapla, Hexapla, Octapla sua concinnavit. Tetrapla continebant quatuor Versiones græcas totidem columnis distinctas, LXX, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis.

Digitized by Google

In Hexaplis addiderat duas Editiones Hebræas, unam literis Hebraïcis, alteram literis Græcis. In Octaplis denique insertæ erant duæ aliæ versiones Græcæ ἀνώνυμοι Jerichuntina et Nicopolitana, quam Editionem nonnulli septimam vocant. Octavam addunt *Luciani* Martyris, qui præcedentes feliciter emendavit, et a Constantinopolitanis valde comprobata est. Nona fuit *Hesychii* quam Ægyptii et Alexandrini amplexi sunt. Decima quam ex Hieronymi Latina factam esse Græcam Veteres dixerunt.

VI. Latinæ Versiones veteres variæ etiam circumferuntur primitus factæ, non tam ex fontibus, quam ex Versione Græca. Una communior dicta fuit *Itala*, ut *Aug.* notat lib. 2, de doct. Christ. c. 15. Duæ aliæ adornatæ ab Hieronymo, una ex Versione LXX. altera, quam ad veritatem Textus Hebræi et Græci diligenter correxit, quæ existimatur esse Vulgata Versio hodierna, sed quæ progressu temporis diversimode fuit corrupta, unde varii Viri docti *L. Valla*, *J. Faber Stapulensis*, *Caietanus*, *Arias Montanus*, et alii, correctiones ejus notarunt. Aliæ sunt recentiores, superiori et nostro seculo factæ, partim Latinæ, partim vernaculæ in aliis linguis, de quibus quia notissimæ sunt, nihil opus est dicere. Unde constat praxim fuisse Ecclesiarum perpetuam, ut Versionibus uterentur.

Fontes Solutionum.

VII. Titulus Crucis non ideo tribus linguis tantum descriptus est, ut tres illæ linguæ consecrarentur in usu sacrorum; sed quia erant tum temporis nobilissimæ et notissimæ, atque adeo accommodatissimæ, ut fama de Christo quaquaversum per universum orbem disseminaretur, quod fuit Dei in eo titulo consilium.

VIII. Ecclesiæ unitas non linguæ, sed doctrinæ unitate conservatur, Eph. iv. 3, et prima Concilia non obstante linguarum diversitate legitime coacta, et cum fructu celebrata sunt.

IX. Majestas Scripturæ potius ex sensu quam ex Verbis oritur; quod si tres istæ linguæ videntur majestatem augere, fit hoc per accidens ex superstitione imperitæ plebeculæ, non per se.

X. Non negamus tres istas linguas, postquam desierunt esse vernaculæ, retentas esse sæpius in Cœtibus doctiorum, ut in illis et secundum illas negotia Ecclesiastica peragerentur, et derimerentur Controversiæ; sed non pariter usum habuerunt inter populos, et in usu sacrorum, ubi uniuscujusque exercenda est fides et devotio, sic ut intelligat pro captu quid agatur.

XI. Quamvis non negemus linguam Hebræam in captivitate ex peregrinorum commercio inter vulgus varie corruptam fuisse, et Chaldaïca et Syriaca multa vocabula in eam invaluisse; non sequitur tamen inde, aut Textum quovis modo fuisse mutatum, aut a populo cui inculcabatur non intellectum, quia Zacharias, Aggæus et Malachias scripserunt lingua pure Hebraïca, quod non fecissent, nisi populus intellexisset. Deinde ex Nehem. viii. 8, colligitur Esdram legisse librum Legis coram tota multitudine, ad quem dicitur attenta fuisse, quod non poterat tamen si non intellexisset; Et si Esdras cum Levitis dicitur interpretatus quæ legebat, hoc ad expositionem sensus et rerum ipsarum referendum est, potius quam ad translationem vocum.

XII. Licet Versiones non sint formaliter authenticæ et quoad modum enunciandi; Non ideo minus in Ecclesia obtinere debent, quia si accuratæ sunt et cum fontibus consentiunt, sunt semper authenticæ materialiter, et quoad res enunciatas.

Quænam sit Versionum authoritas.

XIII. Hinc patet quænam sit *Versionum Authoritas;* licet enim eorum utilitas sit magna ad fidelium institutionem, non potest tamen aut debet unquam ulla Versio

Digitized by Google

æquiparari Originali, multo minus præferri. 1. Quia nihil habet Versio ulla momentosi, quod fons Hebræus vel Græcus plenius non habeat, quippe in fontibus non modo res et sententiæ, sed ipsa verba sunt a Spiritu S. immediate dictata; quod de nulla Versione dici potest. 2. Quia aliud est esse *Interpretem*, Aliud esse *Vatem*, ut ait *Hiero.* præfat. in Pentateuc. Vates ut θεόπνευστος errare non potest, sed Interpres ut homo est nihil humani a se alienum habet, quippe errori semper obnoxius est. 3. Quia Versiones omnes sunt rivuli, Textus vero Originalis Fons ex quo manant: iste est regula; illæ vero regulatum, quod nullam nisi humanam habet authoritatem.

XIV. Non tamen omnis denegari potest Versionibus authoritas; distinguenda enim hic accurate *Authoritas Divina* duplex, vel *Rerum*, vel *Verborum*: Illa quæ versatur circa *substantiam doctrinæ*, quæ formam internam Scripturæ constituit; Ista vero circa *accidens scriptionis*, quæ forma est externa et accidentalis. Fons utramque habet; quia tam quoad res, quam quoad voces est θεόπνευστος: Sed Versiones tantum primam; quia verbis humanis non divinis expressæ sunt.

XV. Hinc patet *Versiones qua tales* non esse Authenticas et Canonicas in se, quia humana industria et studio sunt adornatæ, atque adeo sub illa σχέσει posse esse errori obnoxias, et correctiones admittere; sed *authenticas* tamen esse *respectu doctrinæ* quam continent, quæ divina est et infallibilis. Ita non fundant fidem divinam *formaliter* qua tales quoad verba, sed *materialiter* quoad doctrinæ substantiam illis expressam.

XVI. Alia est *perfectio Rei et veritatis*, cui nihil addi potest vel detrahi, et alia *perfectio istius Versionis*. Illa est opus mere divinum, quodque est absolute et omni modo αὐτόπιστον; Talis est in Verbo Versionibus expresso. Ista vero est opus humanum et errori proinde ac correctioni obnoxium, cui competere quidem potest authoritas magna, sed humana tantum, quæ in fidelitate et conformitate cum Textu Originali versatur, non vero divina.

XVII. *Certitudo* conformitatis Versionum cum Originali duplex est, Alia mere *grammatica* et *scientiæ humanæ* cognoscentis conformitatem verborum quæ sunt in Versionibus cum verbis Originalis, quæ doctiorum est, qui linguas callent; Alia vero *spiritualis* et *fidei divinæ* respectu conformitatis rerum et doctrinarum, quæ ad singulos fideles pertinet pro mensura doni Christi, juxta illud Christi; *Oves meæ vocem meam audiunt*, Joh. x. 27, et istud Pauli, *homo spiritualis dijudicat omnia*, 1 Cor. ii. 15; quamvis ergo Idiota sit ignarus linguarum, non desinet fidelitatem Versionis quoad res ipsas colligere ex analogia fidei et dogmatum ipsorum nexu: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar*, Joh. vii. 17.

XVIII. Aliud est esse *conformem* Originali, Aliud vero esse *æqualem*: Quælibet Versio, modo sit fidelis, conformis quidem est Originali, quia eadem doctrina quoad substantiam ibi exponitur; sed non est propterea æqualis, quia modus illam exponendi est humanus non divinus.

XIX. Licet Versio quælibet ab hominibus errori obnoxiis adornata non possit censeri Divina et infallibilis ratione terminorum, potest tamen optime talis censeri ratione rerum, quum veritatem divinam fontibus expressam fideliter reddit: Ut Verbum quod prædicat minister Evangelii non desinit esse divinum et infallibile, et fidem nostram fundare, licet verbis humanis ab eo proponatur. Sic fides non pendet ab Interpretis vel Mini-

Digitized by Google

stri autoritate, sed nititur rerum ipsarum quæ sunt in Versionibus veritate et αὐθεντία.

XX. Si versio contineret purum Dei Verbum verbis divinis, nullus daretur locus ejus correctioni, ut fontes propterea nec possunt nec debent corrigi, quia tam quoad res, quam quoad verba sunt θεόπνευστοι; sed quia Dei Verbum verbis humanis nobis exponit, inde fit ut correctionem possit admittere, non ratione doctrinæ ipsius quæ eadem utrobique manet, sed ipsorum terminorum, qui, maxime in locis difficilibus et obscuris, possunt a variis varie reddi pro mensura doni Christi.

QUÆSTIO XIV.

DE VERSIONE LXX.

An Versio LXX. Veteris Test. sit authentica? Neg.

I. Inter Græcas V. T. Versiones, primum locum merito obtinet nobis illa LXXII Interpretum, quæ in tanto honore fuit tam apud Judæos quam Christianos, tum Orientis tum Occidentis, ut ab illis in Synagogis, ab his fere sola, vel ex ea factæ Versiones in Ecclesiis publice prælegerentur. Ex hac reliquæ Versiones omnes ab Ecclesia antiquitus approbatæ, sola excepta Syriaca, traductæ sunt, vid. Arabica, Æthiopica, Armena, Illyrica, Gothica, Latina ante Hieronymum: nec aliam Ecclesia Græca, et pleræque Orientales in hunc usque diem agnoscunt, hac sola contentæ.

Status Quæstionis.

II. Non qu. de *tempore*, vel de *modo* quo versio ista fuit adornata; An sub auspiciis Ptolemæi Philadelphi et ejus sumptibus facta fuerit; An vero a Judæis suadente utilitate, quod existimat Scaliger, epist. xiv: An a LXXII Interpretibus qui in cellulis separatis spatio 72 dierum singuli totum opus absolverint, et quidem summo cum consensu, etsi eorum unusquisque, seorsim ab alio, totum opus suscepisset et absolvisset, et alia idgenus quæ de istis Interpretibus referuntur, tum ab *Aristæa*, qui peculiari libello prolixam de ea re narrationem instituit, tum a Josepho et Christianis, qui, quia Versio illa in usu fuit, faciles se istis narrationibus præbuerunt, avide arripientes quæcunque faciebant ad authoritatem illi conciliandam. Hæc enim mere sunt historica, ideoque ad institutum nostrum nunc non pertinent; Quamvis si mentem nostram verbo aperire licet, ad Virorum Doctorum sententiam faciles accedamus, quibus ista omnia valde suspecta sunt et dubiæ fidei, quorum vanitatem suo tempore *Hieronymus* jam retegere cœpit, et refellere, quod clarius adhuc et fortius fecerunt recentiores, *Vives* in li. 11; *Aug.* de C. D. 42; *Scaliger* in Eusebium, *Drusius*, *Causaubonus*, *Wouverus*, *Usserius*, *Rivetus*, *Heinsius*, et alii. Sed agitur hic tantum de ejus *Authoritate;* An talis illi tribuenda sit, secundum quam vere θεόπνευστος et authentica censeatur.

III. Pontificii licet non eodem modo omnes loquantur, plerique tamen in id consentiunt Versionem illam factam esse divinitus, eoque authoritatem divinam merito obtinere, atque adeo Translatores non tam Interpretes quam Prophetas censendos, qui necubi errarent peculiari modo Spiritum S. assistentem habuerint, ut *Bellarm.* loquitur, lib. ii. de V. D. c. vi. ad quos accedunt, *Baylius*, *Stapleto*. P. *Carthusia*. de Translat. Bibli. c. iv. 5; *Joh. D'Espeires*, tr. ii. disp. i. dub. 10, et præsertim, *Jo. Morinus*, in Exercit. Bibli. qui magno molimine αὐθεντίαν Versionis istius adstruere cona-

Digitized by Google

tus est. E Nostris Vir Doctiss. *Isaacus Vossius* peculiari tractatu idem variis rationibus confirmare sategit.

IV. Nos vero licet non diffiteamur magnæ esse authoritatis in Ecclesia, authoritatem tamen illam humanam censemus, non divinam, utpote quæ ab Interpretibus tantum humana industria odornata sit, non vero a Prophetis et Viris θεοπνεύστοις immediata Spiritus S. inspiratione.

V. Non quæritur ergo, An aliquam authoritatem habere debeat in Ecclesia: Concedimus enim magni esse ponderis, et merito aliis Versionibus præferri. 1. Quod sit omnium antiquissima, ante bis mille annos facta, quæ ideo ob canitiem omnibus honoranda sit. 2. Quod a Judæis ubique terrarum dispersis publice et privatim perlecta fuerit. 3. Quod Apostoli et Evangelistæ ea plerumque in citatione locorum V. T. usi legantur, eamque scriptis suis quasi consecrarint. 4. Quia Apostoli eam Ecclesiæ tradiderunt, cum per eam mundum Christo subegissent, adeo ut per illam inter Gentes Ecclesia genita, et hujus lacte enutrita fuerit. 5. Quia Ecclesia Græca et Latina, eam pro vulgata per 600 annos habuit. 6. Quia Patres et Scriptores Ecclesiastici antiqui hanc commentariis explicarunt, populo in homiliis exposuerunt, et ex ea orientes hæreses jugularunt et in Conciliis Canones ad fidem et mores formandos ex eadem hauserunt. Sed quæritur, An talis sit ista Authoritas, ut propterea authentica censeri debeat et fontibus æquiparari; quod vellent Adversarii, Nos negamus.

Versio LXX. non est authentica.

VI. Rationes sunt, 1. Quia humano studio et labore concinnata est, non vero a Viris θεοπνεύστοις; Authores ejus fuerunt Interpretes, non Prophetæ, qui post Malachiam, qui vocatur sigillum Prophetarum a Judæis, desierunt: et ex eo etiam patet, quia apud Aristæam dicuntur *Interpretes inter se contulisse, disputantes et conferentes inter se de re qualibet, donec tandem in unum omnes convenerint*, &c. At si inter se contulerunt, non prophetarunt: nam sacri Scriptores nunquam cum aliis contulerunt, disputantes de qualibet re quam scriberent, sed prout a Spiritu S. edocti erant, sine ulla disputatione vel mora scriptis omnia mandarunt. 2. Quia si Spiritus S. afflatu scripserunt, numerus talis superfluus fuisset, cum unus sufficeret, nec opus esset viris doctrina claris, et linguæ Hebraïcæ et Græcæ peritis, si sine studio et auxiliis humanis confecta fuisset. 3. Quia nec rebus nec verbis convenit in multis cum fontibus, sed varias habet παραφράσεις, et discrepantias, ut ostensum est ab illis qui hoc argumentum tractarunt; unde *Morinus* tandem fateri coactus est Exerc. vii. cap. iv. *Authoritatem aliam non adscribendam esse huic Versioni, quam aliis industria humana factis.* 4. Quia non habetur hodie pura, sed mirum in modum corrupta et interpolata; Ejus rudera tantum et λείψανα habemus, ut vix possit jam vocari Versio LXX. similis navi Argo, quæ sæpius refecta, nec eadem nec alia amplius erat; quod non semel observavit *Hieron.* epist. lxxxix. ad Aug. præfat. in Esdr. et in lib. Paralipo. Unde inter Doctos ferme jam receptum est, illam esse ex Versione κοινῇ quæ λουκιανὴ etiam dicebatur, teste Hiero. ad Suniam et Fretellam.

Fontes Solutionum.

VII. Si Apostoli sæpius usi sunt ista Versione, non ideo fecerunt, quod eam authenticam crederent et divinam, sed quia tunc temporis usitatissima erat et recepta inter omnes; et quia, ubi sensus et veritatis ratio patiebatur, noluerunt aut intempestive rixari, aut scrupulum creare infirmioribus, sed per sanctam œconomiam immutatum reliquerunt, quod mutatum offenderet, cum præsertim etiam non mutatum rem conficeret. Quod non ita faciunt tamen, quin nonnunquam ubi res postulare id videtur, quum non tantum incommoda, sed

Digitized by Google

veritati parum opportuna visa est Versio LXX. illi prætulerint fontes, quod *Hieron.* observavit li. 2. contr. Ruffin. et facile potest colligi ex Matt. ii. 15, coll. cum Hos. xi. 1; Joh. xix. 37, cum Zach. xii. 10; Jer. xxxi. 15, cum Matt. ii. 18; Isa. xxv. 8, cum 1 Cor. xv. 54; et alibi non raro.

VIII. Testimonia quæ ex LXX. versione allegantur in N. Test. authentica sunt non per se, sive quatenus a LXX. ex Hebræo in Græcum sunt traducta, sed per accidens, quatenus approbata et sanctificata sunt a Spiritu S. ejus afflatu ab Evangelistis in contextum sacrum relata.

IX. Si Patres nonnulli extollunt istam Versionem, et authenticam prædicant, ut non diffitendum est, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Augustinum, et alios eo propendisse, hoc affectu magis quam studio faciunt, linguæ Hebreæ fere rudes: nec tenemur in eorum verba jurare, cum non minus quam LXX. humanis et erroribus et affectibus obnoxii vixerint. At qui doctiores inter eos erant, ut Origenes et Hieronymus longe in alia sunt sententia, qui Interpretes docent fuisse non Vates.

X. Quamvis Ecclesia per multos annos usa sit ista Versione, non sequitur eam habuisse pro authentica et divina, sed tantum magno apud eam in pretio fuisse habitam. Verum ordinarius ille usus non præjudicare potuit libertati recurrendi ad fontes quoties opus esset.

XI. Discrepantia maxima quæ occurrit inter Textum Hebraïcum et Versionem LXX. in Chronologia, dum ab Orbe condito usque ad cataclysmum Hebræi Codices numerant tantum annos 1656, LXX. vero recensent 2242, non evincit Versionem istam esse authenticam, sed potius ejus corruptionem arguit; Quia pro calculo Hebraïco militant Codicum Hebræorum consensus, circa quos ex confessione omnium nulla hac in parte occurrit lectionis varietas. 2. Versionum omnium antiquarum συμφωνία, Chaldaïcæ, Syriacæ, Samaritanæ, Arabicæ, Latinæ, quæ hic discedunt a Versione LXX. et Hebræos Fontes sequuntur. 3. Versionis Græcæ in locis de quibus agitur manifestus error, nimir. dum extendit vitam Mathusalæ ultra diluvium annis minimum quatuordecim, si non viginti, nec eum tamen in arca vult ab aqua salvatum: Nam si Mathusalem genuit filium Lamech anno vitæ suæ 165, prout legunt Biblia græca optimæ notæ in Editione Waltoni, debuit vixisse Mathusalem tot annos post diluvium; Nec si quædam exemplaria Græca hic sequuntur Hebræum, ut ait Vossius de Africano et Alexandrino Codice, pauca illa quæ ex Hebræo procul dubio sunt correcta, opponi debent tot millibus quæ Ecclesiæ et Patres sequuntur, in quibus talis computus habetur.

XII. Quæ hic afferuntur pro calculo Græcorum facile solvuntur. Primo quoad *annos pubertatis*, qui majori cum proportione ad totam vitam referantur apud Græcos circa annum ducentesimum, quam apud Hebræos anno 100. Quippe *Waltonus* ipse licet non sit alienus a *Vossii* sententia, agnoscit tamen istius argumenti vanitatem, dum ait *vanas esse conjecturas, quæ in hominis sani mentem venire vix poterant*, Proleg. ix. p. 68, et gratis supponitur, annos pubertatis seu παιδογονίαν necessario sequi proportionem quadruplam aut quintuplam totius vitæ, cum illi respondere debeant corporis vigori, et absurdum sit primis illis seculis, quibus maxime vegeta erant corpora, pubertatem differri ad ducentesimum annum. Constat certe in pædogoniis a Mose memoratis non observatam fuisse proportionem pubertatis ad vitam, cum magna sit inter eas inæqualitas; Noachus gignit anno 500, Mahaleel an. 65, Lamech an. 102, Cainan an. 70, Enoch an. 65. Et Patrum postdiluvianorum pædogoniæ, quamvis eorum vita longe

Digitized by Google

esset contractior, apud Græcos cum prioribus pene sunt pares, quæ referuntur ut plurimum ad an. 130.

XIII. Secundo, quæ adduntur ad probandam Textus Græci *αὐθεντίαν* quia nec casu contingere potuit talis corruptio, siquidem multoties est facta, nec consilio, quia dici non potest cui bono facta sit, longe fortius stringunt pro integritate Codicis Hebræi, cui cæteris paribus, non solet prærogativa denegari. Licet vero dedita opera hæc corruptio facta non esset, cur non potuit fieri exscriptorum incuria, vel *ἀβλεψία*? Deinde prætextus satis plausibilis potuit esse, ut scilicet Ægyptiis in ratione temporum gratificarentur, quia Ægyptiorum antiquitatibus Hebræus Textus multo magis adversatur quam Græcus; quamvis enim Waltono pro nihilo sit hæc ratio, magni tamen eam facit Vossius, et ex hoc ipso Græcum Hebræo præfert, quod ille quam iste Ægyptiorum antiquitatibus magis consonet: nam per istorum mille et sexcentorum annorum additionem Ægyptiorum Dynastiæ facile intra creationis terminos coërcentur, imo a Scaligero et G. Vossio modi afferuntur, quibus intra diluvii terminos possunt restringi, si additamenta Græcorum cum Hebræo admittantur.

XIV. Licet Ecclesia Græca, et plerique Scriptores Græci calculum LXX. sequantur, et non Hebræum, nihil inde ponderis potest accedere calculo Græcorum, quia hoc potuit fieri ex errore, vel linguæ Hebreæ ignorantia, per quam fiebat ut neglectis fontibus versionem istam ubique receptam sequerentur.

XV. *Ἀναχρονισμὸς* qui occurrit apud LXX. in calculo vitæ Patrum postdiluvianorum, ubi numerum annorum supra mille septingentos usque ad nativitatem Abrahami extendunt, cum Hebræus habeat tantum annos ducentos nonaginta duos, quia ad Patriarcharum singulorum vitas, qui a Diluvio ad Abrahamum vixerunt, addunt annos minimum centum; non potest Versioni isti authentiam conciliare: Imo errorem ejus undecunque ortus sit manifestum demonstrat; Nec quæ a Vossio et Waltono afferuntur ad ejus confirmationem satis valida sunt ad Textus sacri *αὐθεντίαν* propterea convellendam, ut fuse et solide *Bailius* lib. i. Operis Histo. et Chrono. c. iv. ostendit.

QUÆSTIO XV.

DE VERSIONE VULGATA.

An Versio Vulgata sit authentica? Neg. contra Pontificios.

I. Non quæritur, An Versio Vulgata utilis sit, et aliquoties etiam veritatem apprime reddat, quod nemo diffitetur; Non item, An sit antiqua et longo tempore in Ecclesia usitata, quod etiam apud omnes constat; Sed, An sit authenticæ veritatis ut fontibus ipsis sit æquanda, et Versionibus cæteris omnibus anteponenda; quod negamus, asserunt Pontificii ex Concilio Tridentino Sess. 4, Decret. 1, *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in Veteri Vulgata Editione habentur, pro Sacris et Canonicis non susceperit, Anathema sit.* Et mox, *Insuper eadem S. Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata Editio, quæ longo tot seculorum usu, in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, prædi-*

Digitized by Google

cationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.

II. Verum est variantes esse Pontificiorum sententias circa Canonis Concilii sensum; dum alii nullam inter Versionem istam et Fontem comparationem factam esse volunt, sed tantum cum aliis Versionibus Latinis quæ circumferuntur; ut *Bellarminus*, *Serarius*, *Salmero*, *Mariana*, et alii complures, qui eam etiam ex fontibus corrigi et emendari posse censent: Alii vero authenticam eam absolute declaratam esse, ut melior dari non possit, et omnibus editionibus cujuscunque idiomatis præferenda sit, imo ex qua primigenii codices utpote corrupti emendandi sint, ut *Canus*, *Valentia*, *Gordonus*, *Gretserus*, *Suarezius*, et alii. Sed qui penitius verba Canonis expenderet, agnoscet facile in posteriorem inclinare sententiam. Nam si *nullo prætextu* rejici potest: Ergo nec *prætextu Hebraïci Codicis*, quod aperte pronunciavit *Hartus* colloquio cum *Rainoldo*. Hinc Ximenius Cardin. præf. ad Biblia Complutensia protestatur se *Latinam posuisse mediam inter Hebraïcam et Græcam, tanquam duos hinc inde latrones, medium autem Jesum, hoc est Romanam sive Latinam Ecclesiam.* Nec fidem a sodalibus impetrat *Mariana*, quum libro de V. Versione eam non minoris authoritatis esse ait, quam fontes, ubi cum fontibus convenit, alioqui quando discrepat excusandam esse: ideo verba ista, *ubi cum fontibus convenit*, Index Expurg. induxit, et *Ludo. de Tena* Isag. ad script. lib. 1, dist. 6, sect. 3, arguens Marianam, *Si Vulgata esset authentica*, inquit, *quatenus cum fontibus convenit; et quando discrepat vitiosa, Ergo absolute non esset authentica, neque per decretum Tridentinum majorem quoad nos recipit certitudinem quam ante habebat, quando etiam ante decretum hoc obtinebat sub prædicta conditione, nim. convenientiæ cum fontibus. Ergo Concilium Tridentinum ita si decrevit, nihil de novo definiit, sed lis mansit ut antea.*

Versio Vulgata non est authentica.

III. Nos vero etsi V. Versionem ut antiquam in pretio habemus, tamen authenticam esse negamus. 1. Quia humana industria est elaborata, non vero authorem habet θεόπνευστον, quod editio authentica postulat. Nam sive ejus author statuatur Hieronymus, ut volunt Pontificii, sive ante Hieronymum alius quispiam qui Versionem Italam et Vulgatam dictam concinnaverit, sive Sixtus V. et Clemens VIII. qui veterem usitatam in Ecclesia multis modis correxerunt, nemo ex illis fuit θεόπνευστος.

IV. 2. Quia nec ante decretum Concilii, nec post fuit authentica. Non ante quia multos habuit errores, quos libere redarguunt varii ex Pontificiis, Nicolaus Lyra, P. Burgensis, Driedo, Hier. ab Oleastro, Caietanus, et alii, præcipue Isidorus Clarius, qui octoginta millia errorum in vulgata Lati. se observasse dicit. Sixtus Senensis, lib. 8, Biblio. ad finem. *Ingenue fatemur et nos multos errores ab Hieronymo emendatos in veteri traductione, et similiter in hac nostra nova editione nonnullas inveniri mendas, solœcismos, barbarismos, et multa parum accommodate versa, et minus Latine versa, obscure et ambigue interpretata, itemque nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, immutata, ac vitio Scriptorum depravata, quæ Pagninus, Oleastrius, Vatablus, Caietanus, interpretationibus et expositionibus suis judicarunt.* Certe si authenticam antea judicasset Leo X. Pontifex, non fuisset author S. Pagnino Lucensi novam adornare versionem, eo quod vidisset celebrem illam Hieronymi versionem hominum incuria et temporum injuria, magna ex parte vel intercidisse vel corruptam fuisse, ut refert Sixtus Senen. Lib. 4. Non potest etiam dici authentica post Concilium, quia non potuit Concilium authenticam facere, quæ ante non fuit; ut enim librum non Canonicum, non potest Canonicum facere, sed tantum declarare; sic non potest versionem authenticam facere, hoc enim solius

Digitized by Google

Dei est, qui divinam authoritatem cuilibet scripto conferre potest, sed tantum declarare versionem esse fidelem, et fonti suo conformem; vel si mendæ irrepserant eas corrigere, et usum ejus in Publicis Ecclesiæ officiis imperare.

www.libtool.com.cn

V. 3. Quia pluribus in locis a fontibus deflectit, quod de Sixtina concedit Clemens VIII. qui eam licet authenticam a Concilio pronunciatam, et emendatissimam ex Sixti judicio, emendare tamen sustinuit, et biennio post ad incudem revocavit, expuncta nonnulla a Sixto restituit, plura mutavit, et correxit; ut patet ex collatione Exemplarium in *Bello Papali Thomæ Jamesii*, ubi præter innumeras varietates ad bis mille lectiones produxit, quas a Sixto authoritate Apostolica adversus Hebræam et Græcam veritatem confirmatas, Clemens eadem authoritate refinxit, et ad fontes reformavit, quæ præli vitio, ut causatur Clemens, non possunt adscribi; quis enim credat chiliadas sphalmatum præli vitio in eam editionem irrepsisse, quam tanta diligentia Sixtus procuraverat? Clementinam etiam, quam post Sixtinam authenticam esse jussit Clemens, variis vitiis scatere ipsa præfatio docet; *Accipe itaque Christiane Lector*, inquit, *eodem Pontifice annuente, Vulgatam S. Scripturæ editionem quanta fieri potuit diligentia castigatam; quam quidem sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, Ita cæteris omnibus, quæ huc usque prodierunt, emendatiorem et puriorem esse, minime dubitandum.* Si enim difficile est affirmare eam omnibus numeris esse absolutam, sed tantum puriorem fuisse omnibus quæ huc usque prodierant; Ergo non negatur posse deinceps prodire correctiores, nec potuit dici a Concilio *emendatissima.* Sed in sequentibus hoc ipsum clarius patet, quum diserte dicitur *in Vulgata Vetere Bibliorum Interprete quædam visa fuisse mutanda, quæ consulto immutata relicta sunt.* Nec hoc dissimulat Bellar. qui inter Correctores fuerat, in Episto. ad L. Brugensem data, cujus ipse meminit, *Scias velim, Biblia Vulgata non esse a nobis accuratissime castigata, multa enim de industria justis de causis prætermimus, quæ correctione indigere videbantur.*

VI. 4. Variis mendis refertam esse V. Versionem jam olim agnoverunt non pauci e Pontificiis, Erasmus, Valla, Pagninus, Caietanus, Oleastrius, Forerius, Sixtus Senensis, et id hodieque fatentur Interpretes varii celebres, Salmero, Bonfrerius, Serarius, Masius, Muisius, et alii complures Viri doctissimi, qui subinde ab ea ad fontes provocant.

VII. 5. Multa sunt loca, quæ perperam reddita erroribus gravissimis vel occasionem, vel patrocinium præbuerunt; Sic Gen. iii. 15, *ipsa* conteret, ut ad B. Virginem referatur, cum in fonte legatur הוּא, ipsum, scilicet semen; et xiv. 18. *Erat enim Sacerdos*, pro *Et erat;* et xlviii. 16, *invocetur nomen meum super eos*, pro *vocetur in iis nomen meum.* Psalm xcix. 5. *Adorate scabellum pedum ejus*, pro *ad scabellum*, si arca notatur, vel *in scabello*, id est in Templo, quod scabellum pedum ejus est. Ecclesiast. ix. 2, *omnia in futurum servantur incerta*, pro *omnia sunt ante eos.* John xiv. 26, *suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*, ad insinuandas Traditiones Apostolicas ἀγεγράφους; sed aliter sonant Græca, πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν, *omnia quæ dixi vobis.* Heb. xi. 21, *adoravit fastigium virgæ*, contra mentem Pauli προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον, *adoravit super summitatem baculi*, id est, ut Beza vertit, pro *baculo innixus.* Heb. xiii. 16, *talibus hostiis promeretur Deus*, pro *delectatur.* 1 Cor. xv. 10. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, pro *quæ mecum est.* Addi possunt alia loca in quibus vel detractione vel additione peccatur, ut Rom. xi. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*, deest post hæc verba integra sententia, quæ in Græco habetur. *Sin ex operibus, jam non est gratia, alioquin opus jam non est opus.* Matt. vi. 4, 6, 18, ter desunt ista verba *In*

Digitized by Google

propatulo, quæ extant in Græco. C. xv. 8, desunt ista, *appropinquat mihi populus hic ore suo ;* cap. xx. 22, desunt ista, *et baptismate quo ego baptizor, baptizari?* 1 Cor. vi. 20, post *in corpore vestro* desunt, *et in spiritu quæ sunt Dei.* Additione etiam non semel peccat, Luc. x. 1, *designavit et alios septuaginta duos*, in Græco ἑτέρους ἑβδομήκοντα. Act. ix. 29, *loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis*, pro *loquebatur et disceptabat adversus Græcos ;* Rom. iv. *ex operibus Legis*, in Græco est tantum *operibus.* Plura sunt idgenus, quæ legentibus occurrere possunt. Vide plura apud Whitakerum, Chamierum, Amama, Jamesium, et alios ex Nostris, qui errores Versionis istius notarunt.

VIII. 6. Quæcunque sit illa Versio, quam volunt conflatam partim ex veteri, quæ *Itala* dicitur Aug. lib. 2, de Doct. Christ. c. 18, et Vulgata ipsi Hieronymo in Is. c. 49, partim ex nova Hieronymi; non potest esse authentica : nam neque Vulgata διάπυστος fuit, alias Hieronymo non licuisset illam corrigere et interpolare, neque nova quæ ex utraque coaluit talis censeri potest fatente Hieronymo.

IX. 7. Quia Decretum Concilii canonizavit Editionem, quæ nondum fuit in rerum natura, sed post quadraginta sex annos demum prodire debuit : Nam decretum rogatum est ann. 1546, et anno demum 1590, a Sixto V. biennio autem post a Clemente opus confectum est et publicatum. At qui Concilium potuit probare et authenticam declarare editionem quam non examinarat, et quæ nequidem tunc adhuc facta erat?

Fontes Solutionum.

X. Licet Hebræi et Græci suos habuerint Textus authenticos, non sequitur Latinos authenticum etiam habere debere, quia non eadem est utrorumque ratio; Nam a Prophetis et Apostolis a Spiritu S. inspiratis certo profluxisse V. T. Textum Hebræum, et Græcum Novi constat : sed nemo dixerit V. Versionis authores vel promotores fuisse pariter διαπύστους.

XI. Longus Versionis usus cum ratione conjunctus illi authoritatem conciliare potest, sed non authentiam illi tribuere, ut ab ea nullo prætextu discedere fas sit. Talis enim authentia, non a longo usu, sed a divina inspiratione pendet. Deinde qualiscunque fuerit istius Versionis usus, in sola Ecclesia Latina obtinuit, non Græca et Orientali.

XII. Vera et propria causa Editionis authenticæ, non est Patrum testimonium, praxis Ecclesiæ, vel confirmatio Concilii. Nam etiam teste Bell. lib. i. de V. D. c. 10, Ecclesia non facit libros authenticos, sed tales esse declarat. Quæ ergo Versio in se authentica non fuit, eam talem Ecclesia declarare non potest.

XIII. Non opus est ut Vulgus quod imperitum est linguarum Hebraïcæ et Græcæ, habeat Vulgatam pro authentica, ut possit scire an Scripturam legat necne. Quia Scripturæ veritatem non minus ex Versionibus vernaculis quas legit et intelligit cognoscere potest, quam ex Vulgata quam non intelligit.

QUÆSTIO XVI.

DE PERFECTIONE SCRIPTURÆ.

An Scriptura ita perfecte contineat quæcunque sunt ad salutem necessaria, ut nullis post eam Traditionibus ἀγεγράφοις opus sit? Affir. contra Pontif.

I. Ut Pontificii facilius Scripturæ Tribunal, quod sibi adversari intelli-

Digitized by Google

gunt, declinent; Non tantum ejus *αὐθεντίας* et Integritatem convellere, sed Perfectionem etiam et Perspicuitatem arguere conantur. Unde inter nos et ipsos quæstio agitatur de *Perfectione Scripturæ*.

Status Quæstionis.

II. Ad Statum Quæstionis observa, 1. Non quæri, An Scriptura ea omnia contineat, quæ a Christo et Sanctis vel dicta sunt vel facta, vel quæ ad religionem quomodocunque possunt pertinere: Non negamus enim multa a Christo facta, quæ scripto non sunt consignata ex Jo. xx. 30, multa item occurrere, quæ Religionis sunt veluti appendices et adminicula, ut quæ versantur circa ritus et politiam Ecclesiasticam, quæ sigillatim non traduntur in Scriptura, et relinquuntur prudentiæ Rectorum Ecclesiæ, qui prospicere debent ex Pauli præcepto, 1 Cor. xiv. 40, ut omnia decenter fiant in Ecclesia: Sed quæri tantum de *Rebus necessariis ad salutem*, sive pertineant ad fidem, sive ad mores; An omnia ista ita Scriptura contineantur, ut possit esse totalis et adæquata fidei morumque regula, quod statuimus; Adversarii negant.

III. Non quæritur, an omnia ista *αὐτολεξεὶ* et totidem verbis, seu immediate et expresse tradantur in Scriptura: Fatemur enim multa per legitimam consequentiam bene ex Scriptura deduci, et pro Dei verbo habenda esse. Sed, An ita contineantur in Scriptura, vel expresse in ea sint vel legitime ex ea deducantur, ut nullo alio fidei principio *ἀγράφῳ* opus sit, unde quæ Religionis et salutis sunt petere oporteat.

IV. Non quæritur de *Perfectione intensiva* seu *qualitativa*, quæ in dogmatum et præceptorum exquisita veritate, et modo ea tradendi perfectissimo versatur. Sed de *Perfectione extensiva* seu *quantitatis*, quæ ad omnia credenda et facienda extenditur. Illa in unaquaque Scripturæ parte occurrit, Ista in toto corpore conspicitur.

V. Non quæritur, An perfectio Scripturæ eadem semper fuerit quoad gradum. Fatemur enim pro variis ætatibus Ecclesiæ variam etiam fuisse ejus revelationem, ita ut crescente Ecclesia creverit etiam revelatio, non quidem quoad substantiam rerum credendarum, quæ semper eadem fuit, sed tantum quoad clariorem earum manifestationem et applicationem. Sed, An ita plena sit hodie, ut sine ullo Traditionum supplemento sit adæquata fidei morumque regula.

VI. Non quæritur, An nullus unquam locus in Ecclesia fuerit Traditionibus *ἀγράφοις*. Fatemur enim Deum aliquando verbo *ἀγράφῳ* Ecclesiam docuisse, ut ante Mosem. Sed, An consignato semel Scripturæ Canone, dentur quædam Traditiones *ἄγραφοι quæ pari pietatis affectu recipiendæ sint cum Scriptura;* quod Pontificii volunt, Nos negamus.

VII. Non quæritur, An omnes omnino Traditiones sint absolute rejiciendæ: Nam concedimus posse dari *Traditiones historicas* quæ rerum gestarum mentionem continent, *Traditiones rituales* quæ de ritibus et cæremoniis liberæ observationis agunt. Sed agitur tantum de *Traditionibus Dogmaticis* et *Ethicis*, id. quæ vel fidem vel mores spectent, quas extra Scripturam dari negamus.

VIII. Non quæritur, An admittendæ sint Traditiones Divinæ et Apostolicæ, id. ea omnia dogmata quæ vel a Christo vel ab Apostolis tradita sunt, hoc enim facile omnes concedunt; Sed an dentur ullæ Traditiones tales præter Scripturam. Donec ergo Adversarii suas Traditiones *ἀγράφους* certo argumento probent a Christo et Apostolis revera manasse, quod nunquam facturi sunt, tandiu eas ut humanas rejicimus.

IX. Quæstio ergo eo redit; An Scriptura S. contineat perfecte, non omnia absolute, sed necessaria ad salutem, non expresse et totidem verbis, sed æquipollenter vel per legitimam consequentiam, ut nihil opus sit

Digitized by Google

ad verbum aliquod ἄγραφον confugere, quod Traditiones aliquas dogmaticas vel Ethicas contineat; Seu, An Scriptura sit regula totalis et adæquata fidei et morum, An vero partialis tantum et inadæquata. Nos prius tuemur: Pontificii posterius statuunt, qui volunt *Traditiones non scriptas tum ad fidem tum ad mores pertinentes pari pietatis affectu et reverentia cum Scriptura esse recipiendas*, Concil. Triden. Sess. 4; Bellar. lib. 4, de V. D. c. 2 et 3.

X. Præiverunt Pontificiis in Traditionibus recipiendis Judæi, qui Legem partiebantur in *Scriptam* et *Oralem* quam Moses in monte Sinaï acceptam tradiderit Josuæ, hic LXX Senioribus, hi vero Prophetis, Prophetæ Synagogæ magnæ, et ita deinceps, donec tandem conscripta et in Talmud relata sit. Unde variæ διενεξεῖς apud ipsos invaluerunt, ut ipsis Christus exprobrat; quod fuit Satanæ artificium ut per Legem hanc Judæos a Lege Scripta facilius avocaret. Eadem arte effecit ut Pontificii duplex Dei Verbum finxerint, aliud scriptum aliud non scriptum, quasi Christus et Apostoli multa viva voce docuerint quæ scripto non tradiderunt. Hinc Traditiones ortæ sunt ἄγραφα, ita dictæ, non quod nusquam scriptæ sint, sed quod juxta Bell. a primo authore non scriptæ sint, aut quod in nullo libro Apostolico scriptæ inveniantur.

XI. Ne videantur vero hac ratione Scripturam insufficientiæ arguere, distinguunt inter eos nonnulli *sufficientiam explicitam* et *implicitam* ut Staplet. et Serarius, vel *mediatam* et *immediatam* ut Perronius. Et Scripturam quidem non esse *sufficientem* immediate et explicite fatentur; sed posse dici tamen sufficientem *mediate* et *implicite*, quia in iis quæ non habet in se, amandat ad Ecclesiam et Traditionem.

XII. Nos vero talem sufficientiam et perfectionem Scripturæ tribuimus, quæ sit immediata et explicata, ut nihil necesse sit extra Scripturam ad ullam Traditionem confugere, licet pro Divina et Apostolica venditetur.

Scripturam esse perfectam probatur ex 2 Tim. iii. 15, 16.

XIII. 1. Quia Paulus dicit πᾶσαν γραφὴν esse θεόπνευστον, *et utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfecte instructus*, 2 Tim. iii. 15, 16, 17, ubi varia latent argumenta pro Scripturæ perfectione. Primo quia Literæ sacræ possunt hominem σοφίσαι *ad salutem*, v. 15. quid enim quærimus amplius, quam ut salutis fiamus compotes? 2. Quia utilis est ad omnes usus theoreticos et practicos, ad docendam fidem, et formandos mores. 3. Quia potest perfectum reddere Virum Dei ad omne bonum opus; at quod Pastoribus sufficit, utique et ovibus sufficere potest.

XIV. Frustra Pontificii excipiunt. Primo, *utilem* dici, non autem omne utile sufficiens esse; aquam utilem esse ad vitam, aërem ad sanitatem, non tamen sufficere. Nam quod utile est non ad quædam tantum, sed universaliter ad omnia, utilitate completa et adæquata, non partiali et incompleta, sufficientiam necessario importat. At Scriptura talis hic prædicatur, quando dicitur posse hominem ad salutem σοφίσαι et utilis esse tum ad διδασκαλίαν veri, et ἔλεγχον falsi, tum ad ἐπανόρθωσιν mali et ad παιδείαν boni, nihil enim præterea requiritur ad perfectionem. Nec similia allata huc pertinent; quia aliud est loqui de utilitate, quæ ad finem tantum remotum et accidentalem refertur, qualis est in aëre ad sanitatem, in aqua ad nutritionem; tunc enim utilitas potest notare tantum adminiculum, non sufficientiam; Aliud vero de utilitate, quæ finem proprium immediatum et naturalem respicit; tunc enim utilitas necessario sufficientiam secum trahit, ut quum ignis dicitur utilis ad calefaciendum. Eo autem modo

Digitized by Google

Scripturam utilem dici patet. Secundo, agi tantum de Scriptura V. T. Si ergo sola sufficiens dicitur ad omnia, superfluitatis damnari N. T. vel si potuit addi Vet. Test. Novum, nihil obstare quominus Novo etiam aliquid hodie addi possit. Nam Paulus loquitur de tota Scriptura tunc temporis extante; Jam vero, non V. T. tantum, sed variæ partes Novi jam conscriptæ erant. 2. Si Vet. Test. sufficiens fuit, Ergo multo magis V. et N. 3. Si V. fuit sufficiens suo tempore, non propterea Novum superfluum fuit, ut enim ætas Ecclesiæ variat, ita variat gradus revelationis, non ut perfectior reddatur quoad substantiam dogmatum, sed tantum quoad circumstantias et clariorem eorum propositionem. 4. Si V. T. Novum est additum, non sequitur aliquid posse jam addi Novo, quia perfectus jam est omnimode Scripturæ Canon, non modo quoad substantiam rerum credendarum, sed etiam quoad modum et gradum revelationis qui potest haberi in hac vita. Tertio, non dici ὅλη, *totam*, sed πᾶσαν γραφὴν, *omnem Scripturam;* At si urgetur syncategorema, perfectionem istam inveniendam esse in qualibet Scripturæ parte, quod absurdum. Nam vox πᾶσα hic non *distributive* pro singulis partibus, vel versibus Scripturæ est intelligenda, sed *collective* pro toto integrali, quomodo sæpe sumitur, Matt. ii. 3, et xxvii. 45; Act. ii. 36; Luc. xxi. 32; Act. xx. 24, et sic intelligunt *Cornelius a Lapide, Estius, Catechesis Tridentina.*

XV. 2. Quia Deus expresse vetat quicquam Verbo suo addere, vel detrahere, Deut. iv. 2, *Ne addite ad Verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo.* Gal. i. 8, *Etiamsi nos aut Angelus e cœlo evangelizet vobis præter id quod evangelizatum est, anathema esto.* Apoc. xxii. 18, *Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto, et si quis abstulerit aliquid, auferet Deus partem ejus e libro vitæ.* Ubi non potest dici, Vel intelligi tantum Legem a Mose viva voce traditam, quæ amplior fuerit scripta: Quia verbum Mosis ἔγραψεν et ἔγγραφον, non re sed modo tantum differunt, nec aliud viva voce docuit, quam quod scripsit; Unde Legem totam non mutilam in perpetuum Ecclesiæ usum perscribere jussus est, et ut servus fidelis perscripsit, Exod. xxiv. 4; Deut. xxxi. 9, 11, 19, &c. sic passim per *Legem* intelligitur liber Legis, Deut. xxviii. 58; Josu. i. 7; Vel agi de integritate tantum obedientiæ, quia integritas obedientiæ refertur ad integritatem Legis, quæ talis est ut nefas sit ei quicquam addere; Vel agi de *additionibus corrumpentibus, non perficientibus*, Quia nulla datur Traditio perficiens illud quod jam perfectum est; nec damnatur tantum corruptio, sed simplex additio, appositio, non tantum oppositio; Unde Galat. i. 8, non dicit tantum Paulus contra, sed *supra* vel *præter* παρ' ὃ *evangelizatum est* ut V. Versio reddit, ubi recte Theophy. οὐκ εἶπεν ὅτι ἐὰν ἐναντία καταγγέλλωσι, ἀλλὰ κἂν μικρόν τι εὐαγγελίζωνται παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα. Omnis additio in materia fidei est corrumpens, quia additur fundamento, quod unicum esse debet, et cui si quid additur, eo ipso evertitur, ut circulus destruitur si vel tantillum addas, nec pondus justum amplius erit si ultra quod requiritur aliquid apponas. Nec ideo peccasse censendi sunt Prophetæ et Apostoli qui tam multa Canoni Mosaïco addiderunt; quia discernendæ sunt ætates Ecclesiæ, juxta quas crescere debuit revelatio, non quoad substantiam dogmatum, sed quoad modum et circumstantias; nam alias Paulus, qui profitetur se totum Dei consilium annunciasse fidelibus, Act. xx. 20, 27, protestatur tamen se nihil dixisse extra ea quæ Moses et Prophetæ dixerant, Actor. xxvi. 22. Denique pleraque quæ Pontificii addunt, non tantum sunt *præter* Verbum, sed etiam *contra* illud. Ad Johannem vero quod attinet, non spectavit tantum Prophetiam suam, ut vetaret eam interpolari; sed ut fuit Scriptorum sacrorum ultimus, Apo-

Digitized by Google

calypsi sua totum Scripturæ Canonem clausit, et extremis verbis veluti diris quibusdam obsignavit. Adde quod a pari semper valeret argumentum; et quod de isto libro dicitur, idipsum et in aliis etiam locum habere debet.

XVI. 3. Quia *Lex Dei* dicitur *perfecta, quæ restaurat animam, et dat sapientiam simplici*, &c. Ps. xix. 8, 9. At animæ conversio et restauratio non potest obtineri nisi cognitis omnibus ad salutem necessariis. Nec dici potest agi hic tantum de *perfectione intensiva* quoad qualitatem, quia Lex est immaculata, et sine ullo vitio quoad singulas partes, non vero de *perfectione extensiva* quoad quantitatem et amplitudinem; quia et primaria vocis תמים significatio designat perfectionem talem, cui nihil deest, et rei ipsius natura hoc exigit, quia agitur de ea perfectione, quæ potest animam restaurare et dare sapientiam simplici, quod sine plena sufficientia obtineri nequit.

Fine Scripturæ.

XVII. 4. *Finis Scripturæ* perfectionem istam postulat, data enim est ut salutem et vitam ex ea habeamus, Jo. xx. 31, et 1 Jo. v. 13; Ro. xv. 4; quomodo vero finis iste obtineri posset, nisi perfecta esset quæ omnia ad salutem necessaria contineret? Data est ut sit *Canon et Regula fidei:* At regula quæ non est totalis et adæquata, eo ipso regula non est; regula enim talis est mensura cui nihil adimi vel addi potest, *νόμος ἀπαράβατος*, ut ait Phavorinus, *καὶ μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν πάσης ἐπιδεχόμενον*, *Lex inviolabilis et mensura infallibilis, nullam additionem vel detractionem admittens.* Data est ut sit *Testamentum* Christi: At si humano testamento nemo quicquam audet *ἐπιδιατάσσεσθαι*, Gal. iii. 15, quanto minus Divino, quo supremam Testatoris voluntatem integre contineri legitimi hæredes, non minus tuto quam firmiter credunt. Data est denique ut sit *Contractus fœderis* a Deo nobiscum initi; Quis vero dixerit vel plura, vel aliena ab iis quæ in istis Tabulis perscripta sunt, vel spopondisse nobis Deum, vel a nobis esse stipulatum?

XVIII. 5. Quia rejiciuntur Traditiones omnes dogmaticæ extra Scripturam, Is. xxix. 13; Mat. xv. 4, 9. *Frustra me colunt docentes doctrinas et mandata hominum.* Nec reponi potest rejici Traditiones Pharisaïcas, non Apostolicas. Quia rejiciuntur in genere omnes doctrinæ quæ ab hominibus docentur, et in Scriptura non traduntur; et supponitur gratis dari Traditiones Apostolicas præter Scripturam. Ita Isa. viii. 20, *Ad Legem et testimonium* revocantur fideles, et exitium denunciatur iis qui juxta illud loquuti non fuerint. Nec per testimonium possunt intelligi Traditiones, quæ passim rejiciuntur a Deo; sed vel ipsa Lex quæ sæpe testimonium dicitur, id. Lex, quæ est Dei Testimonium exegetice, vel Scripta alia Prophetarum quæ Legi addita sunt. Paulus, 1 Cor. iv. 6, *vetat sapere παρ' ὃ γέγραπται præter id quod scriptum est*, non modo respectu morum, ne quis sapiens sibi videatur ex præscripto Salomonis, Proverb. iii. 7, sed et respectu doctrinæ, ne quis inani sapientiæ præsumptione inflatus doctrinas peregrinas præter Scripturam in Ecclesia proponat, quod faciebant Pseudapostoli inter Corinthios.

Quia nulla ratio afferri potest traditionum.

XIX. 6. Nulla ratio idonea afferri potest, cur Deus unam Verbi sui partem scripto, alteram viva voce tantum tradi voluerit. Et male consuluisset Ecclesiæ suæ, si doctrinæ necessariam partem incertæ hominum traditioni commisisset, cum nulla sit traditio quæ temporis lapsu corrumpi facile non possit. Adde quod nulla regula datur ad discernendas Traditiones, quæ non refundatur tandem in Testimonium et authoritatem Ecclesiæ, et hæc ipsa authoritas maxime in controversiam venit. Cum ergo earum dubia sit origo, incerta authoritas, perplexus et ambiguus plerumque sensus, et impossibilis eas discernendi ratio; Nemo non videt merito a nobis eas rejici, ut soli Scripturæ tanquam perfectissimæ fidei morumque regulæ adhæreamus.

Digitized by Google

Ex Patribus.

XX. 7. Patres nobis hic adstipulantur clarissime, Tertul. contra Hermo. c. 21. *Adoro Scripturæ plenitudinem;* et mox, *scriptum esse doceat Hermogenes, aut si non est scriptum timeat illud Væ adjicientibus.* Et alibi de præscript. adversus hæret. *Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Evangelium. Quum credimus, hoc primum credimus, nihil esse quod ultra credere debeamus;* Hiero. in Matt. 23. *Quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur;* Aug. de Doctrina Christi, lib. 2, c. 29. *In his quæ aperte posita sunt in Scripturis, inveniuntur ea omnia, quæ continent fidem moresque vivendi;* Basilius serm. de Fide. *Infidelitatis argumentum est, et signum superbiæ, aliquid vel eorum quæ scripta sunt infirmare, aut eorum quæ non scripta sunt introducere,* &c. Irensæ. adv. hær. lib. 3, c. 1, *non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, columnam et fundamentum fidei nostræ futurum.*

Fontes Solutionum.

XXI. Licet omnia non sint scripta κατα μέρος quoad dicta et facta singula, cum singularium nec numerus sit nec scientia, de quibus agitur Joh. xx. 30, scripta tamen sunt κατ' ἴδος quoad ipsam doctrinæ necessariæ substantiam. Unde aliud est multa a Christo et Apostolis dicta et facta in Scripturis non contineri; quod concedimus; Aliud talia dicta et facta diversa esse quoad substantiam ab iis quæ consignata sunt; quod negamus.

XXII. Quæcunque Pontificii obtendunt recipienda extra Scripturam: Vel *revera extant in Scriptura*, ut Trinitas saltem quoad rem, Pædobaptismus, quem Bell. libr. de Bapt. cap. 8, probat ex Scriptura, Irreiterabilitas Baptismi, Numerus Sacramentorum saltem numeratus, Fœminarum admissio ad S. synaxim ex Act. ii. 42, 1 Corinth. xi. 5; Sabbathi in diem Dominicum translatio Apoc. i. 10; 1 Cor. xvi. 2; Col. ii. 16, 17. Vel *non sunt dogmata necessaria ad salutem*, ut perpetua Virginitas Mariæ etiam post partum, quod Pascha die Dominico debeat celebrari. Vel *falsa sunt et commentitia*, ut localis Christi in inferos descensus, Purgatorium, Missa, Enochi et Eliæ reditus, *&c.*

XXIII. *Depositum* de quo, 1 Tim. vi. 20. Timotheo commissum nihil minus insinuat, quam doctrinam viva voce traditam et non scriptam, sed vel formam saniorum verborum cujus meminit, 2 Tim. i. 13, contra profanas vocum novitates, et oppositiones ψευδωνύμου γνώσεως, vel Talentum donorum ipsi concreditorum; quæ cum farragine Traditionum non scripturarum nihil habent commune.

XXIV. Multa illa quæ portare non poterant Discipuli Christi, Jo. xvi. 12, non inferunt vel Scripturæ iusufficientiam, vel Traditionum necessitatem; Tum quia non fuerunt nova dogmata quoad substantiam diversa a prioribus, Jo. xiv. 26. Sed eadem plenius declaranda et certius persuadenda per Spiritum, tum quia edocti postea per effusionem Spiritus ea literis consignarunt.

XXV. Locus Apost. 2 Thess. ii. 15, non probat dari Traditiones ἀγράφους, sed duplicem ejusdem doctrinæ tradendi modum designat, qui fit tum viva voce, tum scripto; et particula disjunctiva εἴτε quæ tamen copulative potest etiam sumi, ut Rom. xiv. 8; 1 Corinth. xv. 11; Col. i. 20, diversitatem notat, non rei, sed modi, qui alius et alius esse potuit, maxime primis illis temporibus quibus Canon Scripturæ N. T. nondum erat consignatus. Deinde licet omnia non contenta fuissent in epistola quam ad Thessal. scribit Paulus, non sequitur non contineri alibi in Scriptura.

XXVI. Traditio aliquando notat quamlibet doctrinam, quæ nobis tradi-

Digitized by Google

tur sive scripto, sive viva voce, aliquando doctrinam quæ sola viva voce et non scripto traditur. Non quæritur de Traditione primo sensu, sic enim omnia dogmata Scripturis contenta possunt vocari Traditiones, ut Paulus Institutionem Eucharistiæ vocat, 1 Cor. xi. 23, sed agitur de doctrina non scripta.

www.hbtoon.com.cn

XXVII. Perperam distinguitur a Perronio *sufficientia mediata* et *immediata;* Ut Scriptura sufficiens dicatur non secundo sensu, sed primo, quia nos amandat ad Ecclesiam, quæ postea supplet defectus Scripturæ: Quia sic vera Scripturæ insufficientia notaretur; Nam si amandat ad Ecclesiam quæ sufficientiam illam habeat, eo ipso declarat se illam non habere. 2. Sic Lex posset dici perfecta ad salutem, quia amandat ad Christum in quo salus. 3. Scriptura non amandat nos ad Ecclesiam, quæ nova dogmata nobis proponat; Sed ut ea quæ in Scriptura habentur explicet et applicet. Nec hic reponi debet; Nos sufficientiam istam mediatam statuere, quum volumus Scripturam si non expresse, saltem per consequentiam omnia necessaria ad salutem continere, quia quum Scriptura per consequentiam aliquid docet, non amandat ad alium qui doceat; sed ex sinu suo promit quæ virtualiter in ea latebant. Nec simile allatum a Perronio *literarum credentiæ*, quæ sufficientes dicuntur, licet non omnia contineant quæ in mandatis legatus habet, potest hic accommodari, quia Scriptura non est tantum Epistola credentialis, sed etiam Edictum Principis, quod ita omnia credenda et facienda continet, ut nihil illi addendum vel detrahendum sit.

XXVIII. Perfectio Scripturæ quæ a nobis asseritur non excludit vel Ministerium Ecclesiasticum, quod a Deo institutum est ad Verbum proponendum et applicandum, Vel Spiritus S. virtutem necessariam ad conversionem internam: Sed excludit tantum necessitatem alterius regulæ ad directionem externam, quæ Scripturæ addatur ad illam perficiendam. Non ideo imperfecta est Regula, quia requiritur manus Architecti ad eam applicandam.

XXIX. Alia sunt *Dogmata positiva* et affirmativa, quæ explicant positive quid nobis credendum sit; Alia *negativa* quæ docent quid sit rejiciendum. Non quæritur hic tamen de sufficientia Scripturæ quoad articulos negativos, quasi expresse debeat continere rejectionem omnium errorum et hæresium, quæ vel olim exortæ sunt, vel orituræ sunt adhuc; Nam ut rectum index est sui et obliqui, facile refelluntur errores ex positione veritatis. Sed agitur potissimum de articulis affirmativis, qui sunt ipsum animæ pabulum.

XXX. Traditio sumitur, vel *formaliter* pro actu tradendi, vel *materialiter* pro re ipsa tradita: hic non agitur de Traditione primo sensu, quo eam admittimus, quia per eam Scripturas habemus, sed secundo, quo eam negamus.

XXXI. Scriptura V. T. *perfecta* fuit *essentialiter* et absolute, quia substantiam doctrinæ necessariæ ad salutem continebat sufficienter pro ratione illius temporis; quamvis *accidentaliter* et comparate resp. Scripturæ N. T. imperfecta dici possit ratione modi manifestationis, licet resp. Ecclesiæ Judaïcæ sit ætas virilis, Gal. iv.

XXXII. Jesum filium Mariæ esse verum Messiam, vel Filium Dei in carne venisse, non est novus articulus fidei, sed explicatio et applicatio præcedentium, quæ in *hypothesi* docet quod jam ante in V. T. traditum erat in *thesi* de Messia. Ita dum Christus apographum chirographo addit, complementum prædictioni, et corpus umbris, non novam doctrinam proponit, sed veterem tantum exponit et illustrat.

XXXIII. Traditio de Scriptura non evincit Traditiones dari extra

Digitized by Google

Scripturam, quia quæstio proprie non est de *Principiis*, sed de *Principiatis;* An posita quam habemus Scriptura, opus sit non scriptis aliquibus traditionibus ad ejus supplendos defectus in rebus ad salutem necessariis. Deinde Traditio ista est formalis et activa, quam concedimus, quia et Ecclesiæ sunt commissa Oracula Dei, ut eorum sit Præco et Custos; non vero materialis et passiva, quæ doctrinam aliquam traditam extra Scripturam, quam negamus, notet. Ita Scripturam habemus per traditionem, non quæ sit principium illi credendi, sed tanquam medium et instrumentum, quo illa ad manus nostras perveniat.

XXXIV. Scriptura perfecta dicitur, non semper adæquate ad *objectum*, quasi mysteria omnia quæ tradit perfecte explicet; multa enim sunt quæ non possunt exprimi in se adæquate, ut Deus, Trinitas, &c. sed adæquate *ad finem*, quia ita illa proponit ut a nobis percipi possint sufficienter ad salutem.

XXXV. Quum Scripturam dicimus perfectam in esse regulæ, hoc intelligimus quoad *totam Scripturam* collective, non vero quoad *totum Scripturæ* distributive id. singulas ejus partes, ut nec in regula materiali, quicquid est regulæ, idem est regula.

XXXVI. Licet sæpe Traditionum Patres meminerint, non sequitur statim eos Traditiones ἐγγράφους Pontificiorum admisisse, quia diversimode de illis loquuntur: Aliquando Traditio ab ipsis usurpatur pro *actu tradendi*, quo libri sacri nunquam interrupta serie temporum, et perpetua successione ab Ecclesia sunt conservati et ad posteros traditi; quæ *Traditio* est *formalis*, quo sensu Origenes dicit se per *Traditionem didicisse, quod quatuor Evangelia in Ecclesia universa sint indubitata.* Secundo sumitur sæpe pro doctrina scripta, quæ primo viva voce post scripto consignata est, sic Cyprian. ep. 74, ad Pompeium, *Si in Evangelio præcipitur aut in Apostolorum Epistolis, aut Actibus invenitur, observetur etiam hæc sancta Traditio.* Tertio pro doctrina quæ totidem verbis in Scriptura non extat, sed per legitimam et necessariam consequentiam inde educitur, adversus eos qui expressa verba Scripturæ petebant, nec ἐμφάτων admittere volebant, quia in Scriptura verbatim non occurrebat. Ita Basili. de Spiritu S. c. 27, ipsam fidei professionem qua credimus in Patrem, Filium, et Spiritum S. e Scripturis haberi posse negat, Symbolum intelligendo, cujus articuli tamen quoad sensum habentur in Scripturis. Quarto pro doctrina rituum et cæremoniarum quæ dicitur *Traditio ritualis.* Quinto pro concensione veterum Ecclesiæ Doctorum in expositione loci alicujus Scripturæ, quam a Majoribus acceptam non sine modesta veneratione antiquitatis retinebant, quia cum Scripturis conspirabat; quæ potest dici *Traditio sensus* vel exegitica, de qua Iren. li. iii. c. 3, loquitur et Tertull. sæpe l. de præscript. Sexto traditionis voce utuntur ad hominem, disputando contra hæreticos qui eas urgebant, non quod ea quæ probabant, minus haberentur in Scriptura; sed quia hæretici quibuscum disputabant Scripturas non admittebant, cum *ex Scripturis se revinci sentiunt in accusationem convertuntur Scripturarum*, ut ait Irenæ. Disputant ergo ἐκ περιόντος ex consensu Traditionis cum Scriptura, ut nos fere jam disputamus ex Patribus contra Adversarios, sed non eo animo, ut Traditionem Dogmaticam extra Scripturam recipiant, testis Hiero. in Hag. 1. *Quæ absque authoritate et testimonio Scripturæ quasi Traditione Apostolica sponte repetunt et confingunt, percutit gladius Dei.*

Digitized by Google

QUÆSTIO XVII.

www.libtool.com.cn

DE PERSPICUITATE SCRIPTURÆ.

An Scriptura ita sit perspicua in rebus ad salutem necessariis, ut sine externo Traditionis ἀγεμόνος vel authoritatis Ecclesiasticæ auxilio, a fideli intelligi possit? Affirm. contra Pontificios.

I. Non satis fuit Pontificiis Scripturam imperfectionis arguere, ut Traditionum necessitatem inveherent, sed ut aliquo cum prætextu populum ab ejus lectione arcere possent, et lucernam sub modio occultare, ut facilius in tenebris regnarent, ejus obscuritatem urgere cœperunt, quasi nulli certo notus esse possit ejus sensus sine judicio Ecclesiæ.

Status Quæstionis.

II. Ad Statum Quæstionis observa, 1. Non quæri de *Perspicuitate* vel *obscuritate subjecti*, seu Personarum; Nam non negamus Scripturas esse obscuras infidelibus et irregenitis, quibus Evangelium suum tectum esse dicit Paulus, 2 Cor. iv. et fatemur Spiritum illuminantem fidelibus necessarium esse ad eas intelligendas. Sed de *obscuritate vel perspicuitate objecti* seu Scripturæ; An ita sit obscura, ut homo fidelis sine authoritate et judicio Ecclesiæ eam ad salutem percipere non possit; quod negamus.

III. Non quæritur de *Obscuritate Rerum seu Mysteriorum* in Scriptura traditorum; utrinque enim agnoscimus mysteria pleraque, quæ in Scriptura proponuntur, ita esse sublimia ut longissime captum nostrum superent, et hactenus posse dici obscura in se: Sed de *obscuritate modi* quo res illæ abstrusissimæ traduntur, et quem mirabili συγκαταβάσει ita esse temperatam a Domino statuimus, ut fidelis qui habet oculos mentis illustratos attente legens sufficienter ad salutem hæc mysteria capere possit.

IV. Non quæritur, An Scriptura S. sit perspicua in omnibus suis partibus, ut nullo interprete, nullaque dubiorum expositione egeat, quod Bellarm. nobis, sed falso et per calumniam affingit lib. 3. de V. D. c. 1. Statum quæstionis ita formans; *Sintne Scripturæ per se facillimæ et apertissimæ, ut interpretatione non indigeant?* Nam ultro fatemur sua esse Scripturæ adyta, et sua βάθη, quæ assequi et scrutari non valemus, et quæ Deus tum ad excitandum studium fidelium et augendam eorum diligentiam, tum ad domandam hominis superbiam, tum ad fastidium detergendum quod ex nimia facilitate suboriri poterat, in Scriptura esse voluit: Sed tantum quæritur de rebus ad salutem necessariis, et quidem secundum eam tantum σχέσιν secundum quam necessariæ sunt cognitu, et sine crimine ignorari non possunt; v. g. Trinitatis mysterium perspicue traditur quoad τὸ ὅτι quod necessarium est, sed non quoad τὸ πῶς quod nosse nobis non conceditur, nec ad salutem requiritur. Sic scilicet visum Deo, ut in Natura ita et in Scriptura, ut omnia necessaria ubique fere locorum occurrerent et facili negotio invenirentur; sed nonnulla minus necessaria certis locis altius reconderentur, unde nonnisi magno studio erui possent. Ut illa præter cibum et panem, suas habeat veluti delicias, suas gemmas, et aurum alte defossum, et indefesso studio eruendum; Et ut Cœlum diversis stellis majoribus vel minoribus interstinguitur; Ita Scriptura non ubique pariter lucet, sed locis clarioribus et obscurioribus veluti stellis quibusdam majoris vel minoris magnitudinis distinguitur.

Digitized by Google

V. Non quæritur, An res ad salutem necessariæ ubique perspicue tradantur in Scriptura; Fatemur enim varia esse δυνάστα, quibus studium nostrum et ingenii acumen exercere voluit Deus: Sed an alicubi saltem, ut fidelis sedula adhibita meditatione earum veritatem percipere queat; quia nihil ex obscurioribus locis eruitur, quod non alibi planissime dictum reperiatur, ut habet Aug. *Magnifice quippe et salubriter Spiritus S. ita Scripturas modificavit, ut apertioribus locis fami occurreret, obscurioribus autem fastidium detergeret*, de doctr. Christi. lib. ii. c. 6; et de Verbis Domini, Serm. II., *Pascimur apertis, exercemur obscuris, ibi fames pellitur, hic fastidium.*

VI. Non quæritur de Perspicuitate quæ non excludat media ad Interpretationem necessaria; ut lucem Spiritus internam, attentionem animi, vocem et ministerium Ecclesiæ, conciones et commentarios, preces et vigilias; agnoscimus enim talia media non modo utilia, sed etiam necessaria esse ordinarie: sed proscriptam tantum volumus eam obscuritatem, quæ plebem arcet a lectione Scripturæ quasi noxia sit et periculosa, et quæ cogat ad Traditionem confugere, ubi subsistendum erat in sola Scriptura.

VII. Quæstio ergo eo redit, An Scriptura S. ita sit perspicua in rebus ad salutem necessariis, non quoad res ipsas traditas, sed quoad modum tradendi, non respectu subjecti, sed objecti, ut sine externo Traditionis auxilio, vel Ecclesiæ infallibili judicio, possit a fidelibus salutariter legi et intelligi. Pontif. negant; Nos asserimus.

Scripturæ Perspicuitas probatur ex Ps. xix. 8, et cxix. 105; 2 Pet. i. 19.

VIII. Scripturam perspicuam esse patet, 1. ex ipsa Scriptura quæ se lucidam clamat, Ps. xix. 8, *Testimonium Jehovæ est certum, illuminans oculos;* et cxix. 105. *Lucerna pedi meo sunt verba tua;* 2 Pet. i. 19. *Lucerna splendens in loco obscuro;* Proverb. vi. 23. *Lex est lucerna.* Nec valet exceptio prima Bellarmini, qui vult agi tantum de præceptis Legis, non de tota Scriptura: Quia Legis nomine totum Dei Verbum passim innuitur, et effecta consolandi et restaurandi docent sic debere intelligi. Et Gloss. interline., Lyranus, Arias Montanus pro nobis hic faciunt. Petrus sane totum Dei Verbum lucernam appellat. Nec melior est altera, qua statuit, licet agatur de tota Scriptura, non alio sensu hoc intelligendum, quam *quia intellecta illuminat.* Nam Scriptura non tantum lucida dicitur, quia intellecta illuminat, sed quia in se lucida est et apta nata est eos illuminare, si ab homine oculis fidei usurpetur, ut lucida sit *formaliter* et *effective*, quia radios spargit instar Solis, et oculis intuentium se ingerit. Deinde nihil ineptius dici potest, idem enim est ac si dicerem Scripturam non illuminare, nisi illuminet, nam eo ipso illuminat quo intelligitur.

IX. Locus Deutero. xxx. 11, ubi dicitur Verbum non esse occultum vel remotum a nobis, non tantum refertur ad facilitatem implendi mandata, sed etiam ad facilitatem intelligendi, sine qua nunquam implerentur: nec tantum de præceptis agit, sed de Verbo Dei in genere, Unde Paulus applicat hoc Verbo fidei, Rom. x. 6, quod non implendum opere sed credendum fide.

X. Evangelium dicitur tectum solis infidelibus, 2 Cor. iv. 3, et perspicuum proinde fidelibus, non solum qua prædicatum, sed etiam qua scriptum; tum quia non aliud prædicarunt Apostoli, aliud scripserunt, tum quia opponitur hic Evangelii claritas obscuritati Veteris Testamenti, in cujus lectione occupabantur Judæi, de quo egerat Paulus c. iii. 14.

XI. Perspicuitatem Scripturæ probant ejus *Efficiens*, nim. Deus *Pater*

Digitized by Google

luminum, qui dici nequit vel noluisse, vel non potuisse perspicue loqui, quin arguatur ejus summa bonitas et sapientia. 2. *Finis*, qui est ut sit Canon et regula fidei et morum, quod esse non posset nisi perspicua esset. 3. *Materia*, *Lex* scil. et *Evangelium* quæ a quolibet facile percipiuntur. 4. *Forma*, quia nobis est loco Testamenti, Contractus Fœderis, Edicti Principis, quæ perspicua et non obscura esse debent.

XII. Patres eam passim agnoscunt, licet non negent sua esse Scripturæ *βάθη*, quæ studium fidelium exercere debent; *Chrysost.* homi. 3, de Lazar. Scripturam ita *temperatam* dicit, ut *etiam idiotæ eam intelligere possint, si modo studiose legant*, *πάντα* ibi esse *σαφῆ καὶ ἰνθία, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα*. *Augustin.* lib. ii. de D. C. 2, 6 et 9, *In iis quæ clare in Scripturis tradita sunt, inveniuntur omnia quæ continent fidem, moresque vivendi.* Irenæ. lib. 2, c. 46, *Scripturam Propheticam et Evangelicam dicit esse in aperto et sine ambiguitate.* Grego. Præf. in Jobum, *Scriptura habet in publico unde parvulos nutriat, sicut servat in secreto, unde mentes sublimium in admirationem suspendat; quasi quidam est fluvius planus et altus, in quo et agnus ambulet, et elephas natet.*

Fontes Solutionum.

XIII. Aliud est loqui de ignorantia et cæcitate hominis; Aliud de obscuritate Scripturæ. Illa sæpe urgetur in Scriptura. Sed hæc non item, nec ista ex illa legitime potest inferri, non magis quam Solem esse obscuram, quia a cæco non videtur: Hinc si David et alii fideles petunt sibi oculos retegi, ut videant mirabilia legis, non ideo obscuritas Scripturæ potest inferri, sed tantum ignorantia hominis; At hic non quæritur, an homines egeant Spiritus S. lumine ad intelligendam Scripturam, quod ultro damus; sed an Scripturæ homini fideli et illuminato sint obscuræ: Deinde aliud est loqui de illuminatione theoretica, aliud de practica; Aliud de primo gradu, aliud de ejus incrementis; David non prius proprie, sed posterius petit.

XIV. Quum Christus dicitur aperuisse mentem discipulis ut intelligerent Scripturas, Luc. xxiv. 45, hoc innuit quidem hominem non posse per se sine auxilio gratiæ Scripturas percipere; sed non arguit statim Scripturæ obscuritatem, nec imputari potest Scripturæ caligo quæ fuit in discipulorum mentibus.

XV. Aliud est esse *δυσνόητα* in Scriptura, quæ difficilia sint captu, Aliud *ἀνόητα*, quæ quantavis diligentia adhibita non possint intelligi; Petrus prius dicit, 2 Epist. c. iii. 15, non posterius: Aliud esse *δυσνόητα τινὰ*, quod concedimus; Aliud *δυσνόητα πάντα*, quod negamus. Aliud esse *δυσνόητα* in modo tradendi Epistolarum Pauli, quod negamus; Aliud in rebus ipsis traditis, quod Petrus innuit: Nam relativum *αἷς* non potest referri ad vocem *ἐπιστολαῖς*, ut fatentur *Gagnæ. et Lorin.* sed ad res quæ tractantur. Aliud est esse *δυσνόητα* indoctis et instabilibus, qui incredulitate, et malitia ea torquent ad proprium exitium, quod fatemur cum Petro; Aliud esse *δυσνόητα* fidelibus, qui ope Spiritus S. in iis perscrutandis humiliter versantur.

XVI. Ab obscuritate quarundam partium Scripturæ, v. g. Prophetiarum et Oraculorum Veterum non valet consequentia ad obscuritatem totius Scripturæ: quia, Vel Prophetiæ illæ non sunt de rebus necessariis ad salutem; Vel si quid obscuri in illis traditur, alibi clare explicatur. Ita *Liber clausus et signatus* de quo Dan. xii. 4, et Apoc. v. 1, docet quidem Prophetias obscuras esse ante complementum; sed non evincit Scripturam totam ita esse obscuram, ut a fidelibus intelligi non possit in rebus necessariis ad salutem.

XVII. Licet cognitio nostra per Scripturam sit obscura comparate ad

Digitized by Google

cognitionem gloriæ, ubi non amplius per speculum et in ænigmate sumus cognituri, sed facie ad faciem Deum sumus visuri, 1 Corinth. xiii. 14. non sequitur absolute et in se obscuram esse respectu status hujus vitæ; quia talis est claritas, quæ nobis in hac vita sufficit; utpote per quam facie retecta contemplamur gloriam Domini in speculo Evangelii, 2 Corint. iii. 18. 2. Paulus loquitur de cognitione ænigmatica, quæ sit communis omnibus viatoribus, nemine ne seipso etiam excepto; *Nunc*, inquit, *videmus per speculum;* quis vero dixerit Paulo obscuram fuisse Scripturam? Ergo locus notat tantum imperfectionem cognitionis nostræ in hac vita, et discrimen revelationis gratiæ et gloriæ, sed non obscuritatem Scripturæ.

XVIII. Quamvis scrutandæ sint Scripturæ, Jo. v. 39, non sequitur obscuras esse ubique, etiam in rebus ad salutem necessariis, 1. Quia non dicimus esse cuivis perspicuas; sed tantum animum attendenti, et sedulo investiganti, propterea opus est scrutinio, quia scrutanti demum perspicua est Scriptura: Facillima enim quæque, obiter atque oscitanter legentibus, obscura fiunt. 2. Non negamus sua esse Scripturæ adyta, et mysteriorum βάθη, quæ nonnisi summo studio et diligente indagine erui possunt; sed hoc non obstat quominus alia occurrant bene multa, et quidem necessaria ad salutem, quæ oculis fidelium facile obversantur.

XIX. Quamvis apostoli resurrectionem, et ascensionem Christi satis intelligere non potuerint, Jo. xvi. 18, non sequitur Scripturam fuisse obscuram: quia sufficit unicuique cognitio pro modo status in quo versatur, et doctrinæ quæ revelatur. Jam rerum harum revelatio plena, post resurrectionem demum contingere debuit.

XX. *Cognitio Scripturæ* alia est *literalis et theoretica*, qua verba secundum literam et grammatice intelliguntur; Alia *spiritualis* et *practica*, qua vera fide apprehenduntur. Multa in Scripturis occurrunt homini etiam animali perspicua theoretice; et constat ingeniose de summis fidei articulis posse disputare homines profanos; sed practica cognitio propria est fidelium, 1 Corinth. ii. 14, 15; 2 Cor. iv. 3.

XXI. Quæcunque afferantur ab Adversariis obscuritatis Scripturæ ratione modi tradendi causæ, non possunt evincere eam ita obscuram esse in rebus necessariis ad salutem, ut non possit esse totalis fidei morumque regula, et necesse sit ad eas superandas ad Ecclesiæ authoritatem aliquam infallibilem, et prætensum ejus tribunal confugere. Nam præterquam quod eo nunquam relegamur, tales non sunt quæ adhibito studio superari non possint, et ea quæ in locis illis occurrunt, vel non sunt necessaria ad salutem, vel si in uno vel altero loco obscurius traduntur, alibi clarius explicantur.

XXII. Aliud est loqui de *obscuritate absoluta* Scripturæ, et respectu omnium ætatum et statuum Ecclesiæ; Aliud de *obscuritate comparata* relate ad certam ejus ætatem. Fatemur Scripturam V. T. obscuram esse comparate, resp. N. T. et relate ad statum et ætatem Ecclesiæ Christianæ: Sed hoc non obstat quominus perspicua fuerit in se, et sufficienter ratione status Ecclesiæ V. T. cui proponebatur.

Digitized by Google

QUÆSTIO XVIII.

www.libtheology.com

DE SCRIPTURÆ LECTIONE.

An Scriptura a quolibet fideli legi possit cum fructu, et debeat sine permissu? Aff. cont. Pontif.

Sententia Pontificiorum de lectione Scripturæ.

I. Sententia Pontificiorum non melius potest colligi, quam ex Regul. IV. Indicis libr. prohib. ex Tridentina Sanctione editi, quæ sic habet: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri, prohibentur Biblia cum omnibus eorum partibus, sive excusa sive manuscripta, in qualicunque vulgari lingua extent.* Verum quia hoc crudum nimis videbatur, Pius IV. temperamentum aliquod videtur addere voluisse, quum ad *judicium ordinarii Parochi* aut *Episcopi* reducit concessionem Bibliorum lectionis, *iis* scilicet *quos intellexerint, ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei et pietatis augmentum capere posse:* Sed subsecuta Clementis VIII. Observatio spem istam plane illusoriam esse ostendit in Reg. hanc iv. dum negat *ullam de novo tribui Episcopis, vel aliis facultatem talem licentiam concedendi, quæ ipsis hactenus sublata fuit mandato S. R. Inquisitionis*, cujus in hoc negotio, praxi inhærendum. Ita, altera manu auferendo quod una dare videbantur, ostendunt scopum non alium fuisse ipsis, quam lucem istam sub modium reponere, et Scripturam e manibus populi eripere, ne errores eorum retegantur. Fatendum tamen variis inter Pontificios tyrannidem duram hanc videri, qui lectionem Scripturæ fidelibus concedendam esse censent; sed pauci sunt præ iis qui interdictionem ejus urgent; quorum sententia recepta est, ut communis totius Ecclesiæ; utpote fundata in Lege sancita Concilii authoritate atque Pontificis; cui Concilium ipsum, pronuncians *supremam ejus esse potestatem in universa Ecclesia*, Sess. XIV. de Pœnitentia, cap. vii. 3, expresse demandavit *ea terminare et evulgare quæ ad Censuram Librorum pertinent;* in continuatione Sess. XXV. Quæ ideo non potest aliter spectari, quicquid contra pertendatur, quam Universalis Lex Ecclesiæ Romanæ donec diserte revocetur. Nos vero contra, non modo fidelem quemque Scripturam libere legere posse, sed et debere pertendimus, ut nulla hic sit venia ab Episcopo aut Parocho expectanda.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur, An necessaria sit absolute et simpliciter omnibus Scripturæ lectio; Nam et infantes sine ea salvantur, et multi sunt ἀναλφάβητοι, inter adultos, qui eam nunquam lustrarunt: Sed an ita sit cuivis licita, ut nemo quamvis rudis et imperitus sit ab ea arcendus.

III. Non quæritur, An discretio quædam possit et debeat adhiberi in lectione librorum Scripturæ pro captu cujusque, quomodo olim arcebantur a nonnullis Scripturæ libris juniores, quibus ob ætatem judicium nondum erat satis confirmatum: Nam hoc non tam interdictio est, quam methodus discendi; et commode fieri potest ad majorem profectum et ædificationem; Sed, An Lectio interdicenda sit cuiquam; quod negamus.

Scripturæ Lectio probatur.

IV. Rationes sunt, 1. *Dei præceptum*, quod omnes et singulos spectat, Deut. vi. 6, 7, 8, et cap. xxxi. 11, 12; Ps. i. 2; Col. iii. 16; Jo. v. 39; Jos. i. 8; 2 Pet. i. 19; Apo. i. 3; 2. *Scripturæ finis*, quia tradita est ad omnium utilitatem et salutem, et omnibus arma subministrat adversus hostes nostros spirituales, 2 Tim. iii.

Digitized by Google

16; Rom. xv. 4; Eph. vi. 17; 3. Scriptura est *Testamentum* Patris cœlestis; quis vero dixerit filium arcendum a lectione Testamenti patris; 4. *Praxis constans Ecclesiæ*, tum Judaïcæ tum Christianæ, Deuteron. xvii. 18, 19; Act. viii. 27, et xvii. 11; 2 Pet. i. 19; 2 Timoth. iii. 15, 16. Nec usquam Veteres Patres tam solliciti sunt unanimiter, quam in commendanda et inculcanda omnibus Scripturæ lectione: Vid. Chrysost. passim in Gene. hom. vi.; in Matt. hom. i. et iii. de Laza. ubi non semel repetit ignorantiam Scripturarum esse causam omnium malorum Aug. Confes. lib. vi. c. 5; Serm. xxxv. de tempore: Basili. in Ps. i.: Cypria. lib. de Specta.; Orig. hom. ix. in Levi; et xii. in Exo.; Hiero. in ep. ad Lætam.

Fontes Solutionum.

V. Quod plus incommodi et damni affert per se et proprie quam commodi, id non est permittendum; sed non valet de eo quod affert tantum per accidens ex vitio hominis: Si homines abutuntur Scriptura, non fit per se sed per accidens, ex eorum perversitate, qui eam perperam detorquent ad proprium exitium. Alias si propter abusum tollendus esset usus, auferenda esset Scriptura non tantum laïcis, sed etiam Doctoribus qui longe magis ea abutuntur, nam hæreses non a plebeis et idiotis, sed ab Ecclesiasticis oriri vulgo solent.

VI. Si ex Scriptura perperam intellecta errores possunt nasci, tantum abest ut hoc debeat arcere fideles ab ejus lectione; quin potius excitare eos debet ad eam scrutandam, ut eam probe intelligendo possint talibus erroribus obviam ire.

VII. Libertas Scripturam legendi non tollit vel institutionem oralem, vel directionem Pastorum, vel alia subsidia ad intelligendum necessaria; Sed occurrit tantum eorum tyrannidi, qui nolunt tenebras errorum suorum argui a luce Verbi divini.

VIII. Quum Christus vetat Sanctum dare canibus, et Margaritas objicere porcis, Matt. vii. non vult fidelibus denegare Scripturæ lectionem et usum, nec enim filii Dei canum vel porcorum nomine designari possunt: Sed tantum non esse communicanda gratiæ divinæ symbola impuris quibusque peccatoribus, vel temere obtrudenda esse infidelibus altissima fidei mysteria, vel iis qui desperata obstinatione manifestæ veritati resistunt; sed accommodandam esse institutionem iis qui humiles et dociles se præbent.

IX. Non sufficit concedi apud Pontificios quibusdam Lectionem Scripturæ, quia non debet quibusdam concedi per modum privilegii, quod omnibus mandatum est per modum officii.

QUÆSTIO XIX.

DE SENSU SCRIPTURÆ.

An Quadruplex sit Scripturæ sensus, Literalis, Allegoricus, Anagogicus, Tropologicus? Neg. contra Pontificios.

Sententia Pontificiorum de sensu Scripturæ.

I. Ut Pontificii, præter Scripturam, et Spiritum S. in ea loquentem, obtrudant nobis alium Judicem Controversiarum visibilem, puta Ecclesiam et Papam, Scripturæ multiplicem sensum affingunt, dubiamque et flexiloquam inde esse colligunt. Ideo distinguunt *sensum* in *Literalem* et *Mysticum*, *Mysticum* postea in tres partes tribuunt, *Allegoricum*, *Tropologicum*, *Anagogicum*. *Allegoricum* vocant quando historia sacra transfertur ad res fidei, ut quod

Digitized by Google

dicitur, Gal. iv. 22, de duobus fœderibus seu Sara et Agare: *Anagogicum*, quum verba Scripturæ transferuntur ad res futuri seculi, ut quod de requie dicitur, Heb. iv. 3: *Tropologicum*, quando transferuntur ad mores; quod exprimitur noto versiculo,

www.ertool.com.cn

Litera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Et Orthodoxorum.

II. Nos ita sentimus, Scripturæ S. unicum tantum competere verum et genuinum sensum, sed sensum illum duplicem posse esse, vel *Simplicem*, vel *Compositum*. *Simplex* et historicus est, qui unius rei declarationem continet, absque ullius alterius significatione, qui vel præcepta, vel dogmata, vel historias spectat. Et hic rursus duplex, vel *Proprius* et *Grammaticalis*, vel *Figuratus* et *Tropicus*. *Proprius* qui ex verbis propriis oritur; *Tropicus* qui ex verbis figuratis. *Sensus Compositus* seu mixtus est in Oraculis typi rationem habentibus, cujus pars est in typo, pars in antitypo; quæ non constituunt duos sensus, sed duas partes unius ejusdemque sensus intenti a Spiritu Sancto, qui cum litera mysterium respexit, ut in isto Oraculo, *Os non confringetis ei*, Exo. xii. 46, plenus non potest haberi sensus, nisi cum veritate typi, seu Agni Paschalis, conjungatur veritas Antitypi seu Christi ex Jo. xix. 36.

Status Quæstionis.

III. *Literalis sensus* non is tantum dicitur, qui ex verbis propriis et non figuratis elicitur, quomodo distingueretur a figurato, et sic nonnunquam usurparunt Patres; sed qui intenditur a Spiritu S. et exprimitur verbis vel propriis vel figuratis: Sic Thom. definit sensum literalem, *quem Spiritus S. sive author intendit*; Salmero to. i. tr. 7, *quem Spiritus S. author Scripturæ per verba, sive juxta propriam grammaticæ cohærentem significationem, sive per tropos et translationes, primum significare voluit.* Non ergo τὸ ῥητὸν quærendum semper est in verbis propriis, sed etiam in figuratis; quomodo vero retinemus τὸ ῥητὸν in Sacramentis, quia retinemus sensum a Spiritu S. intentum. Talis etiam est sensus parabolarum quibus usus est Dominus, in quibus semper est habenda ratio intentionis ejus; nec tantum literalis sensus existimandus est, qui significat rem quæ affertur in similitudinem, sed etiam qui applicationem denotat. Unde unicus est semper sensus isque literalis, quo per talem similitudinem res aliqua vera explicatur.

IV. Unicum dari Scripturæ sensum patet, 1. a *Veritatis unitate*, quia veritas est unica et simplex, quæ proinde plures non admittit sensus, alias incerta et ambigua foret. 2. ab *unitate formæ*, quia unius rei unica tantum datur forma essentialis; At sensus est forma Scripturæ. 3. a *Scripturæ perspicuitate*, quæ non admittere potest varios sensus alienos et diversos.

V. Non quæritur, An detur tantum unus conceptus in sensu Scripturæ; fatemur enim sæpe unius ejusdemque sensus dari plures conceptus, sed sibi invicem subordinatos et respondentes, maxime in sensu composito qui complectitur typum et antitypum: Sed quæritur, An plures dentur unius loci sensus diversi et non subordinati, quæ sententia est *Azorii*, instit. mora. l. viii. c. 2; *Thomæ*, i. q. 1, art. 10; *Lyrani*, *Gretseri*, *Becani*, *Salmeronis*, *Driedonis*, *Bellarmini*, et aliorum.

Fontes Solutionum.

VI. Distingue *sensum* Scripturæ ab ejus *applicatione*. Sensus unicus est, sive *simplex* in historiis, præceptis, et prophetiis nude propositis, sive *compositus* in typicis; sive proprius verbis propriis, sive figuratus verbis figuratis enunciatus: At ap-

Digitized by Google

plicatio potest esse diversa tum ad διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, &c. qui usus sunt Scripturæ Theoretici et Practici; Ita Allegoria, Anagoge, et Tropologia, non tam sunt sensus diversi, quam applicationes unius sensus literalis; Allegoria et Anagoge, quæ ad διδασκαλίαν, Tropologia vero, quæ ad ἐπανόρθωσιν referuntur.

VII. *Allegoria* vel est innata, vel illata, vel a Spiritu S. intenta, vel ab hominibus inventa; posteriori sensu non ingreditur sensum Scripturæ, sed consectarium est quod elicitur ex hominis studio, per modum applicationis; Sed prior in sensu composito continetur tanquam ejus pars, quia dubitandum non est quin a Spiritu Sancto intenta sit, atque adeo de ejus mente; ut quod dicitur, Gal. iv. de duabus Uxoribus Abrahami trahitur ad duo fœdera; quod dicitur, Heb iv. de *requie* trahitur ad requiem cælestem. Ita quum a signo ad rem signatam progredimur, non novum sensum adducimus; sed quod sub signo latebat educimus, ut sensum integrum et completum a Spiritu S. intentum habeamus.

VIII. Licet intellectus Dei sit infinitus, qui plura imo infinita potest simul complecti, non sequitur sensum Scripturæ esse multiplicem, quia ab intellectu Dei, ad verba Dei non datur consequentia; nec metienda est dictorum significatio a loquentis fœcunditate quæ hic infinita, sed ex certa et determinata ejus intentione, hominum quibus loquebatur captui accommodata. Deus quum intelligit sibi intelligit, ut infinitus est, atque adeo infinite; sed quum loquitur non sibi loquitur, sed nobis, id. accommodate ad captum nostrum, qui finitus est, nec plures sensus concipere potest.

IX. Ezech. ii. 10, Apoc. v. 1, per librum scriptum a fronte et a tergo, intus et foris; non significatur duplex unius Scripturæ sensus, sed multitudo eorum quæ utrobique scripta erant; illic plagarum Judæis infligendarum, hic vero decretorum Dei.

X. Locorum difficultas, non arguit multiplicem Dei intentionem, sed aliquam verborum ambiguitatem, et intelligentiæ nostræ imbecillitatem. Licet voces varia significare possint in thesi, tamen in hypothesi hujus vel illius loci, ad unum tantum significatum ex his a Spiritu S. referuntur, qui debet ex antecedentium et consequentium consideratione, et ex analogia fidei erui.

XI. *Sensus literalis* aliquando latius sumitur pro toto complexu sensus intenti a Spiritu S. sive in typo, sive in antitypo, et sic sub se mysticum etiam continet; Aliquando strictius pro eo quem verba immediate et proxime præ se ferunt, et sic distinguitur a mystico, qui non tam significatur per verba, quam per res verbis significatas, qui mediate tantum ex intentione dicentis exurgit.

XII. Quamvis sensum compositum ponamus, non tollimus tamen unitatem veritatis, et Scripturæ certitudinem, quod Pontificiis exprobramus; quia veritas quæ in istis Oraculis proponitur, varias σχέσεις complectitur, quæ omnes a Spiritu S. intenduntur.

XIII. Ut Scriptura est fœcundissima, quæ plures res quam verba continet: Ita nihil absurdi est dicere Spiritum S. sub una eademque voce multa simul connotare nobis voluisse, sed sibi subordinata, ita ut alterum alterius sit signum et figura, vel aliquam inter se connexionem et dependentiam habeant: Sic promissio data Abrahæ de semine, et Isaacum in typo et Christum respiciebat in antitypo, Gal. iii. 16. Oraculum de non confringendis ossibus Agni, Exod. xii. et ad agnum Paschalem pertinebat in figura, et ad Christum in mysterio, Joh. xix. Promissio data Davidi, 2 Sam. vii. *Ero illi in Patrem*, &c. et Salomonem respexit, et Christum, Heb. i. Prædictio Ps. xvi. de Sancto non vidente

Digitized by Google

corruptionem et in Davide, sed imperfecte locum habuit, et in Christo perfecte, Act. ii. 29, 30. Talia sunt innumera Scripturæ loca, quæ varias σχίσεις continent, quæ omnes conjungi debent, ut plenum habeamus Oraculi sensum; nec simul et semel, sed successive et gradatim impleri debent. Hinc Oracula vetera plerumque tres σχίσεις habuerunt, ad statum Legis in Ecclesia Judaïca, ad statum Gratiæ in Christiana, ad statum Gloriæ in cœlis: Ita Oraculum, Is. ix. 1, de populo ambulante in tenebris, et conspiciente magnam lucem tribus gradibus debuit impleri, 1. in liberatione Babylonica; 2. in prædicatione Evangelica, Matth. iv; et 3. in resurrectione ultima, qua illi qui sedebunt in valle umbræ mortis magnam lucem gloriæ Dei sunt visuri. Idem in Oraculo, Ezech. xxxvii. de ossibus siccis observari potest, quod jam impletum est quum populus a captivitate tristissima Babylonis velut ex tumulo exiit, v. 12, impletur quotidie in resurrectione spirituali, Eph. v. 14, et implebitur perfecte in resurrectione ultima, Joh. v. 25.

XIV. Loca varia quæ afferuntur a Pontificiis ad probandam sensuum multiplicitatem, Hose. xi. 1, cum Matt. ii. 15; Psalm ii. 7, cum Act. xiii. 33; 2 Sam. vii. 14, cum Heb. i. et v. ostendunt quidem dari sensum compositum ex typo et antitypo, quique impleatur variis gradibus, primo in typo, secundo in antitypo; sed non evincunt dari multiplicem sensum toto genere diversum.

XV. *Sensus Mysticus* vel est *Sacer*, quem Spiritus S. per Scriptores S. proposuit, et qui propterea in ipsa Scriptura fundatur, quo pertinent loca Johannis c. iii. 13, de serpente æneo, Pauli, 1 Corint. x. 1, 2, 3, 4, de baptismo nubis et maris, et cibo ac potu spirituali Israëlitarum, et Gal. iv. 22, de allegoria duarum uxorum Abrahami. 1 Petri iii. 21, de Arca et Baptismo; Vel est *Ecclesiasticus*, qui a Scriptoribus Ecclesiasticis adhibetur, vel illustrationis, vel delectationis gratia, quod *Philo Judæus* primus tentavit in duobus libris Allegoriarum, quem secuti sunt Veteres nonnulli, et *Origenes* inprimis, qui hoc genus interpretationis præ cæteris secutus est, ubi sæpe non tenuit modum; unde non immerito propterea ab Hiero. reprehenditur ep. ad Avitum et Amabilem, *Origenes ingenii sui acumina putat esse Ecclesiæ Sacramenta.* Posterior iste sensus, licet possit facere ad illustrationem, nullam tamen vim habet ad probationem; quia est interpretamentum humanum, non divinum, quod probabiliter suadere, sed non persuadere potest. Sed prior vim habet probandi fidei dogmata, quia authorem habet Spiritum S. atque adeo de ipsius est intentione. Quod ergo vulgo dicitur Theologiam symbolicam non esse argumentativam, valet tantum in allegoriis et parabolis humanis non divinis.

XVI. Sensus mysticus non invenitur in omni Scripturæ loco; sed tum tantum legitime admittitur, ubi Spiritus S. occasionem et fundamentum ejus præbet; et hic accurate observandum, ne præter intentionem Spiritus Sancti adhibeatur, neve ultra scopum ejus protendatur.

XVII. Ut in omni Scripturæ loco est sensus aliquis literalis, sive proprius sive figuratus: Ita cujusque loci literæ sensus tantum unicus est, sive simplex ut in historiis, sive compositus ut in typis, licet applicatio possit esse diversa juxta varios usus theoreticos vel practicos.

XVIII. Ad verum Scripturæ sensum indagandum, opus est *Interpretatione*, non tantum *verborum*, quæ in Versionibus consistit, sed etiam *rerum*, quæ *Prophetia* a Paulo, Rom. xii. 6, et ἐπίλυσις a Petro 2. i. 20, vocatur. Ea vero non ex privato cujusque judicio petenda est, quæ revera esset ἰδία ἐπίλυσις quam rejicit Petrus, sed ex ipsa Scriptura instituenda est, quæ optima est et certissima sui interpres, Nehem. viii. 8; Actor.

Digitized by Google

xvii. 11. Ad hoc vero post ardentes ad Deum preces, opus est fontium inspectione, linguarum cognitione, verborum propriorum et figuratorum distinctione, scopi et circumstantiarum observatione, locorum collatione, antecedentium et consequentium connexione, præjudiciorum remotione, et interpretationis ad analogiam fidei conformatione, quæ omnia ad tria ista media referri possunt ἀνάλυσιν, σύγκρισιν, et ἀναλογίαν. *Analysis* triplex est, *Grammatica*, quæ proprias, *Rhetorica*, quæ tropicas dictiones excutit, et *Logica*, quæ scopum et circumstantias observat, et ἀλληλουχίαν verborum attendit. Σύγκρισις loca Scripturæ inter se confert, Act. ix. 22, obscuriora cum apertioribus, similia et parallela cum similibus, dissimilia cum dissimilibus comparando. *Analogia fidei*, Rom. xii. 6, non modo significat modulum fidei, sive mensuram unicuique fideli concessam, sed constantem harmoniam, et convenientiam omnium capitum fidei, in illustrioribus Scripturæ dictis exhibitorum, cui omnes expositiones conformes esse debent, ne quid Articulis fidei, vel Decalogi præceptis dissonum statuatur.

XIX. A sensu literali proprio temere et sine necessitate non est recedendum, nisi is in fidei articulos et charitatis præcepta vere incurrat, et evidenter ex eodem vel aliis locis parallelis figuratus esse sermo deprehendatur. Figuratæ autem locutionis hoc est certissimum κριτήριον, 1. Si verba proprie sumpta vel nullum vel absurdum et impossibilem sensum fundunt, ut quum Christus dicitur porta ovium, Jo. x.; et Jo. xv. 1, vera vitis. 2. Si analogiæ fidei repugnat, et in aliquod dogma receptum vel theoreticum vel practicum incurrit. Cum enim Spiritum S. sibi semper constare certum sit, non potest censeri sensus ille ab eo proficisci, qui aliis veritatibus ab ipso traditis adversatur. Hinc verba Eucharistiæ tropice esse intelligenda colligimus, quia proprius sensus in varios articulos fidei de veritate Corporis Christi, de ejus ascensu in cœlos, et reditu ad judicium impingit. Et verba Hoseæ, cap. i. 1, non proprie sed symbolice et allegorice esse exponenda, quia flagitium a lege vetitum de ducenda meretrice præcipitur: quo pertinet aurea regula, *August.* lib. 3, de Doct. Christi, c. 16. *Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficientiam jubens, non est figurata; si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est:* ratio est, quia Dei proprium est, ut præcipiat bona, quia bonus est, et ut mala severissime prohibeat quia sanctus, utcunque ea sæpe fieri permittat.

XX. Quæ Adversarii media præter hanc fidei regulam afferunt, ut Praxim Ecclesiæ, Patrum consensum, Conciliorum Decreta, præterquam quod omnia in unius Papæ arbitrium refunduntur, incerta sunt, et nullo fundamento subnixa, imo impossibilia et contradictoria, quæ animum innumeris difficultatibus impediunt, potius quam ut expediant, ut in sequentibus sumus demonstraturi.

QUÆSTIO XX.

DE SUPREMO CONTROVERSIARUM JUDICE, ET SCRIPTURÆ INTERPRETE.

An Scriptura, vel Deus in Scriptura loquens, sit Supremus et Infallibilis Controversiarum Judex, et Scripturæ Interpres? An vero Ecclesia, vel Pontifex Romanus? Affir. prius, Neg. posterius contra Pontificios.

I. Quæstio ista primaria est, et unica ferme, propter quam aliæ omnes,

Digitized by Google

quæ de Scriptura moventur Controversiæ, excitatæ sunt: Nec enim alia de causa vel Authoritas Scripturæ in dubium vocatur a Pontificiis, vel Integritas et Puritas convellitur, vel Perspicuitas et Perfectio arguitur, quam ut evincant Scripturam non posse Controversiarum esse Judicem, sed necessario ad Tribunal Ecclesiæ confugiendum esse.

Status Quæstionis.

II. Ad Statum Quæstionis observandum, 1. Non hic quæri de qualicunque judicio; An ullum competat Ecclesiæ vel ejus Rectoribus de Controversiis fidei judicium, quod crimen sibi impactum sua praxi refutant Orthodoxi; Sed quæritur tantum de Supremo et Infallibi quo standum cadendumque sit necessario, An sit penes Scripturam ipsam, quod volumus, An vero penes hominem aliquem, aut Cœtum conflatum ex hominibus, quod volunt Pontificii.

III. Triplex hic accurate distinguendus est Judex. Primus *Supremus* et *αὐτεξουσιακὸς*, qui judicat authoritate legislatoria et absoluta per modum summi Principis, qui Legem tulit, et a quo non datur provocatio. Secundus, *ὑπηρετικὸς* seu *Ministerialis*, qui Legum interpretationem facit per modum ministri publici. Tertius, *ἰδιωτικὸς* seu *Privatus*, qui tum de legibus, tum de interpretatione judicat per modum privatæ discretionis. Primus dat *Judicium Decisionis* ultimæ et absolutæ. Secundus *Judicium Determinationis publicæ*, sed subalternum, et legibus adstrictum. Tertius *Judicium Privatæ Discretionis*, sine ulla authoritate publica. Hic non disputamus de Judice ministeriali, et privato, sed de supremo et infallibili.

IV. Non quæritur, An Scriptura sit Regula et Norma Controversiarum; Hoc enim non diffitentur Pontificii, saltem hoc volunt videri certo statuere, licet quod una manu dant, altera auferant, ejus obscuritatem et imperfectionem arguentes. Sed, An sit regula totalis et plena, non partialis et imperfecta. Illi enim Regulam tantum partialem esse volunt, et quidem quatenus juxta mentem Ecclesiæ Catholicæ id. Romanæ explicatur.

V. Pontificiorum sententia eo redit. 1. Distinguunt inter Normam et Judicem, qui ex Scriptura debet ferre judicium; Scripturam quidem agnoscunt esse normam, sed partialem et inadæquatam, cui Traditio *ἄγραφος* sit addenda; et quæ non sufficiat ad Controversias definiendas, nisi accedat Judicis alicujus visibilis et infallibilis sententia, quæ clare pronunciet, utrius partis causa sit potior; quia alias nullus contentionum esset finis. Talem autem Judicem non alibi quærendum esse quam in Ecclesia, ubi quatuor erigunt tribunalia a quibus non sit appellatio, 1. Ecclesiæ, 2. Conciliorum, 3. Patrum, 4. Papæ: sed rite calculis subductis solus restat Papa, cui supremum istud et infallibile Judicium deferre solent.

VI. Hanc esse ipsorum sententiam probant ista Andradii, qui Concilio Tridentino interfuit lib. 2, Defen. Fidei Triden. *Hanc tantam*, inquit, *interpretandi Scripturas authoritatem, non singulis passim Episcopis, sed Romano solum Pontifici qui Ecclesiæ est Caput, aut omnibus Præsulibus ejus imperio in unum collectis tribuimus.* Et Bell. li. 3. de Verbo Dei, c. 19. *Iste Judex non potest esse Scriptura, sed Princeps Ecclesiasticus, vel solus, vel cum consilio et consensu Coëpiscoporum.* Et Greg. de Valen. de Analy. lib. 7. *Pontifex ipse Romanus est in quo authoritas illa residet, quæ in Ecclesia extat ad judicandum de omnibus omnino Controversiis fidei.* Non ea tamen omnium est sententia, licet enim hanc Judicis potestatem Pontifici adscribant illi qui Papam pertendunt esse supra Concilium, aliter tamen sentiunt qui Concilium supra Papam esse volunt; alii denique ut utramque componant sententiam, Papam in Concilio, sive Concilium a Papa approbatum censent esse Judicem istum infallibilem.

Digitized by Google

VII. Nos vero licet non diffiteamur in Ecclesia dari Judicem ministerialem et subalternum, qui Controversias fidei ex Dei Verbo dirimere publice possit; Licet quoad internam πληροφορίαν Spiritum S. nos de vera Scripturæ interpretatione persuadere per modum principii agnoscamus: Negamus tamen quoad externam objecti demonstrationem præter Scripturam ullum Judicem supremum et infallibilem quærendum esse; multo minus admittendum esse Papam qui tali fungatur officio; solam enim Scripturam seu Deum in ea loquentem ad id sufficere arbitramur.

Sola Scriptura est Supremus Controversiarum Judex.

1. Ex Is. viii. 20, &c.

VIII. Rationes sunt, 1. Quia Deus in V. et N. Test. ad istum Judicem nos absolute remittit, et sine ulla conditione, Deut. xvii. 10. *Facies juxta Legem quam docuerint te;* Isa. viii. 20. *Ad Legem et Testimonium*, &c.; Luc. xvi. 29. *Habent Mosem et Prophetas, illos audiant*, non dicit Christus, habent Sacerdotes et Scribas, qui errare non possunt, sed habent Mosem et Prophetas, scilicet quoad scripta ipsorum, ut innuat eos abunde sufficere ad plenam instructionem, et eorum authoritati acquiescendum esse: Nec alia mens Christi, Matt. xix. 28, ubi Apostolis post suum discessum promittit fore *ut sedeant super duodecim thronis judicantes duodecim tribus Israëlis;* quod non alio potest referri, quam ad judiciariam potestatem, quam per Verbum obtinent in Ecclesia. Sic Matth. xxii. 29, *Erratis*, inquit Christus Sadducæis, *nescientes Scripturas.* Et alibi amandat Judæos ad scrutandas Scripturas, Joan. v. 39.

2. Ex praxi Christi et Apostolorum.

IX. 2. Praxis Christi et Apostolorum hoc confirmat, qui in Controversiis fidei ad Scripturas provocant, Matt. iv. et xxii. Jo. v. et x.; Act xvii. xviii. xxvi. nihilque dicere se profitentur extra Mosem et Prophetas, Luc. xxiv. 44, Act. xxvi. 22. Petrus præfert visioni cœlesti Verbum, ut λόγον βεβαιότερον cui bene faciant attendentes, 2 Pet. i. 19, nulla habita proprii privilegii aut Papalis infallibilitatis ratione. Laudantur Bereenses, Act. xvii. 11, doctrinam expendentes ad Scripturæ normam, non consulentes aliud infallibilitatis Oraculum. Pharisæi vero et Sadducæi damnantur, quia ab illa recesserunt, Matt. xv. 3, et xxii. 29.

3. Ex natura Judicis infallibilis.

X. 3. Supremus et Infallibilis Judex is demum est, qui in judicando nunquam errat, nec errare potest, qui nullo partium studio ducitur, et a quo non datur provocatio. At hæc omnia nec Ecclesiæ, nec Conciliis aut Pontifici competere possunt, nam et errare possunt, et sæpe gravissime errarunt, et sunt pars rea, accusati quippe tanquam falsarii et depravatores Scripturæ, et ab iis ad Scripturam semper datur provocatio, 1 Joan. iv. 1; Isa. viii. 20; Joan. v. 39; Act. xvii. 11. Sed Deus in Scriptura loquens solus hæc tanquam propria sibi vindicat, quia nec in judicando errare potest, utpote ipsa Veritas, nec partium studio ducitur, quia ἀπροσωπολήπτως; nec ab ipso datur provocatio, quia nullum agnoscit superiorem.

4. Quia omnis homo est errori obnoxius et solus Deus infallibilis.

XI. 4. Homo non potest esse infallibilis Scripturæ Interpres, et Controversiarum Judex, quia errori est obnoxius, nec in eum fides nostra resolvitur; sed in Deum solum a quo pendet sensus et sententia Scripturæ; et qui optimus est verborum suorum interpres, qui sensum Legis optime explicare potest, ut unicus Doctor, Matt. xxiii. 8, 10; Legislator noster, qui potest servare et perdere, Jaco. iv. 12. Nec si Rectores Ecclesiæ Spiritu S. aguntur, continuo desinunt esse homines ac proinde fallibiles; quia inspiratio eorum est tantum ordinaria et communis, non extraordinaria et specialis, quæ infallibilitatis donum conferat, qualis fuit in Prophetis et Apostolis.

Digitized by Google

5. Quia Scriptura nullum præter Deum agnoscit.

XII. 5. Si talis daretur Judex qualem pertendunt Pontificii, 1. Mirum esset Dominum hujus tam necessarii Interpretis nuspiam meminisse. 2. Paulum in Epistolis, et præsertim ad Romanos de tanto privilegio vel uno verbulo illos non admonuisse. 3. Nec Petrum in Catholicis suis Epistolis hoc sibi ad Successores propagandum arrogasse, multo minus exercuisse. 4. Nec ipsos Pontifices ex illa authoritate infallibili Controversias varias gravissimas, quas E. R. in sinu suo fovet, inter Thomistas et Scotistas, Dominicanos et Jesuïtas, Jesuïtas et Jansenistas &c., potuisse vel voluisse componere: Cur enim pro sua infallibilitate non tollunt lites, et nodos perplexos explicant? Si non possunt, quomodo sunt infallibiles? Si possunt, cur non liberant Ecclesiam ab istiusmodi scandalis?

6. Quia Ecclesia non potest esse Judex in propria causa.

XIII. 6. Non potest Ecclesia statui Judex Controversiarum, quia esset. Judex in propria causa et regula sui ipsius; præcipua enim Controversia est circa Ecclesiæ potestatem et infallibilitatem; An vero in quæstione qua quæritur, An Ecclesia sit Judex, vel An E. R. errare non possit; eadem Ecclesia sedebit Judex, et credendum illi erit quia se talem prædicat? An vero ferendum est nolle Scripturam Sanctam esse Judicem, quam omnes agnoscunt esse Dei verbum infallibile; Et velle ut Ecclesia vel Papa sedeat Judex in sua ipsius causa, et Judex sit infallibilis suæ infallibilitatis, de qua maxime ambigitur, et quem constat non modo errare posse, sed sæpe errasse? Papas enim non paucos hæreticos fuisse, vel impios et magicis artibus deditos, coguntur fateri ipsi Pontificii. Adrian. VI. in 4. Sent.

7. Ex Patribus.

XIV. 7. Veteres nobis adstipulantur; Constantinus ad Patres Nicænos apud Theodo. lib. i. c. 7, postquam quæ nos oportet sentire de Deo clare in Evangeliis, Apostolicis et Propheticis libris doceri prædixisset, addit τὴν πολυσκοὺν οὖν ἀπιλάσωντις ἔχιι, ἐκ τῶν θιοπνίυστων λόγων λάβωμιν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν. Optatus de Schismate Donatistarum libro 5. *Vos dicitis, licet, nos dicimus non licet: inter licet vestrum, et non licet nostrum nutant et remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis, de cælo quærendus est Judex: in terris de hac re nullum poterit judicium reperiri: Sed ut quid pulsamus ad Cælum; cum habeamus hic in Evangelio Testamentum?* Aug. in Psal. i. expo. 11, *Fratres sumus, quare litigamus? non intestatus mortuus est Pater, fecit Testamentum, &c. aperi, legamus, quare contendimus?* et lib. ii. de nupti. c. 33. *Ista Controversia Judicem quærit, judicet Christus, judicet cum illo Apostolus.* Lactan. lib. iii. Insti. c. 1, *Loqui Deum*, ait, *in divinis Literis, quasi rerum omnium maximum Judicem, cujus non est argumentari, sed pronunciare.* Grego. Nysse. lib. i. cont. Eunomi. κριτήριον ἀσφαλὶς ἐπὶ πωντὶς δόγματος ἡ θιόπνυστος γραφὴ; sic Cypria. epist. ad Cæcilium; Chrysost. hom. 23, in Acta; August. de Bapt. lib. ii. cap. 6.

XV. 8. Quia ut Principis est legem suam interpretari, sic et Dei est esse Scripturæ suæ, quæ Lex fidei et morum est, interpretem. Et privilegium quod aliis authoribus convenit, ut quisque sit Interpres verborum suorum, non debet Deo in Scriptura loquenti adimi.

Fontes Solutionum.

XVI. Quum dicimus Scripturam Judicem Controversiarum, non aliter intelligimus, quam quatenus est fons juris divini, et norma fidei absolutissima, qua possunt et debent omnes de fide Controversiæ certo et perspicue definiri; ut in Republica fundamenta Decisionum et Judiciorum petuntur a Lege. Ita *Judex* dicitur *late* et per metonymiam adjuncti, *Judex Normalis*, non *Perso-*

Digitized by Google

nalis. Unde non confundi debet cum Judice subalterno, qui Controversias juxta Normam Legis dirimit, et jus Legis ad τὰ καθ' ἕκαστα applicat, quo respiciunt ista Philosoph. Poli. 4. c. 4, δεῖ τὸν νόμον ἄρχειν πάντων, τῶν δὲ καθ' ἕκαστα τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πολιτείαν κρίνειν.

www.libook.com.ar

XVII. Non semper necesse est inter Judicem et Legem distingui, Philosophus enim fatetur lib. iii. Poli. c. 6, in Jure universali præscribendo Legem habere rationem Judicis: At in applicatione particulari ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα Legis interpres officio Judicis fungitur, sed ministerialis et subalterni; quo sensu non negamus Ecclesiam esse Judicem, sed qui semper alligetur ad Scripturam. Ut in Republica sententia Magistratus eo tantum est valida, quatenus Lege nititur, et illi est consentanea; alias si repugnat irrita est, et ab ea datur provocatio: Ita in Ecclesia Pastorum judicium eatenus tantum admitti potest, quatenus Scripturæ conforme deprehenditur.

XVIII. Licet Scriptura non audiat utrinque litigantium rationes; nec semper ita sententiam dicat, ut nominatim hunc absolvat, alterum damnet: non sequitur non esse Judicem summum et normam perfectam; quia hæc non sunt proprie supremi Judicis, sed ministerialis, qui juxta Legem sententiam ferre tenetur, et eget examine testium, rationum, et inspectione legum, quia agitur de facto non de jure. At supremus Judex is est qui extra omnem litem sancit quoad jus universale quid faciendum sit et fugiendum, cujus sententiæ tenentur adstricti Judices subalterni; nec unquam factum ut in Legibus expressa legatur condemnatio Titii aut Mævii. Hic autem ita se res habet, quia agitur in causa fidei de jure, non vero de facto, quum quæritur quid credendum sit, aut non credendum, quod Judex et Lex potest definire partibus non auditis.

XIX. Non opus est ut supremus Judex in Scriptura loquens, quotidie ob novas hæreses orientes novum verbum nobis afferat; siquidem ille, qui id futurum noverat, veritatem suam ita in Verbo pronunciavit, ut possint ex ea fideles ministri veritatem Catholicam agnoscere; et errores omnes ex ea refellere. Hinc Patres ex Scriptura hæreses Pelagii, Arrii, Macedonii et aliorum solidissime refutarunt, licet nihil de illis expresse tradat.

XX. Non necesse est dari Judicem infallibilem visibilem, præter Scripturam ad componendas omnes Controversias, 1. Qui finis Controversiarum non sperandus est in hac vita, *necesse enim est hæreses esse, ut probati manifestentur*, 1 Cor. xi. 19. Apostolorum tempore jam variæ irrepserunt corruptelæ, quæ plane sublatæ non fuerunt. 2. Aliud est *convincere de facto* Adversarium, et illi os obstruere, ne quicquam reponat; Aliud *convincere de jure*, ut habeat unde sufficienter convinci possit, nisi contumax sit: Licet Scriptura prius non faciat semper propter hominum pervicaciam, facit tamen semper posterius, quod sufficit. 3. Ut in Rep. bene ordinata sufficit esse bonas Leges ex quibus τὰ καθ' ἕκαστα judicari possint a judicibus subalternis; Ita in Ecclesia sufficit dari Verbum Scriptum infallibile, unde singuli Pastores normam judicii petant in singulis Controversiis. 4. Judex visibilis apud Pontificios non impedit quominus infinitæ emerserint controversiæ, quæ nondum composuit pro infallibili sua authoritate.

XXI. Scriptura varios et ambiguos sensus habet, non ex natura rei affirmatæ, aut intentione affirmantis, sed ex inscitia aut pertinacia detorquentis. Ambiguitas ergo hæc et obscuritas si quæ sit, non tollit ejus authoritatem, sed ostendit necessitatem Spiritus illuminantis, et ministerii Scripturas exponentis.

XXII. Licet agatur de vera alicujus loci Scripturæ interpretatione non necesse est ideo dari aliquem Judicem visibilem infallibilem extra Scrip-

Digitized by Google

turam; quia Scriptura seipsam interpretatur: et quamvis homo talem interpretationem proferat, non censendus tamen est ejus author; quia nihil de suo comminiscitur, nihil Scripturæ affingit, sed tantum ex Scriptura elicit et educit quod in ea latebat, ut qui conclusionem aliquam ex præmissis legitime deducit, non illam pro arbitrio confingit, sed ex præmissis concessis et in illis latentem elicit.

XXIII. Quum disputatur de Judice Controversiarum, proprie non agitur de *Principiis*, id. de quæstionibus quæ versantur circa Scripturam, quæ ut principium supponitur hic, non probatur; sed de *Principiatis*, id. de doctrinis in Scriptura contentis, quas posita Scripturæ authoritate ex ipsa Scriptura sufficienter dirimi posse credimus: Licet non diffiteamur Scripturam etiam seipsam probare, ut antea demonstratum, non modo authoritative et per modum testimonii, sed et ratiocinative et per modum argumenti.

XXIV. *Scriptura* non magis potest dici *muta* et elinguis ad judicandum, quam Ecclesia in Conciliis, et Patres in scriptis suis, quos tamen et loqui et judicare Adversarii pertendunt. Si pater loquitur in Testamento, et Rex in Edictis et Diplomatis, quidni dicamus Patrem Cœlestem in utroque Testamento, et Regem Regum in divinis Oraculis nos clarissima voce alloqui? Nec de eo ambigi potest, cum toties Scriptura, vel Spiritus S. in ea dicatur homines alloqui, accusare et judicare. Lex dicitur loqui iis qui sunt sub Lege, Rom. iii. 19. *Habent Mosem et Prophetas*, inquit Abrahamus Epuloni, Luc. xvi. 29, non vivos quidem et videntes, sed nec mutos et elingues, imo loquentes et auscultandos. Sic Isaïas dicitur *clamare*, Rom. ix. 27. Moses accusat Judæos, Joh. v. 45. Lex judicat Joh. vii. 51, et c. xii. 48. *Quicunque non recipit verba mea ἔχει τὸν κρίνοντα, Sermo quem loquutus sum, ille judicabit eum ultimo die.* Eodem sensu *Sermo Dei vocatur κριτικὸς, Judex cogitationum*, Heb. iv. 12.

XXV. Judex terrenus in foro externo debet coactiva potestate esse instructus. Sed non eadem est ratio Judicis spiritualis in foro conscientiæ, quia Regnum Dei non corporali coactione, sed spirituali demonstratione veritatis promovetur, 1 Cor. ii. 4. Deinde licet corporea coactio locum hic non habeat, spiritualis tamen et interna non desideratur, tum respectu piorum, quos Deus loquens in Scripturis, vi flexanima et blanda trahit et cogit in obsequium, Joh. vi. 44, 2 Cor. x. 4, tum respectu impiorum et incredulorum, quorum conscientias torquet et vexat.

XXVI. Exemplum Mosis et Aaronis, non potest trahi ad statuendum Judicem supremum et infallibilem extra Scripturam. Quia uterque fuit Judex ministerialis, non *αὐτοκρατορικὸς*; ille extraordinarius, hic ordinarius, qui controversias non decidebant authoritate sua, sed ex Dei Lege et præscripto: Moses ut internuncius referendo ad Deum, Exod. xviii. 19. Aaron vero ex Lege, et secundum eam respondendo, Deut. xvii. 11, *juxta Legem quam docuerint te facito.* Alias si contra Legem pronunciabant non erant audiendi. 2. Non agitur hic proprie de Controversiis fidei, sed de ritualibus, de judicando inter sanguinem et sanguinem, lepram et lepram. 3. Non agitur tantum de Summo Sacerdote, sed de toto Sacerdotio Levitico, cujus sententia standum fuit, quum ex Legis præscripto pronunciabatur; Alias si absolute standum fuit, Jeremias cap. xxvi. 12, 13. Christus, Joh. ix.; Apostoli Act. iii. et xiii., crimen capitale commisissent, qui ab ea recesserunt. 4. a Summo Sacerdote ad Pontificem non valet consequentia, quia in N. T. nullus est Summus Sacerdos præter Christum, cujus Aaron typus fuit.

XXVII. *Pastor unus* de quo Eccles. xii. 11, non significat Sacerdotem

Digitized by Google

typicum V. T. sed verum Sacerdotem N. Christum Jesum, qui est bonus ille Pastor populi sui, Ezek. xxxiv. 23. Johan. x. 11, a quo omnia sapientum verba profecta sunt, quia ejus Spiritu acti loquuti sunt Dei homines, 2 Pet. i. 21, ut ipsi Pontificii exponunt, Tirinus, Menochius, a Lapide.

www.libtool.com.cn

XXVIII. Hagg. ii. 11; Mal. ii. 7, non unus aliquis sacerdos, sed indefinite Sacerdotes interrogari jubentur et interrogati respondere de Lege. Nec notatur eorum infallibilitas, sed officium, quod tamen non semper fecisse ibidem docetur, quum statim additur, v. 8, *Vos autem recessistis de via*, &c.

XXIX. *Cathedra Mosis* de qua Matt. xxiii. 2, non est successio in locum et officium Mosis, vel externum Judicis supremi forum, cui affixum hæreat summum illud jus de quo agitur; nam nec Mosis cathedra ulla supererat, nec tale privilegium illi tributum; sed est veræ doctrinæ a Mose traditæ promulgatio, ut habet Glossa ordinaria in Deut. xvii. *Ubicunque est doctrina Mosis, ibi est cathedra Mosis*, et ubicunque sonat doctrina Petri, ibi est cathedra Petri. Ita qui doctores fuerunt Legis a Mose traditæ, illi in cathedra Mosis docuisse censentur, ut habet *Hilarius;* Ergo erant audiendi Pharisæi docentes in Mosis Cathedra, quatenus Mosis doctrinam sine proprio fermento admixto populo sincere proponebant.

XXX. Licet Matt. xviii. 17, Christus nos amandet ad vocem Ecclesiæ, quam si quis non audierit habendus sit pro Ethnico et Publicano, non eam tamen statuit Judicem infallibilem in rebus fidei, 1. Quia non agitur de Controversiis fidei, sed de offensis privatis, et correptione fraterna; quæ si non succedat privatim, deferenda est ad publicam Ecclesiæ censuram, quam non denunciat unus Prælatus infallibilis omnibus Ecclesiis, sed singuli Pastores propriis suis gregibus. 2. Alluditur hic ad morem Judaïcæ disciplinæ, quæ contumaces excommunicabat; quod non magis pertinet ad Romanam quam ad quascunque particulares Ecclesias intra proprios limites. 3. Si a simili ducitur argumentum, Ecclesia audiri jubetur, quandiu Christum audit, et verba Christi loquitur: alias si abit a Christo et contraria loquitur ei anathema dicendum, Gal. i. 8.

XXXI. Concilia a Papis absentibus aliquando postularunt, non confirmationem authoritativam, sed fraternum assensum: alias jus Papas deponendi, et ipsorum actus examinandi, et abrogandi, quod fecerunt, sibi vindicare non potuissent. Patres et particulares Ecclesiæ potuerunt in difficilioribus negotiis Ecclesiasticis illos consulere, non ut *Judices* infallibiles, quorum decretis tenerentur conscientias suas submittere; Sed ut *arbitros* honorarios et prudentes, qui, priusquam superbiæ, superstitionis et tyrannidis veneno afflati essent, magno erant apud Ecclesias, maxime propter urbis πρεσβεῖα, in pretio.

XXXII. Licet in foro externo Ecclesiæ quilibet privatus teneatur se subjicere Synodicis decisionibus, nisi velit excommunicari, et tale judicium vigere debeat ad ordinis, pacis, et orthodoxiæ conservationem, ut Novatorum molimina coërceantur: Non sequitur judicium esse supremum et infallibile, quia ab eo datur semper provocatio, quoad forum internum conscientiæ, nec ulterius obligat quemquam in illo foro, quam quatenus persuasus fuerit de illius consensu cum Scripturis.

XXXIII. Quamvis singulis fidelibus judicium privatæ discretionis competere statuamus, quia *homo spiritualis omnia judicat*, 1 Cor. ii. 15, et *omnia probare* jubet Apostolus, 1 Thess. v. 21, non propterea Scripturæ ἰδία ἐπίλυσις a nobis asseritur contra Petrum, 2 Pet. i. 21, quia ἐπίλυσις non tam hic Scripturæ interpretationem notat, quam Oraculorum Propheticorum

Digitized by Google

originem, ut dicantur scripta, non ex proprio impulsu et instinctu cujusque privato, quod dicitur de iis qui currunt non mittente Deo, Jer. xxiii. 21, sed ex dictamine Spiritus Sancti quo acti fuerunt: ut hic ἐπίλυσις non pertineat ad officium Interpretis, auditoris vel lectoris Scripturæ; sed ad vim sive impetum prophetandi, sive ad illum motum, quo Propheta impulsus est ut loqueretur aut scriberet: Cui favet collatio v. præced. et seq. In quibus non quæritur, Quisnam jus habeat interpretandi Prophetias, sed cujus impulsu et motu Prophetæ scripserint; Et quo loco Prophetias habere debeamus; Quæ reverentia iis debeatur; Et cur fides iis habenda sit, tanquam indubiis Dei Oraculis; nimirum quia non fluxerint ex proprio hominum motu et voluntate, quasi essent humanum inventum, vel humano arbitrio excogitatum; Sed ex impulsu et afflatu Spiritus S. quo acti sancti Dei homines loquuti sunt. Hoc sensu ἐπίλυσις significabit missionem Virorum Dei ad prophetandum, qua Deus illis veluti carceres ad currendum aperit, allusive ad Cursores in stadio, qui solutis repagulis a carceribus erumpebant ad cursum quem inde inchoabant. Quod si vox hic de Interpretatione exponitur, ut fit a variis ex vi verbi ἐπίλυσις, quod *exponere* et *explicare* significat, Marc. iv. 34, et Act. xix. 39, negabitur prophetia esse ἰδίας ἐπιλύσεως, quæ talis sit quoad *principium* et originem, id. quæ sit ex proprio cerebro, non vero quoad *subjectum*, ut hic *propria interpretatio* non opponatur communi sive publicæ; sed adventitio Spiritus S. dono.

XXXIV. Ex Judicio isto privatæ discretionis quod unicuique fideli tribuitur, perperam quidam colligunt Rationem humanam esse Controversiarum Judicem, et Scripturæ Interpretem, quod vellent Sociniani, et antea a nobis refutatum est, quum de *Rationis usu in Theologia* disputavimus, Lo. I. Q. 8, quia fidelis hic non rationis lumine tantum, sed Spiritus dictamine præcipue movetur. Et quamvis Interpreti liceat Scripturæ sensum conceptum ad rationem naturalem examinare; non licet tamen rationis dictamen Scripturæ Sacræ opponere, vel fidem ei negare ob præconceptam rationis forte repugnantis opinionem; Certius est rationem humanam, quæ fallax est et lubrica, deviare a rei veritate, quam Scripturam S. quæ Verbum est Veritatis, et ipsa Veritas; ut hic ratio sub fide captivanda sit, 2 Cor. x. 5, non supra eam efferanda.

XXXV. Judicii humani incertitudo non potest facere, ut Deus in Scripturis loquens non sit idoneus in causa nostra Judex, dum sciri nequit, nec quis habeat Spiritum S. nec an reipsa habeatur. Quia non opus est in hoc negotio scire immediate et a priori quis Spiritum habeat, sed tantum quis juxta Scripturam loquatur, quod ubi ex Scripturæ collatione innotuit, facile judicari potest a posteriori, quis Spiritus verba proponat et ab ipso loquatur. Ita Bereenses non inquirebant a priori, an Paulus qui illis concionabatur a Spiritu S. ageretur, quia hoc soli Deo καρδιογνώστῃ patebat, sed an Paulus juxta Scripturas loqueretur; unde ex conformitate cum Scriptura colligebant eum non a seipso, sed a Spiritu S. loqui. Concludimus aureis Basilii (ep. 80, ad Eusta. Medicum) verbis; οὐκ οὖν ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφὴ, καὶ παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα σύνοδα τοῖς θείοις λόγοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως ἡ θεία τῆς ἀληθείας ψῆφος. *Judicet ergo nobis divinitus inspirata Scriptura, et apud quos comperta fuerint dogmata Scripturæ consentanea, eorum prorsus esto veritatis calculus.*

Digitized by Google

QUÆSTIO XXI.

www.libtool.com.cn

DE AUTHORITATE PATRUM.

An Patrum Scripta sint regula Veritatis in dogmatis Fidei, et Scripturæ interpretatione? Neg. contra Pontificios.

I. Licet ex præcedenti quæstione jam satis colligatur, Patres non posse sedere Judices in Controversiis fidei: quia tamen Pontificii subinde eo recurrunt, nobisque Patrum consensum pro regula veritatis obtrudere solent; de hoc argumento, quod maximi est momenti ad Controversias hodiernas, peculiari quæstione agendum est.

Quinam Patres dicantur.

II. *Patrum* nomine non intelligimus cum Aug. in Ps. xlv. Apostolos tanquam primos Ecclesiæ Christianæ fundatores et Patriarchas, sed prout usus hodie obtinuit ex antiqua consuetudine, veteris Ecclesiæ Doctores, qui ab excessu Apostolorum tum viva voce tum scripto salutis doctrinam docuerunt et illustrarunt; tum propter *ætatem*, quia multis annis tempora nostra præcesserunt, tum propter *doctrinam*, quia eam discipulis inculcando liberos Deo in Ecclesia genuerunt.

III. Quamvis vero sint qui eorum ætatem extendant usque ad seculum decimum: Non putamus tamen ulterius quam ad sextum protendendam esse; quia certum est puritatem doctrinæ et cultus, augescentibus Dei justo judicio erroribus et superstitionibus, post annum sexcentesimum quo Antichristus caput extulit, magnam labem passam esse. Primo seculo post Apostolorum obitum, præcipui fuerunt Ignatius et Polycarpus, quorum fragmenta extant. Secundo, Justinus Martyr, et Irenæus. Tertio, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius. Quarto, Athanasius, Eusebius Cæsariensis, Hilarius Pictaviensis, Basilius, Gregor. Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Joh. Chrysostomus. Quinto, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Hilarius Arelatensis, Prosper Aquitanicus, Leo I. Sexto, Fulgentius Afer, Gelasius, Gregor. M., et alii.

IV. Circa authoritatem Patrum, tres sunt Pontificiorum sententiæ. Prima eorum qui eos æquant Scripturæ; quo pertinent ista Glossatoris Decreta, Dist. 9, asserentis, *Scripta Patrum esse authentica, tam singulorum, quam omnium.* Secunda illi opposita eorum qui scripta eorum ut mere humana agnoscunt, quæque adeo regula fidei esse nequeunt; quæ fuit mens Caietani (præfa. in quinque libros Mosis,) et seniorum ex Pontificiis. Tertia eorum qui medium tenentes, singulorum Patrum authoritatem humanam et fallibilem concedunt, sed communem et universalem Patrum Consensum in controversiis infallibilem et divinum censent; quæ fuit Concilii Tridentini sententia (Sess. 4. Can. 1,) dum statuit *Traditiones Patrum, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, cum V. et N. T. pari pietatis affectu suscipiendas esse.* Et ibidem, *prohibet ne quisquam audeat Scripturam interpretari contra ejus sensum, quem tenuit aut tenet sancta mater Ecclesia, &c. aut etiam contra unanimem consensum Patrum;* cui adstipulantur plerique ex Pontificiis, Stapletonus, Bellarminus, Canus, Valentia, et alii.

V. Orthodoxi vero, licet Patres magno in pretio habeant, et utilissimos

Digitized by Google

esse censeant ad notitiam historiæ veteris Ecclesiæ, et ut constet consensus noster cum ea in capitibus fidei: Negant tamen authoritatem eorum sive singulorum sive universorum, dici posse authenticam in rebus fidei et interpretatione Scripturæ, ut eorum Judicio standum et cadendum sit: Sed authoritatem esse tantum Ecclesiasticam et humanam subordinatam Scripturæ, quæ nullius sit ponderis nisi quatenus cum ea consentit.

Status Quæstionis.

VI. Non quæritur; An Patres sint *Testes*, qui de consensu Ecclesiæ veteris, vel de sententia Ecclesiæ illorum seculorum quibus vixerunt testimonium perhibeant: Sed An sint *Judices* qui authoritate infallibili Controversias fidei dirimere possint; Pontificii posterius volunt; Nos prius statuimus; et si quando ex Patribus disputamus contra Adversarios, iis utimur tantum tanquam Testibus, qui veritatem a nobis creditam calculo suo comprobent, et fidem Ecclesiæ sui temporis declarent; non tanquam Judicibus, quorum sententiæ absolute et sine examine acquiescendum sit, et quæ sint mensura veritatis in dogmatis fidei vel Scripturæ interpretatione.

Patres non possunt esse Judices. 1. Quia fuerunt fallibiles.

VII. Rationes sunt; 1. Quia Patres sive singuli seorsim sive omnes conjunctim spectentur, non fuerunt Prophetæ, nec Apostoli, qui immediata vocatione et donis extraordinariis instructi, infallibilitatis privilegium habuerint; Sed homines fallibiles et errori obnoxii, quorum cognitio imperfecta fuit, et qui partium studio duci et affectibus transversum abripi potuerunt. Nec vocacatio mediata qua instructi fuerunt eos extra erroris periculum constituit: Nec modo errare potuerunt; Sed constat eos sæpe sive singulos, sive conjunctim plures in variis capitibus errasse, quod facile probari posset, nisi haberemus hic Pontificios nobis assentientes; ut Bellarminum, qui fatetur Patres etiam eruditissimos in multis non leviter erasse, de V. D. li. iii. c. 3 et 10, sibi contradicere, li. ii. de Christo, c. 2, et neminem esse qui aliquando non cæcutiat, ibid. c. 2; quod confirmat Sixtus Senensis præfa. in lib. v. Biblio.; Salmero, p. 3, li. i. Disp. in Epist. Pauli disp. 6.

2. Quia Scripta eorum sunt corrupta.

VIII. 2. Quia Scripta Patrum diversimode sunt corrupta et adulterata; Partim per varia Pseudepigrapha quæ Patrum nomine circumferuntur, quæ tamen ex doctiorum judicio constat esse fœtus adulterinos qui Patribus temere afficti sunt et supposititi; vel per Sycophantarum illusiones, vel per hæreticorum fraudes et imposturas, vel per Typographorum aut Bibliopolarum *αἰσχροκέρδειαν*: Partim per corruptionem et falsationem quæ illata est genuinis Patrum scriptis, quæ varie adulterata esse constat, sive per Exscriptorum injuriam, sive per Monachorum audaciam, et Jesuitarum inprimis nequitiam in iis corrigendis, expurgandis et castrandis, de quo Viri Docti jamdiu conquesti sunt, et Nostri innumeris exemplis comprobarunt; ut videre est apud *Rivetum* in Critico sacro, et *Dallœum* de Usu Patrum; et alios qui hoc argumentum tractarunt.

3. Quia Patres hoc nolunt.

IX. 3. Ipsi Patres agnoscunt scripta sua non debere esse authentica, ut nudis suis assertionibus absolute standum sit in iis quæ de Religione proponunt; Aug. in ep. 19, ad Hiero. "Ego," inquit, "fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum authorum scribendo aliquid errasse firmissime credam, &c. alios autem ita lego, ut quantalibet doctrinæ sanctitate præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita censuerunt; sed quia mihi, vel per illos authores Canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhor-

Digitized by Google

reat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo, prorsus inquam, non te arbitror sic legi libros tuos velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum Scriptis quod omni errore careant dubitare nefarium est." Et Epist. iii. ad Fortunat. "Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum et laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte inveniremus quod aliter senserint quam veritas habet. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum." Et contra Crescon. lib. ii. c. 31. "Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cum ejus quaslibet literas a Canonica Divinarum Scripturarum authoritate distinguimus: Nec enim sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, et secundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium libere judicemus," Et c. xxxii. "Ego hujus Epistolæ authoritate non teneor, quia literas Cypriani non in Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, et quod in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo." Fusius etiam et fortius idipsum confirmat, lib. xi. contra Faustum Manichæum, c. v. "Ibi," nimi. in Scripturis Canonicis, "si quid velut absurdum moverit, non licet dicere, Author hujus libri non tenuit veritatem; sed aut Codex mendosus est, aut Interpres erravit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullomodo illæ sacratissimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ cœquantur, etiam in quibuscunque eorum invenitur par veritas, longe tamen est impar authoritas." Hieronym. non absimiliter, epist. lxii. ad Theoph. Alexand. "Scio me aliter habere Apostolos, aliter aliquos Tractatores; illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines errare;" et epist. lxxvi. "Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, et nonnullos Ecclesiasticos Scriptores, ut bona eorum eligamus, evitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem, omnia probate, quod bonum est retinete." Hoc passim inculcat, et magna libertate censoriam virgulam identidem stringit in superiorum sententias et expositiones, imo et de scriptis suis ita loquitur; "Si quis melius, imo verius dixerit, et nos libenter melioribus acquiescemus;" commenta. in Haba. et Zach. t. v. Idem testatur Ambrosius de Domin. Incarna. Sacram. c. iii. "Nolo nobis credatur; Scriptura recitetur; non ego dico a me quia in principio erat Verbum, sed audio; non ego affingo sed lego," &c. et Cyrill. Hieroso. Catech. xii. "Meis commentis συζητολογίαις non attende, posses enim forte decipi; sed nisi de singulis Prophetarum testimonia acceperis, ne credas dictis," &c.

4 Pontificii ipsi Patres rejiciunt.

X. 4. Pontificii ipsi authoritatem Patrum repudiant, quoties sibi adversari agnoscunt, et libere ab iis recedunt, tantum abest ut eos pro Judicibus agnoscant in rebus fidei. Plura possunt afferri loca huc facientia præter ea quæ ex Bellarmino, Sixto Senensi, et Salmerone ante allata sunt. *Cajetanus* (præfat. in Pentat.) loquens de suis in Scripturam commentariis: "Si quando," inquit, "occurrit novus sensus textui consonans, nec a S. Scriptura, nec ab Ecclesiæ doctrina dissonus, quamvis a torrente Doctorum sacrorum alienus, rogo Lectores omnes ne præcipites detestentur, sed æquos se præbeant censores. Solis Sacræ Scripturæ authoribus reservata authoritas hæc est, ut ideo sic credamus esse, quia ipsi ita scripserunt. 'Alios autem,' inquit Augυst.

Digitized by Google

'ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo credam sic esse, quia ipsi ita scripserunt.'" Melchior Canus loco Theo. lib. vii. c. 3, postquam dixit ex August. "Hanc felicitatem Deum in solis divinis Voluminibus inesse voluisse, ut in iis non esset quicquam erroris," subjicit; "Cæteroqui nemo quantumvis eruditus et sanctus non interdum hallucinatur, non alicubi cœcutit, non quandoque labitur," Et postea 3. "Legentur itaque a nobis Patres veteres, cum reverentia quidem, sed ut homines, cum dilectu et judicio:" et num. 10. "At revera sequi Majores nostros per omnia, et in illorum vestigiis nos pedes quoque nostros figere, ut pueri faciunt per lusum, nihil videtur esse aliud quam ingenia nostra damnare, judicio nos privare nostro, et facultate inquirendæ veritatis. Sequamur Veteres; bene habet; sed ut duces, non ut dominos." Maldona. sæpe in comment. suis in Evang. in Matt. xix. 11, et xvi. 18 et xx. 22. "Sic fere omnes Patres exponunt, quibus equidem non assentior." Petavi. in Epipha, p. 205, "Nos ea qua par est moderatione in divinorum hominum, sed hominum, errores ac lapsus, non tam inquirimus, quam oblatos ultro ac vel invitis occurrentes, ne cui fraudi sint, patefacimus; tueri autem ac defendere nihilo magis quam eorum vitia si quæ fuerint debemus:" idem testatur, p. 244 et 285. Baronius passim Patres liberrime reprehendit et refutat, quoties aliud quam quod ipse probat sentiunt. Si ergo ipsi Adversarii Patres adeo secure contemnere et proculcare deprehenduntur, etiam consentientes, quoties minus placent; qua fronte illos tanquam Judices in Controversiis nostris audiendos esse decernunt?

Fontes Solutionum.

XI. Quod universi Doctores tradunt unanimi consensu secundum Dei Verbum, id sibi potest et debet persuadere universa Ecclesia. Sed si non loquuntur ex Verbo, sed potius contra illud, tantum abest ut recipere illud debeat Ecclesia, ut illis potius anathema dicere teneatur, Gal. i. 8.

XII. Quamvis Patres, qui propiores fuerunt ætati Apostolorum puriores debuerint esse; Non sequitur eorum scripta pro norma veritatis haberi posse cum Apostolicis: quia donum infallibilitatis est ἀξίωμα Apostolatus proprium, quod successoribus eorum, qui iisdem donis non prædíti sunt, competere nequit.

XIII. Unitas Ecclesiæ per unitatem fidei in Scriptura traditæ proprie conservatur, non per consensum Patrum, de quo vix ac ne vix quidem constare potest.

XIV. Obedientia quæ Ductoribus debetur ex Heb. xiii. 17, non est cæca et bruta, ut temere assentiamur iis omnibus quæ ab ipsis dicuntur vel scribuntur; sed debet esse rationalis, ut eos audiamus Oracula Dei loquentes et tradentes, quæ ipsi a Christo acceperunt, Matt. xxviii. 20, 1 Cor. xi. 23.

XV. Quamvis nolimus Patres pro Judicibus agnoscere in causis fidei; non ideo nullam eorum authoritatem esse dicimus; possunt enim magni esse usus si non ad fundandam fidem, ad eam saltem illustrandam et confirmandam; ut hoc testimonio de fide veteris Ecclesiæ constet, et pateat Pontificios Patrum consensum jactare potius quam sequi; Et inaudita esse primis seculis quæ nobis præter Scripturam ex Traditione obtrudunt dogmata.

XVI. Frustra Pontificii Patrum Consensum ad Judicium Controversiarum et Scripturæ interpretationem obtendunt. 1. Quia licet haberi posset, humanum tantum et probabile argumentum faceret, quale ex Prudentum responsis habetur, sed non necessarium et ἀναπόδυτον, cum et ipsi Patres se suaque judicio Scripturæ submittant. 2. Quia si non impossibile, difficil-

Digitized by Google

limum saltem est talem consensum deprehendere : nec via illa longissima et intricata, et tot voluminum labyrinthis involuta, controversiis finiendis apta esset : Maxime cum vix ac ne vix quidem certo dignosci queat, quid super nostris controversiis senserint Veteres : tum quia paucissima habemus Veterum scripta, præsertim eorum qui primo vel secundo aut tertio seculo vixerunt, quorum tamen potior quam inferiorum habenda est ratio, utpote ad ætatem Apostolorum proxime accedentium : tum quia quæ supersunt ex tribus seculis scripta, ut plurimum de rebus alienissimis a Controversiis nostris agunt, et istas nonnisi obiter et aliud agendo attingunt : tum quia Patres et alii ab aliis sæpe dissident, et ipsi secum in iisdem fidei capitibus non semper idem sensisse deprehenduntur, sæpe sententiam mutant, prout in veritatis cognitione cum ætate proficiunt, et senes ea revocant, quæ juvenes censuerant.

www.tpool.com.cn

XVII. Non putandum est Patres contemni et illis injuriam fieri, quum illis suprema detrahitur judicandi potestas. Cavendum equidem ne debitus ipsis eripiatur honor, sed multo magis ne ipsis nimium deferatur, cum in hanc partem periculosius quam in illam peccari soleat. Imo si reviviscerent, talem autoritatem sibi tribui ferre non possent, et quod Apostoli Lystrensibus ad eorum cultum accedentibus inclamabant, homines nos sumus ὁμοιοπαθεῖς Act. xiv. 14, 15, id ipsum nobis intonarent; qui passim docent se scripsisse non præcipiendi authoritate, sed proficiendi exercitatione, ut legerentur, non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate; et opuscula sua profitentur nullo modo sacratissimæ Scripturarum authoritati cœquari, ut habet Aug. lib. xi. cont. Faustum c. 5, et li. ii. cont. Crescon. c. 31.

XVIII. Ex quibus facile colligitur, non posse nec debere Patres tanquam Judices adhiberi in Controversiis nostris, sed tanquam Testes, qui veritati Christianismi admirabili consensu suo testimonium perhibeant, et vanitatem dogmatum a Pontificiis præter et contra Scripturam invectorum, silentio suo vel solidis etiam rationibus evincant. Ut ut ergo reverenter suscipienda sint eorum scripta, et cum fructu legi possint, non possunt tamen aliam authoritatem, quam Ecclesiasticam et humanam habere, id. subalternam et dependentem a Scriptura.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS TERTIUS.

DE DEO UNO, ET TRINO.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS TERTIUS.—DE DEO UNO, ET TRINO.

QUÆSTIO PRIMA.

An Dei Existentia invicte adversus Atheos demonstrari possit? Affirm.

I. Quamvis ἄπειρον καὶ ἀκατάληπτον sit τὸ θεῖον; ut bene notat Damascenus lib. i. c. 4. Et vera dicere de Deo ob summam ejus ὑπεροχὴν etiam sit periculosum, ut Cyprianus loquitur: quia tamen Deus se nobis revelare dignatus est et in Natura et in Scriptura; et accedentem ad Deum credere oportet quod Deus sit, et remunerator ipsum requirentibus, Heb. xi. 6: Tractatio de Deo primum in Theologia locum obtinet, et totius sapientiæ salutaris, quæ nobis discenda est, summam ambitu suo complectitur; ut in timore et tremore Domini revelata scrutantes, arcana quæ sibi soli servare voluit, temere non rimemur, *ne in istis illicite curiosi, in illis vero damnabiliter inveniamur ingrati*, ut ait Prosp. lib. i. de voc. gen. c. 7.

II. Tribus autem partibus illa potest absolvi. Primo ut sciamus *quod sit* adversus Atheos, ratione existentiæ. Secundo, *quid sit* adversus Ethnicos, ratione naturæ et attributorum. Tertio, *quis sit* adversus Judæos et hæreticos, ratione Personarum. Duæ priores agunt de Deo φυσικῶς considerato; postrema de eo spectato ὑποστατικῶς et relate quoad Personas.

III. Licet *Deum esse*, Principium sit Religionis indubitatum, quod supponendum est potius quam probandum, ut pœnis compescendus sit potius quam argumentis refellendus, qui hoc negare sustinet, ut ait Philosophus: Quæstionem tamen hanc necessariam reddit hodie Atheorum, quorum nimis ferax est seculum hoc corruptissimum, execrabilis vesania, qui clarissimæ huic veritati impie refragari non erubescunt.

IV. Non quæritur; An vera et salutaris Dei cognitio, ubique inter homines locum habeat: nemo enim negat, verum Deum fuisse et etiamnum plerisque gentibus esse ignotum, quæ propterea ab Apostolo vocantur ἄθεοι, Eph. ii. 12. Sed, An cognitio Numinis ita hominibus sit a natura insita, ut nemo illud penitus ignorare possit; Vel, An Dei existentia invictis, non tantum ex ipsa Scriptura sed et ex ipsa natura rationibus demonstrari queat; quod profani et Athei negare non verentur; Nos asserimus.

Deum esse probatur.

V. Demonstratio Divinitatis quatuor præcipue fundamentis nititur. 1. Universæ naturæ voce. 2. Hominis ipsius contemplatione. 3. Conscientiæ Testimonio. 4. Populorum consensu. Deus enim admirabilis mundi opifex, adeo alte Majestatis suæ vestigium singulis ejus partibus impressit, ut quod de Minervæ Clypeo vulgo dicitur, cui tam scite effigiem suam inseruerat Phidias ut inde eximi non posset sine totius operis luxatione, longe potiori jure hic dici debeat, non posse Deum a natura avelli, quin tota pereat et confundatur.

Digitized by Google

1. A Causarum subordinatione.

VI. Natura demonstrat Deum; quum clamat se non tantum esse, sed ab alio esse, et sine alio esse non posse. Nam si certum esse debet et indubitatum, *nihil a seipso fieri, et nihil esse sui ipsius causam*, quia sic foret seipso prius et posterius; certum etiam, debere dari aliquod Ens primum et improductum, a quo sint alia omnia, ipsum vero a nullo. Nam si omne Ens esset productum, vel a se vel ab alio produci debuit: Non a se quia ut jam dictum, nihil potest esse causa sui; Non ab alio, quia sic sequeretur vel dari progressum in infinitum in causis producentibus, vel Circulum fieri, quod utrumque implicat. Nam quoad Circulum, cum in iis quæ facta sunt detur ultimum, quod aliud non fecit, non dari posse patet; Adde quod ejusmodi circulus est impossibilis, quia eo posito sequeretur idem a seipso fieri, et sui ipsius esse causam mediate saltem, quo nihil absurdius. Progressus etiam in infinitum in causis locum habere non potest: quia in causis necessario ordo aliquis dari debet secundum prius et posterius; At progressus in infinitum respuit omnem ordinem, sic enim nulla causa prima esset, sed omnes mediæ, quæ ante se causam aliquam haberent: Imo nulla esset causa, quæ ante se infinitas causas se superiores non habere deberet, quod *ἀνύστατον*; Quippe si ante omnes et singulas causas infinitæ causæ essent, ante totam causarum multitudinem et collectionem essent jam infinitæ causæ; et sic collectio illa tota non esset. Rursus si ascendendo ab effectis ad causam, nunquam posset ad primam causam perveniri; Ita descendendo a causis ad effecta, ad ultimum effectum nunquam deveniri posset; quia quod infinitum est, non magis ascendendo quam descendendo pertransiri potest. Subsistendum ergo necessario in aliqua causa, quæ ita sit prima, ut superiorem nullam agnoscat, et sic progressus ille causarum non debet esse *in infinitum*, sed *ad infinitum*, in quo terminabitur.

2. A Novitate mundi.

VII. 2. *Novitas Mundi* cum principio motus et temporis evincit necessario Deum esse. Quia si Mundus incepit, ab aliquo ortum accepisse necesse est; siquidem non potuit esse a seipso: Ab alio autem non potuit esse quam a Deo. Mundum autem cœpisse et æternum non esse, multa probant. Quia tempus non potest esse ab æterno: nam si æternum fuisset, ab æterno noctis et diei vicissitudo fuisset, quod est *ἀνύστατον*: nam repugnat diem et noctem ab æterno fuisse; quippe vel fuissent simul, quod implicat; vel successive, quod æternitatem tollit. Deinde, si tempus esset æternum, nullus potuisset dari primus dies, nam si datur primus, E. tempus initium habuit; si nullus primus dies, omnem diem dies præcessit, id. fuit dies antequam esset dies. Tertio, si tempus æternum fuit, E. fuerunt infiniti anni, infiniti menses, dies et horæ; sed numerus mensium, annorum et dierum, vel erit æqualis vel non; si æqualis, sequetur partem esse toti æqualem, et totum non esse majus sua parte; si inæqualis, E. dabitur magis et minus in infinito. Quarto, vel nullus dies fuit ab æterno, vel omnis fuit ab æterno, vel aliquis tantum: si prius, Tempus non est ab æterno; secundum falsum esse docet experientia; tertium dici non potest, quia si fuit aliquis dies ab æterno, ejus duratio debuit esse infinita et sine principio, quod implicat, cum 24 horis ejus duratio terminetur. Quinto, motus omnis est cum successione, quæ includit prius et posterius, quod repugnat æternitati. Sexto, si Sol ab æterno sese movit, et orbem illuminavit, id factum fuit vel respectu nostri hemisphærii, vel opposite apud antipodas, vel respectu utriusque simul: Prius dici non potest, quia quod sit successive non potest dici æternum: non posterius, quia est impossibile Solem simul utramque he-

Digitized by Google

mispharium illuminare, quia et pluribus in locis simul fuisset, et ubique dies fuisset, et nulla nox.

VIII. Si homines fuissent ab æterno, infinitæ darentur hominum generationes sibi invicem succedentium, et numerus hominum qui hactenus vixerunt esset infinitus: sed non potest dari progressus in infinitum in generationibus, ut jam diximus, nec numerus hominum, qui hactenus vixerunt, potest esse infinitus, cum quotidie augeatur; at infinito nihil potest addi. Deinde vel fuit aliquis homo ab æterno, vel nullus; si nullus, homines non sunt ab æterno, et a Deo producti non sunt; si aliquis fuit, non potuit gigni ab alio, quandoquidem quod ab alio producitur eo posterius est; Et quod æternum est, nihil se prius agnoscit.

IX. Frustra affertur ab Atheis, ad possibilitatem progressus in infinitum confirmandam, consideratio æternitatis a parte post, quia ut descendendo in æternitate a parte post, datur primum, etsi non detur ultimum, nec unquam devenitur ad ultimum; Ita in æternitate a parte ante ascendendo potest dari ultimum, licet non detur primum. Quippe conferuntur hic longe dissimilia, illud quod fuit et revera transiit, et quod nunquam futurum est vel transiturum: Nam duratio temporis præteriti, et successio hominum qui hactenus vixerunt, fuit et non est amplius: Sed duratio seculi futuri, et hominum qui in eo victuri sunt, talis est ut nunquam dici possit præteriisse. Deinde potest dari quidem initium rei sine fine, ut in duratione Angelorum et animarum, sed non potest dari finis sine initio, quia finis necessario supponit aliquod principium a quo res ortum habuerit: Unde non valet consequentia, Si in æternitate a parte post dari potest duratio quæ initium habuerit, et non habitura sit finem; Ergo in æternitate a parte ante potest dari duratio quæ finem habeat, et nunquam tamen initium habuerit.

3. A Mundi ornatu.

X. 3. Idem evincit admirabilis *Mundi ornatus et ordo.* Nam si ordo requirit sapientiam et intelligentiam, perfectissimus supponet necessario perfectissimam et infinitam Sapientiam, quam Deum vocamus. Ordinem autem pulcherrimum ubique extare cæcus est qui non videt, vel pessimus qui non fatetur, in tam convenienti partium dispositione, tam constanti rerum tam discordium concordia, tam pulchro creaturarum diversissimarum concentu et consensu, tam rapido et æquabili simul corporum cœlestium motu, et tam immutabili ordinis semel positi stabilitate et constantia. Sic non modo cœli enarrant gloriam Dei, sed quælibet in prato herba et flosculus, in littore lapillus, et in mari conchula ejus non tantum potentiam et bonitatem, sed et sapientiam πολυπειλον prædicat, tam obviam cuique ut vel palpando inveniri possit Deus: Hinc August. lib. xi. de C. D. cap. 4. *Exceptis Propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate et visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus, et factum se esse, et nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, et ineffabiliter et invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat.*

XI. Dices forte, hæc casu et fortuito atomorum concursu ita esse disposita. Sed nescio an dignum sit refutatione tam impium et absurdum commentum, cum ista non τύχην, sed τύχην maximam notent; Nam quæ casu fiunt incerta sunt et indigesta, nihilque constans habent, et quod sui simile sit: At nihil fingi potest hac universi compage magis ordinatum et compositum: dicere ergo ornatissimum et pulcherrimum hunc mundum fortuito atomorum concursu factum esse, idem est, ac si quis putet, *si innumerabiles unius et viginti formæ literarum aliquo conjiciantur, posse ex his*

Digitized by Google

in terram excussis Annales Ennii, ut deinceps legi possint effici; ut loquitur Cicero de Nat. Deo. lib. ii. et præclare idem ibidem ex Aristotele, "Si essent," inquit, "qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, nec tamen exissent unquam supra terram, accepissent autem fama esse quoddam Numen et vim Deorum; deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus evadere in hæc loca quæ nos incolimus atque exire potuissent; cum repente terram et maria, cœlumque vidissent, aspexissentque Solem, ejusque tum magnitudinem pulcherrimam, tum etiam efficientiam cognovissent, tum cœlum totum cernerent astris distinctum, eorumque omnium ortus et occasus, atque in omni æternitate ratos immutabilesque cursus: hæc cum viderent profecto et esse Deos, et hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur."

4. Ex Tendentia rerum omnium ad finem.

XII. 4. Hoc ipsum confirmat *Rerum omnium tendentia ad finem.* Nam cum omnia Entia naturalia finis alicujus gratia agant, quem certo et infallibiliter semper assequuntur; necesse est ut Rectoris alicujus consilio gubernentur. Quippe cum Natura nihil faciat frustra, si finis gratia agat, oportet ut vel ipsa finem istum norit et appetat, vel si eum non norit aut appetat, ut ab alio eo dirigatur. Cum autem ex rebus naturalibus multæ sint consilii incapaces, quia vel inanimatæ vel ἄλογοι, alieno egent consilio quo dirigantur: At alienum istud consilium non potest alii tribui, quam Authori et Rectori naturæ. Nec dicendum naturam ipsam in singulis rebus esse, cujus consilio singulæ diriguntur ad fines suos. Nam Natura illa, vel erit rei cujusque naturalis proprietas et natura quæque singularis; sed quomodo illa consilii capax esse potest, si res ipsæ brutæ sunt? Vel communis quædam natura ex singularum rerum naturis collecta: Sed communis natura non est extra singulares naturas; Vel substantia aliqua intelligens et subsistens, cujus consilio omnia diriguntur: Sed hoc est ex Natura Deum facere, et cum Deum neges, Deum sub Naturæ nomine agnoscere, quo pertinet illa Philosophi, qui *opus naturæ* dicit *esse opus intelligentiæ non errantis.*

5. Ab homine ipso.

XIII. 5. Sed homo non eget longe corrogatis testibus, vel ut exeat ex seipso, cum habeat in sinu suo domesticum hujusce veritatis Doctorem; et si ab omnibus visum suum avocet, et in seipsum reflectat, non minorem in microcosmo quam macrocosmo sapientiam agnoscet, et in corpore visibilem, et in mente scintillantem Divinitatem admirabitur. Unde enim corpus tam admirabili et plane stupendo extructum artificio? Unde tot disparia membra mutuo intextu concreata, et tam apte ad propria cuique munia disposita, nisi ab immenso Spiritu? Unde mens divinæ auræ particula, tot facultatibus instructa, tot dotibus ornata nisi a suprema Intelligentia? Hæc sane Imago prototypum suum refert, et nemo est qui si attendere velit, Deum in se præsentem non tantum audiat et videat, sed etiam quodammodo tangat et palpet.

6. A Conscientia.

XIV. 6. Hoc præcipue docet *Conscientiæ vis* ac stimulus, sceleris vel cœpti vel patrati comes individuus; cujus neque sensus obtundi, neque accusatio eludi, nec testimonium corrumpi, nec vadimonium deseri, nec Tribunal declinari potest. Qui fit enim, ut conscientia commisso scelere angatur etiam in occulto et remotis arbitris, ubi nullum ab hominibus imminet periculum, etiam in illis qui in supremo fastigio sunt constituti, nisi quia penitissimo Numinis sensu afficitur? quod in Nerone, Caligula, aliisque non paucis visum est: Hinc Juvenal, Satyr. 13.

Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti

Digitized by Google

Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum, &c.

Ovid. Fasto.

Conscia mens, ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto spemque metumque suo.

Unde terrores illi conscientiæ trepidantes ad atrociora facinora nisi a sensu alicujus Vindicis et Judicis, quem etsi non videt, ubique tamen persentiscit? Illi enim terrores nequeunt provenire ab aliquo metu Legum civilium, seu temporalis alicujus pœnæ aut infamiæ; tum quia hæc non metuuntur nisi ob malefacta manifesta, quæ sola leges civiles, et secundum eas Judices punire possunt; tum quia etiam occupant eos qui neminem in terris superiorem agnoscunt, quique ideo a nemine judicari possunt: Qui fit alias, ut quum improvisum ingruit periculum, vel repentinus oboritur terror, ii qui omnem Divinitatem ex animo delevisse videbantur, iratum Numen perhorrescant, et ejaculatoriis precibus et suspiriis opem ejus implorent? Quid vero eos trepidare facit, qui aut in occulto et abdito profani sunt, aut intra animum suum tantum Deum esse negant? Vanus forte dices est metus; At si vanus est, unde est? Cur adeo pertinax et inexpugnabilis est, etiam cum nulla metuendi causa est? Quis aut quid metuitur ab eo, qui sibi solus cogitationum suarum conscius est, qui neminem arbitrum, aut testem, aut judicem earum esse persuasus est? Seipsumne? At sibi amicissimus est. Aliosne? At illi ignorant, quid animo cogitet aut moliatur. Tum si tuti esse velint, ore probent quod corde negant. Cur securi tunc non sint? Ergo velint nolint Deum aliquem esse credant oportet, quem ipsa recta ratio docet metuere, quem jubet ubique agnoscere tanquam Dominum et Judicem omnium.

XV. Nec obstare potest quod Paulus, Eph. iv. 19, dicet homines aliquando eousque malitiæ pervenire ut reddantur ἀπηλγηκότες, id est, doloris omnis, quem conscientia alioquin solet inserere, expertes, imo eousque, ut conscientiam habeant κεκαυτηριασμένην cauterio inustam, ac proinde sensu omni ac remorsu privatam, ut Apostolus loquitur, 1 Tim. iv. 2. Nam hoc indicat quidem conatum et studium profanorum ejusmodi hominum, et conatus istius effectum, qui foris apparet, quando scelesti isti extrinsecus confidentiam ostendunt, et obfirmatum ad scelera animum, quasi nullo scelerum sensu aut conscientiæ morsu premerentur; At non ostendit quales animo intus sint. Hoc enim non apparet, hoc dissimulare in publico possunt; Et si exterius videntur, sine sensu, sine dolore sunt, imo et sine eo esse se palam affirmabunt; at si intus videre eos liceret, animus eorum inquietus, et aculeis durissimis agitatus videretur. Nolim tamen negare fieri posse ut ex peccandi consuetudine callum quemdam conscientiæ ita obducant, ut aliquando et aliquandiu videantur amisisse omnem peccati sensum, et conscientiæ morsum non sentiant vel non curent, imprimis quum omnia illis fluunt ex voto, quum vires constant, et valetudo est firma, et favor publicus adest. At ut sensum omnem penitus amiserint, dici non potest; dormit conscientia, non mortua est, ebria est a carne, sed non extincta; alias quomodo Paulus dicere posset *homines Legem non habentes, sibi ipsis esse Legem, et ostendere opus Legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente eorum conscientia, et cogitationibus se mutuo* subinde et per intervalla *accusantibus et excusantibus* in male vel bene factis.

7. A Populorum consensu.

XVI. 7. Accedit constans et perpetuus *populorum omnium sensus et consensus;* Licet enim diversimode de Numinis natura, de numero, de ratione ac modo illud co-

Digitized by Google

lendi senserint, et ut plurimum fœdissime errarint; in tanta tamen varietate consensus hic fuit, Deum esse aliquem qui sit religiose colendus: *Nulla gens est tam fera et immansueta*, inquit Cicero, lib. i. de Legi. *quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Imo tam altas in animis hominum radices egit hæc notio, ut quidvis potius sibi homines persuadeant Deum esse, quam Deum nullum esse, et falsum habere maluerint quam nullum. Hinc factum, ut ad lapides et ligna, et ad vilissima quæque se demiserint potius, quam ut omni Numine carerent; quod in homine natura superbo nunquam factum fuisset, nisi vehementissima foret divinitatis persuasio. Quod si quæ hominum monstra nonnunquam dentur, quæ ausu giganteo ipsi naturæ bellum indixerunt ad Deum negandum, ut Ps. testatur stultum dicere in corde suo non esse Deum, Psal. xiv., præterquam quod hoc potius de Atheis practicis quam theoreticis est intelligendum, ut postea probabitur, non debent opponi communi et generali omnium consensui; nec paucorum furibundus conatus notitiam hanc suffocare nitentium, et in hac obstinatione etiam morientium, præjudicare debet universali cæterorum judicio, quod ubique per omnes orbis partes diffusum, per tot secula constantissime duravit: Non magis quam monstra et prodigia quæ contra naturam videntur aliquando, leges ordinarias a Deo positas possunt evertere; Vel paucorum mente captorum insania evertit hominis definitionem dum dicitur animal rationale.

XVII. Cum ergo constans ille et universalis populorum omnium circa hanc primigeniam veritatem consensus, nec ex simplici desiderio possit oriri, quod in multis ad remotionem potius Numinis, quod propter scelera pertimescunt, quam ad ejus præsentiam tenderet, nec authoritate potentiorum vel Traditione majorum tantum nitatur, quæ tam efficax nunquam potuit esse, ut consensum hunc universalem in animis omnium produceret: Necesse est ut a rei ipsius evidentia ducat originem, quæ tanta est ut neminem, qui modo mentem habeat, latere possit, et a penitissimo *Numinis sensu*, quem Deus singulis impressit, ne quis ad ignorantiæ prætextum confugeret, sed ut, cum ad unum omnes intelligant Deum esse et suum esse opificem, suo ipsorum testimonio damnentur, quod illum non coluerint. Eo pertinent ista *Iamblici* de myster. Ægyptiorum, c. 1. *Ante omnem rationis usum inest naturaliter insita Deorum notio, imo tactus quidam Divinitatis melior quam notitia.* Hoc est τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ quod Deus in gentibus patefacere voluit, Rom. i. 19, quod explicans Damascen. lib. i. c. 1, ait πᾶσι ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν ἐκ' ἀυτοῦ φυσικῆς ἐγκατέσπαρται, *Cunctis cognitio quod Deus sit, ab ipso naturaliter est congenita.*

XVIII. Parum autem refert, sive sensum hunc per notitiam naturalem Dei insitam, sive per communem notionem, sive per mentis conceptum, sive cum recentioribus per *Ideam Dei*, ut *Entis perfectissimi* mentibus nostris impressam explicemus; res eodem redire videtur: nimirum insitum esse singulis ab ortu Divinitatis sensum qui se celari non patitur, et qui sponte se exerit in omnibus adultis sana mente præditis. Observamus tantum Ideam Dei minus proprie dici nobis imprimi, si per eam designetur species aliqua et imago Dei intelligibilis in mentibus nostris, quæ quidditatem et essentiam Dei clare et distincte nobis repræsentet, quod et infinita Dei Majestas respuit, et finita ac fragilis intelligentia nostra non capit. Quomodo enim Entis infiniti daretur imago in mente finita, vel utcunque adæquata, vel clara et distincta? Nec si pro certo ex communi ista notione et conscientiæ instinctu habere potest, *quod Deus sit*, continuo sequitur, ut claro et distincto conceptu, qualis supponitur esse ista de qua loquimur Idea, *quis et qualis sit* statim assequi possimus. Præterquam

Digitized by Google

quod certum est claram et distinctam Dei ideam, si qua datur in nobis, non ex natura, quæ per peccatum obtenebrata est et excœcata, sed ex revelatione supernaturali Verbi demum haberi, in qua Deus aperte se nobis patefecit; licet hæc ipsa cognitio respectu gloriæ sit tantum specularis et ænigmatica, id. imperfecta adhuc et valde obscura.

XIX. Possunt alia non pauca addi argumenta ad ejusdem veritatis confirmationem: A *rerum futurarum et mere contingentium vaticiniis*, quæ longe ante eventum prædici non potuerunt certissime, nisi a mente omniscia: Ab *heroïcis* magnorum Virorum *motibus*, qui sine afflatu divino dari non potuissent: Ab imperiorum conversionibus et eversionibus, quas digito Dei contingere res ipsa clamat: A *Judiciis publicis et scelerum pœnis* quæ ab ultrice Nemesi infliguntur; et A *miraculis* quæ totius naturæ vim superant. Cum enim nihil ultra vires suas agere possit, et multa miracula sæpius contigisse in mundo, non modo Scriptura testetur, sed et Judæi et Ethnici fateantur, necesse est dari aliquod Ens perfectissimum, tota natura majus et præstantius, cujus virtuti transcribantur: quod non aliud esse potest quam Deus.

XX. Hæc vero et similia argumenta ex Operum Divinorum contemplatione, et ex imis naturæ penetralibus eruta, quibus blasphemi isti θρίμαχοι confodi possunt, confirmantur luculentius ex Verbi irrefragabili testimonio; quod cum Divinitatis suæ illustres notas præ se ferat, ut antea visum, et Deum authorem suum passim prædicet, hanc persuasionem in animis fidelium indelebili charactere insculpit.

XXI. Addi possunt et hæc argumenta ad hominem, quæ Atheum ipsum movere possunt ad credendum Numen, si non Dei ipsius et Religionis vindicandæ causa, saltem sui ipsius, et utilitatis suæ gratia. Nam si Deus non est, nulla Republica, nulla Societas in mundo tuta erit; Quia sine virtute, sine Religione nihil tutum esse potest: At si Deus non est, nec virtus nec Religio est. Quid erit mundus nisi merum latrocinium, in quo cuique quod libebit licebit, in quo nullum fas aut nefas erit, nullum imperandi jus, nulla obediendi necessitas, in quo optimus erit qui vaferrimus, et dominus qui potentissimus. Nullo fræno continebitur imperantium licentia, et subditorum rebellio, suo quisque animo impune serviet. Rursus si Deus non est, nemo mortalium vel ad momentum tutus aut securus esse poterit a vi, a fraude, a perjurio, a cæde, a sanguine. In horas singulas omnia metuenda erunt: Sublato enim Divinitatis obice, quis fidei et innocentiæ dabitur locus? quid licentiæ aut violentiæ non patebit? Nam quoad edicta humana, præterquam quod animum in melius mutare non possunt, sed contra eum reddunt vafrum, et in omnes fallendi artes intentum; quis dabitur edictis humanis locus, si sublato Numinis sensu, conscientia justi et injusti rationem omnem exuit?

Fontes Solutionum.

XXII. Licet Deus non pateat sensibus comprehensive ut est in se, apprehensive tamen potest percipi, prout elucet in Operibus, videtur in signis, auditur in Verbo, manifestatur in totius Universi fabrica. 2. Falso supponitur nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Nam universalia sunt in intellectu, et nunquam fuerunt in sensu: Anima cognoscitur ut et Angelus, nec tamen sentiuntur vel videntur nisi ex effectis. Quidni ergo Deus mente certissime cognoscatur, quem nec oculis nec aliis corporis sensibus percipere possumus, ex Operibus et a posteriori?

XXIII. Aliud est dari confusionem et ἀταξίαν apparentem in mundo respectu nostri, quod concedimus; Aliud esse veram et realem ex parte

Digitized by Google

Dei, quod negamus: Nam quæ nobis perturbata videntur apud Deum sunt ordinatissima.

XXIV. Quamvis in mundo varia videantur inutilia, imo multa noxia et periculosa, quæ ad sui ipsius perniciem et ad humani generis extremam miseriam comparata sunt, ut horrendi et ignivomi montes, qui flammarum et cinerum perpetua eructatione agros, pagos, civitates et integras regiones cum hominibus et cæteris animantibus iniquissimo fato obruunt, voragines marinæ, scopuli naufragi, herbæ venenatæ, et noxia animantia, et alia idgenus: Non sequitur mundum ab aliquo Ente optimo et sapientissimo conditum non fuisse, et ab eodem non dirigi; Quia præterquam quod gloria Creatoris ex istis omnibus clarissime elucet, nihil tam est inutile, et noxium nobis videtur, quod variis modis conducibile non sit, tum homini tum aliis Creaturis: Nec si varios usus rerum istarum non possumus assequi, continuo sequitur nullos esse.

XXV. Prospera impiorum, et adversa piorum ostendunt sapientissimam Dispensationem, qui hæc omnia ad gloriam suam et piorum salutem convertit: Sed Divinitatis fidem labefactare non debent: Imo Judicii ultimi post hanc vitam exercendi veritatem confirmant, ubi unusquisque recipiet fidei et factis consentanea.

XXVI. Bonum infinitum non statim tollit omnia mala, si sit agens liberrimum non necessarium; quia ad sapientiam et omnipotentiam suam magis judicat pertinere, malum permittere, ut ex eo bonum eliciat, quam malum esse non sinere.

XXVII. Quando Deus dicitur esse *a seipso*, hoc intelligendum potius *negative* quia est a nullo, est quippe αὐτοζωὴ et αὐτοὼν, quam *positive* quasi esset suiipsius causa, quod implicat, quia esset seipso prior et posterior.

XXVIII. Aliud est uti Religione et Numinis sensu ad populos in obsequium cogendos, et in officio continendos: Aliud vero talem persuasionem Numinis, licet falsam, populis imponere. Fateor quidem prius fecisse Legislatores, et plurima in Religione commentos esse astutos homines, quibus reverentiam plebeculæ injicerent et terrorem incuterent, quo haberent obsequentiores ejus animos. Sed id nunquam obtinuissent, nisi jam prius constanti illa de Deo persuasione imbutæ fuissent hominum mentes, ex qua velut semine emergit ad Religionem propensio. Deinde quis credat paucorum vi vel astutia diffusam esse per omnes orbis partes, et per omnia secula constantem illam opinionem, quæ tantopere vexat conscientias, etiam in sceleribus absconditis? Quis non videt, quod, si persuasio Divinitatis debetur authoritati Legum, et metui suppliciorum, non ulterius duratura illa fuisset quam durante jugo servitutis? cum tamen certum sit illam pervasisse in omnes homines etiam liberrimos, et legum vinculis solutos.

QUÆSTIO II.

An dentur Athei proprie dicti? Neg.

Status Quæstionis.

I. Cum tantus sit hodie in mundo Atheorum numerus, mirum prima fronte videri poterit, quod tales dari, vel in dubium revocari possit vel negari. Sed certis positis distinctionibus facile patebit, quo sensu verum esse possit, Atheos plures dari, et tamen Atheos nullos esse.

Digitized by Google

Atheus Speculativus, vel Practicus.

II. Primo, *Atheus* alius est *Speculativus*; Alius *Practicus*: ille quoad fidem, qui Deum non agnoscit; iste quoad moros et vitam, qui eum agnoscendo non colit, qui ita vivit ac si Deus non esset; vel ex voto, quia Deum non esse optaret. Quanquam enim, ut nulla praxis est quæ non supponat aliquam cognitionem, nec ulla cognitio, saltem quæ versatur circa Dei cultum, quæ ad praxim aliquo modo non tendat; sic nullus est Atheismus practicus qui non oriatur ex prava cognitione et judicio corrupto mentis, et nullus speculativus qui non post se etiam trahat corruptionem praxeos; Nihil obstat tamen, quominus a potiori fiat denominatio, ut Atheismus qui magis consistit in verborum jactatione et blasphemiis, dicatur speculativus, ille vero qui magis in factorum impietate versatur, practicus vocetur. Atheos autem multos practicos esse non diffitemur, speculativos negamus.

Atheus Speculativus.

III. Secundo, *Atheus speculativus*, vel *directus* est et expressus, vel *indirectus* et interpretativus. *Directus* est, quum quis omnem cognitionem, sensum et fidem Numinis excutit. *Indirectus*, quum quis talia Deo attribuit vel de illo negat, unde per necessariam consequentiam Deus negatur, v. g. si quis negat Dei Providentiam et Justitiam, licet profiteatur se Deum agnoscere, eo ipso eum negat, quia Deus sine providentia esse non potest. De istis vero hic non agimus sed de illis.

IV. Tertio, Atheus directus, vel est *externe disputans*, imo et malitiose contra sensum suum negans; vel *interne dubitans*, qui ad tempus dubitationibus an sit Deus vexatur, et iis ad momentum in tentationis paroxysmo videtur succumbere; vel *studiose affectans* totalem Numinis ἀναισθησίαν; vel qui plane et certo persuadetur in corde suo nullum esse Deum. De illis non agimus, quos subinde reperiri posse non negamus; sed de istis, quos dari non posse censemus. Quæritur hic ergo, An dentur Athei non practice, sed speculative, non indirecte et interpretative, sed directe, non qui externe disputent, vel negent, vel qui interne dubitent, et conentur sibi persuadere nullum esse Deum; Sed qui expresse hoc corde credant, et ore profiteantur; quod negamus.

Atheos non dari probatur.

V. Rationes sunt. 1. Quia datur in homine cognitio Dei insita, et Divinitatis sensus, qui non magis potest abesse ab homine quam intellectus rationalis, ita ut homo illum exuere non possit, quin seipsum exuat, ut antea probatum, Lo. I. Q. 3. Nec si in Scriptura negatur peccatoribus cognitio salutaris et practica, qua convertantur, 1 Johan. ii. 4, continuo negatur cognitio inefficax et theoretica. Et si tribuitur illis ignorantia pravæ dispositionis, 1 Thes. iv. 5, Eph. iv. 17, 18, non potest illis pariter tribui ignorantia puræ negationis.

VI. 2. Quia datur opus Legis in eo scriptum, Rom. ii. 14, et synteresis ac conscientia naturalis, in qua thronum suum erexit Deus, quæ extingui non potest nisi cum lumine rationis. Licet enim sæpe desperatæ impietatis homines eam excutere conentur, non possunt tamen. Et ut pro tempore callum obduxisse videantur, et sopita sit conscientia, evigilat tandem et acriores aculeos ipsorum cordibus infigit, ita ut velint nolint irretiti teneantur, et quem nescire cupiunt, subinde persentiscant, ut in Caligula, Nerone, et aliis non paucis visum. Nec excipi potest, conscientiam istam non semper cum notitia vel metu aliquo Dei conjunctam esse; posse enim conscientiæ flagellum remanere ex hominum metu: Nam licet hoc locum habere possit in sceleribus cognitis; At in absconditis quæ homines latent, et quæ ab iis sunt perpetrata, qui se superiorem in terris nullum agnos-

Digitized by Google

cunt, unde talis terror oriri posset nisi ex sensu Justitiæ Dei, quæ illorum conscientias eo magis percellit, quo magis refugere conantur, ut hic revera θεὸν τι subesse necesse sit?

VII. 3. Quia tam clare seipsum in Operibus patefecit, ut homines vel palpando eum invenire possint, Act. xvii. 26, 27, et non possint oculos aperire quin tanti numinis majestas et splendor eos statim afficiat. Nec particula εἰ ἄρα, qua utitur Apost. in dubium revocat revelationis divinæ evidentiam et certitudinem, sed ad inquirentium stuporem et negligentiam pertinet, ut Act. viii. 22. Ita quod additur de præsentia Dei, qua non longe absit ab unoquoque nostrum, promissionem gratiæ peculiarem fidelibus Dei cultoribus non notat, sed beneficium Providentiæ omnibus hominibus commune innuit.

VIII. Cognitio hæc Dei acquisita triplici via solet obtineri *Causalitatis*, *Eminentiæ*, *Negationis*. Per viam *Causalitatis*; quum ex effectis intelligimus causam, et a causis secundis ascendimus ad primam, Ps. xciv. 9. *Plantator auris, annon audiet, et formator oculi annon intuebitur?* Per viam *Eminentiæ*, quicquid est perfectionis in rebus creatis, eminenter et κατ' ἐξοχὴν Deo tribuimus. Per viam *Negationis* removemus a Deo quæ imperfectionem notant in creaturis, ut quum dicitur invisibilis, immortalis, immutabilis. Per viam negationis devenimus ad cognitionem attributorum negativorum. Per viam eminentiæ, cognoscimus attributa positiva. Et per viam causalitatis ascendimus ad notitiam attributorum relativorum.

Fontes Solutionum.

IX. Quum dicitur, Psal. xiv. 1. *Stultum in corde suo dicere non esse Deum*, non tam describitur certa et firma persuasio hominis Athei Deum negantis, quam dubitatio et conatus hominis impii suffocare nitentis hanc notitiam. Ideo non ait, *credit et statuit;* sed *dicit*, id. secum tacite loquitur, et sibi persuadere hoc nititur. 2. Non potest hic intelligi Atheus speculativus directus, quia agitur in genere de impiis et peccatoribus, ut constat ex collat. cum Ro. iii. At certum, non posse omnes peccatores dici hoc sensu Atheos. 3. Hic non tam innuitur negatio existentiæ, quam Providentiæ Dei, ut patet ex Ps. x. ubi quod dixit v. 4, de Impio, *quod in altitudine sua non inquirit, omnes cogitationes ejus sunt, non est Deus*, v. 11 refert ad negationem Providentiæ, *dicit in corde suo oblitus est Deus, abscondit faciem suam, non videbit in perpetuum.* Hinc recte Ovvenus, lib. iii. Epig. de Atheo.

Insipiens in corde suo, non est Deus, inquit,
Dixit, et hoc nullus credidit insipiens;
Insipiens negat esse Deum si nemo, quis ergo
Atheus est? nullum qui velit esse Deum.

X. Aliud est exterior Dei negatio, vel erratica tantum cogitatio et dubitatio de Deo; Aliud fixa et constans in corde negatio: Priorem dari posse in homine non diffitemur, sed posteriorem negamus.

XI. Quicquid occurrit apud Authores de suffocatione et obliteratione luminis naturalis ad aliquod tempus in paroxysmo furoris, et quicquid de conscientiæ cauterizatione, lethargo et ἀναισθησίᾳ dicitur, referri non debet ad totalem cognitionis istius naturalis extinctionem, nec ad assensus et persuasionis contrariæ certudinem: sed ad suppressionem et offuscationem aliquam luminis istius et cognitionis, qua impii homines actualem de Deo cogitationem, quantum fieri potest abjiciunt, et sibi persuadere conantur non esse Deum; nec Dei Judicis vindictam credunt, aut exhorrescunt.

XII. Gentes dicuntur ἄθεοι, Eph. ii. 12, non quod nullum prorsus Nu-

Digitized by Google

men agnoscerent, sed quod veri Numinis notitia destituerentur: nam qui verum Deum non habet, eo ipso nullum Deum habet, et πολυθέους est revera ἀθέους.

XIII. Si qui Atheorum apud Veteres nomine infami traducebantur, non tam omnis Numinis hostes, quam Idolorum et fictitiorum Numinum contemptores fuerunt; quod de Socrate, qui Oraculo Apollinis totius Græciæ sapientissimus judicatus est, Apuleius et Agellius testantur.

XIV. Aliud est abesse ad tempus actualem cogitationem de Deo a mente Athei, idque per negligentiam et malitiam; Aliud abesse notitiam Dei, quæ ad modum dispositionis seu habitus permanentis primitus impressi se habet, et deinde per ratiocinationem ex utroque libro Naturæ et Scripturæ efformatur: prius potest nonnunquam occurrere, sed non posterius.

XV. Ad exempla Atheorum, qui videntur omnem Numinis sensum ejerasse, ut de *Julio Cæsare Vanino* et aliis dicitur, qui ad ultimum usque vitæ halitum in sua obstinatione perstiterunt: Respondetur eos externe quidem negasse, et interne omni studio suffocare hunc sensum conatos fuisse, sed quod de eo plene persuasi fuerint constare non posse: Imo si eorum mores expendantur, non obscure deprehendi posse eos ab internis conscientiæ stimulis non fuisse immunes, quicquid externe simularent, quæsita in Atheismi pertinaci professione gloria. Nec obstat quod ad mortem usque in eo furore permanserint, quia ut profundum est et desperatum cor hominis, potuerunt hoc profiteri contra interiorem sensum et dictamen conscientiæ, ad constantiæ et fortitudinis invictæ laudem apud socios superstites reportandam.

XVI. Licet nemo sciat quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est, 1 Cor. ii. 11, non obstat quominus possimus certo statuere, neminem posse omnem sensum Numinis penitus ex corde ejicere, ut conscientiam nunquam potest exuere; quia hæc sunt principia per se nota, quæ ab hominis constitutione pendent. Ita licet aliquis protestaretur se nihil scire et nihil intelligere, se veritatem principii istius, *nihil potest simul esse et non esse*, non percipere, se nullam habere legem naturæ, nec conscientiæ accusantis aut excusantis motum; recte vanissimo illi Sceptico, mendaciter et contra internum animi sensum protestanti, universalis experientia, ratio, et Scriptura opponi possunt, ut statuamus eum quicquid dicat propriæ conscientiæ vim inferre.

QUÆSTIO III.

DE UNITATE DEI.

An Deus sit unus? Affir. c. Gentiles et Tritheitas.

I. Sententiæ de Deo ad tres præcipuas possunt revocari, ut notat Gregorius Nazianz. Orat. 35, ad ἀναρχίαν, quam urgent Athei, 2. ad πολυαρχίαν, quam retinent Ethnici. 3. ad μοναρχίαν, quam docent Christiani.

Status Quæstionis.

II. *Unum numero* bifariam dicitur, vel *affirmative* tantum, vel etiam *exclusive*. Priori modo illud unum est, quod est indivisum in se, et divisum a quolibet alio, sed præter quod alia tamen dari possunt ejusdem ordinis et naturæ; quomodo unumquodque individuum humanum est unum numero. Posteriori illud unum est quod est unicum et μοναδικόν, præter quod nullum est aliud tale,

Digitized by Google

ut Sol unus dicitur quia unicus. Non quæritur hic de Unitate Dei priori sensu, sed posteriori; quia Deus ita est unus affirmative quoad indivisionem, ut sit etiam unicus quoad cæterorum exclusionem.

III. Non quæritur de *Unitate numerica personali;* quia ut postea probabitur, plures sunt Personæ in Divinis: sed de *Unitate numerica essentiali;* Annon sit unus numero Deus quoad essentiam; quod contra πολυθεότητα Gentilium, et Tritheitarum errorem tuemur.

IV. Non quæritur, An sint multi Dii λεγομένως et secundum dici, juxta vanam et falsam hominum opinionem quæ inter gentes obtinuit. Sed, An sint plures in rei veritate et secundum esse. Non quæritur, An sint plures *participative* et improprie: Fatemur enim hoc sensu Angelos et Magistratus sæpe Deos vocari in Scriptura propter quandam participationem dominii et dignitatis, Ps. lxxxii.; Heb. ii.; Joan. x. Sed, An plures sint *proprie* et originaliter; quod negamus.

Deum Unum esse probatur a Scriptura.

V. Unum esse Deum et Scriptura passim asserit, et ratio evincit, Deut. vi. 4. *Audi Israël, Jehova Deus noster Jehova unus est;* 1 Cor. viii. 4, 5. *Nobis unus est Deus, Pater ille a quo omnia;* Gal. iii. 20. *Deus est unus;* 1 Tim. ii. 5. *Unus est Deus et unus Mediator.* Præter hunc unum plures esse, aut reperiri posse negat Moses, Deut. xxxii. 39. *Videte nunc memetipsum esse, et nullum esse Deum mecum;* et Is. xliii. 10, 11. *Ego sum Jehovah, et nullus est præter me Servator,* et xxxvii. 16, et xliv. 8.

A Ratione.

VI. Ratio etiam idem confirmat. Quia implicat dari plura infinita, æterna, omnipotentia, perfectissima, quale debet esse Deus, nec ut et plures Rectores mundi, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, unde Tertull. cont. Marcio. li. iv. *Deus si unus non est, non est:* Nam si plures essent; vel essent æquales, et sic neuter esset primus et perfectissimus; vel inæquales, et sic inferior non esset Deus; vel unus esset causa reliquorum, et sic solus esset verus Deus; vel non, et sic neuter esset Deus quia non esset causa omnium.

VII. Nec hoc ipsis Ethnicis penitus ignotum fuit, quando mundi gubernacula uni summo Deo tradiderunt, quem *Patrem hominum Deorumque* vocant, cui quum cæteros subjiciunt, et ab eo volunt esse ortos, illos ipsos quos Deos nuncupant divinitate exuunt. Hinc Hermes Trismegistus Philosophorum parens, in Poema. c. 2, 3, 4, et alibi, unum Deum, unam unitatem, omnium quæ sunt radicem esse statuit, ἡ μονὰς, inquit, πάντων ἀρχὴ καὶ ῥίζα. Pythagoras, referente Cicerone et Plutarcho, *Deus est unus, non ut plurimi censent extra administrationem mundi, sed totus in toto.* Orpheus qui primus, si Justino credimus, πολυθεότητος fuit author, quia nomina et genus Deorum primus edidit, unum tamen Deum agnoscit apud Clem. in protrep.

Εἷς δ' ὁς αὐτογενὴς, ἑνὸς ἴκγονα πάντα τέτυκται.

Idem saniores ex Gentilibus sentiunt, Plato, Aristoteles, Epictetus, Cicero, Seneca, et alii quorum testimonia vide apud Plessæ. de Relig. Christ. c. 3. et apud Justinum, Tertul., Clementem Alex., Lactantium, Arnobium, Augustinum, et alios ex Veteribus, qui Dei unitatem adversus Ethnicos fuse probant.

Fontes Solutionum.

VIII. Varietas nominum et Attributorum divinorum, non arguit pluralitatem Deorum; quia unius Dei perfectioni connotandæ adhibentur, ut per plures conceptus inadæquatos capiamus utcunque, quod per unicum adæquatum non possumus.

IX. Licet plures dentur in Deo Personæ, non dantur tamen plures na-

Digitized by Google

turæ; quia participant omnes unam eandemque naturam infinitam, non per divisionem, sed per communicationem. Nec si tres Personæ in humanis dicunt tres homines, debebunt tres inferre Deos tres Personæ in divinis; Vel Unitas Essentiæ divinæ unitatem etiam Personæ inducere, ut vellet Socinus; quia trium personarum humanarum tres sunt essentiæ singulares distinctæ numero, siquidem essentiam singularem finitam eorum una etiam subsistentia exhaurit et terminat; sed trium Personarum divinarum unica est essentia individua et singularis, quæ ut est infinita pluribus est communicabilis.

X. Πολυθεότης et Αθεότης ejusdem insaniæ fœtus merito censentur: unde Apostolus Gentiles vocat ἀθέους, quia erant πολύθεοι, Eph. ii. 12, nam qui unicum Deum non habet, Deum nullum habet, quia vero destituitur.

XI. Si quæritur; cum ratio et natura nos ad unum Deum ducant, unde πολυθεισμὸς Gentilium oriri potuerit, qui pro uno Deo δῆμον θεῶν, ut loquitur Nazian. (Serm. de natal. Christi) coluerunt.

Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile signant
Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammas;

ut canit de illis Prudentius. Hesiodus triginta millia Deorum fuisse notat;

Τρεῖς γαρ μύριοι εἰσιν ἐπι χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Αθάνατοι ——.

Causæ variæ reddi possunt. Præcipua est oblivio veri Dei, et hominis necessitas; homo enim necessitate sua pressus undequaque auxiliatores quærit, ideo multos sibi facit Deos, quod Plini. cap. 2, eleganter explicat; *Fragilis et laboriosa mortalitas in partes ista digessit infirmitatis suæ memor, ut portionibus quisque coleret, quo maxime indigeret.* Ut ergo multiplici premebantur necessitate, multiplices quæsiverunt Deos qui illis mederentur, quasi unus summus Deus omnia non posset.

XII. Secundo; Veneratio et cultus eorum qui humanum genus beneficiis quibusdam insignibus erant prosecuti, multitudinem Deorum invexit. Nam illi qui vel præclaris facinoribus illustres essent, vel qui beneficiis quibusdam eximiis commendabiles sese præstitissent, sive quia nobili reperto profuissent generi humano, sive quia rem bello præclare gessissent, sive quoniam gentis vel urbium essent conditores, in Deorum numerum referebantur. Unde Cicero, lib. ii. de Nat. Deor. *Suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama et voluntate tollerent: hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber* &c.; quod et Plini. lib. ii. c. 7. observat, *Hic est vetustissimus referendi gratiam bene merentibus mos, ut tales Numinibus adscribantur; quippe et omnium aliorum Deorum nomina, et quæ supra sidera relata ex hominum nata sunt meritis:* Quæ Tertull. (ad gentes c. 10 et 11,) Minucius in Octavio, Lactantius, et Arnobius fuse ostendunt; Deos scilicet qui majori in pretio habebantur apud Ethnicos, nihil aliud quam homines fuisse. Et si penitius rem scrutamur, facile deprehendimus Philosophos et Poëtas pleraque ex istis ab Hebræis fuisse mutuatos; sed ita interpolata astu Satanæ et fabulis involuta, ut ad investigandas aliquot auri micas ingens stercoris acervus commovendus sit. Exemplum nobis esto Saturnus cum filiis suis tribus, imperium orbis inter se partientibus; in quibus Viri Docti pridem observarunt latere Noachum et tres ejus filios, ut solide probant Bochartus et Vossius.

XIII. Tertio, Polytheismi occasio fuit inter alias, non modo nominum

Digitized by Google

divinorum multitudo, sed præcipue attributorum et operum Dei varietas et copia, quibus homines ad plures Deos cogitandos sensim inducti, tot ac tantas perfectiones divisas in pluribus potius, quam in uno copulatas quæsiverunt.

www.libtool.com.cn

QUÆSTIO IV.

DE NOMINE JEHOVAH.

An ita soli Deo sit proprium, ut sit incommunicabile Creaturis? Aff. contra Socini.

I. Licet Deus qui est et Ens singularissimum, et natura sua a re qualibet distinctum, nomine discretivo non egeat; Nec nomen proprie in Deum cadat, vel appellativum quod est distinctarum specierum ejusdem generis, vel proprium quod est discretivum individuorum ejusdem speciei; unde Trismegistus (apud Lactan. lib. i. c. vi.) Deum dicit *ἀνώνυμον*: Quia tamen omnis nostra cognitio incipit a nomine, varia solet nomina assumere in Scriptura, ut se nobis accommodet. Quædam petuntur a fortitudine ut El, Elohim; quædam ab omnipotentia et sufficientia, ut Schaddai; quædam ab excelsitate ut Elion; quædam a dominio, ut Adonai; sed omnium primum et præcipuum est Jehova, quod ab essendo vel existendo deducitur.

Status Quæstionis.

II. De hoc nomine duæ præcipuæ sunt quæstiones: Alia grammaticalis de ejus *pronunciatione*; An pronunciari possit, et quænam vera sit et genuina ejus pronunciandi ratio, An per Jehovah, An per Adonai: Alia Theologica de ejus *usu*; An soli Deo sit proprium, An vero etiam creaturis commune sit: Nos hic missa prima questione quam Criticis relinquimus, de posteriori tantum agimus.

III. Quæstio hæc nobis intercedit cum Socinianis, qui ut argumentum quod petere solemus ad Divinitatem Christi asserendam ex hoc nomine eludant, pertendunt nomen hoc Creaturis variis posse communicari, et solere tribui in Scriptura Angelis et Christo qua Legatis Dei; supponentes pro regula indubitatæ veritatis *Legatum posse nomen et personam ablegantis gerere:* Discrimen tamen aliquod statuunt, nimirum si nomen Jehova ponatur cum adjectione vocis Zebaoth, soli Deo proprium esse; sin autem absque ea etiam Creaturis commune esse. Nos vero nomen hoc ita proprium esse Deo dicimus, ut Creaturis plane sit incommunicabile. Verum est dari etiam inter ipsos Orthodoxos aliquam circa usum nominis istius discrepantiam, sed potius verbalem quam realem; dum quidam nulli personæ creatæ competere fatentur, sed usurpari tamen respectu Arcæ fœderis per metony. adjuncti; alii nulli prorsus Creaturæ tribui et convenire volunt: sed consentiunt omnes, nomen hoc absolute et sine tropo acceptum soli Deo proprium esse. Nihilominus posterior sententia verior videtur, et tutior ad Socinianorum errorem jugulandum.

IV. Rationes sunt, 1. Quia Deus hoc nomen tanquam suum et proprium sibi vindicat, *Ego sum Jehovah, hoc est nomen meum; non dabo gloriam meam alteri*, Is. xlii. 8, et xlviii. 2; Amos, v. 8, et ix. 6. Unde Exod. xv. 3, Israël canit, *Jehovah nomen ejus:* hinc Judæi vocant absolute השם *nomen*, שם העצם, *nomen substantiæ*, שם המפרש המיוחד, *nomen proprium et separatum.*

V. Quia etymon et significatio vocis talis est, ut soli Deo conveniat: Ex Scriptura patet nomen hoc tria potissimum inferre quæ conjungi vi-

Digitized by Google

dentur, Isa. xliv. 24, 25, 26. 1. *Æternitatem* Dei et *independentiam*, quatenus Deus est Ens necessarium quod per seipsum existit independenter a quovis alio, *αὐτοῦν*, Exod. iii. 14, *sum qui sum;* unde vocatur simpliciter *ὁ ὤν* ut veteres Philosophi et Plato inprimis agnoverunt; et Joh. in Apoc. i. 4, describit per tres temporis differentias *ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος;* quo pertinet illud veterum Ethnicorum *ζεὺς ἦν, ζεὺς ἐστὶ, ζεὺς ἔσσεται ὦ μεγάλε ζεῦ*; 2. *Causalitatem et efficaciam*, quia quod est primum et perfectissimum in unoquoque genere est causa reliquorum, quia Deus est per seipsum, ut omnibus aliis sit causa essendi, Isa. xliv. 24. 3. *Immutabilitatem et Constantiam in promissis*, quia præstat revera et facit id quod promisit, dando promissis suis *τὸ εἶναι*, non solum *αὐτοῦν*, sed et *αὐτοῦν* et *αὐτουσιοῦς*: quo sensu Exod. vi. 3, dicit se non innotuisse Patribus sub nomine Jehovæ, non quoad vocem significantem, nam contrarium patet ex libro Geneseos; sed rei significatæ respectu, quia nondum dederat esse promissionibus suis de multiplicatione seminis, eductione populi ex Ægypto, introductione in Canaan, &c.: patefecerat se Patribus per potentiam in creatione Mundi, in ejusdem gubernatione, et collatione multorum beneficiorum ac mirabili defensione; sed nondum declaraverat reipsa se esse Jehovam, implendo promissiones Patribus datas. Cum vero æterna existentia, virtus omnipotens, et immutabilis veritas soli Deo conveniant; Nomen Jehovæ quod tria ista complectitur, soli Deo debet esse proprium.

VI. Nomen Jehova per naturam suam sive constructionem grammaticam non potest esse pluribus commune, quia per se est Individuale, nec unquam legitur cum ה emphatico, aut demonstrativo. 2. semper numero singulari, nunquam autem plurali usurpatur. 3. nullibi legitur cum affixo aut in statu constructo; cum ergo Deo tribuatur, illi debet esse proprium.

Fontes Solutionum.

VII. Sicubi hoc nomen tribuitur Angelo, ut Gen. xvi. xviii. xlviii; Exod. iii. 2, &c. *Angelus increatus* intelligitur, non creatus, Filius scilicet Dei qui est Angelus faciei, qui in præludium suæ Incarnationis sæpe ita apparuit, ut ex circumstantiis locorum patet; ubi proprietates, opera, et honor Dei Angelo illi tribuuntur: Gen. xvi. 10, effectum divinum sibi tribuit *multiplicare semen;* v. 13, vocatur *Deus visionis*. Gen. xviii. Angelus increatus designatur, 1. *Nomine*, quia unus tantum ex tribus Angelis qui apparent vocatur Jehova. 2. ex *Proprietatibus* divinis, quum sibi tribuit omnipotentiam, et omniscientiam, prænunciat futura, v. 10 et 14, vocatur Judex totius terræ, v. 25. 3. ex *Honore*, quia Abraham illum adorat; nec tamen Angelus recusat, quod tamen fecisset, si fuisset creatus, ut Apoc. xix. Gen. xlviii. Angelus dicitur liberasse Jacobum ab omni malo, quod solius Dei est, et ab ipso benedictionem petiit quam neme nisi Deus dare potest. Exod iii. Angelus qui apparet Mosi vocatur subinde Elohim et Adonai, dicitur misisse Mosem, c. iv. v. et esse Deus Abrahami, Isaaci et Jacobi qui audivit clamorem populi.

VIII. Non semper Angelus Jehovæ a Jehova, ut missus a mittente, distinguitur essentialiter, sed tantum personaliter; ut qui est Angelus Jehovæ sit etiam Angelus Jehova.

IX. Aliud est aliquid agere ex Dei authoritate, quod Angelo creato convenit; Aliud Dei authoritatem habere, et nomen ejus sibi vindicare, quod nemini nisi Deo vero et æterno competit. Apparitor aut Legatus Principis, agit ex authoritate Principis et ejus nomine, sed non tamen titulos Principis sibi assumit, vel se Regem aut Principem vocari patitur. Ita nunquam Angelus creatus ita assumit Dei personam, ut quodlibet ejus nomen, vel sibi tribuat, vel ab aliis sibi deferri patiatur.

X. Quum Apostolus Heb. xiii. 2. hospitalitatem commendat ex eo

Digitized by Google

quod per eam Angeli hospitio fuerint aliquando excepti, non respicit ad apparitionem factam Abrahamo, Gen. xviii. sed ad eam quæ contigit Lotho, Gen. xix. ubi duo tantum erant Angeli creati: Tertius qui erat increatus mansit cum Abrahamo ut colloqueretur cum ipso, et occurrit postea Lotho Sodoma exeunti: illum ideo tanquam Jehovam compellat, v. 24.

XI. Summus Deus non potest mitti per imperium, sed per consensum, Nec ἀνύπαρκτον est, esse *Angelum Jehovæ*, et esse *Jehovam;* quia quoad prius, Jehova sumitur *hypostatice*, quoad posterius vero, *essentialiter;* potest a Deo Patre mitti Filius ejus, qui sit ipse idem cum Patre Deus.

XII. Angelus de quo Moses loquitur, Exod. xxiii. 20, non potest esse Creatura, quia Deus jubet illi obtemperare, et illum non exacerbare, eo quod peccata hominum sit ulturus, et nomen ipsius in eo sit, quod longe amplius sonat, quam esse instructum authoritate Dei: alias de Mose, et quolibet gregario Propheta æque dici posset, quod nomen Dei in ipso est; quod nuspiam dicitur.

XIII. Aliud est esse et vocari Jehovam; Aliud Jehovam alicubi esse et habitare: posterius dicitur de Ecclesia, Ezech. xlviii. 35, quum vocanda dicitur isto nomine יהוה שמה *Jehova est ibi;* Non prius.

XIV. Aliud est symbolum inscribere Altari; Aliud vero Altari nomen aliquod tribuere. Prius dicitur, Exod. xvii. 15, ubi notatur titulus et inscriptio Altaris, *Jehova vexillum meum*, supple *est*, quomodo Palatiis et Templis sententiæ solent quædam inscribi; sed non posterius.

XV. Aliud est Arcam fœderis vocari Jehovam; Aliud Deum cujus præsentiæ Arca erat symbolum et pignus: posterius dicitur, Ps. xxiv. 7, et xlvii. 6, non prius; Ita quod solebat dici, quum attollebatur vel deponebatur Arca, Ps. lxviii. 1. *Surge Domine, et dispergentur inimici tui*, non dirigebatur ad Arcam ipsam, quæ illius cultus capax non erat; sed ad Deum in Arca adumbratum, cujus erat inimicos suos dispergere.

XVI. Non dicitur, Jer. xxxiii. 16, quod Jerosolyma sit vocanda Jehova justitia nostra; sed docet Propheta, Eum qui vocaturus erat Jerosolymam ad salutem, fore Jehovam justitiam nostram, ut fundamentum ejus fidei et spei denotet. Nec excipi debet Jerosolymam non minus posse vocari Jehovam, quam Ecclesia dicitur Christus, 1 Cor. xii. 27. Nam nomen Christi commune est multis, a quo fideles vocantur Christiani propter similitudinem unctionis, 1 Joh. ii. 20, sed non est eadem ratio nominis Jehovæ, quod singulare est et Deo soli proprium.

XVII. Licet vox Κυρίου dum sumitur appellative, pluribus sit communis, tamen quum sumitur absolute, prout respondet Jehovæ, non secus ac si nomen proprium esset, quomodo LXX. et post eos Apostoli reddunt יהוה per Κύριος, quia nullum aliud commodius vocabulum occurrebat, quamvis emphasim vocis non plane exprimat, nemini nisi soli Deo potest tribui.

XVIII. Quamvis Deus nos allocutus sit per Filium, ut ἔσχατον novissimis temporibus, Heb. i. 2; non obstat hoc tamen quominus Patres allocutus jam sit per ipsum, ut ἄπαξ: alias falsum esset quod dicitur heri et hodie idem, Heb. xiii. quod tentatus fuerit ab Israëlitis in deserto, 1 Cor. x. 9, quod Lex data fuerit *in manu Mediatoris*, Gal. iii. 19, et quod allocutus sit Mosem, et dederit illi λόγια ζῶντα, Act. vii. 38. Itaque in Legis promulgatione distinguendus est *primarius Legislator*, qui fuit Christus Angelus fœderis, de quo Act. vii. 31, qui Mosi in rubo apparuerat, et cui propterea opera et honores divini tribuuntur, ab *Apparitoribus* qui subservierunt tanquam ministri: hoc sensu *Lex data* dicitur *per Angelos*, Gal. iii. 19, Heb. ii. 2, quia eorum ministerio Christus est usus, sive in

Digitized by Google

apparatu magnifico instituendo in monte per tonitrua et ignem et sonitum tubæ, sive in formandis ipsis vocibus; unde Angeli dicuntur numero plurali, cum Angelus, qui Jehova etiam dicitur, ubique numero singulari appelletur. Comparatio quæ instituitur, Heb. ii. 2, inter Legem et Evangelium, eo quod Lex data sit per Angelos, Evangelium vero per Filium; non fit simpliciter respectu primarii authoris, qui fuit utrobique Christus; sed ratione modi agendi, et ministrorum, quia in illa Deus uti voluit ministerio Angelorum, in isto vero Christus ipse incarnatus loqui voluit immediate. Ut ergo discrimen est inter ea quæ Princeps facit per se et immediate, et quæ præstat per ministros suos; Ita Evangelium præstantius hoc sensu dicitur, quia Christus ἐνεργεῖ immediate illud promulgavit, et per se nos alloquitur, cum Legem per Mosem et Angelos dare nobis voluerit.

XIX. Dici non potest nomen Jehovæ tribui, vel Vitulo aureo, Exod. xxxii. 5, vel Idolo Micæ, Judi. xvii. 3, quia utrobique id nomen vero Deo tribuitur; Illic quidem, quia Aaron promulgat festum celebrandum Jehovæ per Vitulum, quod esset symbolum veri Dei juxta morem Ægyptiorum, apud quos Apis colebatur sub forma bovis, unde ver. 4, dicuntur Dii qui eduxerunt populum ex Ægypto; Hic vero, quia argentum, unde idolum factum est, dicitur sanctificatum Jehovæ v. 3, scilicet ratione finis, id. ad cultum ejus.

QUÆSTIO V.

An Proprietates Divinæ distinguantur realiter ab Essentia Divina?
Neg. contra Socinianos.

Quid sint Attributa divina.

I. Ad intelligentiam Quæstionis, quædam de Attributis Divinis sunt præmittenda. *Attributa Divina* vocantur Proprietates essentiales quibus se nobis infirmis cognoscendum præbet et distinguitur a Creaturis, sive quæ ipsi tribuuntur pro captus nostri modulo ad naturam ejus explicandam.

II. Non tribuuntur *Attributa* proprie Deo, ut aliquid ἐνυπάρξις, quod accidentale est subjecto, quod illud perficit, et quod realiter est ab ipso distinctum; sed *improprie* et transumptive, quatenus dicunt Perfectiones essentiales Naturæ Divinæ, quæ per modum Proprietatum a nobis concipiuntur.

III. Licet singula Attributa fœcundissimam et simplicissimam Dei naturam repræsentent; non possunt tamen nisi inadæquate eam repræsentare, id. non secundum totam rationem sui, sed modo sub hac perfectione, modo sub alia; quia quod uno conceptu adæquato, utpote finito, non possumus assequi, in varios conceptus inadæquatos partimur, ut aliqualem cognitionem ejus habeamus; quod non est testimonium erroris in intellectu, sed tantum imperfectionis. Sic Omnipotentia est ipsa Essentia divina apprehensa, ut carens omni obstaculo in agendo; Æternitas est essentia Dei, ut carens omni termino in duratione; et sic de cæteris.

IV. Inadæquati illi conceptus Essentiæ Dei nobis objiciuntur per *abstractionem præcisivam*, seu per præcisionem simplicem et negativam, ut de bonitate cogitem non cogitando de potentia; sed non per *præcisionem exclusivam* seu privativam, ut v. g. asseram esse omnipotentem, qui nec sit misericors nec justus.

Digitized by Google

Status Quæstionis.

V. Quæstio de distinctione Attributorum ab Essentia Divina movetur nobis a Socinianis; qui ut facilius probent Spiritum S. non esse Deum, aut Personam divinam, etsi vocetur virtus Dei, volunt Attributa Dei ab essentia realiter distingui. Orthodoxi docent Attributa *realiter* idem esse cum ipsa essentia Dei; distingui vero ab ea *virtualiter*, et eminenter.

VI. *Realiter* illa *differre* dicuntur, quæ distinguuntur ut res *diversæ* secundum essentiam, sive subjecto conveniant sive non; *Virtualiter* vero *distingui* nihil aliud est, quam vel virtute continere distinctos effectus, vel unite in se habere quæ in aliis distincta sunt, vel habere eminentem virtutem, quæ possit esse principium diversarum actionum; Ita fundamentum ejus potest esse non intrinsecum, sed extrinsecum; non a parte principii, vel subjecti, sed ratione *termini* et *objecti*, propter diversitatem operationum et effectorum quæ a proprietatibus oriuntur, et secundum quæ diversi conceptus formales ipsarum formantur.

VII. Attributa Dei non possunt realiter differre ab Essentia, vel inter se, tanquam res et res; quia Deus est summe simplex et perfectus: Jam realis distinctio præsupponit res essentia diversas, quod respuit summa simplicitas; et quæ realiter diversa sunt, nonnisi per aggregationem fiunt unum, quod absolutæ perfectioni adversatur. Deinde si differrent realiter, perficeretur essentia per aliquid realiter a se distinctum, atque adeo in se summe perfecta non foret. Tertio, quia sequeretur Deum non esse prorsus immutabilem, quia haberet in se potentiam passivam, radicem mutabilitatis, per quam Attributa vel elicerentur ex essentia, vel illi adjungerentur. At cum Deus sit Ens primum et independens, quod est quicquid esse potest, nihil potest ei accidere, vel ab eodem auferri.

VIII. Differre tamen Attributa Dei tum ab Essentia, tum a se invicem, patet ex diversitate conceptuum. Nam ubi est ratio fundandi distinctos conceptus formales de re aliqua licet una et simplici a parte rei, ibi necesse est distinctionem aliquam virtualem et eminentem dari. Cum ergo in Divina Essentia simplicissima sit ratio fundandi diversos conceptus formales de divinis perfectionibus, quod patet ex eorum distincta definitione et explicatione, optime dicitur Attributa ista quæ tales conceptus fundant, distingui tum ab Essentia tum inter se virtualiter.

IX. Licet Attributa sint essentialiter et intrinsece unum in Deo, tamen bene distingui dicuntur, tum κατὰ τὸ σημαινόμενον quoad conceptum formalem diversum, tum *objective* et *effective* quoad varia objecta et effecta externa; unde patet distinctionem illam, nec esse *realem* simpliciter inter res et res, nec *formalem*, quæ sit tantum ratione modi nostri concipiendi, sed *eminentem*, quæ licet non se teneat a parte rei ut inter rem et rem, habet tamen fundamentum in re propter diversitatem objectorum et effectuum.

Fontes Solutionum.

X. Licet varii sint conceptus formales nostri de Essentia Dei, et ejus Proprietatibus, non possunt tamen dici falsi, quia illis respondent totidem conceptus objectivi, actu quidem indivisi in Deo, propter summam ejus simplicitatem; sed virtute tamen et eminenter distincti.

XI. Attributa de se invicem possunt prædicari in *sensu identico*, quatenus considerantur ut unitatem et identitatem inter se habentia; ut quum dico, Intellectus divinus est res eadem cum Voluntate, vel Justitia est eadem res cum Misericordia; sed non in *sensu formali*, quia nostris conceptibus, et objectis suis formaliter distinguuntur: sic non possum dicere Justitia est Misericordia, quia conceptus formalis Justitiæ differt a conceptu formali Misericordiæ.

Digitized by Google

XII. Qui quod actu in Deo et realiter unum est et simplex, concipit tanquam actu et realiter diversa, is falsum concipit; sed qui concipit illud quod unum est actu in se, tanquam plura virtualiter et extrinsece seu objective, is falsum non concipit; sed imperfecte et inadæquate rem concipit propter imbecillitatem intellectus humani, et eminentiam ac perfectionem Naturæ Divinæ.

XIII. Attributa Divina considerantur, vel absolute et subjective in se et a parte Dei, vel relate quoad effecta circa Creaturas, et a parte objecti. Fateor posteriori modo Justitiam punientem et Misericordiam parcentem, esse oppositas; sed non priori, de quo quæritur.

XIV. Proprietates sunt *multæ* ex parte *objecti* et *termini*, seu operationum et effectuum; sed non ex parte subjecti vel principii, quod unum est et summe simplex.

XV. Ubi datur prius et posterius quoad esse absolutum et reale, ibi est discrimen reale; sed non ubi est tantum prius et posterius quoad esse cognitum et intelligibile; quod datur in Deo et Attributis ejus.

XVI. Alia est definitio rei in se; Alia conceptuum nostrorum de re: Illa, non hæc, arguit distinctionem realem. Definitiones autem Proprietatum Divinarum sunt potius conceptuum nostrorum, Deum sub hac et illa ratione concipientium, quam de re ipsa, quæ una est et simplicissima.

QUÆSTIO VI.

An Attributa bene distinguantur in Communicabilia et Incommunicabilia? Affirm.

I. Inter varias Attributorum Divinorum distinctiones, nulla frequentius occurrit ea, qua distribuuntur in Communicabilia et Incommunicabilia, de qua, quia non pariter ab omnibus recipitur, paucis dicendum est.

Attributa communicabilia et incommunicabilia.

II. Ad distinctionis intelligentiam; Nota *Communicationem* duplicem esse; aliam *essentialem et formalem* per intrinsecum esse rei, aliam *similitudinarem et analogicam* respectu effectorum et operum. Quoad priorem, dicimus omnes Proprietates Dei esse pariter incommunicabiles, quæ non magis communicari possunt quam Essentia Divina; alias desinerent esse proprietates: sed posteriorem dari posse fatemur, quum Deus in Creaturis, maxime rationalibus, effecta analoga proprietatibus suis producit, ut bonitatem, justitiam, sapientiam, &c.

III. Hoc sensu recte dici possunt *Incommunicabilia* stricte et omni modo ea Attributa, quæ ita Deo sunt propria, ut eorum nihil simile vel analogum, vel nulla imago et vestigium in creaturis reperiri possit; qualia sunt Attributa negativa, quæ omnem a Deo Creaturarum imperfectionem removent, ut Infinitas, Immensitas, Æternitas, quæ talia sunt, ut vel eorum carentia, vel contrarium omni insit creaturæ. Alia vero *Communicabilia* non male dicuntur, quorum similitudo, vel subobscura quædam vestigia in Creaturis deprehenduntur, et per simplicem analogiam nominis et effectuum; talia sunt Affirmativa, quæ per viam eminentiæ vel causalitatis Deo tribuuntur.

IV. Attributa Communicabilia de Deo et de Creaturis non dicuntur *univoce*, quia non est una ratio, quemadmodum in simpliciter univocis quæ nomine et definitione conveniunt; nec *æquivoce*, quia non est ratio totaliter

Digitized by Google

diversa, sicut in meris æquivocis, quæ nomine tantum conveniunt; sed *analogice*, per analogiam tum *similitudinis*, tum *attributionis*; Illa est, quum res eodem nomine appellantur propter quandam, quam inter se habent similitudinem; Ista, quum nomen unum ita pluribus tribuitur, ut de uno primario et principaliter sive per prius dicatur, de aliis vero secundario et per posterius propter dependentiam ab illo primo. Sic Attributa ista prædicantur de Deo *essentialiter*, et modo plane singulari, id. infinite et perfectissime, atque adeo etiam in abstracto, quo sensu Deus solus bonus dicitur, Matt. xix. 17, id. *originaliter*, *independenter*, *essentialiter*; Sed de creaturis tantum *secundario*, *accidentaliter*, *et participative*.

V. *Participes* dicuntur *fideles naturæ divinæ*, 2 Pet. i. 4, non univoce per participationem formalem essentiæ divinæ, sed tantum analogice per beneficium regenerationis, quæ characteres sanctitatis et justitiæ quæ maxime proprie Deo competit ipsis imprimit, quum renovantur ad imaginem Creatoris sui, Col. iii. 10. Sic intelligendum est quod sæpius apud Patres legitur, quum hominem regenitum dicunt θεοῦσθαι, et fieri θεοειδῆ *Deo conformem*; non essentialiter, quod de solo Filio dicitur; sed analogice.

VI. Quod quædam attributa communicabilia et incommunicabilia dicuntur, nullam proprietatum divinarum inæqualitatem arguit, quasi aliæ aliis magis sint Deo propriæ; quia omnes ex æquo essentialiter illi competunt; sed hoc bonitatem et gloriam Dei commendat, quia in creaturas suas aliquam virtutum suarum similitudinem et ἀπεικασμάτων exprimere voluit.

VII. Distinctio illa non potest favere errori eorum, qui proprietates divinas Naturæ humanæ Christi communicatas esse pertendunt, quia ut suo loco videbitur, alia est *communicatio in concreto*, resp. personæ, quam in Christo agnoscimus; alia *communicatio in abstracto*, resp. naturæ, quam negamus. Alia est *communicatio formalis et intransitiva*, per transfusionem earundem proprietatum quæ sunt in Deo, in naturam humanam Christi; quam rejicimus; Alia *transitiva et effectiva* per analogiam, quam in Creaturis rationalibus resp. attributorum affirmativorum dari statuimus.

QUÆSTIO VII.

DE SIMPLICITATE DEI.

An Deus sit Simplicissimus, et omnis Compositionis expers? Affir. contra Socin. et Vorstium.

I. Sociniani litem hanc nobis movent, dum Simplicitatem Deo secundum Scripturam tribui posse negant, et ex attributorum divinorum numero expungendam censent, *Catech. Racov.* c. 1, non alium in finem, quam ut compositam statuendo Dei essentiam, mysterium Trinitatis facilius labefactent. *Vorstius* hunc etiam errorem cum variis aliis retinuit, et interpolavit, Tractat. de Deo, et notis ad Disp. 3, de natura Dei. Ad quos etiam accedunt *Remonstrantes*, qui in Apologia sua negant simplicitatem Dei esse creditu necessariam, vel quicquam de ea haberi in Scriptura, sed totam doctrinam esse metaphysicam, sive vocem sive rem spectes. Orthodoxi vero constanter hactenus docuerunt Dei essentiam esse summe simplicem et omnis compositionis expertem.

II. *Simplex* bifariam dicitur, vel *absolute* et *simpliciter*, vel *secundum quid* et *comparate*. *Absolute* tale est, quod in omni Entis genere excludit

Digitized by Google

compositionem; *Comparate*, quod tantum respectu cujusdam; ut Cœlum et Elementa vocantur corpora simplicia respectu mixtorum, sed non excludunt compositionem ex materia et forma et partibus quantitativis; Angeli et animæ sunt simplices respectu Corporum, sed nec absolute tales sunt, quia compositionem multiplicem semper involvunt. Hic agitur de Simplicitate absoluta, et non comparata.

III. *Simplicitas* Dei, quatenus non *moraliter*, sed *physice* sumitur, est Attributum ejus incommunicabile, per quod Natura Divina a nobis concipitur, non solum ut expers omnis compositionis et divisionis, sed etiam incapax componibilitatis et divisibilitatis.

Deum esse simplicissimum probatur.

IV. Hanc Deo competere patet, 1. Ab ejus *independentia;* quia compositio est de ratione formali Entis orti et dependentis, siquidem nihil a seipso componi potest, sed quicquid componitur ab alio componatur necesse est; At Deus est Ens primum et independens, quod nullum se prius agnoscit. 2. Ab ejus *unitate*, quia qui est absolute unus, est etiam absolute simplex, quique ideo dividi nequit, vel componi. 3. Ab ejus *perfectione*, quia compositio imperfectionem infert, quatenus supponit potentiam passivam, dependentiam et mutabilitatem. 4. Ab *actuositate*, quia Deus est actus purissimus qui nullam habet potentiam admixtam, quique ideo omnem compositionem respuit; quia in Deo nihil est quod perfici egeat, aut ab alio perfectionem sumat, sed est quicquid esse potest, nec potest esse aliud quam quod est. Unde non tantum nominibus concretis, sed etiam abstractis solet describi, Vitæ, Lucis, Veritatis, &c.

V. A *remotione omnium specierum compositionis:* qualis est *Physica* ex *materia* et *forma*, cum sit incorporeus; aut ex *partibus quantitativis*, quæ in Deum non cadunt; aut ex *subjecto* et *accidente*, quia perfectissimo nihil accidere potest quo ulterius perficiatur: *Logica* ex *genere et differentia*, quia Deus est supra omne genus, nec in eo datur natura communis quæ per differentiam restringatur: *Metaphysica* ex *actu et potentia*, cum sit actus purus et mutationis proprie dictæ nescius, cui nihil de novò accidere potest aut ab eo recipi: Ex *essentia et existentia*, ut in rebus creatis, in quibus alia est essentiæ ratio, alia existentiæ; essentia quippe earum potest concipi sine existentia, nec existentia ingreditur earum definitionem, quia possunt esse et non esse, et existentia earum respectu est aliquid contingens non necessarium; Nam in Deo essentia non potest concipi absque existentia et repugnat concipere Deum qui non existat: Unde Philosophi vocant eum Ens per essentiam, id. quod vi suæ essentiæ existit et de cujus essentiæ ratione est ut semper existat: Et hac de causa Deus se *Jehovam* vocat, *illum* scil. *qui est*, אהיה אשר אהיה, *Ego sum qui sum*, ut notet *esse* illi convenire longe alia ratione, quam rebus omnibus creatis, non participative et contingenter, sed necessario, proprie, ac independenter. Denique ex *natura et subsistentia;* nam personæ et essentia non se habent, ut extrema componentia realia ex quibus tertium quid exurgat, ut in humanis, ex natura hominis et subsistentia Petri sit suppositum illud quod vocamus Petrum; alias non Trinitas, sed quaternitas quædam in Deo concipienda esset; nec modorum, quales sunt subsistentiæ, est componere, sed tantum modificare.

VI. Ut autem Deus omnem compositionem in se respuit; Ita Simplicitas ejus obstat etiam ne in compositionem veniat cum ullis rebus creatis, ut rationem habeat partis alicujus vel materiæ aut formæ, contra quam olim Platonici Deum esse animam mundi volebant, et Manichæi creaturas omnes ex Dei essentia ceu traduce quodam propagatas esse pertendebant;

Digitized by Google

tum quia diversissimus est a Creaturis, tum quia est immutabilis et incorruptibilis, qui non potest cum ulla re creata mutabili et corruptibili coalescere in unum: quia omnis compositio infert mutationem, per quam res fit pars totius, quod antea non erat.

Fontes Solutionum.

VII. Si *omnia* dicuntur *esse ex Deo*, Rom. xi. 36, hoc non ὑλικῶς et *materialiter* sed δημιουργικῶς et *efficienter* intelligendum est. *Genus et progenies Dei* dicimur, Act. xvii. 28, non participatione ejusdem essentiæ, sed similitudine imaginis, *efficienter* non *essentialiter*, quomodo etiam vocatur *Pater Spirituum*, Heb. xii. 9, respectu creationis non compositionis. Filius Dei est ὑπόστασις, non per compositionem proprie dictam, sed per unionem hypostaticam; per quam λόγος quidem assumpsit naturam humanam in unam hypostasim, sed non compositus est cum ea tanquam pars cum parte; sed ad eam se habet ut perficiens et sustentans, ad adjunctum aliquod essentiale perficiendum et sustentandum, ita ut perficiatur quidem inde natura humana, sed nihil propterea accedat naturæ divinæ.

VIII. In quo sunt plura entia realia, in eo est compositio, sed non ubi sunt tantum plures modi, quia modi modificant tantum, et characterisant essentiam, non componunt. At in divinis datur una essentia et tres hypostases, quæ sunt modi qui distinguunt quidem personas ab invicem, sed non componunt, quia non sunt entia realia quæ concurrant ad compositionem alicujus quarti, cum unam habeant communem essentiam, sed tantum modificationes, secundum quas essentia in tribus Personis subsistere concipitur.

IX. Simplicitas et Triplicitas ita sibi opponuntur, ut non possint simul subsistere; sed non Simplicitas et Trinitas, quia diverso respectu dicuntur: Simplicitas respectu Essentiæ, Trinitas vero respectu Personarum, quo sensu nihil obstat Deum, qui unus est essentia, esse trinum Personis.

X. Decreta Dei possunt spectari bifariam; vel *subjective*, si fas sit ita loqui, id. a *parte actus interni*, in se, et per modum absoluti; vel *objective* extrinsece et relative respectu Creaturarum per modum respectivi: priori modo non differunt ab ipso Deo, et nihil aliud sunt quam Deus ipse decernens; sed posteriori differunt; quia ut multiplicia concipiuntur, non a parte rei, siquidem omnia unico et simplicissimo actu decernit Deus, sed a parte objectorum; ut Scientia Dei circa objecta innumera versatur, citra unitatis suæ detrimentum.

XI. Ita *Decreta* Dei *libera* sunt, non absolute et a parte principii, sed relate et *objective* a parte *termini*; quia nullum objectum externum esse potuit quod necessario terminaret volitionem divinam: Deus enim nulla re extra se indiguit; itaque potuerunt esse et non esse; sed hoc non obstat, quominus respectu principii et actus interni necessaria dicantur, quia actus intellectionis et volitionis non potuit a Deo omnino abesse; non potuit enim Deus esse, quin intelligeret et vellet; *necessaria* ergo sunt quoad *existentiam* internam, sed *libera* quoad σχέσιν et *habitudinem ad extra*; nec Volitio Dei dicitur desinere absolute, sed objecti externi respectu ad quod terminatur.

XII. Decreta Dei sunt actus immanentes Voluntatis divinæ, sed non proprie effectus ejus; et Deus non tam eorum causa dici debet quam principium: unde non opus est ut sint posteriora Deo, nisi ordine et nostro concipiendi modo.

XIII. Licet essentia Dei in se simpliciter considerata sit absoluta, et nullum ad Creaturas respectum importet; non obstat tamen quominus

Digitized by Google

eadem, si consideretur cum oppositione relativa ad Creaturas, et prout per modum principii vitalis ad hoc vel illud extra se producendum sese determinat, possit habere aliquam σχέσιν et relationem ad Creaturas; nec multiplex illa relatio potest magis compositionem in Deo facere, quam respectus quem omniscientia et omnipotentia habent ad extra, discrimen reale constituit inter Deum, et ejus omnipotentiam et omnisciențiam.

XIV. Quicquid est in Deo essentiale et absolutum, est ipse Deus; et sic attributa absoluta identificantur realiter cum essentia divina, et illi insunt essentialiter, non accidentaliter; et si de Deo prædicentur in concreto, *subjectum* eorum est tantum *denominationis*, non *inhæsionis*. Sed quicquid est personale et modale in Deo, est quidem ipse Deus in concreto, sed non in abstracto.

XV. Attributa relativa non arguunt compositionem, sed distinctionem; quia ratio formalis relationum non est inesse, sed esse ad, nec novam superaddunt perfectionem essentiæ, sed habitudinem tantum essentiæ ad alia important: Paternitas et dominium non alium reddunt, sed aliter disponunt possidentem sine relati in ipso mutatione.

XVI. Proprietas personalis Filii non efficit ut alia sit essentia ejus ab essentia Patris, aut ut essentia ex simplici fiat composita; nihil enim reale addit essentiæ, sed tantum efficit ut distinctus sit a Patre Filius; distinctio autem non est compositio.

XVII. Patres hanc Dei simplicitatem sæpius inculcant. Aug. li. v. de Trini. c. 1. "Simplex est Dei natura, et immutabilis atque imperturbata, nec aliud est ipse, aliud quod habet et quod est," et lib. vi. c. 6, postquam docuit nullam Creaturam esse vere et perfecte simplicem, addit; "Deus autem etsi multiplex dicatur, vere tamen et summe simplex est, dicitur enim magnus, sapiens, beatus, et verus, et quicquid aliud non indigne dici videtur, sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia; non enim mole magnus est, sed virtute, et eadem bonitas ejus est quæ sapientia et magnitudo et veritas. Et non est ibi aliud ipsum beatum esse, et aliud magnum et sapientem, aut verum aut bonum esse, aut omnino non esse." Ita Athanasius in Epist. ad Episc. Afric. "Non Deus est compositus, qui omnia ut essent composuit, neque talis qualia sunt, quæ per Verbum ejus facta sunt; quippe qui simplex sit substantia, in qua nulla est qualitas neque ulla, ut Jacobus testatur, immutatio."

QUÆSTIO VIII.

DE INFINITATE DEI.

An Deus sit Infinitus ratione Essentiæ? Affirm. contra Socin. et Vorstium.

I. Simplicitatem Dei excipit ejus *Infinitas*, quæ ex æquo per alia Dei attributa diffunditur, per quam natura divina concipitur a nobis ut carens omni termino et imperfectione, tum ratione *essentiæ* per *incomprehensibilitatem*, tum ratione *durationis* per *æternitatem*, tum ratione *circumscriptionis* quoad locum per *immensitatem*. Nos hic de prima agimus, non de cæteris, de quibus postea.

Status Quæstionis.

II. Non agitur hic de Infinitate *improprie* ita dicta, et *quoad nos*, ut numerus stellarum vel arenæ maris infinitus dicitur, quia illum non assequimur, licet in se necessario sit

Digitized by Google

finitus, cum nihil sit actu absolute infinitum præter Deum; sed de *infinitate propria et in se.*

III. Non agitur de *infinitate syncategorematica*, et secundum quid, de qua dicitur, non tot quin plura, quomodo quantitas dicitur in infinitum divisibilis; sed de *categorematica* et absoluta: Non de *infinitate potentia*, quo sensu materiæ appetitus respectu formarum dicitur esse infinitus; sed de *infinitate actu* tali, secundum quam essentia non est tantum ἀόριστος *indefinita*, sed revera ἄπειρος *infinita*, non tantum actu infinita in casu obliquo, sed etiam *actus infinitus* in recto.

IV. Huic Infinitati intercedunt Sociniani, et qui eorum juvenca arat Vorstius; qui ut immensitatem Dei quoad essentiam non agnoscunt, ita nolunt Deum esse actu infinitum simpliciter, licet respectu nostri sic sæpe dicatur. Remonstrantes vero, licet indirecte, illis adstipulantur, dum infinitatem potentiæ et operationis quidem Deo adscribunt, sed infinitatem essentiæ vel tollunt vel in dubium vocant.

Deum esse infinitum essentia probatur. Ex Ps. cxlv., &c.

V. Orthodoxi absolutam infinitatem Deo tribuunt respectu Essentiæ. Primo ex Scriptura quæ illam prædicat, dum ait Psal. cxlv. 3, *Magnum Deum esse, et laudabilem valde, et magnitudinis ejus non esse finem*, ubi Ps. non loquitur de magnitudine molis quæ a Deo simplicissimo longe abest, sed de magnitudine seu potius infinitate essentiæ ac virtutis. Ita Tsophar apud Jobum c. xi. 7. *An profunditatem Dei invenies, aut ad perfectionem Omnipotentis pervenies? altior est altissimis cœlis, quid agas? profundior inferno, quid cognoscas? longior terra mensura ejus, et latior mari.* Neque dici debet hæc verba ad perfectionem sapientiæ proprie spectare, ut vult *Crellius*, li. i. de Reli. c. xxvii. Nam, præterquam quod locus testatur agi de ipsa Dei incomprehensibilitate, si ad sapientiam tantum respiceret, non minus stringeret argumentum, quia proprietas infinitæ perfectionis naturæ finitæ convenire non potest. Eodem spectant ista, Isa. xl. 12, *Quis mensus est pugillo aquas, quis cœlos palmo mensus est?* &c. v. 15, 17, *Gentes coram ipso quasi stilla situlæ, et coram eo quasi nihil*, &c.

Ex Dei perfectione.

VI. Secundo ex *summa Dei perfectione.* Cum enim Deus habeat omnem perfectionem quæ esse et haberi potest, constat nihil ipso melius et perfectius esse vel cogitari posse, adeoque necesse est ut sit infinitus, quia bonum infinitum bono finito melius est. Accedit, quod perfectiones quæ rebus creatis insunt includantur certis terminis ultra quos non extenduntur, et omnis earum activitas certam habeat sphæram quam superare non valet: Sed in Deo res aliter se habet, nam præterquam quod continet omnem omnis Entis perfectionem, habet eam modo eminentissimo, id. qui omnem perfectionis omnis gradum absque ulla limitatione complectitur.

Et potentia.

VII. Confirmatur hoc ulterius ex consideratione Potentiæ Dei: Cum enim illa, ut cætera attributa, identificetur cum essentia, necesse est essentiæ cum ipsa eandem esse rationem, atque adeo infinitam esse, non secus ac illam: infinitam autem esse potentiam inde patet, quod Deo nihil sit impossibile; hoc enim de potentia finita et quæ terminum aliquem habet dici non posset. Denique, si Dei essentia finita est, necesse est ut ab aliqua causa limitata sit, quod de eo dici nequit qui nullam habet causam superiorem, sed omnium est causa. Ergo eo tandem deveniendum est, ut dicamus cum Veteribus, quod ἄπειρον est et ἀκατάληπτον τὸ θεῖον, καὶ τοῦτο μόνον αὐτοῦ κατάληπτον ἡ ἀπειρία, καὶ ἡ ἀκαταληψία, nim. *Deum esse infinitum et incomprehensibilem, et infinitatem ac incomprehensibilitatem hoc esse unum quod de eo comprehendi potest.*

Digitized by Google

VIII. Deus dicitur infinitus ratione essentiæ trifariam; 1. *originaliter*, quia absolute est independens, qui nihil se prius vel superius habet, vel habere potest. 2. *formaliter*, quia essentiam habet absolute ἄπειρον. 3. *virtualiter*, quia nullam sphæram activitatis suæ finitam habet, nec ullo concursu ullius causæ eget in agendo, sed omnia potest quæcunque vult.

www.libtool.com.cn

Fontes Solutionum.

IX. Licet Deus non possit producere *effectum infinitum*, quia producibilis non est, non desinit tamen esse infinitæ virtutis, quia agit *modo infinito*, et quæ infinitas non potest reperiri in *termino* propter repugnantiam, reperitur in ipso *agendi modo*.

X. *Comprehensio* vel notat consecutionem et fruitionem plenam rei desideratæ, per σχεῖν ad eos qui in stadio metam attingunt, quo sensu beati possunt dici comprehensores, Phil. iii. 12; 1 Cor. ix. 24, ut distinguantur a fidelibus qui sunt adhuc in via: vel designat accuratam et omnibus numeris absolutam Dei cognitionem, quæ objecto plane adæquatur: hoc sensu nulli possunt dici comprehensores, nec homines nec Angeli, quia finitum non est capax infiniti.

XI. Quamvis Deus seipsum perfecte et adæquate cognoscat, non sequitur essentiam ejus esse finitam, quia et ipsa cognitio et comprehensio Dei de se infinita est: ita essentia finita Deo dicitur, minus proprie, non quod Deus judicet essentiam suam esse finitam, sed quod cognitio ejus illi sit adæquata.

XII. Repugnat quidem aliquid esse *indefinitum*, et esse *actu hoc aliquid*: sed non repugnat esse *actu infinitum* sine ullis essentiæ terminis, et actu hoc aliquid, id. singularissimum, indivisum in se, et divisum a quolibet alio.

XIII. Licet Creaturæ omnes distent in infinitum a perfectione increata, et inter illas et Deum nulla sit proportio æqualitatis et commensurationis; non sequitur creaturas omnes esse æque perfectas, quia mensura perfectionis Creaturarum non sumitur a distantia perfectionis Dei, sed a pluribus vel paucioribus gradibus perfectionis, quos unaquæque res a Deo participat.

XIV. Perfectiones omnes Deo competunt, vel *formaliter*, ut perfectiones simpliciter tales, id. quas absolute loquendo præstat habere quam non habere, et quibus nulla major perfectio concipi potest; vel *eminenter*, ut perfectiones secundum quid, quæ quidem in suo genere dicunt perfectionem aliquam, sed quæ necessario cum aliqua imperfectione est conjuncta; quas quia proprie et formaliter habere non potest, possidere tamen eas dicitur virtute et eminenter, quia potest perfectionem illam producere, vel quia præstare potest absque illa quicquid illa præstat, seclusa omni imperfectione.

XV. Quod ita est hoc ut non sit aliud, nec formaliter nec eminenter, est finitum ratione substantiæ; sed de Deo hoc dici nequit, qui ita est hoc aliquid, ut tamen sit omnia eminenter, rerum omnium perfectiones in se eminenter continendo.

XVI. Quamvis infinitas secundum locum requirat formalem existentiam rei in omnibus locis, tamen infinitas essentiæ, non requirit ut res sit formaliter omnis substantia, sed tantum ut contineat perfectiones cujuscunque substantiæ, si non formaliter, saltem eminenter.

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

www.libtool.com.cn

DE IMMENSITATE DEI.

An Deus sit immensus, et omnipræsens secundum essentiam? Affir. contra Socin. et Vorstium.

I. Post infinitatem Dei respectu essentiæ, spectanda est eadem respectu loci et temporis, per quam concipitur Deus ἀπερίγραπτος, qui nullis vel temporis vel loci limitibus circumscribitur: prior vocatur *Immensitas;* posterior *Æternitas*, de quibus distincte dicendum, et primo de Immensitate.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur de *Præsentia virtutis* et operationis quæ ἐνεργητικὴ dicitur, quomodo Sol nobis præsens dicitur virtute radiorum, licet corpore longissime sit dissitus: Hanc enim non diffitentur Adversarii; sed de *præsentia naturæ*, quæ οὐσιώδης seu essentialis dicitur, quam admittere nolunt.

III. Non quæritur de variis præsentiæ divinæ specialis modis, secundum quos dicitur esse, *In Christo* per unionem hypostaticam et Deitatis plenitudinem, Col. ii. 9. *In Cœlo* per gloriam, 1 Reg. viii. 27. *In Ecclesia* per gratiam, Ezec. xlviii. 35; quæ rursus, vel est *præsentia symbolica*, quando sub aliquo visibili symbolo se fidelibus patefacit, ut Mosi in Rubo, populo in Columna nubis, Patribus sub forma Angelorum et hominum; vel *præsentia sacramentalis* et mystica, quum sub Signis et elementis externis gratiam suam nobis obsignat et exhibet; vel *præsentia spiritualis* et vivifica, quum per spiritum habitat in cordibus fidelium: Has enim varias præsentiæ Dei species particulares esse et certis locis proprias nemo negat. Sed agitur de præsentia Dei generali per Essentiam, quæ abstrahit ab istis modis omnibus singularibus.

IV. Deus potest dici adesse rebus omnibus tribus modis, 1. per *Potentiam et Operationem*, 2. per *Cognitionem*, 3. per *Essentiam;* quod Scholastici solent exprimere hoc versiculo,

Enter, præsenter Deus est, et ubique potenter.

Per *potentiam* dicitur esse ubique, quia omnia producit et gubernat, et operatur omnia in omnibus, quo sensu Paulus ait, Act. xvii. *Nos in ipso vivere, moveri et esse.* Per *notitiam* adest omnibus quia omnia quæ sunt vel fiunt ubique locorum, tanquam sibi præsentissima et coram se posita videt et intuetur, unde Heb. iv. 13. *Omnia nuda et aperta* dicuntur *esse coram eo, et nulla creatura abscondita potest esse in ejus conspectu.* Per *essentiam* denique, quia ejus essentia omnia penetrat, et omnibus ac singulis rebus tota per seipsam intime adest: De hac vero præsentia hic proprie agitur; Nec enim Adversarii negant Deum esse præsentem ubique per potentiam et notitiam, ut jam dictum.

V. Tres vulgo statuuntur modi essendi in loco. 1. *Circumscriptive*, qui corporibus tribuitur, quia in loco et spatio sunt, ut commensurentur partibus spatii. 2. *Definitive*, qui de spiritibus et substantiis incorporeis creatis dicitur, qui certis locis definiuntur, et ita hic sunt, ut non sint alibi. 3. *Repletive*, qui Deo adscribitur, quia essentia ejus immensa omnibus adest, et veluti omnia loca replet. Quamvis vero hæc distinctio suas pati

Digitized by Google

possit instantias, quum ad vivum resecatur, et τὸ *replere* videatur proprie pertinere ad corpus occupans locum per sui extensionem; cum tamen hactenus longo usu recepta fuerit inter Philosophos et Theologos, et commodum possit obtinere sensum, ex mente ipsius Spiritus Sancti, qui testatur *Deum implere cœlum et terram*, Jer. xxiii. 24, non videtur temere rejicienda, si dextre explicetur et sano sensu intelligatur, maxime cum destituamur terminis propriis et accuratis quibus Dei ubiquitatem explicemus, et cogamur hic uti phrasibus a rebus finitis et corporeis desumptis.

VI. Ita ergo Deus dicitur esse repletive ubique, propter essentiæ immensitatem, ut hoc intelligatur diversissime a modo essendi in loco corporum, id. citra spatii occupationem, et sui multiplicationem, extensionem, divisionem, vel cum aliis rebus commixtionem, sed illocaliter et impartibiliter; quia ubicunque est, totus est, totus in omnibus, totus extra omnia, nullo loco inclusus, nullo etiam exclusus, nec tam in loco, quia finitum non capit infinitum, quam in seipso, quo pertinet quod Rabbini Deum vocant מקום *locum*, quia Deus non tam loco continetur, quam omnia in seipso continet, et quod Theophylus ad Autolycum, lib. i. ait, ὁ Θεὸς τόπος ἐστὶ τῶν ὅλων, καὶ ἑαυτῷ τόπος ἐστι, *Deus locus est omnium, et sibi ipse locus est.*

VII. De ista Dei Immensitate et Omnipræsentia litem nobis movent Sociniani cum Vorstio, qui admittunt præsentiam quoad virtutem et operationem, sed negant eam quoad essentiam; quum cœlo Deum contineri pertendunt, ut *Socinus* in tract. Francisci Davidis, et *Crellius*, lib. i. de vera Relig. c. 127, non semel asserunt, et variis argumentis probare conantur. *Vorstius*, licet videatur ἐπίσχειν in hac quæstione, tamen sententiam suam satis aperit in tractatu de Deo et Apologia sua, quum omnipræsentiam substantialem inter ἀσύστατα et ἀδύνατα reponit; et diserte docet Deum secundum essentiam esse in cœlo, secundum virtutem vero et efficaciam esse in terra et adesse omnibus creaturis.

VIII. Orthodoxi vero Dei Immensitatem et Omnipræsentiam, non tantum ratione virtutis ac operationis, sed præcipue ratione essentiæ credunt et confitentur: Modum vero illius nec curiosius inquirendum esse, nec temere definiendum censent; Hoc tantum certo tenendum esse, non consistere vel in multiplicatione essentiæ divinæ, quæ est una numero et individua, vel in extensione et diffusione cujusdam molis corporeæ, cum sit Spiritus increatus, vel in contactu Physico, qui competit tantum corporibus; Sed in simplici et nobis incomprehensibili essentiæ divinæ infinitate, quæ ita intime adest rebus omnibus, ut et ubique sit in mundo, nec tamen mundo includatur.

Deum immensum esse probatur ex Scriptura.

IX. Rationes sunt. 1. Quia Scriptura hanc Omnipræsentiam Deo tribuit, Ps. cxxxix. 7, 8, 9. "Quo irem a Spiritu tuo, quo a facie tua fugerem? Si scanderem cœlos, illic es, aut stratum ponerem in sepulchro, illic ades. Si assumerem alas auroræ habitaturus in extremitate maris, etiam illuc manus tua deduceret me et prehenderet me dextra tua." Sic Isa. lxvi. 1. "Hoc dicit Dominus, Cœlum sedes mea, Terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi?" Ubi probat se templis munufactis includi non posse, non ratione ducta a distantia loci in quo sit ejus propria sedes, ut fingit Vorstius; sed a substantiæ suæ magnitudine quæ universum mundum replet. Imo alibi protestatur se cœlum et terram implere apud Jerem. xxiii. 24. *Annon cœlum et terram ego impleo?* Et ne quis putet intra cœlum aut mundum contineri, alibi Spiritus Sanctus testatur, 1 Reg. viii. 27. *Cœlos cœlorum eum non capere.*

X. Frustra excipitur a *Crellio* ista loca agere de omnipræsentia virtutis

Digitized by Google

et efficaciæ, non essentiæ. Nam 1. contrarium verba ipsa docent, quæ de operatione tantum non agunt, sed de ipsa essentia; quid enim aliud sibi volunt verba ista, *Tu illic ades; Cœlum et Terram ego impleo; Cœli cœlorum te non capiunt?* 2. A pari, eo modo debet esse in sepulchro vel inferno, quomodo dicitur esse in cœlo, quia præsentia Dei utrobique ex æquo asseritur: Aut ergo est ubique quoad essentiam, aut nullibi est quoad essentiam. 3. Scopus Psal. est ostendere neminem occultari a Deo posse ut non videatur ab ipso, quia nuspiam potest esse ubi Deus non sit, et nuspiam potest se abscondere, quin a Deo facile retegatur, quia tenebræ perinde illi sunt ac lux. 4. Opponuntur componenda: præsentia potentiæ non excludit, sed supponit necessario præsentiam essentiæ; nam ubi Deus non est, ibi operari non potest, quia operatur immediate per essentiam; Ita si ubique operatur, ubique esse debet.

XI. 2. Idem demonstrant ea loca, quæ docent, Deum operari omnia in omnibus, et omnia sustentare Verbo suo potenti, Heb. i. 3, et non longe abesse ab unoquoque nostrum, Act. xvii. 27, 28, quia in ipso sumus, vivimus, et movemur: nam Spiritus præsentia, non certius potest cognosci quam ab ejus operationibus, neque minus impossibile est ut quis immediate aliquid efficiat ubi non est, quam quum non est. Nec dici debet Deum operari omnia in omnibus, sed per causas secundas sive physicas sive hyperphysicas, ideo posita illa operatione, non statim inferri præsentiam essentiæ: Nam, præterquam quod Deus non semper agit per causas secundas, sed sæpe immediate per seipsum, ut in creatione mundi, ejus sustentatione, miraculis et operibus gratiæ in cordibus, quando utitur causis secundis, præsentissime ipsis adest, ut operetur per eas.

XII. 3. Si Deus non est immensus essentia sed finitus, non implicabit contradictionem dari creaturam Deo majorem; ut enim infinito nihil addi potest, ita de ratione finiti est ut semper illi aliquid addi possit. Imo si essentia Dei non alibi est quam in cœlo, mundus erit major Deo. Deinde, si finitus est essentia, etiam potentia finitum eum esse oportet, quia potentia infinita non potest esse in subjecto finito. Tertio, si Deus essentia sua præsens non est immediate creaturis, sed tantum operatione, fides Incarnationis Filii Dei non poterit in tuto collocari; qualis enim intercedere potuit cum natura humana Unio hypostatica, si essentia divina in cœlo conclusa mansit, nec in terris præsens fuit?

Fontes Solutionum.

XIII. Deus dicitur *esse in cœlo*, non exclusive ad terram, quasi cœlo sit inclusus quoad essentiam; sed quia in cœlo tanquam Palatio Regio singulari modo gloriam suam patefacit. Nec si orantes oculos in cœlum tollunt, vel naturæ instinctu vel ex Verbi præscripto, hoc ideo fit quod Deus sit cœlo inclusus, quod Apost. arguit, Act. xvii. 24, sed 1, ut accessuri ad Deum cogitationes omnes nostras ab hisce caducis et terrenis amoveamus, et nihil de Deo nisi magnum et excelsum cogitemus. 2. Ut sciamus cœlum esse sedem et thronum Dei, ubi et illustrior est patefactio, et uberior communicatio gloriæ et gratiæ, unde benedictiones omnes sunt expectandæ et expetendæ, ut sub V. T. adoraturi faciem obvertebant ad Arcam et Templum, non quod Deus Arcæ vel Templo esset inclusus, sed propter singularem gratiæ manifestationem quæ ibi fieri solebat. 3. Ut meminerimus etiam cœlum esse habitaculum nobis a Deo paratum, ad quod debemus perpetuo contendere, ut Israëlitæ in exilium pulsi Templum respiciebant, tanquam votis ad patriam et libertatem anhelantes; sic nos exilii et peregrinationis admoneamur, ut libertatem suspiremus, et indefessis viribus patriam repetamus. 4. Ut ostendamus preces nostras non amplius ad certum locum in terra constitutum diri-

Digitized by Google

gendas esse; sed in *cælum* esse elevandas, ut altari nostro, quod est Christus in cœlis, imponantur ab ipso sanctificandæ.

XIV. Non indignum est Majestate Divina esse ubique in terra etiam in locis spurcissimis; quia ibi non est per contactum physicum, vel per commixtionem aliquam aut compositionem, sed ut causa rerum efficiens et conservans. 2. Si Deo indignum non fuit omnia etiam vilissima creare, cur indignum esset illis perpetuo adesse? Sol radiis suis loca sordida permeat, nec tamen illis inficitur, quanto minus Deus?

XV. Deus procul abest ab impiis, quoad præsentiam specialem favoris et gratiæ, sed adest illis semper per præsentiam generalem essentiæ. Ubi est Deus, ibi quidem est gratia ejus *originaliter* et *subjective*, sed non semper *effective*, quia ejus exercitium est plane liberum.

XVI. Absurdum est Deum esse in Diabolis et Impiis, quomodo est in fidelibus, ut Deum gratiosum, sed non ut Deum judicem et vindicem criminum; non ut approbatorem scelerum, sed ut Creatorem et conservatorem naturæ. Licet sit diversimode in inferis ac in cœlis, hic per gratiam, illic per justitiam, hic beando, illic puniendo, potest tamen utrobique esse quoad essentiæ immensitatem.

XVII. Licet essentia Dei sit ab omnibus entibus creatis abstracta, non sequitur, non posse esse omnipræsentem quoad essentiam; quia dicitur abstracta quatenus ab iis divisa est, nec est pars eorum; sed omnipræsens dicitur, non quod veniat cum iis in compositionem tanquam pars, vel quod illis contineatur, sed quatenus nullius essentia terminatur, aut ab ea excluditur.

XVIII. Quum dicitur Deus immensus, qui ita sit in mundo ubique, ut mundo tamen, qui finitus est, non includatur, sed concipiatur etiam esse extra mundum; non debet hoc intelligi *positive*, quasi concipienda sint spatia quædam extra mundum, quæ Deus repleat præsentia sua; sed *negative*, quatenus spatia universa mundi non exhauriunt immensitatem Dei, ut illis contineatur et circumscribatur: Dicitur ergo esse extra mundum, quia illi non est inclusus, non ut sit in locis quibusdam imaginariis, sed in seipso in infinitate essentiæ suæ, ut ante conditum mundum in seipso erat, *sibi erat et locus, et mundus et omnia*, ut Tertull. ait contra Praxeam, c. 5.

XIX. Qui concipit Deum ubique sua essentia præsentem, non concipit eo ipso Deum per totum mundum extensum ad instar corporum, sed concipit illum simplicissima essentiæ suæ infinitate, totum mundum continere, vel eum coëxistere indivisibiliter omnibus rebus creatis; quomodo æternitas omne tempus ut punctum sinu suo complectitur, et illi indivisibiliter coëxistit.

XX. Tantum abest ut doctrina de omnipræsentia essentiali Dei Atheïsmum inducat, ut Remonstrantes in Apologia sua statuunt, ut contra negatio ejus illi non parum faveat, quia tollit ejus reverentiam et timorem, dum eum absentem sibi fingit, quique ideo peccata hominum, vel non videt, vel vindicare non potest; sed pii qui Deum timent dicuntur ambulare coram Deo, quia illius præsentia excitantur ad ejus cultum et obsequium.

XXI. Aliud est præsentiam Dei per operationem ad extra declarare et demonstrare a posteriori; Aliud est præsentiam Dei ipsa operatione definire a priori, aut Deum non statuere præsentem, nisi per virtutem et operationem. Prius rite posse fieri concedimus; posterius vero negamus, quia operatio Dei ejus præsentiam supponit, et prius concipi debet esse et existere, antequam concipiatur agere. Si qui sint ergo ex Recentioribus,

Digitized by Google

qui omnipræsentiam Dei ejus operatione definiunt, potest eorum sententia admitti, si priori sensu hoc intelligant, pro ejus manifestatione a posteriori: sed si hoc referant ad ejus constitutionem a priori, merito rejicitur ut Scripturæ contraria, et nimis accedens ad Socinianorum errorem.

www.libtool.com.cn

XXII. Licet Immensitas et Omnipræsentia Dei semper conjungantur, distinguendæ tamen sunt; illa absolutam dicit in Deo proprietatem ab æterno illi competentem; hæc in illa fundata notat habitudinem ad locum in tempore existentem; habentque se ad instar actus primi et secundi, vel principii et principiati: Nam ex immensitate oritur omnipræsentia, quæ supponit immensitatem tanquam fundamentum; Ideo enim Deus omnipræsens est, quia immensus.

XXIII. Quum *Deus* dicitur *ascendere* vel *descendere*, *abire* vel *venire*, hoc omnipræsentiam non tollit, quia hoc non respectu essentiæ, sed tantum de diversarum operationum absentia vel præsentia dicitur: *venit* ergo Deus, quando peculiari ratione alicubi operatur, vel in gratia vel in justitia; *recedit* vero quando gratiæ suæ symbola subducit, et salutaris præsentiæ testimonia hominibus denegat: Alias *in eo semper vivimus, movemur et sumus*, ut Paulus ait, Act. xvii.

XXIV. Hoc Dei attributum non ignorarunt ipsi Ethnici, hinc Trismegistus dicit, *Deum esse Circulum, cujus centrum sit ubique, circumferentia nusquam*, Et Aratus,

Jovis omnia esse plena.

Et Virgilius,

Deum ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.

Quo spectant et ista,

Quo fugis Encelade, quascunque accesseris oras
Sub Jove semper eris.

Seneca, lib. iv. de bene. c. 8. *Quocunque te flexeris ibi illum videbis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat, opus suum ille implet.*

QUÆSTIO X.

DE ÆTERNITATE DEI.

An Æternitas Dei excludat successionem secundum prius et posterius?
Affir. contra Socin.

Status Quæstionis.

I. Infinitas Dei respectu durationis *Æternitas* dicitur, cui hæc tria tribuuntur, 1. quod sit expers principii, 2. quod sit sine fine, 3. quod careat successione, id. durationе rei secundum prius et posterius, secundum præsens, præteritum et futurum. Non quæritur proprie hic, An Deus sit æternus ratione duorum priorum, id. An sit sine principio et fine. Hoc enim Socinus et Vorstius negare non possunt contra tot clarissima Scripturæ testimonia; sed de tertio, An Æternitas ejus sit immunis a successione; vel, An subjaceat temporis differentiis, ut illi pertendunt; vide Crellium, lib. i. de Relig. c. 18. Nos vero Deum ab omni temporis differentia, et non minus a successione quam a principio et fine, esse immunem statuimus.

II. Non quæritur de *Æternitate improprie*, et secundum quid ita dicta: quomodo sumitur aliquando pro longa rei duratione, ut *Circumcisio pactum*

Digitized by Google

æternum dicitur, Gen. xvii. id. constans, quod debuit durare usque ad rerum omnium διέξοδον, et *Colles æterni*, Deut. xxxiii. 15, a Mose dicuntur, quia propter diuturnitatem et constantem durationem videntur accedere ad æternitatem: vel usurpatur de eo quod finem non habet, etsi initium habuerit, ut Angeli et animæ sunt æternæ: Sed de æternitate absoluta et proprie dicta, tam a parte ante quam a parte post.

Deum esse æternum probatur.

III. Deo talem Æternitatem competere Scriptura docet, non modo quando *Deum* vocat *æternum*, Gen. xxi. 33, qui *habitat æternitatem*, Isa. lvii. 15. *Regem seculorum, immortalem, invisibilem*, 1 Tim. i. 17. *qui fuit antequam mundus esset conditus*, Psalm xc. 1, 2, *a seculo et in seculum*. Sed etiam quum illi omnes æternitatis proprietates tribuit, Ps. cii. 26, 27, 28. Tum divisim; quod sit sine initio, quia fuit ante fundationem terræ, v. 26, sine fine, *qui in seculum permanet, et cujus anni non deficiunt*, v. 25, 28, sine successione, quia dicitur *permanere* citra omnem mutationem, v. 27, et *semper idem esse*, v. 28, non enim semper idem est cui singulis pene momentis per prius aliquid decedit et per posterius aliquid accedit. Conjunctim; quando opponitur rerum maxime constantium mutabilitati, quæ habent principium, finem et successionem, v. 13, 14, perpetua Dei in eodem statu permansio, *Cœli peribunt, tu autem permanes, et omnes ut vestis veterascent, et velut vestimentum circumvolves eos, et mutabuntur: Tu vero idem es, et anni tui non deficiunt.* Nec alio tendunt illa Jacobi i. 17, quando ait penes Deum non esse παραλλαγὴν, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, *mutationem, vel mutationis obumbrationem;* nam partium durationis, quæ paulatim aliæ post alias existunt, successio et fluxus speciem quandam præ se fert motus, qui in Deum cadere non potest.

IV. Eodem pertinet, quod dicitur *primus et novissimus* apud Isa. cap. xli. 4, et apud Joan. Apoc. c. i, *Alpha* et *Omega;* principium sine principio, quia cum sit omnium rerum principium, ipse principio caret, et finis sine fine, quia cum sit finis ad quem omnia referuntur, nullum potest habere finem; quod autem est sine principio, est etiam sine successione, quia successio pendet ex principio, et ordinem dicit secundum prius et posterius. Hanc Æternitatem nomen *Jehova* necessario includit, quia ut dictum, designat Deum esse Ens primum et independens, nulli mutationi obnoxium. Unde factum ut Versio Gallica bene illud reddat passim per *l'Eternel*, quia illi soli Æternitas κατ' ἐξοχὴν competit.

V. Æternitas Dei non potest habere successionem, quia Essentia, cum qua identificatur realiter, nullam admittit; tum quia summe simplex et immutabilis est, quæque ideo mutationem prioris in posterius, præteriti in præsens, præsentis in futurum, quam successio involvit, respuit; tum quia immensurabilis, utpote prima et independens; at quod durat per successionem, quodammodo mensuratur.

VI. Huc facit quod a Scholasticis vera æternitas describi solet per *interminabilem vitæ totam simul et perfectam possessionem*, ut scil. excludat successionem non minus ac terminum, et per *nunc stans*, non vero *fluens* concipi debeat. Ratio est, quia de vita Dei, sicut de nostra, nihil cum tempore effluit, sed Deus quovis momento simul habet quicquid divisim per successum temporis habemus. Unde Philosophi bene dixerunt, nec futurum nec præteritum, *erit* vel *fuit*, sed solum præsens sive *est*, de eo rite dici posse; quia æterna Dei duratio omnia quidem tempora, præteritum, præsens et futurum complectitur, sed nihil in eo potest esse præteritum aut futurum, quia vita ejus eadem semper et immutata perseverat.

Digitized by Google

Fontes Solutionum.

VII. Tres temporis differentiæ tribuuntur Deo, Apoc. i. 4, quum dicitur *ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, qui est, qui erat, et qui venturus est*, non *formaliter*, sed *eminenter*, et *ἀνθρωποπαθῶς*, ut describatur hoc modo utcunque Dei æternitas, non *divise* quasi de illo successive prædicentur, sed *indivise* quia Dei æternitas omnia tempora simul complectitur; sic affirmatur præteritum, sed sine negatione præsentis et futuri, et asseritur præsens, sed sine negatione præteriti et futuri, quod *August.* tract 99, in Johan. bene explicat, "Quamvis," inquit, "natura illa immutabilis et ineffabilis, non recipiat *fuit* vel *erit*, sed tantum *est*, tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas et mutabilitas, non mendaciter dicimus, est, fuit, et erit, fuit in præteritis seculis, est in præsentibus, erit in futuris; fuit quia nunquam defuit, erit quia nunquam deerit, est quia semper est."

VIII. Etsi æternitas coëxistat omnibus temporum differentiis, non sequitur easdem inter se coëxistere, quia non coëxistit illis simul sumptis et simul existentibus, sed coëxistit illis divisim existentibus et sibi invicem succedentibus; sic præteritum dum fuit, coëxtitit æternitati, præsens jam coëxistit, et futurum coëxistet.

IX. Quæ conveniunt in uno tertio, ea conveniunt inter se, sed tantum ejusdem tertii respectu. Ita omnes temporis differentiæ in eo inter se conveniunt, quod unaquæque earum quum existit, coëxistit toti æternitati; sed non debent inter se ideo convenire, ut simul coëxistant, quia tota æternitas illis non coëxistit simul sumptis, sed divisim prout mutuo sibi succedunt, ut Sol et motus ejus coëxistunt omnibus diebus seculi, nec tamen inde sequitur eos omnes inter se coëxistere, quia quisque dies in suo ordine coëxistit cum sole, qui semper est idem.

X. Licet tempus coëxistat toti æternitati, non sequitur æternum esse, quia ista *coëxistentia* non est *adæquata*, quasi essent ejusdem naturæ et durationis, sed *inadæquata* rei et quoad naturam et quoad durationem plane heterogeneæ.

XI. Æternitas Dei indivisibilis complectitur omnia tempora divisibilia, non *coëxtensive* vel *formaliter*, sed *eminenter* et *indivisibiliter*; ut Deus immensus complectitur immensitate sua omnes mundi partes extensas et divisibiles, licet sua natura sit indivisibilis, quia ubicunque est, totus est.

XII. *Punctum* vel est *Mathematicum*, quod est principium lineæ aut temporis; vel *Physicum* et *Politicum*, brevissima sc. extensio, vel molis vel temporis; vel *Metaphysicum*, quod notat extensionis et divisibilitatis negationem; hoc tertio sensu non est absurdum mundum et tempus in puncto æternitatis contineri.

XIII. Quum mille anni dicuntur esse coram Domino sicut unus dies, Ps. xc. 4. non tantum agitur de æstimatione, quod Deus non pluris faciat mille annos quam diem unum, sed etiam de collatione nostræ durationis quæ est *ἰφήμερος*, cum divina quæ est æterna; ut innuatur Deum nostro non esse metiendum pede, quasi tardaret promissio ejus, etsi serius nostro judicio impleatur; quia Deus non subjaceat ullis temporis differentiis, sed mille anni coram Deo sint instar unius diei.

XIV. Deus dicitur *Antiquus Dierum*, non quod senio sit confectus, et satur annis, ut Saturnus Ethnicorum, sed quod diebus ipsis, et natalibus temporis sit prior et antiquior. *Dies* ergo et *anni* illi non tribuuntur proprie, sed anthropopathice, quia nos qui in tempore versamur, nihil possumus concipere nisi per *σχέσιν* ad tempus, in quo sumus.

XV. Quando actiones Dei considerantur; vel ut præteritæ, vel ut præsentes, vel ut futuræ; hoc dicitur non ratione efficientis, sed effectorum et

Digitized by Google

objectorum respectu, quæ producuntur diversis temporibus, et ad quæ actiones ejus terminantur.

XVI. Tempus et æternitas non se habent ut pars et totum, sed ut species durationis inter se oppositæ. Æternitas semper fuit et erit, Tempus vero nec semper fuit, nec semper erit, sed cum mundo desinet.

QUÆSTIO XI.

DE IMMUTABILITATE DEI.

An Deus sit Immutabilis, et quoad Essentiam, et quoad Voluntatem? Affir.

I. *Immutabilitas* est attributum Dei incommunicabile, quo negatur de Deo non tantum omnis mutatio, sed etiam possibilitas mutationis, tam quoad existentiam, quam quoad voluntatem.

II. Hanc Dei Immutabilitatem vellicant etiam Adversarii, maxime eam, quæ circa actus voluntatis versatur: ita ut Deus possit jam nolle quod antea voluit, et velle nunc quod prius nolebat. *Crellius* de Reli. li. i. c. xxi. *Vorstius* Tracta. de Deo. Nos cum Orthodoxis omnimodam immutabilitatem illi tribuendam censemus, tam quoad naturam quam quoad voluntatem.

Deum esse immutabilem probatur.

III. 1. Quia Scriptura hanc expresse Deo tribuit, Malac. iii. 6. *Ego sum Jehovah et non mutor.* Ps. cii. 26. *Cœli peribunt, Tu autem permanes,* &c. Jaco. i. 17. *Apud Deum non est transmutatio, nec transmutationis obumbratio;* ubi non modo de eo negatur mutatio, sed etiam umbra mutationis, ut sic opponatur Soli lucis corporeæ fonti, qui conversionibus et obumbrationibus est obnoxius quibus lux ejus intercipitur. At Deus Pater luminum tropicos non agnoscit, nec ulla umbra obscurari potest, cum nihil sit quod vim ejus intercipiat. In specie Voluntatis et Consilii divini immutabilitas asseritur sæpius, Numer. xxiii. 19. *Deus fortis non est homo qui mentiatur, aut filius hominis quem pœniteat; An ipse dixerit et non faciet? An locutus fuerit et non præstabit illud?* Isa. xlvi. 10. *Consilium meum stabit, et omne beneplacitum meum implebo.* Sic Ps. xxxiii. 11, et cx. 4; 1 Sam. xv. 29; Heb. vi. 17.

IV. Ratio illam confirmat, quia est Jehova, atque adeo Ens necessarium et independens quod a nemine mutari potest; res omnes creatæ sunt mutabiles, πᾶν κτιστὸν τρεπτὸν, inquit Damascenus, quia aliunde esse suum accipiunt; sed Deus est immutabilis, quia a seipso, nec ullam causam supra se agnoscit. 2. quia nec potest mutari in melius, quia optimus, nec in pejus, quia desineret esse perfectissimus: *Aug.* tract. 15, in Joh. *Quicquid a meliore in deterius, et a deteriori in melius mutatur, non est Deus, quia neque in melius ire potest summa virtus, nec in deterius vera æternitas.* 3. quia omnes causæ mutationis a Deo removentur, dependentia a priori, et potentia passiva, error mentis, et inconstantia voluntatis.

Fontes Solutionum.

V. Creatio mutationem non attulit Deo sed Creaturis, non physicam et proprie dictam, quæ supponit suum mobile, sed hyperphysicam, per quam Creatura transit a non esse ad esse. Illud agens mutari dicitur, quod in se ipso aliter se habet quam prius habuerat; sed quod aliter se habet, non in se ipso sed tantum relative et in ordine ad aliud, non potest dici mutari: At quum Deus fit Creator non mutatur in se, nihil enim illi de novo accedit, nam ab æterno habuit voluntatem efficacem creandi mundum in tempore, sed tantum

Digitized by Google

in ordine ad Creaturam, quia nova relatio illi accessit. Et quoad actionem creandi, cum sit transiens non immanens, non tam est in Deo quam a Deo.

VI. Deus per incarnationem non est mutatus; quia λόγος caro factus est, non conversione τοῦ λόγου in carnem, sed assumptione carnis ad hypostasim λόγου.

VII. Aliud est *mutare voluntatem*, aliud *velle* alicujus rei *mutationem*: Deus potest velle variarum rerum mutationem, ut institutionem et abrogationem cultus Levitici, sed immutata manente ejus voluntate, quia ab æterno talem mutationem jam decrevit. Sic ab æterno decretum fecit de mundo creando et ad certum tempus conservando, sed postea de eo diluvio perdendo. Eodem modo de scientia ratiocinandum est; cognitio Dei non mutatur cum re cognita, quia Deus qui eam novit, non modo sciebat hanc mutationem futuram, sed etiam eam decreverat.

VIII. Aliud est esse *indifferentem* ad varia objecta; Aliud vero esse *mutabilem*. Causa indifferentiæ non est mutabilitas, sed libertas; voluntas Dei potuit esse indifferens ante decretum, sed post decretum non potest esse mutabilis.

IX. Potestas variandi actus suos, non est principium mutabilitatis in se, sed tantum in objectis suis, nisi intelligatur de variatione internorum suorum actuum, quos voluntas perfecta non variat sed imperfecta tantum; nam nemo decretum suum variat, nisi aliquid incommodi in eo deprehendat; quod in Deum non cadit.

X. Aliud est quærere, An Deus potuerit ad alia objecta se determinare quam ad ea quæ decrevit, antequam de illis quicquam statuisset; Aliud vero, An posito decreto potuerit illud rescindere; posterius negamus, sed prius asserimus: Nec propterea mutabilitas ulla Deo adscribitur, quia ille demum mutari dicitur, qui velle incipit quod nolebat, vel nolle quod volebat; quod in Deo locum non habet.

XI. *Pœnitentia* Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, sed intelligenda est διανοητικῶς; non ratione consilii, sed eventus; non Voluntatis ipsius, sed rei volitæ; non affectus et interni doloris, sed effectus et externi operis, quia facit quod homo pœnitens facere solet. Si Gen. vi. 6, 8, Deo tribuitur pœnitentia de creatione hominis quæ non poterat infecta reddi, intelligenda est non παθητικῶς sed ἐνεργητικῶς; licet enim quod fecerat non posset infectum reddi per non creationem, poterat tamen mutari per abolitionem.

XII. Promissiones et comminationes quæ non implentur, non arguunt mutationem voluntatis, quia fuerunt conditionatæ non absolutæ, ut patet ex Jer. xviii. 7, licet conditio non sæpe exprimatur, sed tacita sit et implicita quæ debet subintelligi.

XIII. Quum Ezechiæ mors prædicitur, non notatur quid secundum voluntatem Dei esset futurum; sed quid secundum cursum causarum secundarum fuisset eventurum, nisi Deus hoc impedivisset.

XIV. Necessitas immutabilitatis quam tribuimus Deo, non infert fatum Stoïcum; quia est tantum necessitas extrinseca, et ex hypothesi voluntatis divinæ, salva manente rerum libertate et contingentia, ut postea probabitur quum de Decretis agetur.

Digitized by Google

QUÆSTIO XII.

www.libtool.com.cn

DE SCIENTIA DEI.

An omnia cadant sub Scientiam Dei, etiam singularia, et futura contingentia? Aff. cont. Socin.

I. Inter Attributa Communicabilia et positiva, quæ perfectionem aliquam de Deo affirmant, Tria sunt præcipua, quibus vita ejus immortalis et beatissima actuosa est: *Intellectus*, *Voluntas*, et *Potentia*. Ille ad *principium dirigens* pertinet, ista ad *imperans*, hæc ad *exequens*.

II. Ad cognitionem Intellectus Dei, pertinet disquisitio de ejus *scientia*, circa quam duo præ cæteris sunt attendenda, *modus* et *objectum*: *Modus* consistit in eo quod perfecte, individue, distincte, et immutabiliter omnia novit, quo pacto a scientia humana et angelica distinguitur: *Perfecte*, quia omnia novit per seipsum sive per essentiam suam, non per species a rebus abstractas, ut creaturæ solent; tum quia species illæ sunt tantum in tempore cum rebus ipsis, at scientia Dei est æterna; tum quia nullam potest habere causam extra se. 2. *Individue*, quia *intuitive* et *noëtice* omnia novit, non *discursive* et *dianoëtice*, ratiocinando, et unum ex alio colligendo; Et si nonnunquam Deus inquirens, vel ratiocinans proponitur, hoc non proprie, sed humanitus dicitur, balbutiente nobiscum Scriptura, ut perfecta et certa Dei notitia asseratur. 3. *Distincte*, non quod diverso conceptu diversa rerum prædicata colligat, sed quia distinctissime omnia uno intuitu pervidet, ut nihil vel minutissimum eum fugiat. 4. *Immutabiliter*, quia penes eum nulla est mutationis obumbratio, et ut ipse immotus manens dat cuncta moveri, ita rerum varias vices et mutationes immutata videt cognitione.

III. *Objectum* scientiæ Dei est tum ipse Deus, qui seipsum in seipso perfectissime novit, tum omnia extra Deum, sive possibilia, sive futura, quoad varios ordines et status; ratione *quantitatis*, magna et parva; ratione *qualitatis*, bona et mala; ratione *prædicationis*, universalia et singularia; ratione *temporis*, præterita, præsentia, et futura; ratione *status*, necessaria et libera seu contingentia.

An Deus singularia cognoscat?

IV. Quæstio potissimum hic movetur circa *singularia* et *futura contingentia*, quæ nonnulli subducere vellent scientiæ Dei: *Singularia* quidem, ut *Averroës*, qui ea exacte a Deo sciri negat, quod etiam a nonnullis tribuitur *Hiero.* (in Haba. i. 1.) quum absurdum esse putat, et *indignum Majestate divina, ad hoc eam deducere, ut sciat quot momentis singulis nascantur culices, quotve moriantur, quæ cimicum et pulicum sit in terra multitudo*, &c. quæ sane sententia valde foret in Deum injuria, si præcise urgeretur; sed verba illa duriora possunt emolliri, si comparate intelliguntur, ut non aliud intendat quam ista speciali curæ quam hominum gerit subducere, ut privilegium horum præ illis doceat, quod videtur innuere dum addit, *Nec simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam Dei ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse docentes.*

V. Scriptura sane ita clara est hac in parte, ut omnem dubitandi ansam nobis eximat: Ecquid enim Christus diceret capillos capitis nostri esse numeratos, et ne unum passerculum cadere in terram sine voluntate

Digitized by Google

Patris? Matt. x. 29, 30; Ecquid Paulus Heb. iv. 13, assereret omnia esse nuda et τετραχηλισμένα coram ipso, et nullam esse creaturam quæ non sit manifesta in ejus conspectu? Ecquid Ps. cxlvii. 4, innueret Deum numerare multitudinem stellarum, et nomine singulas vocare, nisi Deus singula intueretur? Et si Deus illa creavit et gubernat, quidni etiam illa cognoscat?

VI. Intellectus divinus non magis vilescit a rei vilis cognitione, quam Sol inquinatur a re turpi. Et si non eviluit Dei potentia, quum eas creavit, cur vilesceret ejus scientia eas intuendo? Imo cum res omnes etiam maximæ, minimæ sint coram ipso, si ad ejus infinitudinem appendantur, ut ait eximie Isaïas c. xl. 15, et tanquam nihilum, omnium scientia illi adimenda esset, si minimas ejus cognitioni subduceremus.

Status Quæstionis. De scientia futurorum contingentium.

VII. Quæstio alia majoris momenti respicit futura contingentia, quorum cognitionem Sociniani detrahere conantur Deo, ut facilius liberi arbitrii indifferentiam asserant, immunem ab omni necessitate, etiam illa quæ a Dei præscientia illi imponi solet: Licet enim non raro videantur cognitionem plenam rerum omnium Deo tribuere, etiam futurarum, ut Crellius li. i. c. 24. *Nomine sapientiæ Dei hoc loco, omnium rerum cognitionem complectimur*, &c. Et paulo post, *Quod attinet res futuras, illas etiam Deum nosse apertissima sunt in sacris Literis documenta.* Alibi tamen futurorum contingentium notitiam, quia non putant esse in genere scibilium, Deo aperte detrahunt, ut vel illa non cognoscat absolute, vel indeterminate tantum et verisimiliter noscat. *Socin.* prælect. c. xi. "Cum igitur nulla ratio, nullus Scripturarum locus sit, ex quo aperte colligi possit, Deum omnia quæ fiunt scivisse antequam fierent, concludendum est, minime asserendam esse a nobis istam Dei præscientiam, maxime cum et rationes non paucæ, et sana testimonia non desint, unde eam plane negandam esse appareat," &c. Sic Crellius, li. i. c. 24. "Inconsiderate illi faciunt," inquit, "qui futura contingentia Deum determinate scire aiunt, quia alias non esset omniscius, cum potius ideo ille determinate futura non concipiat, quia est omniscius et in rebus cognoscendis nunquam errat," &c. Et Smalcius contra Frantzium Disput. 12, adhuc clarius. "Quomodo vero verum esse potest, quod seipsum destruit et sacris Literis repugnat, vel illis magnam vim affert? Dicere Deum illa quæ nullo modo sunt scire, qualia sunt futura contingentia, est sibi contradicere; Nam quod scibile est illud contingens proprie non est, quod contingens est proprie, illud sciri non potest." Orthodoxi contra futura contingentia sub scientiam Dei infallibilem cadere statuunt.

VIII. Ad statum quæstionis, Nota 1. *Contingens* posse dici bifariam: Vel respectu *causæ primæ*, quatenus potest produci vel non produci a Deo; et sic omnes Creaturæ sunt contingentes respectu Dei, quia potuit nullas creare si voluisset: Vel respectu *Causarum secundarum*, quæ possunt effectum producere vel non producere, et quæ ideo distinguuntur a causis necessariis; Nos hic agimus de futuris contingentibus posteriori sensu, non priori.

IX. Secundo, Res potest considerari, vel *quoad certitudinem eventus*, vel ratione *modi productionis:* futurum contingens utrumque notat, nam qua futurum, notat certitudinem eventus, qua contingens vero, modum productionis; illud habet a decreto causæ primæ, hoc a constitutione causæ secundæ.

X. Quæritur ergo, An futura, non quævis et quæ habent causam necessariam, de his enim non dubitatur, Sed contingentia, quæ habent causam liberam, et ἀδιάφορον, non *logice* resp. causæ primæ, quo sensu etiam maxime

Digitized by Google

necessaria sunt contingentia, quæ possunt esse et non esse; sed *physice* resp. causæ secundæ contingentis, cadant sub scientiam Dei infallibilem, non ut indeterminate tantum et verisimiliter ea cognoscat, sed determinate et certissime: Quod negant Sociniani; Nos affirmamus.

XI. Rationes sunt, 1. Quia Scriptura talem scientiam passim Deo vindicat, Joan. xxi. 17. *Domine, tu omnia nosti*, et 1 Joan. iii. 20. *Deus est major corde nostro, et novit omnia.* Frustra hic reponitur omnia dici quæ scilicet scibilia sunt, talia autem non esse futura contingentia: Nam hoc est πρῶτον ψεῦδος quod probandum fuit, non supponendum; nos vero scibilia dicimus, non in se determinate, sed in decreto Dei.

XII. Act. xv. 18. *Nota sunt Deo*, inquit Jacobus, *ab omni ævo omnia opera sua.* Si omnia opera, ergo etiam libera et contingentia; si ab æterno nota, ergo etiam quæ futura. Nec dici debet 1. hic agi non de omni opere Dei, vel hominum, sed de illo de quo Jacobus agebat, quod pertinebat ad vocationem gentium. Nam nota universalis restrictionem non admittit, sed ostendit Jacobum progredi a genere ad speciem, a thesi ad hypothesim, hoc sensu, quia quicquid Deus agit in tempore id ab æterno decrevit et præscivit, ideo decrevit et præscivit gentes in communionem Ecclesiæ cooptatum iri citra Legis Mosaïcæ observationem. 2. agi de operibus quæ sunt, non vero de illis quæ nec fuerunt nec sunt nec certo futura sunt, qualia sunt futura contingentia: Nam licet non sint quoad esse reale, sunt tamen quoad esse cognitum; licet non sint futura certo quoad causas secundas, sunt tamen certo futura quoad primam, a qua definita sunt. 3. Vocatio gentium ita fuit opus Dei, ut debuerit etiam esse opus gentium, quia debuerunt respondere vocationi Dei per ejus gratiam; Ideo si Deus certo novit istam vocationem, nosse debuit futura contingentia.

XIII. Heb. iv. 13. *Omnia sunt nuda et intime patentia oculis ejus;* si omnia, ergo et cogitationes et voluntariæ hominum actiones, non tantum actu existentes sed et futuræ, quas Deus non modo videt in causis suis, sed etiam in decreto suo. Hinc dicitur *intelligere cogitationes nostras e longinque*, et *nosse sedere et surgere nostrum; priusquam sermo est in lingua mea, nosti ipsum totum*, Psal. cxxxix. a v. 1 ad 7, Ergo non tantum actu existentem, sed etiam futurum: et Jer. i. 5. *Antequam te formassem in utero, jam cognovi te.* Is. xlviii. 8. *Novi omnino te acturum perfide.* Ezech. xi. 5. *Eorum qui veniunt in spiritum vestrum, unumquodque ego novi.*

XIV. 2. Quia Deus prædicit futura contingentia; ergo ea novit, nam nisi nosset infallibiliter, non posset certo ea prædicere, ut passim facit; unde Tertull. li. ii. cont. Marci. *Præscientia Dei*, inquit, *tot habet testes, quot fecit Prophetas. Indicat a principio finem*, inquit, Is. xlvi. 10, *et ab omni antiquitate quæ nondum facta sunt.* Et c. xli. 23. *Indicate quæ eventura sunt in posterum, ut cognoscamus vos esse Deos;* sic se subinde Deus discernit a falsis Diis et creaturis. Exempla prædictionum passim occurrunt in Scriptura. Quid hic reponent Adversarii? An prædictiones illas esse ex verisimilibus tantum? ut impie loquuntur: Sed quis ferat blasphemam vocem, ut scientia Dei infallibilis sit mere conjecturalis, et Verbum ejus quod cœlo et terra firmius est et cujus ne iota quidem excidere potest quin omnia fiant, meris verisimilitudinibus fallibilibus nitatur. An prædictiones istas esse de rebus quas Deus decrevit facere? Sed nulla est ex rebus futuris quas Deus non decreverit, vel facere si bonæ sint, vel permittere si malæ; nec eas potest præscire nisi quia decrevit. An esse potius admonitiones quam prædictiones? Sed loca ipsa contrarium in-

Digitized by Google

nuunt; prædictio enim est narratio rei futuræ simpliciter; At monitio est hortatio ad opus virtutis, vel dehortatio a contrario. Quod si quædam prædictiones possunt ad hortationem hominum facere, non sequitur, non esse prædictiones. An hoc dici de futuris quibusdam, non omnibus? Sed cur hoc de nonnullis dicetur, non de omnibus? nulla diversitatis ratio dari potest.

XV. 3. Quia hoc natura Dei perfectissima exigit; nam si cognitio futurorum est perfectio in creaturis, multo magis erit in Deo. Deinde quia est *omniscia;* quod non esset tamen, nisi cognitio ejus ad omnia se extenderet, non modo præterita et præsentia, sed etiam futura, tam contingentia quam necessaria. 2. quia est *παρδιογνώστης*, quod non posset de ea dici, nisi penetissime nosset, non modo cogitationes, consilia et affectus cordis, sed etiam ipsas propensiones et dispositiones priusquam in actum exeant, Jer. xvii. 9, 10; Job. xxxiv. 21; Joan. ii. 24, 25; Act. i. 24; et Apoc. ii. 23. 3. *Omniprœsens*, quæ omnibus creaturis ubique et intime adest, et eas movet et agit, antequam seipsas moveant vel agant.

XVI. 4. Decretum Providentiæ eam post se trahit necessario, quia ut quicquid sit in tempore, Deus immutabiliter apud se decrevit, vel efficere vel permittere; Ita debet infallibiliter illud omne præscire: ratio, quia præscientia Dei sequitur ejus decretum, et ut decretum mutari non potest, ita nec scientia ejus falli: Ps. cxv. 3. *Deus noster in cœlis est, quicquid voluit fecit;* Rom. xi. 36. *Ex eo, per eum, et ad ipsum sunt omnia;* Eph. i. 11. *Omnia agit ex consilio voluntatis suæ.* Neque loca possunt referri tantum ad ea quæ Deus ipse facit, non vero ad ea quæ ab hominibus fieri debent, quæ Deus in ipsorum arbitrio posuit, ut vult Socinus. Nam omnia ex æquo Providentiæ divinæ subjecta sunt, nec libertas actionum humanarum obstat, quominus sub ejus scientiam et decretum cadant, ut postea dicetur.

XVII. Licet difficile sit assequi modum, quo Deus futura contingentia certo novit; non tamen propterea neganda est res ipsa, quæ tot locis Scripturæ et rationibus confirmatur.

Fontes Solutionum.

XVIII. Præcipuum fundamentum Scientiæ divinæ circa futura contingentia, non est, vel causarum secundarum natura, quæ supponitur esse *ἀδιάφορος*, vel simpliciter Essentia Divina, ut imitabilis a creaturis, et ut potens illa producere, quod est fundamentum possibilitatis rerum; sed *decretum* solum, per quod res a statu possibilitatis transeunt ad statum futuritionis, in quo ea tanquam præfinita et certo futura videt: Et quia Dei decretum non versatur circa rem, sed etiam circa modum rei, id. ut res fiat juxta naturam causæ, necessario si necessaria, libere si libera, Deus videt ea in decreto, non modo ut certo futura, sed etiam ut certo futura contingenter.

XIX. Quorum non est determinata veritas, eorum non potest esse certa et infallibilis scientia, si absolute et omnimodo sunt indeterminata; sed futura contingentia talia non sunt: Nam si sunt indeterminata respectu causæ secundæ, et in seipsis, non sunt respectu causæ primæ, quæ eorum futuritionem decrevit; si indeterminata est eorum veritas *respectu nostri*, qui non possumus videre quo se inclinatura sit causa secunda libera, non est talis *respectu Dei*, cui omnia futura obversantur ut præsentia.

XX. Non est *ἀσύνταττον* idem dici possibile et impossibile simul, sed *κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο*; possibile respectu potentiæ seu causæ secundæ, in se consideratæ et in sensu diviso, et impossibile secundum quid, ex hypothesi decreti et præscientiæ Dei. Ita possibile fuit Christum non crucifigi, si Deus voluisset, et impossibile propter decretum: quod ergo in sensu composito, et supposito Dei decreto de futuritione rei, est impossibile non fieri, tamen in sensu diviso et seposito eo decreto, possibile esset non fieri.

Digitized by Google

XXI. Aliud est rem posse fieri, vel non fieri, id. rem esse possibilem, vel non esse futuram ex hypothesi; Aliud rem posse esse simul futuram et non futuram: Prius notat tantum *simultatem potentiæ* quatenus res potuit fieri vel non fieri; Posterius infert *potentiam simultatis*, quia supponitur, aliquid simul posse esse et non esse: Contingens dicitur primo modo, non secundo, qui est ἀσύστατος.

XXII. Datur contradictio inter istas duas propositiones, homo est ambulaturus, et homo non est ambulaturus; sed non inter istas, homo est ambulaturus, et *potest non ambulare:* quia prima loquitur de *veritate futuritionis*, posterior de *veritate possibilitatis;* ita non pugnant inter se istæ duæ propositiones, et possunt esse simul veræ; *Adam certo est lapsurus*, et *Adam potuit non labi;* quia prior loquitur de rei futuritione ex decreto, posterior de rei possibilitate ex causæ secundæ dispositione.

XXIII. Infallibilitas et certitudo eventus, non tollit naturam contingentiæ rerum; quia res possunt fieri necessario quoad eventum, et tamen contingenter quoad modum productionis. Si datur præscientia futurorum contingentium, omnia fient necessario *necessitate consequentiæ*, secundum quid, infallibilitatis; non *consequentis* et absoluta. Manet ergo discrimen semper inter necessaria et contingentia, quod illa habent necessitatem intrinsecam, quia oriuntur a causis proximis necessariis, et talia sunt in se: Contingentia vero, quæ licet necessitatem habeant extrinsecam, ratione eventus, tamen natura sua per causas contingentes fiunt.

XXIV. Libertas voluntatis evertitur quidem per necessitatem physicam et coactionis, quæ pugnat cum formali ratione libertatis; sed non per necessitatem hypotheticam et infallibilitatis eventus, idem enim hoc respectu potest esse liberum et necessarium: Unde quamvis actiones hominum sint liberæ, quia sponte fiunt et prævio rationis judicio, non desinunt esse necessariæ ratione decreti et præscientiæ Dei. Præscientia autem Dei infert quidem futuritionis et eventus infallibilitatem, et necessitatem consequentiæ, non tamen infert coactionem aut violentiam, nec aufert voluntati intrinsecam libertatem.

XXV. Præscientia Dei infallibilis non infert Deum esse causam peccatorum, quia Deus præscit peccata ut certo eventura, v. g. venditionem Josephi et traditionem Christi, non tanquam a se efficienda qua peccata, sed ut permittenda, a se vero ordinanda; qui modus non magis in præscientia et decreto, quam in executione eum reum facit, quia nec decretum, nec præscientia intrinsecam necessitatem afferunt homini, sed tantum extrinsecam quoad eventum.

XXVI. Deus homines non tentat ex ignorantia, ut ea ratione cognoscat quod antea nescierit, sed ex sapientissima providentia, ut aliis declaret quod antea eos latebat. Ita tentavit Abrahamum, non ut cognosceret fidem et obedientiam ejus hoc experimento quam antea ignoraret, cum jam antea, (Gen. xviii. 19) Deus professus esset se nosse ejus pietatem, sed ut notam redderet mundo et Ecclesiæ insignem ejus fidem: Nec si dicitur, Gen. xxii. 12. tunc novisse Deus quod ipsum timeret, *Nunc cognovi quod times Deum, quod non pepercisti unigenito filio tuo propter me;* hoc absolute intelligendum est de cognitione quam Deus obtinuerit, sed *transitive* de cognitione quam aliis dederit, ut sæpe verba similia usurpari solent in Scriptura.

XXVII. Licet Deus, Gen. xviii. 21. testetur se descendere velle ad videndum, an clamor Sodomæ qui ad ipsum venerat verus esset, non sequitur eum antea ignorasse qualis et quanta esset istius civitatis impietas, quia jam dixerat, *Clamorem Sodomæ et Gomorrhæ multiplicatum*

Digitized by Google

esse, &c. sed hoc *ἀνθρωποπαθῶς* dicitur, ut innuat se boni et exacti judicis partes implere, et nihil temere vel pronunciare, vel exequi, ut judex accuratus in rem ipsam præsens inquirit, ne præcipitanter quid agat.

XXVIII. Deus dicitur expectare uvas a vinea, Is. v. 4. non quod nesciret quid esset eventurum, sed humanitus hoc dicitur, quod serio mandaret populo suo ut bonis operibus studeret, et ea esset natura donorum collatorum, ut non minus ex iis deberet fructum expectare, nisi incidissent in solum ingratum, quam sedulus agricola fructum solet expectare ex vinea rite exculta.

XXIX. Quando Deus concipit futura contingentia ut certo futura, non concipit ea aliter quam sunt; sed ea relate ad decretum novit, ut necessario eventura et determinata, quæ relate ad causas suas novit indeterminata et contingenter futura. Præscit ergo ea Deus, tum in *seipso*, et decreto suo ut prima causa, et sic necessaria sunt propter immutabilitatem decreti et infallibilitatem præscientiæ; tum in *causis secundis*, a quibus proxime et immediate dependent, quæ sunt per se indefinitæ, et ita sunt contingentia.

QUÆSTIO XIII.

DE SCIENTIA MEDIA.

An præter Scientiam Naturalem, et Liberam, detur in Deo Scientia quædam Media? Neg. contra Jesuitas, Socin. et Remonst.

Scientia Dei duplex, naturalis et libera.

I. Licet *Scientia* Dei non minus una sit et simplex intrinsece, ac ejus Essentia, diversimode tamen spectari potest extrinsece ratione objectorum; solet vero distingui vulgo a Theologis in *Scientiam simplicis intelligentiæ* seu *naturalem*, et *indefinitam*, Et *Scientiam liberam*, seu *visionis* et *definitam;* illa est *rerum mere possibilium*, quæque ideo *indefinita* vocatur, quia nihil de illis definitum est in alterutram partem apud Deum: Ista est *rerum futurarum*, quæ *definita* dicitur, quia res futuræ definitæ sunt certo Dei consilio. Unde differunt inter se, 1. *objecto*, quia scientia naturalis versatur circa res possibiles; Libera vero circa res futuras; 2. *fundamento*, quia scientia naturalis fundatur in Omnipotentia Dei; Libera vero pendet ab ejus voluntate et decreto, per quod res a statu possibilitatis transeunt ad statum futuritionis; 3. *ordine*, quia scientia naturalis antecedit decretum, libera vero illud sequitur, quia intuetur res ut futuras; futuræ autem non sunt nisi per Decretum.

Quænam sit origo Scientiæ mediæ.

II. Præter duas hasce Scientiæ divinæ species, Tertiam excogitarunt Jesuitæ *Fonseca*, *Lessius*, *Molina*, nec enim inter eos convenit, quis spurii istius fœtus sit genuinus parens, singulis hunc sibi vindicantibus, quam *Mediam* dixerunt, quod media sit inter naturalem et liberam, et differat ab utraque; ab indefinita et naturali, quia versetur circa futura, non vero circa possibilia; a libero vero, quia non sit certo futurorum, sed tantum ex hypothesi. Ita autem Scientiam istam mediam Authores explicant, ut dicant esse Præscientiam Dei circa futura conditionata, quorum veritas non pendeat a decreto Dei libero, cum illud antecedat; sed a libertate creaturæ, quam certo prævidit Deus, sive in se, sive in re, quomodo seipsam sit determinatura, si in tali rerum ordine collocaretur.

Digitized by Google

III. Scopus Jesuitarum fuit hæresim Semipelagianam de prævisa fide et bonis operibus in Electione tueri, et Idolum Liberi Arbitrii asserere, ut facilius sese expedirent ab argumentis Dominicanorum talem prævisionem rejicientium, hac potissimum ratione, quod, cum nulla sit scientia in Deo, nisi vel naturalis, quæ est possibilium, vel libera, futurorum, omnis præscientia fidei et boni usus liberi arbitrii, pendere debeat a decreto, non illud antecedere. Quam rationem non alio modo eludere se posse arbitrati sunt, quam Scientiam istam mediam excogitando. Quas autem turbas quæstio ista excitarit inter Jesuitas et Dominicanos, Papa interim ad cujus tribunal res tota non semel delata fuit pro sui judicii infallibilitate, in re tanti momenti dormitante, et non audente quicquam statuere, non opus est ut recenseamus: Sufficit ut notemus commentum hoc, quod tanquam Helenam suam depereunt Jesuitæ, ut falsissimum oppugnatum fuisse acerrime a Dominicanis, inter quos eminent *Cumel*, *Ripa*, *Alvarez*, *Nugno*, et alii, ad quos hodie accedunt Jansenistæ.

IV. Hoc commentum adoptatum postea fuit a Socinianis et Remonstrantibus, qui animose illud sustinent, ut liberum Arbitrium in arce collocent; vide *Armi.* thes. de Nat. Dei, *Vorstium* Disp. de Deo, *Grevinchovium* in dissert. Theol. adversus Amesium.

Status Quæstionis.

V. Non quæritur; An Deus futura conditionata cognoscat, convenit enim inter omnes Deum scientia aliqua, non tantum res ipsas, sed omnes earum combinationes et connexiones, sive præsentes, præteritas et futuras, sive necessarias et contingentes ab æterno scire. Sed, An pertineant ad Scientiam quandam mediam distinctam a naturali et libera; quod negamus.

VI. Non quæritur de futuris conditionatis necessariis, quæ tali aut tali posita conditione non possunt non evenire; ut si Sol oriatur, dies erit, si Petrus ex animo resipiscat, salvabitur; nam ut ista sunt necessario inter se connexa, vel ex rei natura, vel ex hypothesi decreti divini, cadunt sub Dei scientiam, vel naturalem, si conditio sit tantum possibilis, vel liberam si sit futura, et a Deo decreta. Sed agitur de futuris conditionatis contingentibus, quæ posita conditione, possunt esse et non esse, v. g. si Johannes esset Lutetiæ, loqueretur vel peccaret, et sim.: An certo et determinate possint cognosci antecedenter ad decretum Dei; quod negamus.

VII. Non quæritur, An scientia futurorum conditionatorum detur in Deo antecedenter ad omne decretum: Nam Adversarii non negant decretum aliquod generale præcedere, quo decreverit causas secundas producere, et quo paratus sit generalem saltem et indifferentem concursum præbere creaturæ, quotiescunque ad agendum sese ipsa determinare voluerit: Sed quæritur, An præcedat decretum speciale de certa hujus vel illius rei futuritione, ut Deus rem istam videat antecedenter ad tale decretum, vel in seipsa, vel in causis suis; quod ipsi pertendunt; Nos negamus.

VIII. Quæritur ergo, An præter scientiam naturalem, quæ est tantum de possibilibus, et scientiam visionis, quæ est tantum de futuris, detur in Deo scientia quædam tertia, seu media de futuris conditionatis, qua Deus cognoscat, quid homines vel Angeli absque præcedente decreto speciali libere essent facturi, si cum his vel illis circumstantiis in tali rerum ordine collocarentur. Affirmant Jesuitæ, Socin. et Remonstr.; Negant Orthodoxi.

Nullam dari scientiam mediam probatur.

IX. Rationes sunt; 1. Quia scientia naturalis et libera omnia scibilia complectuntur; et Entia non sunt multiplicanda sine necessitate: nihil enim est in rerum natura

Digitized by Google

quod non sit possibile, aut futurum; nec tertium ordinem constituere possunt futura conditionata. Nam vel talia sunt ex conditione duntaxat possibili seu potestativa, nunquam tamen eventura, vel ex conditione certo futura et decreta: priori modo non egrediuntur naturam possibilium, et pertinent ad scientiam naturalem; posteriori futura sunt, et a Deo decreta et ad scientiam liberam spectant.

X. 2. Quia quæ vera non sunt non possunt præsciri ut vera; At futura conditionata non sunt vera seclusa voluntatis divinæ determinatione; v. g. Sidonios resipiscentiam acturos, si virtutes in illis facta fuissent, nam indifferenter se habebant natura sua Sidonii ad resipiscendum vel non resipiscendum positis illis virtutibus: Ergo aliunde provenire debuit, quod verum fuerit, eos pœnitentiam acturos positis virtutibus illis, si omnino verum fuerit. Nulla vero fingi potest hujus rei causa præter voluntatem Dei; ab æterno enim nihil fuit, quod causa esset determinationis rei indifferentis ad partem alteram præter voluntatem Dei: Non essentia ejus vel scientia, utraque enim sejuncta a voluntate nihil operatur ad extra. Ut ergo nullus effectus potest intelligi futurus, sive absolute sive ex hypothesi absque divino decreto, quia nulla creatura potest esse in mundo sine divina causalitate; Ita nullum futurum conditionatum potest esse scibile ante decretum.

XI. 3. Si omnes actus voluntatis creatæ subjacent Providentiæ divinæ, ut nullus sit independens et indeterminatus; nulla potest dari scientia media, quæ supponitur habere pro objecto liberam voluntatis determinationem quæ a nulla causa superiori dependeat. Talem autem dari voluntatis creatæ subjectionem, evincit dependentia quæ est inter primam causam et secundas, inter Creatorem et creaturas. Nec sufficere potest ad istam dependentiam salvandam, quod voluntas dicatur creata, et ipsius libertas data sit a Deo: Nam not desinet esse principium suæ determinationis, si actus ejus non dependent ab aliquo decreto; Non erit quidem primum Ens, sed erit tamen primum operans, nec erit amplius causa secunda, sed prima; quia si pendet in esse a Deo, non pendet tamen in operari.

XII. 4. Nulla scientia incerta Deo est tribuenda; At scientia media nullam certitudinem habere potest, quia versatur circa objectum incertum et contingens, puta voluntatis ἀδιαφορίαν. Quæro ergo unde certo scire possit Deus quid sit futurum vel non futurum? Hoc enim fiet; Vel ex natura rerum ipsarum quando eas spectat, vel in causis, vel in seipsis, ut sunt actus liberi in voluntate creata, quod placet Bellarmino; sed quomodo res incerta poterit fundare scientiam certam? Vel ex scientiæ divinæ infinitate, quæ certo præscit ad quam partem moralis persuasio voluntatem, alias ad oppositum liberam, sit inclinatura, quod volunt Vasquez et Suarez; sed quomodo scientiæ infinitas poterit mutare rerum naturam, et videre rem certo eventuram, quæ contingens est? Rursus scientia vel eventum certum facit, vel ut certum prævidet; si facit, quomodo præscire potest ut talem, et ubi voluntatis indifferentia? si ut certum prævidet, quomodo certa potest esse prævisio rei incertæ et indifferentis? Vel ex rerum existentia ab æterno, per quam præsentes Deo dicuntur; ut aliis videtur: Sed cum nullum habere possint esse reale ab æterno, sed tantum intentionale, non aliter dici possunt existere ab æterno, quam ratione decreti in quo futuritionem suam obtinent. Cum ergo necessitas certa eventus non possit fundari in terminorum connexione contingenti, nec in scientia ipsa quæ rem cognoscit, non facit, sequitur ut sit tantum a connectentis efficaci decreto; unde optime Thomas i. q. 14, art. 13. " Qui cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, et non in causa aliqua superiori certo determinante, non habet de eo nisi conjec-

Digitized by Google

turalem cognitionem; quoniam ex causa indifferenti in quantum indifferens, non erit actus determinatus; et eadem ratione ex antecedente contingente, in quantum contingens, non erit illatio necessaria ante decretum divinæ voluntatis."

www.libtool.com.cn

XIII. Quinto, scientia media tollit dominium Dei in actus liberos, quia ea stante actus voluntatis supponuntur esse antecedenter ad Decretum, ideoque futuritionem non habent a Deo, sed a se; imo Deus hoc pacto videtur potius pendere a creatura, dum nihil potest decernere vel disponere, nisi posita humanæ voluntatis determinatione, quam Deus in tali connexione rerum viderit. Nec reponi debet dominium Dei non tolli propterea, quia Deus potest illam connexionem, vel aliquam connexionis illius circumstantiam tollere; v. g. In præscientia, qua Deus novit Petrum negaturum Christum, si ponatur in tali statu, Deum posse facere ut non neget Christum, auferendo aliquam circumstantiam prævisam, v. g. timorem mortis, vel addendo majus lumen in intellectu, et majorem inclinationem in voluntate ad confessionem, et sim. Nam non sufficit ad Dei dominium adstruendum, quod Deus possit efficere ut Petrus non neget Christum; nam poterat Petrum ex hac vita vocare antequam Christus caperetur; sed hoc esset dominium habere in vitam Petri, non in ejus liberum arbitrium; sed requiritur ut actus liberi Petri, negandi vel non negandi Christum, ab eo pendeant, quod posita ista scientia negatur. Deinde, si Deus potest auferre unam circumstantiam prævisam, Ergo potest mutare rei eventum; si potest per decretum mutare rei eventum, Ergo ad decretum etiam pertinet eum procurare; Idem enim qui impedit eventum per ablationem alicujus circumstantiæ, debet eum causare per circumstantiarum positionem.

XIV. Sexto, posita hac scientia, assignari posset ratio Prædestinationis extra Deum præter ipsius propositum et εὐδοκίαν, quia consensus prævisus voluntatis Jacobi in tali dispositione constituti, esset saltem conditio sine qua non Deus potius Jacobum quam Esavum ad salutem prædestinaret. Sed nulla ratio ex Paulo potest assignari istius electionis, præter εὐδοκίαν Dei, Ro. ix. 11. *Nondum enim natis pueris, et cum nihil fecissent boni vel mali*, non propter prævisum liberi arbitrii bonum usum per scientiam mediam, sed *ut propositum Dei firmum maneret, non ex operibus sed ex vocante, dictum est, major serviet minori.* Nec dicendum conditionem hanc assignari ex parte Dei cujus est scientia, non hominum; Nam licet Deus sit qui præscit, objectum tamen quod præscit statuitur esse bonus usus liberi arbitrii prævisi ante decretum, ut ratio decreti non in Deo, sed in homine ponatur. Sic gratia aptius dicetur pedissequa humanæ inclinationis quam domina, et *comes* quam *causa*, quæ facit ut Deus pendeat potius ab homine, quam homo a Deo.

Fontes Solutionum.

XV. Locus, 1 Sam. xxiii. 11, 12, non potest facere ad Scientiam mediam adstruendam, quia non tam est prædictio futurorum quæ adhuc essent in fieri, quam revelatio occultorum quæ jam tunc erant, puta consiliorum quæ inter Kehelitas agitabantur de tradendo Davide, si ibi substitisset; Nam cum David dubius esset de consilio Saulis et animo Kehilitarum erga se, et interrogaret Dominum propterea, num Saul esset descensurus contra Kehilam et Kehilitæ ipsum essent tradituri in manus Saulis, si scil. inter ipsos maneret; respondet Deus, ut David sese eorum furori subduceret et fugam arriperet, Et Saulem descensurum et Kehilitas eum tradituros, si istic maneret, quia revera et Saul se accingebat ad iter, et Kehilitæ de Davide illi tradendo, clancularia jam agitabant consilia, *Tradent te enim*, id. volun-

Digitized by Google

tatem habent te tradendi, ut habet Glossa interline. Ita τὸ *descendere* et *tradere* non de actione ipsa ex hypothesi futura intelligitur, sed ut sæpe alibi, pro *consilio* et *intentione* ponitur, id. in *animo habere* hoc facere, ut Act. xii. 6, et xvi. 27.

www.libtool.com.cn

XVI. Verba Christi, Matth. xi. 22, 23. *Si Tyri et Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt inter vos, olim cum sacco et cinere resipuissent*, non sunt ad literam urgenda, quasi ageretur de re aliqua quæ sub hac vel illa conditione determinate esset futura. Nam est *hyperbolicum* et *proverbiale loquendi genus*, ubi Christus odiosa Judæis comparatione vult exaggerare contumaciam et rebellionem earum urbium, quæ miraculis suis inclaruerant, quam ut καρδιογνώστης noverat majorem et obstinatiorem malitia Tyriorum et Sidoniorum. Sic Christus non loquitur ex præscientia de rebus ullis futuris conditionatis, sed usitata hyperbole suam Judæis præ Tyriis et Sidoniis vult ingratitudinem et impœnitentiam exprobrare: quomodo si præceptor tardum aliquem et bardum discipulum alloquens diceret; si tandiu asinum docuissem, hoc non ignoraret; vel de Judice inexorabili, si tandiu saxa et rupes pulsassem, eas fregissem; non id volumus, vel rupes posse molliri, vel asinum posse doceri, sed tantum maximam esse illius discipuli tarditatem, et istius Judicis duritiem. Eo modo Christus, Luc. xix. 40, *Si hi sileant, lapides clamabunt*, non quasi lapides clamare possint, sed ut ostendat personam suam, doctrinam et opera, ita esse clara et indubitata, ut non possint amplius occultari. Similis locus est Ezech. iii. 6, *Si te misissem ad populos ignotæ linguæ, nonne tibi auscultassent?*

XVII. 2 Sam. xii. 8, Propheta enumerat beneficia Dei erga Davidem ingratum, quibus majora additurus fuisset, si David in obedientia perstitisset, non ex decreto aliquo conditionali, vel ex scientia media, sed juxta promissionem pietati factam. Ita Ps. lxxxi. 14, 15, notatur promissio conditionalis cum exprobratione ingratitudinis; sed nihil habetur de futuri conditionati præscientia ante decretum. Eodem modo intelligenda sunt verba Elissæi, 2 Reg. xiii. 19, ad Joasum; *Si terram percussisses quinquies aut sexies, percussisses Syros ad internecionem usque;* non quod id per scientiam mediam cognosceret, sed quia Propheta revelatione divina indefinite facta id pro affectu colligeret.

XVIII. Aliud est Deum prævidere vel cognoscere connexionem rei unius cum alia v. g. peccati cum morte, et justitiæ cum vita; Aliud cognoscere connexionem istam ut futuram in tali subjecto, in hoc vel illo statu constituto. Hoc postulat, decretum aliquod, quo statuatur quid circa illud subjectum fieri debet; Illud vero potest fundari in sola possibilitate et habitudine rerum ad se invicem.

XIX. Aliud est Deum cognoscere omnes omnium rerum connexiones ut necessarias, et rerum per illas eventurarum causas antecedenter ad decretum; Aliud nosse connexiones contingentes eventuum, et rerum omnium possibiliter futurarum; si illud daretur, posset scientiæ mediæ favere, sed falsum est, Deum omnes omnium rerum connexiones ut necessarias, et eventum rerum infallibiliter producturas maxime in actibus liberis cognoscere antecedenter ad decretum, a quo omnis rerum futuritio pendet: posterius vero quod concedimus, non infert dari scientiam mediam; quia connexiones ejusmodi contingentes pertinent tantum ad scientiam naturalem, quando considerantur antecedenter ad decretum determinans illarum connexionum aut mediorum certam futuritionem.

XX. Quod concipitur a Deo esse determinate, illud etiam pronunciari potest esse determinate; quod vero concipitur demum esse possibiliter, illud pronunciatur demum possibiliter esse. At coëxistentia actus liberi

Digitized by Google

ex hypothesi concipitur esse *determinate* antecedenter ad decretum, negatur; *possibiliter*, conceditur. Sic verum est Petrum *possibiliter* peccaturum, si ponatur in tali rerum ordine antecedenter ad decretum; Sed non *determinate*, ut verum sit Petrum actu et reipsa peccaturum, si ponatur in tali rerum ordine; hoc enim non potest certum esse nisi ex decreto Dei permissivo.

XXI. *Necessitas* et *contingentia* aliter se habent in *simplicibus terminis*, aliter in *complexis*. Primo modo dividitur Ens in necessarium et contingens, nec possunt eidem competere; sed secundo, quatenus oriuntur ex diversa causarum ad effectus habitudine, eatenus sic coincidunt, ut quod respectu primæ causæ est necessarium, respectu secundæ possit esse contingens, ita disponente prima causa, quæ non modo efficit ut res sit, sed ut suo modo sit, hoc est necessaria necessario, contingens contingenter; Nec tamen ista necessitas respectu primæ causæ libertatem tollit liberi arbitrii, quia necessitas ista non est coactionis, sed consequentiæ seu infallibilitatis, quæ optime consistit cum libertate.

XXII. Quamvis Deus antecedenter ad decretum possit nosse ex variis mediis quæ ad voluntatem movendam adhiberi possunt, hæc aut illa posse melius persuadere aliis, si adhibeantur; non potest tamen cognoscere hæc actu persuasura antecedenter ad voluntatem dandi illa media, et ad effectum producendum efficaciter movendi: Nec valet exemplum quod affertur de igne, quem Deus novit habere esse calefactivum antecedenter ad voluntatem creandi ignem qui actu calefacturus sit; quia alia est ratio agentium naturalium, natura sua ad unum determinatorum; alia vero liberorum, quæ ad utrumque oppositorum ferri possunt.

XXIII. Aliud est loqui de *causa rerum existentiæ;* Aliud de *causa futuritionis* rerum. Causæ secundæ cum Deo concurrere possunt ad causandam rei alicujus existentiam, quia simul cum Deo existunt et activæ sunt. At nulla causa secunda cum Deo concurrere potest ad causandam rerum futuritionem, quia futuritio facta est ab æterno, at causæ omnes tantum sunt in tempore. Unde patet rerum futuritionem non aliunde pendere quam a Dei decreto, atque adeo non aliunde quam ex decreto præsciri posse.

QUÆSTIO XIV.

DE VOLUNTATE DEI.

An Deus quædam velit necessario, quædam libere? Affir.

I. Intellectum Dei sequitur necessario *Voluntas*, cujus *objectum* est tantum bonum, ut intellectus est verum. Quia vero bonum vel est increatum et infinitum, vel finitum et creatum; hinc duplex voluntati objectum assignatur, primarium nimirum Deus, ut bonum infinitum; secundarium vero res omnes creatæ extra Deum, quæ rationem habent boni finiti, quas etiam extra se vult Deus, sed non eodem modo; se quidem *necessario per complacentiam*, alia vero omnia *libere ex decreto:* Unde quæstio proposita oritur.

Status Quæstionis.

II. Ad statum quæst. observa 1. *necessarium* duplex esse: Aliud *absolutum* quod simpliciter et per se suaque natura non potest aliter se habere, ut Deum esse bonum, justum &c. Aliud *hypotheticum*, quod non ita est ex se et simpliciter

Digitized by Google

tale, quin possit aliter se habere, sed tamen posito aliquo necessario sequitur, nec potest aliter se habere; ut si ponas Deum prædestinasse Jacobum ad salutem, necesse est Jacobum salvari, nim. ex hypothesi decreti; quia alias potuisset non prædestinari, et non salvari. Quando ergo quæritur, An Deus velit quædam necessario, quædam vero libere; non agitar tantum de necessitate hypothetica: sic enim ea quæ Deus vult libere, posito decreto non potest amplius non velle; sed de necessitate absoluta.

III. *Liberum* dicitur vel ratione *spontaneitatis* vel *indifferentiæ;* illud quod fit sponte et sine coactione, hoc vero quod ita est comparatum ut possit fieri et non fieri. Quum quæritur, An quædam Deus velit libere, non intelligitur tantum libertas spontaneitatis; sic enim ea quæ Deus vult maxime necessario, vult etiam libere, id. sine coactione; sed proprie libertas indifferentiæ, id. An ita illa velit, ut potuerit ea nolle.

IV. Tertio, duo sunt volitorum genera; Aliud *principale* quod habet rationem finis ultimi; Aliud *secundarium* quod habet rationem mediorum: In prius voluntas fertur necessario, ut non possit in illud non ferri: In posterius vero libere fertur et per electionem, nisi necessariam et inseparabilem connexionem habeat cum ultimo fine, ut sine illo finis esse non possit. Tunc enim eadem necessitate qua volumus ultimum finem, volumus et istud medium, ut qui vult vitæ conservationem, vult etiam cibi sumptionem, sine quo vita conservari nequit.

V. Hoc posito; dico Deum velle seipsum necessario, non tantum necessitate hypothetica, sed etiam absoluta; quia est ultimus finis et summum bonum, quod non potest non velle et amare, non modo quoad specificationem, ut nihil contrarium velit aut amet, sed et quoad exercitium, ut a seipso volendo et amando nunquam cesset, quia non potest nolle gloriam suam aut seipsum abnegare: Cætera vero libere; quia cum nulla res creata necessaria sit respectu Dei sed contingens, utpote qui ea potuit carere, ita vult omnia, ut potuerit non velle, id. libertate non tantum spontaneitatis, sed etiam indifferentiæ.

VI. *Libertas* illa divinæ voluntatis circa res creatas, intelligenda est *absolute* et a *priori*, et respectu rerum in se consideratarum; non *hypothetice* et a *posteriori*, respectu ipsius decreti: Nam hoc sensu Deus res creatas vult necessario ex hypothesi, quia posito quod semel eas voluerit, non potest amplius nolle, propter voluntatis immutabilitatem; sed absolute loquendo vult eas libere, quia ad eas primo volendas nulla necessitate sed mera libertate inductus est, et potuit ab earum productione abstinere.

VII. Hæc vero indifferentia voluntatis divinæ, tantum abest ut minus deceat Dei majestatem, ut maximum sit perfectionis in Deo argumentum, qui, ut Ens independens, nulla re extra se eget; ut id maximum est in creaturis imperfectionis testimonium.

VIII. Deus vult res omnes creatas propter se non perficiendum, quasi illis egeat; sed communicandum, et suam in illis bonitatem et gloriam manifestandam; unde, quia illis potuit omnibus carere sine ullo beatitatis suæ detrimento, libere dicitur eas velle. Cum enim omnia velit Deus extra se in quantum ordinantur ad bonitatem suam ut in finem, et bonitas Dei sit perfecta sine aliis, ut nihil ex aliis illi perfectionis accrescat; sequitur quod Deus alia a se velit, non esse necessarium absolute, sed tantum ex hypothesi, ut bene notat Tho. i. 1, q. 19. Art. 3.

IX. Quamvis Deus velit omnia propter bonitatem suam, et bonitatem suam velit necessario; non tamen sequitur eum velle eadem necessitate

Digitized by Google

alia omnia quæ vult extra se; quia vult ista propter bonitatem suam non ditandam, sed effundendam, atque ita ut sine illis esse possit.

X. Non eadem est ratio intellectus in cognoscendo, et voluntatis in volendo, quia intellectus res habet in se, et eas intuetur secundum quod sunt in seipso; voluntas vero ad illas fertur: unde in intelligendo ad modum recipientis intelliguntur; in volendo vero secus; intellectus res ut existentes, saltem in se intuetur, ideoque eas non potest non intelligere; sed voluntas eas facit, propterea libere circa illas versatur: Ut ergo res omnes prout sunt in Deo, necessitatem quandam habent, in seipsis vero contingentiam; Ideo, quæcunque scit Deus, ex necessitate scit; non vero pariter quæcunque vult ex necessitate vult.

XI. Licet omnis volitio Dei sit æterna, non tamen debet esse statim absolute necessaria; nam quod est necessarium *originaliter* a parte principii, potest esse liberum *terminative*, et a parte objecti.

XII. Huc pertineret quæstio de *Voluntate Dei* circa *peccatum*, quomodo possit dici Deus velle peccatum; sed commodius tractabitur postea in Loco de *Providentia*.

QUÆSTIO XV.

An bene distinguatur Voluntas in Voluntatem Decreti, et Præcepti, εὐδοκίας et εὐαρεστίας, Beneplaciti et Signi, Arcanam et Revelatam? Affir.

I. Quamvis unica sit et simplicissima Voluntas in Deo, per quam omnia unico et simplicissimo actu comprehendit, ut unico intuitu omnia videt et intelligit: quia tamen circa varia objecta diversimode versatur; hinc fit ut modo nostro concipiendi, ut multiplex apprehendatur, non in se et intrinsece a parte actus volendi, sed extrinsece et objective a parte volitorum.

II. Hinc ortæ sunt variæ Voluntatis Dei distinctiones. Prima et præcipua illa est, qua tribuitur in *Voluntatem Decreti* et *Præcepti*. Illa statuit Deus quid velit ipse facere vel permittere: Ista quid velit a nobis fieri. Illa respicit rerum futuritionem et eventum, et est norma actionum Dei ad extra: Ista versatur circa præcepta et promissiones, et est norma actionum nostrarum. Illi resisti nequit, et semper impletur, Rom. ix. 19. *Voluntati ejus quis restitit?* Ista sæpe violatur ab hominibus, Mat. xxiii. 37. *Quoties volui vos congregare, et noluistis?*

III. Ut dantur loca varia Scripturæ, in quibus Voluntas Dei, vel pro *Decreto* sumitur, ut Ro. ix. 19, Eph. i. 11, vel pro *Præcepto*, ut Ps. cxliii. 10, Rom. xii. 2. Ita dantur etiam nonnulla in quibus utraque Dei voluntas simul significatur, ut Joan. vi. 38, dum ait Christus *se descendisse ut faceret voluntatem ejus qui misit eum*, id. ut impleret ea quæ a Deo decreta sunt, et ut Patris mandato obsequeretur. Et quum dicimus in oratione Dominica, *Fiat voluntas tua*, petimus ut ejus præceptis mos geratur, et ut ejus decreta impleantur.

IV. Licet præceptum cadat etiam sub Decretum quoad *propositionem*; non tamen cadit quoad *executionem*; unde bene inter se distinguuntur, ut Voluntas Decreti sit ea quæ determinat rerum eventum, Voluntas vero Præcepti ea quæ homini officium suum præscribit: Sic Deus potest sine contradictione velle quoad præceptum, quod non vult quoad Decretum; quatenus vult quidem aliquid homini præscribere, sed non vult id ipsum efficere, ut volebat Pharaonem dimittere populum, sed nolebat tamen populum reipsa dimitti.

Digitized by Google

V. Hinc fit, ut licet istæ voluntates ut diversæ a nobis concipiantur pro diversitate objectorum, non sint tamen contrariæ; quia ut jam dictum, non versantur circa idem. Equidem si Deus vi decreti sui homines impelleret ad ea facienda quæ Lege prohibuit, aut si conantem Legi obsequi, opposito obice ab obedientia revocaret, vellet pugnantia, et ipse adversaretur suæ voluntati: sed non pugnat decretum Dei cum ejus mandato, quando præcipit homini officium quod ab ipso debetur, ad quod tamen præstandum vires homini dare non vult, quia vult quidem rem quoad propositionem officii, sed non vult tamen quoad executionem eventus.

VI. *Voluntas Præcipiens* duplicia objecta habet; Alia *affirmativa;* quorum respectu et ipsa *affirmativa* dici potest, quando rei effectio præcipitur; Alia *negativa;* quorum respectu et ipsa *negativa* potest appellari, quæ consistit in rei prohibitione. Ita *voluntas decernens* habet objecta affirmativa, quorum respectu dicitur *effectrix* et *affirmativa*, tam respectu *termini* quam *principii;* Alia vero *negativa*, quorum respectu voluntas cessans dici potest et *negativa*, si non quoad principium saltem quoad terminum, et tunc vocatur *permissiva*, per quam statuit non impedire creaturam peccantem. Licet enim volitio ista sit *positiva* quoad *principium*, quatenus *vult non impedire*, bene tamen *negativa* dicitur quoad *terminum* qui est non-impeditio.

VII. Voluntas effectrix non potest consistere cum præcipiente negativa; nunquam enim Deus velle potest per se efficere quæ Lege sua tanquam mala fieri vetuit. Sed optime consistit cum præcipiente affirmativa; idem enim qui præcipit fidem, decernit eam Electis dare. Voluntas præcipiens affirmativa potest consistere cum voluntate decernente negativa, ut Deus præcipiat Creaturæ quod tamen non vult efficere in Creatura. Sic præcipit omnibus observationem Legis, quam tamen in iis non efficit; præcipit fidem in Christum vocatis, quam tamen multis denegare decrevit.

Voluntas εὐδοκίας et εὐαρεστίας

VIII. Ad distinctionem istam Voluntatis divinæ, accedit alia, qua distribuitur in *Voluntatem* εὐδοκίας et εὐαρεστίας, quæ a Theologis sæpe usurpatur: Voluntas εὐδοκίας respondet voluntati decreti, εὐαρεστίας vero præcepti. Petita vero videtur ex Scriptura, quæ illam εὐδοκίαν sæpe vocat, istam vero εὐαρεστίαν: Sic de voluntate decreti loquens Christus Matth. xi. 26, respectu eorum quibus vel abscondit vel revelat sua mysteria, *Ita est Pater,* ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου, *quia tale fuit tuum beneplacitum;* Et Paulus Ephes. i. 5, dicit Deum nos prædestinasse κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *juxta beneplacitum voluntatis suæ.* Ita v. 9, mentio fit hoc sensu εὐδοκίας. Quoad εὐαρεστίαν vero, illa non raro refertur ad voluntatem præcepti, quæ et *approbationis* et *complacentiæ* dicitur, ut Rom. xii. 2, Voluntas Dei cui nos debemus conformare, vocatur bona et εὐάρεστος; Et Eph. v. 10. δοκιμάζοντες τί ἐστι εὐάρεστον τῷ Θεῷ, *explorantes quid sit gratum Deo;* Col. iii. 20. τοῦτο γὰρ ἐστιν εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ, *hoc enim est acceptum Domino.* Hoc sensu εὐαρεστία innuit voluntatem Præcipientem et approbantem, qua Deus quid sibi gratum sit et ab hominibus fieri velit, declarat; εὐδοκία vero voluntatem decernentem, qua Deus beneplacitum suum testatur circa res quas ipse exequi statuit.

IX. Non ergo ita intelligenda est, quasi illud quod pendet ab εὐδοκίᾳ Dei, non esset etiam illi εὐάρεστον; nam quæcunque Deus decrevit fieri revera ipsi grata sunt eo respectu, nec dici potest aliquid velle exequi quod ipsi non placeat exequi: sed eo modo tantum recipi potest, quo refunditur in voluntatem decreti et præcepti, ut per voluntatem εὐδοκίας designetur

Digitized by Google

præcise ea voluntas, qua Deus aliquid decernit facere, vel permittere, et de qua nullam aliam rationem reddere possis ut plurimum, nisi quia sic Deo libitum est: per voluntatem vero εὐαρεστίας, ea qua vult proponere Creaturæ officium suum, tanquam rem gratam, sibi et in qua sibi complaceat.

X. Quamvis εὐδοκίαν nonnunquam confundamus cum εὐαρεστίᾳ, dum de illis dicitur quibus Deus delectatur, quia in iis est qualitas vel conditio aliqua quæ cum Dei natura convenit, quæque ideo ejus favorem conciliat; quomodo de Christo dicit Pater, Matth. iii. 17. ἐν ᾧ εὐδόκησα, id. quo vehementissime delector; quamvis et hoc non male referri possit ad voluntatem beneplaciti, quam Christus perfectissime implevit, satisfaciendo Justitiæ ejus: hic tamen stricte sumitur pro decreto, cujus nulla ratio extra Dei beneplacitum quærenda est.

XI. Εὐαρεστία contradistincte ad εὐδοκίαν in hoc argumento nihil aliud notat quam meram complacentiam, qua Deus rem aliquam ut justam et sanctam probat et ea delectatur, eamque propterea vult præcipere Creaturæ ut justissimum ejus officium: Unde non includit proprie decretum vel volitionem aliquam in Deo, sed tantum importat rei convenientiam cum Dei natura, juxta quam non potest non amare quod sanctitati ipsius est consentaneum: Nam approbatio rei alicujus non continuo est ejus volitio; nec si aliquid probo, idcirco statim id volo. Ideo minus proprie dicitur ista voluntas Dei.

XII. Licet ad voluntatem εὐαρεστίας pertineant etiam promissiones de salute danda credentibus, quæ cum præcepto Evangelico proponuntur; non sequitur connotare debere aliquod decretum vel volitionem proprie dictam conditionatam de danda omnibus salute: Nam tale decretum non posset consistere cum decreto reprobationis, nec cum sapientia Dei, cui repugnat aliquid velle sub conditione impossibili, et quam Deus ipse decrevit denegare creaturæ, qui solus eam potest dare; sed hinc tantum potest colligi, dari nexum inseparabilem inter fidem et salutem, qui a Deo ipso sit constitutus, ut nemo salutem possit obtinere qui fidem non habeat, et nemo fidem habeat, qui salutem certissime non consequatur: Ita promissiones quæ adduntur præceptis significant tantum quid Deus daturus sit credentibus et pœnitentibus, non quid dare velit illis omnibus quibus præceptum proponitur.

Voluntas Signi et Beneplaciti.

XIII. Tertia distinctio *Voluntatis* est in *Voluntatem Signi* et *Beneplaciti*, quæ distinctio ab Hugone de S. Victore primo allata, inde a Lombardo assumpta, lib. i. sent. dist. 45, ab omnibus Scholasticis, et Thom. præcipue p. 1, q. 19, Art. 11, 12, passim usurpatur, et a Theologis nostris bene explicata retinetur.

XIV. Scholasticis *Voluntas Beneplaciti* dicitur, quæ tantisper in Deo latet, et ejus liberrimæ potestati relinquitur, dum ex aliquo oraculo vel eventu ipso patefiat. *Signi* vero, quæ signo aliquo puta præcepto, vel promisso, nobis innotescit, quæque notat effectum aliquod extra Deum, quod est signum voluntatis ipsius. Unde quinque signa solent a Scholasticis rescenseri quibus Dei voluntas innotescat, scilicet præceptum, prohibitio, consilium, permissio, operatio; quæ hoc versiculo comprehenduntur,

Præcipit et prohibet, permittit, consulit, implet;

Sed perperam, 1. quia plura sunt signa talia, puta promissiones et minæ,

Digitized by Google

vaticinia, et narrationes. 2. Operatio non est signum voluntatis, sed effectum ejus quod ad voluntatem beneplaciti pertinet. 3. Permissio non cadit sub signum, sed sub beneplacitum. 4. Consilium vel refertur ad beneplacitum, vel includitur in præcepto.

XV. Melius ergo *Voluntas Beneplaciti* nobis dicitur ea quæ alibi vocatur *Decernens*, quæ nihil aliud est quam decretum beneplaciti Dei de rebus extra se futuris; *Voluntas* vero *Signi*, ea quæ dicitur *præcipiens* et *approbans*, quæ homini officium suum præscribit, et quid gratum Deo sit exponit.

XVI. Dicitur *Voluntas Signi*, non quod significet quid Deus facere circa hominem vel de homine velit; hoc enim sensu non contradistingueretur voluntati beneplaciti; sed quia significat quid Deus velit præcipere homini, ut sibi gratum, et justum ipsius officium: Ita voluntas ista bene dicitur cadere sub decretum et beneplacitum, quoad *præceptum rei*, non quoad *rem præcepti*, quia nihil Deus præcipit in tempore, quod præcipere non decreverit ab æterno.

XVII. Quando *Voluntas Beneplaciti* contradistinguitur *Voluntati Signi*; *Beneplaciti* vox non sumitur late, prout simplicem complacentiam et approbationem rei notat, vel decretum ejus præceptionis; hoc enim sensu voluntas signi potest etiam dici voluntas beneplaciti, quia versatur circa res quas Deus approbat, et quas decernit præcipere creaturæ; sed sumitur *stricte* prout notat placitum sive Decretum Dei de rei alicujus effectione vel permissione, quomodo Decreta Curiæ vocantur Placita.

XVIII. Non potest dari contrarietas inter istas duas voluntates, quia non idem volunt et nolunt eodem modo et respectu: Voluntas beneplaciti est *voluntas eventus* et executionis: Voluntas signi est *voluntas officii* et obligationis ad illud. Sic Deus voluit immolationem Isaaci voluntate signi quoad præceptionem, id. ut illam Abrahamo præciperet ad probationem ejus obedientiæ: Sed noluit eandem voluntate beneplaciti quoad eventum ipsum, quia decreverat cædem istam prohibere. Licet autem duo isti actus voluntatis divinæ diversi sint, Volo præcipere Abrahamo ut immolet filium, et, Nolo filium istum immolari, non sunt tamen contrarii; utrumque enim verum fuit, et Deum decrevisse hoc præcipere Abrahamo, et decrevisse pariter ejus effectionem impedire; sic Deus sine contrarietate voluit offerri, et non offerri Isaacum; voluit quoad *præceptum*, sed noluit quoad *effectum*; Tota voluntas Dei circa hoc factum non fuit, vel mandare tantum Abrahamo istam oblationem, vel eam impedire; sed debet complecti duos actus istos diversos, quorum prior est affirmativus, qui versatur circa præceptionem rei, posterior vero negativus, qui spectat ejus impeditionem: Nec sequitur exinde hominem juberi credere quod falsum est; quia illud demum jubemur credere quod revelatur, prout revelatur: jam vero eventus per ejusmodi mandata non revelatur, sed tantum officium et obligatio ad illud.

XIX. Licet Deus dicatur velle omnium salutem voluntate signi, et nolle voluntate beneplaciti, nulla tamen est pugna: Quia, præterquam quod propositio universalis, non tam de singulis generum quam de generibus singulorum est intelligenda, prior voluntas respicit meram Dei approbationem et præceptionem officii; posterior vero versatur circa ejus futuritionem et impletionem: prior notat quid Deo gratum sit, et quid constituerit præcipere homini ad salutem obtinendam; posterior vero quid ipse Deus decreverit facere. Non pugnant autem ista duo; velle vocare ad fidem et salutem, et nolle tamen fidem ipsam vel salutem dare; velle id. mandare homini ut credat, et nolle id. decernere ipsi non dare fidem ut credat.

Digitized by Google

XX. Voluntas signi quæ extrinsecus proponitur debet respondere voluntati alicui internæ in Deo, ne sit signum falsum et fallax: sed voluntas illa interna, non est decretum de danda salute huic vel illi, sed decretum de præcipienda fide, et promittenda salute si homo crediderit: quod nititur tum nexu a Deo constituto inter fidem et salutem, tum interna Dei dispositione, per quam ut seipsum amat, non potest non amare sui imaginem, ubicunque eam videt refulgere, adeoque delectari creaturæ fide et pœnitentia eatenus ut illam salute donet.

XXI. Salus promissa quæ proponitur per voluntatem signi, non cadit quidem proprie et directe sub præceptum, quia in suo formali promissio et præceptio differunt; illa dicit beneficium, hæc vero officium: Sed reductive et secundario potest ad illud pertinere, quatenus additur præcepto per modum stimuli, ut medium et motivum ad excitandum obedientiam illius cui præceptum datur. Et quamvis necesse sit promissionem habere fundamentum aliquod certitudinis eventus, ut moveat hominem, non petendum est illud a *decreto Dei circa personas* singulares, de conferenda omnibus salute, quod consistere non potest cum decreto reprobationis; sed a *decreto ejus circa res ipsas*, id. ab ordinatione et connexione inseparabili facta a Deo inter fidem et salutem, ut inter media et finem: hinc enim fit ut certissime promittatur salus in Evangelio omnibus credentibus, quia tam arcta datur ex Dei beneplacito connexio inter fidem et salutem, ut nemo illam habere queat, quin istius sit etiam compos.

XXII. *Verbo isti externo* quod signum est, v. g. *Omnis credens in Christum servabitur*, respondet aliquod *verbum internum* seu *res significata;* Voluntas nim. Dei connectendi inseparabiliter fidem in Christum cum salute, et talem ordinem ac salutis viam homini proponendi: sed non potest esse voluntas conditionalis omnes et singulos sub ista conditione servandi, quia testaretur Deus se id velle quod revera non vult erga præteritos, quibus conditionem denegat.

XXIII. Licet voluntas signi significet Deum esse misericordem, non sequitur debere esse misericordem respectu omnium et singulorum; sed tantum respectu eorum qui conditionem voluntate ista expressam sunt habituri, nim. credentium, qui cum non alii sint quam Electi, ad istos tantum misericordia voluntate ista expressa proprie pertinet: Adde quod cum voluntas ista signi nunquam fuerit universalis respectu omnium et singulorum, licet fuerit generalis et communis respectu omnium populorum et conditionum, non potest misericordia per illam significata esse universalis.

XXIV. Si Deus per istam voluntatem significaret se velle omnium et singulorum salutem, significaret se id velle quod minime vult, cum plurimos prætereundo eos salute donare noluerit: sed quum significat se velle salutem omnium credentium et pœnitentium, significat se id velle quod revera vult, et nihil verius, nihil sincerius est ista declaratione.

Voluntas Arcana et Revelata.

XXV. Quarta distinctio Voluntatis est; In *Arcanam* et *Revelatam:* Illa vulgo refertur ad voluntatem decreti quæ in Deo ut plurimum latet; ista vero ad voluntatem præcepti quæ revelatur et patet in Lege et Evangelio. Fundamentum ejus petitur ex Deut. xxix. 29. *Arcana ad Deum nostrum pertinent; revelata vero ad nos et filios nostros, ut faciamus verba Legis hujus.* Illa dicitur profunda abyssus et impervestigabilis, Psal. xxxvi. 6, et Rom. xi. 33, 34. Ista omnibus exposita est, neque est procul a nobis, Deut. xxx. 14; Rom. x. 8. Illa pro objecto habet ea omnia quæ Deus vult aut efficere, aut permittere, et quæ in specie de singulis hominibus vult facere,

Digitized by Google

quæ proinde absoluta sunt, et ad unum determinata; Ista respicit ea quæ nostri sunt officii, et quæ conditionate proponuntur. Illa semper fit; Ista sæpe violatur.

XXVI. Voluntas arcana dicitur, non quod semper nos lateat, et nuspiam reveletur; non raro enim Deus in Verbo arcana quædam consilii sui hominibus patefacit, et ex eventu ipso patet; Sed quod in Deo abscondita lateat, donec indicio aliquo, ut ex oraculo, vel ex eventu patefiat.

XXVII. Licet voluntas arcana de electione nostra in Deo maneat abscondita, non sequitur nullam posse nos habere certitudinem de salute, quia licet non possit haberi a priori, potest tamen haberi a posteriori.

XXVIII. Quicquid Christus in tempore fieri voluit ab hominibus ex officio secundum Legem et Evangelium, illud etiam in tempore revelavit; sed non statim quicquid Christus a se fieri decrevit ex beneplacito, quod Deus sibi servat ut plurimum, nec nobis nisi ex eventu patefacit, Act i. 7, Marc. xiii. 32.

XXIX. Licet Deus sit optimus, non necesse est ut omnibus bene velit ad salutem per voluntatem antecedentem; quia exercitium bonitatis ejus a sapientissima ejus voluntate pendet, quæ miseretur quorum vult, et quos vult indurat: nec si bonitatem suam erga creaturam vult diffundere per beneficium Creationis et Providentiæ, statim debet illi bene velle ad salutem.

QUÆSTIO XVI.

An bene distinguatur Voluntas in Antecedentem et Consequentem, Efficacem et Inefficacem, Conditionalem et Absolutam? Neg.

I. Præter distinctiones allatas Voluntatis Divinæ, quæ ab Orthodoxis recipiuntur; dantur et aliæ, quæ subinde ab Adversariis proponuntur; quæ quia minus commodæ sunt, et ὕστυλόν τι videntur in se habere, merito rejiciuntur.

An voluntas bene distinguatur in voluntatem antecedentem et consequentem.

II. Talis est distinctio voluntatis, *in Antecedentem et Consequentem*, quæ a Scholasticis passim refertur. Eam videtur primus tradidisse *Damascenus* lib. ii. Orthod. fide c. xxix. dum voluntatem Dei dicit aliam esse προηγουμένην, aliam vero ἐπομένην, postea a Scholasticis avide est arrepta, et a Novatoribus, Arminianis, Socinianis et aliis Gratiæ Universalis Patronis in causæ subsidium usurpata.

Quo sensu a quibusdam admittatur.

III. Sunt quidem etiam ex nostris Theologis, qui eam post Patres retineri posse putant; sed diversissimo tamen a Neopelagianis sensu, nimirum tum respectu *Mandatorum*, tum respectu *Decretorum:* Respectu quidem *Mandatorum*, volunt antecedentem voluntatem locum habere in præceptis, consequentem vero in promissis et minis quæ sanctionis ergo præceptis adduntur, et in beneficiis, vel pœnis quæ hominis obedientiam vel rebellionem consequuntur: Respectu *Decretorum* quoad ordinem et modum nostrum concipiendi, ut antecedens illa dicatur voluntas, quæ concipitur antecedere; v. g. voluntas de creando homine, quæ præcedit voluntatem de eo redimendo; consequens vero, quæ concipitur sequi alium voluntatis actum.

Quo sensu rejicienda sit.

IV. Sed Nostri constanter eam rejiciunt, quo sensu Scholastici et Neopelagiani ea usi leguntur, ut per Voluntatem Antecedentem, intelligatur Consilium Dei de omni-

Digitized by Google

bus in universum hominibus servandis, per Consequentem vero decretum de servandis credentibus, et damnandis incredulis: Illa sic dicitur, quod antecedat actum humanæ voluntatis, sive bonum, sive malum; Ista quia posterior est humana voluntate, et ab actionibus ejus bonis vel malis pendet.

www.libtool.com.cn

V. Ita Arminiani Voluntatem Antecedentem eam esse volunt, qua Deus vult aliquid creaturæ rationali ante omnem illius actum, seu ante actum aliquem creaturæ illius, Consequentem vero, qua aliquid vult creaturæ rationali post actum aliquem, sive post multos actus creaturæ: sic voluntate antecedente Deus voluit Saulis Regnum stabilire, et voluntate consequente voluit illum regno deturbare: illa voluit Judæos, ut pullos gallina, congregare; hac vero voluit illos spargere per omnes nationes: Illi resisti potest; sed isti nequaquam. Sic *Arminius* contr. Perkin.; *Corvinus* adversus Molinæum.

VI. Distinctio ista multis modis injuria est in Deum; 1. quia ei affingit contrarias voluntates: Deum scilicet voluntate antecedente velle omnes servare; consequente autem nolle omnes servare, sed quosdam tantum: ab æterno eum serio voluisse salutem Judæ, et tamen simul et eodem momento novisse Judam nunquam crediturum, et se nolle dare fidem Judæ, qua infallibiliter converteretur, imo permissurum ut in sua infidelitate maneat et pereat. Quis homini sanæ mentis tales voluntates ausit tribuere, ut dicatur velle serio et ardenter id quod tamen novit nunquam futurum, et quidem non futurum quia id efficere nolit, a quo solo effectus dependet? Nec exempla quæ afferuntur hic ab Arminio, possunt hoc efficere; v. g. Pater qui optat et vult serio ut filius suus ipsi obediat; at non violenter trahit ipsum ad obediendum; Et mercator qui vult merces suas salvas, sed necessitate compulsus projicit eas in mare; Ita Deus, inquit, compulsus malitia hominum eos damnat quos servare voluerat obedientes. Nam conferuntur hic valde dissimilia: Aliud est loqui de hominibus, qui licet valde serio aliquid velint, non possunt tamen fieri compotes voti, nisi per media convenientia quæ in ipsorum non sunt manu, unde frequenter sua spe excidunt et intentione frustrantur: Aliud vero de Deo, cui nunquam desunt media justa et convenientia per quæ assequatur id quod intendit. Ut ergo exemplum quadret debet ita proponi; An Pater qui nosset filium non obediturum, nisi hanc illi mentem et voluntatem indat, nec velit tamen, possit dici serio velle ut filius obediat? An Mercator, qui novit merces suas non posse conservari, nisi tempestas comprimatur a se, nec velit tamen, possit dici serio cupere merces suas salvas? Si talia exempla producerentur, quibus constaret, creaturam rationalem posse velle serio et ardenter id quod tamen novit se nunquam facturam, cum tamen facere posset, et cum ab ea sola eventus certo pendeat; facile fraus pateret, et id ab Adversariis Deo affingi, quod creaturis recta ratione utentibus non posset tribui.

VII. Secundo, distinctio ista non potest locum habere in Deo, quin illi tribuatur non modo *insipientia et impotentia*, dum fingitur Deus intendere aliquid serio, et desiderare affectu naturali quod non assequitur, nec potest assequi per hominem, quia ipse non vult; sed etiam *mutabilitas*, quia voluntati consequenti locus esse non potest, nisi prius rescissa antecedente: quomodo enim Deus posset simul eodum actu voluntatis, velle omnes homines servare, et majorem partem ipsorum damnare?

VIII. Tertio, Voluntas Antecedens, non tam voluntas est quam velleitas quædam, et inane et irritum desiderium quod nunquam impletur; quod in Deum sapientissimum et potentissimum cadere nequit: quomodo enim ille perfectissimus et beatus dici posset, qui finem et scopum vere in-

Digitized by Google

tentum assequi nequit ex interventu et obstaculo creaturæ sese aliter et independenter determinantis.

IX. Quarto, Deus hoc pacto homini ipsi subjicitur, quum voluntas consequens dependere dicitur a determinatione voluntatis humanæ, ut nemo eligatur a Deo, qui prius Deum non elegerit per fidem et pœnitentiam suam.

X. Quinto, Evangelio repugnat, quod constanter docet, Deum non omnes simpliciter, sed tantum electos et fideles per Christum servare velle, nec omnibus offerri aut conferri media salutis, sed quibusdam tantum. Denique æternam Dei Electionem subruit, quia eam incertam relinquit, fundatam scilicet, non in Dei εὐδοκίᾳ, sed in humana voluntate, qua nihil incertius et mutabilius; Et talem fingit. cui nulla executio respondeat, id. irritam et inefficacem.

Fontes Solutionum.

XI. 1 Sam. xiii. 13, non proponitur Voluntas Antecedens, qua voluerit firmare Regnum Saulis in perpetuum: quomodo enim hoc velle potuisset, quod sciebat nunquam futurum, et cujus contrarium ipse decreverat? Sed quum dicitur, *Jam certe stabilivisset Jehova regnum tuum in seculum*, innuitur tantum peccatum et rebellionem Saulis esse causam brevi desituri, et ad alium transituri Regni ipsius; quod futurum non fuisset, si permansisset in officio juxta promissiones pietati factas.

XII. Ex loco Matth. xxiii. 37, non potest duplex voluntas ista confirmari; 1. Quia non dicitur Deum voluisse dispergere, quos voluerat congregare; sed tantum Christum voluisse congregare, quos *Jerusalem*, id. *primores populi* noluerunt congregari; At non obstante eorum conatu non desiit Christus congregare quos voluit; Unde August. Enchi. c. 97. *Illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios ejus collegit ipse quos voluit.* Distinguenda hic ergo Jerusalem a filiis suis, ut verba ipsa evincunt, et series capitis, in quo a v. 13, usque ad 37, alloquitur Scribas et Pharisæos, et illis exprobrat, quod ipsi non *introeant in Regnum cœlorum, nec introeuntes sinant introire.* 2. Voluntas de qua hic agitur, non est voluntas decreti, quæ unica est et simplex; sed *præcepti*, quæ advocationem refertur, et quæ sæpe iteratur per Verbi præconium, *Quoties volui?* et ita Christus hic loquitur ut *Minister Circumcisionis.*

XIII. Si Deus primo mundo concedit spatium 120 annorum, ut invitaret eum ad pœnitentiam, non inde colligi potest voluntas antecedens, quasi decrevisset illi parcere, quia hoc decreto æterno de diluvio in mundum mittendo opponeretur; sed tantum voluntas præcipiens notatur, quæ illi præscripsit officium pœnitentiæ, ut redderet eum inexcusabilem suppositæ ejus contumacia.

XIV. Frustra dicitur inventa distinctio voluntatis antecedentis et consequentis ad concilianda varia loca Scripturæ, quæ alias viderentur ἀσύμφωνα; ut quod promiserit populum introducere in Canaan, et tamen voluerit eum conficere in deserto, Exod. xxxii. et Num. xiv.; quod velit omnes salvare, et plurimos tamen damnare, multos vocare ad nuptias, quos tamen excludere ab illis constituit. Nam alia datur longe certior et verior conciliationis ratio. Promissio introducendi populum non repugnat voluntati puniendi, quia facta est sub conditione, Exod. xxxii. 34, et impleta est reipsa, si non respectu illorum individuorum, quæ ceciderunt in deserto propter incredulitatem, Deuteron. i. 35, Heb. iv. 6, at respectu ipsius gentis in genere, quæ eo tandem pervenit. Voluntas salvandi omnes homines non evertit decretum reprobationis multos prætereundi; quia nec est voluntas decernens, sed tantum præcipiens et approbans; nec universalis

Digitized by Google

quæ respiciat omnes et singulos, sed generalis tantum quæ indiscriminatim ad quosvis extenditur. Sic vocari possunt ad nuptias voluntate præcepti, qui ab illis tamen exclusi sunt ab æterno per voluntatem beneplaciti.

Voluntas efficax et inefficax.

XV. Secunda distinctio quæ afferri solet ab Adversariis est *voluntatis efficacis* et *inefficacis:* quæ quidem, si eo sensu intelligatur, ut voluntas efficax respondeat voluntati decreti, et ita vocetur, quia semper impletur et illi resisti non potest; voluntas vero inefficax coincidat cum voluntate præcepti, et ita appelletur quia manet sæpe irrita propter hominis rebellionem, posset utcunque tolerari; quamvis locutio sit minus commoda et ἀσύμβλητος: sed si referatur ad solam voluntatem decernentem, prout Adversariis intelligitur, qui pertendunt Deo competere velleitates, et irrita desideria in quibus excidat suo fine, nec assequatur quod intendit, quo pertinent decreta conditionata quæ illi tribuunt, non potest admitti: Quia Scriptura testatur immutabile esse Dei consilium, et ejus voluntati non posse resisti, Isa. xlvi. 10, Rom. ix. 19; si vero illi non resistitur, utique perficiet necessario quod intendit. Secundo, voluntas inefficax non potest Deo tribui, quin ipse arguatur vel ignorantiæ, quod nesciverit eventum non successurum, vel impotentiæ, quod non potuerit effectui dare quod intendebat: Nec dici debet, hoc non fieri ex impotentia, sed ex beneplacito, quia noluit tantam vim adhibere, quæ rem ad effectum posset infallibiliter perducere; Nam eo ipso concluditur Deum serio hoc non voluisse, nam qui serio aliquid intendit, media omnia adhibet quæ sunt in sua potestate ad illud assequendum. Denique quæ rationes docent non dari voluntatem antecedentem, eædem probant non dari inefficacem.

XVI. Licet omnis Dei voluntas sit *efficax*, quia eventum quem intendit semper assequitur; non statim debet esse *efficiens:* efficientia enim tantum est in bonis, sed efficacia etiam in malis.

XVII. Loca quæ desiderium vel votum Deo tribuunt, non statim arguunt voluntatem aliquam in eo inefficacem; sed humanitus dicta, sunt ἀνθρωπίνως intelligenda, nisi Anthropomorphitarum deliria adoptare velimus: Si ad præteritum referantur, nihil aliud notant, quam seriam improbationem peccatorum commissorum, cum exprobratione vehementi ingratitudinis hominum, et declaratione bonorum quibus exciderint, et malorum in quæ inciderint suis peccatis: sic intellige loca, Psal. lxxxi. 14. *Utinam populus meus obtemperasset mihi, Israel in viis meis ambulasset*, &c. Et Is. xlviii. 18. *Utinam attendisses ad mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Si vero ad futurum respiciant ut Deut. xxxii. 29. *Utinam talem habeant mentem, ut timeant me et custodiant mandata mea, ut bene sit eis*, &c. innuunt tantum serium mandatum suis promissis et comminationibus suffultum, quo declarat quid approbet tanquam honestum et sanctum, et quantopere illi placeant qui ipsi obsequuntur.

XVIII. Quod Deus testatur apud Ezec. xviii. 23. *Se nolle mortem peccatoris, sed ejus conversionem et vitam;* non facit pro voluntate inefficaci vel velleitate Dei, quia verbum חפץ quod ibi occurrit, non tam *desiderium*, quam *delectationem* et *complacentiam* notat, ut dicatur Deus non delectari supplicio impiorum, quatenus est creaturæ interitus, licet illud velit ut sonat justitiæ suæ exercitium. Ita dicitur velle peccatorum resipiscentiam *approbative* et *præceptive*, ceu rem sibi gratissimam et mandatis suis expressam, etsi eam omnium respectu nolit *decretive* et *effective*.

Voluntas absoluta et conditionalis.

XIX. Tertia distinctio est voluntatis in *Absolutam* et *Conditionalem*. Illa dicitur quæ aliunde non pendet, præsertim a conditione aliqua externa; Ista quæ sus-

Digitized by Google

pensa est a conditione extra Deum; v. g. quum concipitur Deus velle servare Judam si credat: hæc vero licet a quibusdam admittatur minus proprie respectu voluntatis præcepti, quia promissiones et comminationes proponuntur conditionate; si tamen intelligatur de voluntate decreti et beneplaciti, ut volunt Adversarii, merito exploditur; quia Deo est indigna, repugnans quippe ejus, tum independentiæ tum sapientiæ et potentiæ; quia dubia manet et incerta, suspensa puta ab hominis voluntate mutabili, atque adeo inefficax et frustranea, per quam fine suo Deus sæpe excidere debet.

XX. Rursus conditio sub qua concipitur Deus aliquid velle, vel erit certo futura ex Dei decreto, vel certo non futura, imo nec possibilis. Si prius, non amplius erit conditionalis, sed absoluta; cum conditionem supponatur Deus velle, non utique conditionate, quia alias daretur processus in infinitum, sed absolute; si posterius, statuetur Deus aliquid serio intendere sub conditione nunquam futura, imo et impossibili, quam Deus ipse dare non vult, qui solus dare potest; quod si de homine sapiente dici nequit, non sine summa sapientissimæ et potentissimæ Majestatis divinæ injuria ipsi tribui potest.

XXI. Interim, ne hic aberremus, *Voluntas Conditionalis* bifariam spectari debet, vel *a priori* et *antecedenter*, quæ a conditione suspenditur; vel *a posteriori* et *consequenter*, cujus scilicet executio fit interveniente aliqua conditione in creatura: posteriori sensu voluntas, sed minus accurate, potest vocari conditionalis, quia Decreta Dei cum fine, media etiam ordinant quibus executioni mandentur, ut qui nobis decernit salutem, decernit etiam fidem et pœnitentiam tanquam media ad eam obtinendam: sed priori de quo quæritur, non potest admitti, quia sic omne beneplacitum Dei est absolutum.

XXII. Aliud est conditionem se tenere a parte *actus interni* seu *ipsius volitionis:* Aliud a parte *objecti externi* seu *rei volitæ:* posteriori sensu damus volita esse conditionata; sed non priori, ut ipsa volitio a conditione pendeat: v. g. salus nobis a Deo decreta conditionalis potest dici, quia non datur nisi interventu fidei; sed non ipsum decretum salutis, quod absolutum est, tam respectu finis id. salutis, quam mediorum quæ Deus absolute et sine conditione suis electis omnibus largiri statuit.

XXIII. Propositio ergo ista, Deum velle hominibus salutem si crediderint, duplicem potest habere sensum. Vel significat Deum velle seu statuere, ut salus nobis contingat sub conditione fidei id. modo credidérimus, quod utique verum est: sed hic salus nostra tantum conditionalis evadit, non autem voluntas Dei; Imo voluntas Dei constituit tam conditionem, quam salutem. Vel significat ex conditione fidei posita vel prævisa saltem oriri in Deo voluntatem conferendi hominibus salutem; Et hoc sensu falsa est propositio, quia nihil temporale potest esse causa illius quod æternum est. Ita non concipienda est voluntas in Deo quæ suspendatur a conditione antecedenter, sed quæ ponat ipsam conditionem consequenter tanquam medium. Non vult servare homines si credant; sed vult eos credere ut serventur, vel vult eos servare per fidem quam ipsis dare statuit. Sed de his postea fusius agendum erit, quum de Decretis disputabitur.

Digitized by Google

QUÆSTIO XVII.

www.libtool.com.cn

An Voluntatis Dei aliqua possit dari Causa? Neg.

I. Quæstio ista ex præcedentibus pendet; et propter Pelagianos necessaria est, qui in negotio Prædestinationis causas voluntatis divinæ extra Deum quærunt in prævisione fidei, vel boni usus liberi arbitrii. Nos vero cum Orthodoxis nullam causam proprie dictam voluntatis Dei extra Deum quærendam esse censemus.

Status Quæstionis.

II. Ad statum quæstionis nota: Aliud esse quærere de *ratione voluntatis* Dei; Aliud de *Causa*. Non quæritur hic, An aliqua possit dari ratio voluntatis Dei, nec enim potest esse ἄλογος voluntas Dei, qui omnia fecit sapientissime, etsi plerumque ratio illa nos lateat; *Voluntatis Dei*, inquit Aug. epist. 59, ad Paulinum, *occulta causa esse potest, injusta esse non potest*, ubi causam sumit pro ratione, quia alibi lib. i. de Genes. cont. Mani. c. 2, statuit absurdum esse quærere causam voluntatis Dei; *Causas voluntatis Dei sine fine quærunt, cum voluntas Dei omnium quæ sunt ipsa sit causa.* Sed quæritur de causa proprie dicta, quæ voluntatem Dei moveat ad hoc vel illud volendum; quam dari posse statuunt Adversarii; Nos negamus.

III. Ut Dei voluntas est omnium rerum causa, Ita ipsa nullam sui causam habere potest: et tam certum est causam voluntatis Dei extra ipsum nullam dari, quam certum est nihil Deo prius esse: nam si habet causam, est aliquid quod eam antecedit; et sic esset causa secunda non prima, regulatum non regula. Unde Lombard. lib. i. dist. 45. *Qui causam quærit voluntatis divinæ, aliquid majus ea quærit, cum nihil majus sit.* Adde quod cum voluntas Dei sit æterna, nullam potest habere causam extra se non æternam.

IV. Aliud est causum dari ex parte *actus volendi;* Aliud ex parte *rei volitæ*. Priori sensu nulla potest dari causa voluntatis Dei, sed posteriori dari potest, quia inter Dei volita alia aliorum possunt esse causæ: Sic Christus dici potest causa *salutis decretæ*, quia nobis datur propter Christum; sed non *decreti salutis*, quia ex solo Dei beneplacito fluxit: Hoc volunt Scholastici quum dicunt Deum *velle hoc propter hoc*, sed non *propter hoc velle hoc*, v. g. velle salutem propter Christum, sed non propter Christum velle salutem, ut Christus qui est causa meritoria salutis, se teneat ex parte salutis quam nobis acquisivit, non vero ex parte decreti ipsius quo nobis destinatur. Ita datur ordo et causalitas inter res volitas a Deo, ut una sit propter aliam; sed non in volitione divina, quæ nullam causam extra se agnoscit.

V. Ut *Proprietates Dei* aliæ sunt *Absolutæ*, quæ nituntur Jure Dei absoluto et supremo ejus dominio, qualis est potentia et potestas ejus αὐτοκρατορική; aliæ *Respectivæ*, quæ nituntur jure virtutibus temperato, et quæ ad egressum sui requirunt conditionem aliquam, vel qualitatem in objecto circa quod se exerere debent; qualis est Justitia quæ peccatum, et Misericordia quæ miseriam supponit: Ita de actibus voluntatis quæ juxta illas operatur ratiocinandum est. Nam quum operatur ex proprietatibus absolutis, ut supremus Dominus et arbiter omnium, v. g. quum vult creare aut eligere unum præ alio, voluntatis ejus non modo nulla est causa præter ejus beneplacitum, sed nec ulla conditio, aut qualitas in objecto qua moveatur; nam potentia quidem objectum suum non supponit, sed constituit; et electio cum sit inter pares, nihil videt in uno præ alio, quo inter

Digitized by Google

se discriminentur, unde ex mero suo beneplacito agit. Quum vero agit ex respectivis, ut ex justitia ad puniendum, vel ex misericordia ad salvandum, licet qualitas quædam supponatur semper in objecto, puta vel peccatum, vel miseria, non potest habere locum causæ proprie dictæ, quia sic vel omnes damnarentur, quia sunt peccatores, vel omnes salvarentur, quia sunt miseri; sed tantum qualitatis in objecto requisitæ ad istarum proprietatum exercitium; et si quædam causa aut motivum quærendum est, non quærendum est extra Deum, sed tantum in ejus justitia et misericordia, quibus voluntas ad agendum incitatur.

VI. Licet inter effecta voluntatis divinæ, quædam habeant rationem causarum respectu aliorum, ut Deus voluit ordinem esse aliquem tum in natura, tum in gratia, quo inter se connecterentur, non tamen ea est illorum vis, ut divinam voluntatem ad actum suum eliciendum permovere possint, quippe quæ sint ipsius ut primæ causæ effecta: Cur hoc vel illud ita fecerit Dominus, non alia afferri potest causa, quam quia voluit: Cur autem sic voluerit, si ultra pergis rogare, majus aliquid quæris et sublimius Dei voluntate, quod inveniri non potest. Compescere ergo se debet humana temeritas, et non quærere quod non est, ne forte id quod est non invenias.

QUÆSTIO XVIII.

An Voluntas Dei sit prima Justitiæ regula? Dist.

I. Quæstio ista non modo mota fuit a Scholasticis, qui hic in partes abierunt; sed etiam inter ipsos Orthodoxos agitatur: quorum alii stant pro affirmativa, statuentes omnem bonitatem et malitiam moralem a libera Dei voluntate pendere, et nihil esse bonum et justum, nisi quia Deus vult. Alii contra stant pro negativa, et bonitatem aliquam et justitiam in actionibus moralibus essentialem agnoscunt antecedenter ad Dei voluntatem, ita ut res illæ non sint bonæ et justæ, quia Deus vult; sed Deus eas velit, quia bonæ sunt et justæ.

Status Quæstionis.

II. Nos posteriorem sententiam sequimur, positis illis distinctionibus. 1. Voluntas potest dici prima regula justitiæ, vel *ab intrinseco*, vel *ab extrinseco*, id est vel respectu Dei, vel respectu rerum omnium extra Deum: priori sensu, ut a Justitia Dei reguletur ejus voluntas; posteriori, ut justitia in nobis non aliunde reguletur quam ab ipsius voluntate. 2. Ut *Jus* Dei aliud est *naturale* et *indispensabile*, quod fundatur in ipsa Dei natura et sanctitate, aliud *liberum* et *positivum*, quod pendet tantum ab ejus voluntate; Ita bonitas vel malitia rerum potest referri, vel ad jus naturale, vel ad jus positivum.

III. Hoc posito, dico *Voluntatem* posse dici et revera esse primam justitiæ *regulam ab extrinseco, et respectu nostri*, non vero ab intrinseco et respectu Dei. *Respectu nostri*, quia fons omnis justitiæ non alibi quæri debet quam in voluntate Dei, quæ ut perfectissime in se justa est, ita regula est omnis rectitudinis et justitiæ; primum enim in unoquoque genere est regula cæterorum: hoc sensu Theologi dicunt voluntatem Dei esse summam regulam justitiæ, ideoque quæcunque Deus vult ideo esse justa et bona, quia Deus vult. Sed *respectu Dei*, non semper voluntas potest dici prima regula justitiæ; regula est in iis quæ bonitatem tantum liberam et positivam habent, sed non in illis quæ habent bonitatem essentialem, id est in cæremonialibus non in moralibus: in istis enim regulatur voluntas Dei, non quidem ab extrinseco sed ab intrinseco, nimirum a na-

Digitized by Google

tura sua sanctissima; unde bene dictum est, res quasdam esse bonas, quia Deus vult, qualis est observatio cæremoniarum, et mandata omnia positiva; alias vero Deum velle, quia justæ sunt et bonæ, qualis est amor Dei et proximi, quia tales sunt per se et natura sua; et si per impossibile Deus eas non præciperet, non desinerent esse justæ, adeoque a nobis præstandæ.

IV. Rationes sunt 1. Quia ut datur in Deo Justitia et Sanctitas naturalis antecedenter ad voluntatem ejus liberam; ita Bonitas et Justitia moralis quæ fundatur in justitia et sanctitate Dei, et illius refert imaginem, non potest non esse naturalis. Et ut Deus non potest seipsum abnegare, vel non amare sanctitatem suam; Ita non potest non amare ejus imaginem, eamque tanquam justitiæ et sanctitatis regulam perfectissimam creaturæ præscribere.

V. 2. Quia datur in Deo jus aliquod æternum et indispensabile, antecedenter ad omnem liberam voluntatis actum, per quod ut Creator dominium habet in Creaturam; ita Creatura debet pendere a Deo, non modo in genere Entis quoad conservationem, sed et in genere moris quoad cultum et obedientiam, et talis est et tam arcta illa obligatio, ut contrarium ejus sit ἀδύνατον, nec statui possit sine repugnantia; non magis enim concipi potest Deus eximere Creaturam ab hoc officio, quam seipsum abnegare. Cum ergo tale jus sit in Deo antecedenter ad voluntatem ejus, datur regula aliqua justitiæ independenter a voluntate.

VI. 3. Si voluntas Dei esset prima regula justitiæ etiam ab intrinseco, ut nihil esset bonum et justum nisi quia Deus vult; sequeretur nullum esse atheismum, magiam, Epicureismum, odium et blasphemiam Dei, et alia idgenus crimina quæ Deus non posset mandare, et eo ipso moraliter bona reddere qua præcepta: quicquid enim potest cadere sub præceptum Dei, potest etiam honestari et justum reddi. Sic Deus poterit dispensare de omnibus præceptis Decalogi, et præcipere creaturæ ut credat Deum non esse bonum et sanctum, non esse adorandum, sed potius odio prosequendum, imo et non esse, quod horret animus referre. Sic Deus si vellet, posset esse author et approbator inobedientiæ hominis, posset enim illi mandare ne sibi quodcunque præcipienti aut vetanti obediat; nulla enim supponitur esse obligatio in homine, nec jus obligationis in Deo antecedenter ad Dei voluntatem. Sic nulla daretur justitia vindicatrix essentialis in Deo, nec ulla esset urgenda necessitas Satisfactionis contra Socinum, quod faciunt tamen qui istam sententiam amplectuntur.

Fontes Solutionum.

VII. Deus non subest ulli officio morali *ad extra*, quia nemini debitor est, nullaque causa est extra Deum quæ illum possit obligare: sed *ad intra* obligari potest, quia sibi ipsi debitor est, nec potest seipsum abnegare; ut Filius in divinis obligatur ad operandum a Patre, et pater obligatur ad amandum filium. Sic in actionibus ad extra, posito productam esse creaturam, Deus non potest non illi imperare, et præcepta dare justa et sancta.

VIII. Lex dicitur norma omnium actionum bonarum et malarum *quoad nos* et cognitionem nostram, quia non aliunde ratio bonitatis et malitiæ nobis innotescit quam a Lege; sed *quoad Deum* et jus ipsum obligandi vel imperandi, datur antecedenter ad voluntatem Dei, quia fundatur in ipsa majestate et sanctitate Dei.

IX. Absurdum est dicere Deum dependere ab aliquo extra se, sed non Deum dependere a seipso, modo hoc θεοπρεπῶς intelligatur, id. ut nihil velit Deus nisi juxta sanctitatem et justitiam suam.

X. Deus est exlex a Lege quam ponit homini, formaliter scilicet su-

Digitized by Google

mendo legem ut lex est; sed non est liber et absolutus ab omni materia Legis, ut oppositum ejus possit aut præcipere, aut ipse facere, v. g. ut credat se non esse Deum, et aliis mandet hoc credere, quod piæ aures sine horrore audire non possunt.

XI. Licet divina Voluntas sit simpliciter libera ad extra, tamen ex suppositione unius actus liberi potest necessitari ad alium; ut si velit promittere absolute, non potest non promissum implère; si vult loqui aut se revelare, necessario debet revelare verum; si vult gubernare, debet juste gubernare. Ita voluntas divina non potest determinari ex se ad volendum ut aliquid sit aut non sit, sed bene determinari potest respectu complexorum ad rectitudinem eorum quæ sunt, aut quæ vult esse.

XII. Peccatur ab homine immediate in Legem Dei revelatam, sed peccatur etiam mediate et consequenter in Deum authorem Legis et supremum Dominum qui Legem fixit. Sic peccatum semper manet *ἀνομία* tam respectu Legis externæ revelatæ, quam æternæ quæ fundatur in sanctitate Dei.

QUÆSTIO XIX.

DE JUSTITIA DEI.

An Justitia Vindicatrix sit Deo naturalis? Affirm. contra Socinianos.

I. Ad Voluntatem Dei pertinent *Virtutes*, quæ Deo tribui solent, non sub ratione habitus ad modum virtutum humanarum; sed quatenus notant perfectionem eam quæ est in habitu, et promptitudinem agendi; licet de cætero ab essentia non differant. Possunt autem illæ ad duas præcipuas referri, quæ alias sub se complectuntur, *Justitiam* et *Bonitatem*. Illa est qua Deus in se sanctus est et justus, et constantem voluntatem habet suum cuique tribuendi. Ista, qua Deus summe bonus concipitur, et omnis boni dator.

Justitia alia universalis.

II. *Justitiæ* vox, ut de ea dicamus primum, in genere bifariam usurpari solet; vel pro universo omnium virtutum complexu, ut injustitia pro quovis peccato sumitur, quæ *justitia universalis* dicitur, per quam ut Deus in se justissimus est et sanctissimus, ita in omnibus operibus suis incorruptam servat rectitudinem et justitiam, cui longe perfectius competit quod de justitia humana dixit Poëta,

Ἐν δὶ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετ' ἔστι.

Vel particularis.

Ad eam pertinent in specie *Benignitas* et *Beneficentia*, *Constantia* et *Fidelitas* in promissis implendis, quæ sæpissime in Scriptura *justitiæ* nomine veniunt. Vel pro *Justitia particulari*, quæ suum cuique tribuit, quæ in pœnarum vel præmiorum distributione occupatur, quæ *distributiva dicitur*, quamvis circa præmia piorum, ut suo loco dicetur, non ipsorum merita, sed sua dona coronet, et *det potius quod suum est, quam reddat quod nostrum*, ut Concil. Araus. cap. xxii. loquitur. Unde non tam proprie quam analogice Deo tribuitur. Ad *Commutativam* vero quod attinet, quæ proportionem arithmeticam servat, cum in dati et accepti æqualitate posita sit, et per eam dominium transferatur, quorum neutrum de Deo dici potest, *Quis enim, prior dedit ei, ut reddatur ei?* Rom. xi. 35, eam a Deo removendam esse cum sanioribus Scholasticis censemus.

III. Rursus, *Justitia* Divina potest considerari, vel *absolute* et in se, quo pacto nihil aliud est, quam Naturæ Divinæ rectitudo et perfectio, quæ dicta

Digitized by Google

est a nobis Justitia universalis, et ab aliis *Justitia Dei*, quæ competit ipsi qua Deus est: Vel *relate* respectu *egressus* et *exercitii* quod habet per voluntatem divinam, secundum regulam juris sui supremi ac sapientiæ æternæ. Duplex vero potest observari: Vel in *regimine* et gubernatione creaturarum, quæ vocatur *Justitia Dominica*, quæ illi competit, qua Dominus est, et supremus rerum Arbiter, qui facit de suo quod vult, et actiones omnes suas in gubernando et administrando res creatas dirigit, secundum normam juris et sapientiæ suæ; quod enim in rebus administrandis nobis Lex est, in Deo est jus suum, cum sapientissima et justissima voluntate conjunctum: Vel in *Judiciis*, iisque vel præmiantibus, vel vindicantibus, et hoc vel ad castigationem, vel ad ultionem, quæ *Justitia vindicatrix* vel ultrix dicitur, de qua quæstio proposita agit: ad cujus intelligentiam quædam de ea præmittenda sunt.

Status Quæstionis.

IV. Posita Creatura rationali et ejus dependentia morali a Deo, primus egressus hujus justitiæ est in *constitutione Legis pœnalis*, non simpliciter qua Lex est, hoc enim proprie pendet a Justitia regiminis, sed qua *pœnalis*: Secundus egressus est in *ipsa pœnæ inflictione*; Sed ipsa rursus spectari potest, vel quoad *rem et substantiam* ipsam pœnæ in genere, vel quoad *modum* et circumstantias, quæ attenduntur, vel in tempore, vel in gradu, vel in personis. Rursus, *Jus* Dei circa pœnam, vel est *summum* et rigorosum quod vocatur ἀκριβοδίκαιον, vel est *Jus* quadam ἐπιεικείᾳ *temperatum*: quoad prius, pœna imponitur non modo peccato sed et ipsi personæ peccatrici; quoad posterius, multiplex datur moderatio in justitiæ exercitio, vel in tempore per dilationem, vel in personis per translationem, vel in gradibus per mitigationem. Hinc duplex jus oritur circa pœnæ inflictionem; aliud necessarium et indispensabile respectu peccati ipsius, aliud vero liberum et positivum respectu peccatoris. Justitia postulat necessario ut peccatum omne puniatur, sed non pariter postulat ut puniatur in ipsa persona peccante, vel tali tempore et gradu; quod non male a Scholasticis expressum, quando dixerunt *impersonaliter* pœnam necessario infligi omni peccato, sed non *personaliter* omni peccatori.

V. Licet autem justitiæ egressum necessarium constituamus, non negamus tamen Deum libere eam exercere; Necessitas quippe ista non est exclusiva *libertatis concomitantis*, sed tantum *indifferentiæ antecedentis*, secundum quam dicimus posita creatura peccatrice Deum libere quidem, id est, sponte et sine coactione, inclinari ad pœnam infligendam, sed non indifferenter, quasi posset pro libitu plectere vel non plectere.

VI. Unde patet etiam quo sensu *naturalis* dicatur ista justitia; non quasi necessitatem physicam secum trahat, sed quia in ipsa Dei natura fundatur, imo et cum ipsa identificatur, licet non possit sese exerere ad extra nisi mediante actu intellectus et voluntatis, eodem modo quo alia attributa, quæ licet naturalia sint, non exercentur tamen nisi mediante libera voluntate, ut bonitas, sapientia, &c.

VII. Justitia ista trifariam spectatur; Vel per modum δυνάμεως seu facultatis, quo sensu est ipsa voluntas Dei aversans, et punire volens peccatores; Vel ut ὀργὴ ipsa et actus judicii seu punitionis, quo judicia sua in peccatores exequitur; Vel pro effecto ipso seu pœna a justitia inflicta: Nos hic non de tertio significatu, sed de primo et secundo agimus, qui videntur conjungi, Ps. cxix. 137. *Justus es Deus, et justa judicia tua.*

VIII. Quæstio hic nobis movetur a Socinianis de Justitia ista vindicatrice; qui ut facilius Satisfactionem Christi destruant, negant Justitiam vindicatricem Deo esse naturalem, sed tantum liberrimæ voluntatis effectum, quæ possit esse et non esse, eadem ratione qua liberum fuit Deo

Digitized by Google

creare mundum, et non creare. Fatetur quidem *Socinus* Deo talem justitiam competere, qua si perpetuo uti vellet, fas esset omnes peccatores, non expectata ipsorum pœnitentia, destruere, et sic nullum peccatum impunitum dimittere, lib. i. de Serva. c. 1. Concedit etiam Deum nolle peccatum remittere nisi resipiscentibus. 3. Non negat Deum constituisse pœnam peccati secundum normam juris et sapientiæ suæ; Sed negat dari ullum attributum in Deo quod satisfactionem pro peccato necessario exigat, sed si peccatum punit, hoc esse liberrimum voluntatis ejus effectum a quo possit abstinere. Sic Socin. prælect. c. 16. "Nec enim," inquit, "in Deo ulla est justitia, quæ peccata omnino punire jubeat, cui ipse renunciare non possit. Est quidem in Deo perpetua justitia; sed hæc nihil aliud est quam æquitas et rectitudo." Et post pauca, "Justitia ista vulgari nomine sic appellata, quæ misericordiæ opponitur, Dei qualitas non est, sed tantum effectus voluntatis ipsius," quod confirmat lib. i. de Serva. c. 1, et lib. iii. c. 1, et *Ostorod.* Instit. c. 31; *Crelli.* lib. i. c. 23.

IX. Orthodoxi contra, Justitiam hanc proprietatem Dei essentialem esse pertendunt, non vero liberæ tantum voluntatis effectum: Hic tamen fatendum inter ipsos Orthodoxos dari aliquam sententiarum diversitatem circa exercitium justitiæ istius, quod alii necessarium statuunt, alii liberum et indifferens, a quo scilicet Deus possit abstinere si velit; Unde de necessitate Satisfactionis diversimode sentiunt. Quidam eam hypotheticam tantum statuunt, ex hypothesi scilicet voluntatis et decreti divini, ut Deus non potuerit remittere peccata sine satisfactione; non quod hoc Justitia ejus absolute et necessario exigeret, sed quia ita decrevit; quam sententiam post quosdam ex Doctoribus nostris, qui ante Socinum exortum securius loquebantur, Twissus sequitur. Alii vero absolutam ponunt, quæ non ex decreto tantum pendeat, sed etiam ex justitia divina oriatur. Licet vero utrique consentiant in cardine quæstionis contra Socinianos necessitatem Satisfactionis negantes, certum tamen est longe efficaciorem esse ad hæresim illam pestilentissimam jugulandam, et convenientiorem naturæ Dei et verbis Scripturæ, posteriorem sententiam, quæ hodie fere est communis omnium.

Status Quæstionis.

X. Quæstio ergo ad hos redigitur terminos; An Justitia Dei vindicatrix, ita sit Deo naturalis ut non possit non se exercere posita Creatura peccatrice, et ei repugnet peccatum relinquere inultum; An vero ita sit libera in Deo, ut ejus exercitium a sola ejus voluntate et beneplacito pendeat: Posterius volunt illi cum quibus agimus; Nos prius tuemur.

Justitia vindicativa probatur ex Scriptura.

XI. Justitiam ultricem Deo esse essentialem, præ cæteris ista quatuor evincunt. 1. *Scripturæ vox.* 2. *Conscientiæ dictamen* et *Populorum consensus.* 3. *Legis Sanctio* cum toto Sacerdotio Levitico. 4. *Nostra* per Christi mortem *Redemptio.* Scriptura istam justitiam passim Deo tribuit; Primo in illis locis in quibus Deo perfectæ sanctitatis et justitiæ laus tribuitur, per quam dicitur summe detestari et aversari peccatum, Exod. xxxiv. 7. *Tu Deus es, qui nullo pacto absolvis sontem, visitans peccata parentum in filios,* &c. Et Habac. i. 13. *Purior es oculis, quam ut aspicias malum.* Ps. v. 5. *Non es Deus fortis qui delecteris improbitate, non est commoraturum apud te malum.* Et alibi passim; Unde colligimus, Si odium peccati in Deo est necessarium, justitiam pariter necessariam esse, quia odium peccati est voluntas constans puniendi, quæ non potest effectu carere in eo qui viribus non destituitur: In nobis quidem potest sæpius dari aversatio sine punitione, vel quia vires non suppetunt, vel quia privatorum non est ultionem facere, sed

Digitized by Google

Rectorum et Magistratuum; sed in Deo res aliter se habet, qui et summa potentia et summa authoritate est instructus. Ideo si peccatum odit necessario, necessario debet punire: Necessario autem eum odisse peccatum, constat ex amore justitiæ illi opposito; Ut enim necessario amat justitiam, ut non possit illam non amare; Ita necessario ex natura contrariorum aversari debet peccatum, et aversando punire: Nam ut qui rem aut personam amat, ei bene vult, et si potest benefacit; Ita verum odium et aversatio dari nequit, quin post se trahat depulsionem et destructionem contrarii. Alias si posset non punire, posset non odisse; si posset non odisse, posset amare, quod ἀσύστατον. Nec si peccata electorum non punit, sequitur ipsum ea inulta relinquere, quia in Christo punivit.

XII. Secundo, in iis quæ Deo justi Judicis σχέσιν tribuunt, ut Gen. xviii. 25. *An Judex totius terræ non exerceret jus?* Rom. iii. 6. *Num injustus Deus qui infert pœnam? Absit, alioqui quomodo Deus judicaret mundum?* Rom. i. 18, 32. *Patet ira Dei e Cœlo adversus omnem impietatem et injustitiam hominum, qui et hoc esse Jus Dei agnoscunt, nempe eos qui talia faciunt dignos esse morte.* 2 Thess. i. 6. *Justum est apud Deum reddere afflictionem iis qui vos affligunt.* Cum enim Judicis et Rectoris munus naturaliter Deo competat, Jus ἀντιμεθεκτικὸν circa pœnam, quod ex illo pendet, debet esse essentiale, atque adeo Justitia ultrix, quæ illo nititur.

2. Ex Conscientiæ sensu et populorum consensu.

XIII. Scripturæ testimonium confirmat secundo *Conscientiæ dictamen* et *populorum consensus;* Illa quidem dum sistit hominem ad Tribunal Dei, et eum vel accusat vel excusat in bene vel malefactis, Rom. ii. 14, 15. Iste vero per quem apud omnes populos etiam ferissimos obtinuit ista persuasio, Deum esse justum Judicem scelerum, et si non exerceret hanc justitiam, non fore Deum. Hinc Δίκην Jovis filiam finxerunt, quam rebus humanis præfectam voluerunt, ad ulciscendas injurias et pœnas infligendas illis qui adversus Deos deliquissent. Unde vero publica ista conscientiæ vox, quæ homines arguit et terrorem illis incutit? Unde cæca illa verba quibus torquentur post admissum scelus, etiam nemini cognitum, nisi ex justitiæ ultricis firmissima persuasione, per quam, ut notum est ipsis Θεὸν ἴχνη ἔδικεν ὑμᾶς ita ad ejus vindictam tremunt et expavescunt? Hunc vero publicum consensum, ut variis modis testatum fecere, ita præsertim sacrificiis probarunt, de quibus affirmat *Plinius* in iis consensisse totum mundum, quamvis discordem et sibi ignotum. Cum enim sacrificia in eum potissimum finem sint instituta, ut iis divini Numinis ira averteretur, liquet hanc περίληψιν ipsis insitam esse, Deum justum non posse non esse scelerum vindicem. Et tam altas hæc notio in ipsorum animis radices egit, ut ad infandum ἀνθρωποθυσίας facinus impulsi sint, ut excellentiori scilicet sacro felicius litarent irato Numini.

3. Ex Lege.

XIV. Tertio, *Lex ipsa* moralis et cæremonialis idem adstruunt; Cum enim illius præcepta magna ex parte sint indispensabilia, quæ jure Dei æterno et naturali nituntur, necesse est ut sanctio pœnalis quæ illis additur ejusdem sit naturæ, eo vel magis, quod, ut antea probatum, detur connexio necessaria et naturalis inter peccatum et pœnam, malum morale et physicum, quemadmodum bonum morale et physicum indivulso nexu inter se copulantur. Cæremonialis vero eodem tendit, cum totus apparatus sacrificiorum legalium non alio respexerit quam ad ostendendam necessitatem expiationis peccatorum, ut satisfieret Justitiæ divinæ: Nec toties urgeret Paulus sacrificia ista reatum peccati tollere non potuisse, si ille nulla justitiæ necessitate, sed sola Dei voluntate auferri potuit: nam quod a libera Dei voluntate pendet, non minus

Digitized by Google

potuit interventu victimarum legalium peragi, quam alio sanguine. Cum ergo impossibile fuerit sanguinem taurorum peccata tollere, Heb. x. 3, 4, non modo ex Dei voluntate, sed ex ipsius etiam rei natura, quia tam fœda res est peccatum, ut nullo hircorum sanguine elui possit, consequens est ut dicamus, talium sacrificiorum necessitatem, non a sola voluntate, sed ab ipsa Justitia Dei essentiali pependisse.

www.libtool.com.cn

4. Ex morte Christi.

XV. Quarto, *Mors Christi* hoc non minus evidenter demonstrat: Nam si liberum fuit et integrum Deo punire peccatum vel non punire, illæsa sua Justitia, ita ut nulla ratio præter solam voluntatem Deum impulerit ad Filium in mundum mittendum, qui pro nobis moreretur, quænam excogitari potest ratio legitima propter quam Deus dilectissimum et sanctissimum Filium suum crudelissimæ et maledictæ morti subjicere voluerit? An summa Dei bonitas et sapientia patitur ut credamus hoc gratis et sine maxima quadam necessitate factum fuisse? An Deus qui non delectatur morte peccatoris, delectatus fuisset morte innocentissimi Filii, si hoc pependit absolute a mero ejus arbitrio, et nulla alia ratione motus fuit ad illum neci dandum? Quod ergo sese pro nobis obtulit, non fuit nudæ voluntatis opus, sed justitiæ, quæ hoc sacrificium ad sui satisfactionem postulavit; unde dicitur *constitutus a Deo in placamentum ad ostendendam justitiam suam*, Rom iii. 24, 25. *Et reconciliasse nos Deo per sanguinem suum*, Col. i. 20.

Fontes Solutionum.

XVI. Non semper licet de jure suo remittere; Licet quidem de *jure positivo* et *libero*, non vero de *naturali*; Licet de *jure privato crediti*, quod ad utilitatem propriam spectat, non de *jure publico Rectoris* et *Judicis*, quod majestatem Legum, et honestatem, ac officii executionem respicit; ut Magistratus peccaret, si nimia indulgentia de jure puniendi peccata remitteret, ut sceleribus impunitatem largiretur. At *Jus pœnale* de quo loquimur, non est Jus positivum, sed *naturale* in ipsa Dei sanctitate et justitia fundatum, quod oritur ex dependentia essentiali creaturæ, quæ illam subjicit Creatori suo, et quoad obedientiam ratione præceptorum, et quoad pœnam ratione sanctionis eorum; Non jus privatum crediti, licet enim peccata debitis quandoque conferantur, tamen sunt etiam *crimina*, quæ inulta non possunt manere sine præjudicio Legum; Sed est *Jus publicum Rectoris*, quia Deus non punit ut pars offensa, sed ut Judex, et supremus mundi Rector.

XVII. Quamvis autem Deus non puniendo peccatum nemini faceret injuriam extra se, faceret Justitiæ suæ, quam impune offendi non decet; faceret Legibus a se latis, quarum majestatem sartam tectam tueri debet; faceret bono publico cujus est custos et administrator Deus; ut non potest seipsum abnegare, nec se naturali dominio quod in creaturam habet exuere, quod si faceret tamen, nemini esset injurius.

XVIII. Licet effecta justitiæ pendeant a voluntate Dei libera, non sequitur ipsam Justitiam, prout concipitur in actu primo, esse pariter actum liberum voluntatis; sed tantum, esse proprietatem essentialem, quæ in exercitio et egressu suo requirit interventum liberæ voluntatis, quæ determinat de modo, de tempore, de gradu, et de personis quibus vult infligere pœnam.

XIX. Aliud est punire peccata ex *necessitate physica*, qualis est in igne ad urendum; Aliud vero ex *necessitate morali* et rationali: Si Deus juxta primam puniret peccata, verum est eum semper eodem modo acturum, et puniturum æqualiter, et quantum potest; Sed hoc non valet de necessitate morali, quia exercitium istius virtutis pendet a sapientissima Dei voluntate, quæ variam potest in pœnæ inflictione juxta ἐπιείκειαν adhibere modi-

Digitized by Google

ficationem sine præjudicio Justitiæ, quæ quidem exigit necessario ut omne peccatum puniatur; sed non statim omnis peccator, vel hoc vel illo gradu.

XX. Quamvis justitiæ et misericordiæ effecta possint esse contraria propter diversitatem objectorum circa quæ versantur; non sequitur tamen ipsas virtutes esse in se contrarias, non magis quam Sol sibi contrarius est, quando liquefacit ceram et indurat lutum.

XXI. Alia ratio est Justitiæ et Misericordiæ Dei in exercitio: Nam misericordia quidem omnimode est libera, ut possit sese exerere vel non exere citra ullius injuriam, quia consistit in actu mere gratuito, quem non tenetur erga ullum exercere; nam sive misertus fuisset nostri, sive non, nullam fecisset cuiquam injuriam, quia hoc nemini debet. Sed Justitiæ actus licet sit liberrimus, est tamen necessarius, quia debitus; nam in eo consistit ut reddatur cuique quod suum est; et quamvis nihil debeat proprie creaturæ, nullumque sit proprie loquendo hac in parte jus creaturæ in ipsum, tamen hoc debet sibi, et conservationi Legum a se latarum, ita ut si hoc non faceret, justus non esset.

XXII. Si nulla creatura peccatrix, vel misera fuisset, Justitia et Misericordia non fuissent quoad *esse relatum*, et *in actu exercito;* sed fuissent tamen semper quoad *esse absolutum*, et in *actu signato*, quomodo omnipotentia fuit in Deo ab æterno, etsi nihil produxerit.

XXIII. Quamvis Deus circa gradum pœnæ posset aliquam ἐπιείκειαν admittere; non sequitur eum pariter posse omnes gradus pœnæ tollere, quia justitia quandam graduum latitudinem habet, extra quam si exiret, ne justitia quidem esset; licet vero talis gradus definiri non possit a nobis, Deus tamen optime illum definitum et perfectum habet.

XXIV. Non quæritur hic simpliciter, An Deus possit per potentiam peccatum non punire; sed, An possit per justitiam quæ proprie versatur circa pœnam, quod quia illi repugnat, ideo bene dicitur Deum non posse hoc præstare. Licet vero non sit formalis contradictio in terminis dicere peccatum non puniri, est tamen in reipsa, quia sic infertur Deum non odisse peccatum, et posse illud amare.

XXV. Quamvis ex jure absoluto Deus possit creaturam annihilare, non pariter potest illi innocenti cruciatum infernalem et æternum inferre; quia illud est summi Dominii effectum, hoc vero necessario involvit σχέσιν ad justitiam, quæ talem cruciatum immerenti inferre non patitur, ut ferre non potest nonobstante quantocunque demerito pœnam ipsam totam auferri. Vide Disp. de Necess. Satisf. P. I. et II.

QUÆSTIO XX.

DE BONITATE, AMORE, GRATIA, ET MISERICORDIA DEI.

Quomodo inter se distinguantur?

I. Ut Justitia vindicatrix de qua actum fuit Quæstione præcedenti, et *Odium*, *Ira*, et *Severitas*, quæ ad ipsum pertinent, occupantur circa mali physici seu pœnæ inflictionem; Ita *Bonitas*, et quæ sub ea continentur virtutes, puta *Amor*, *Gratia*, et *Misericordia*, versantur circa bonorum communicationem, sed diversimode.

II. *Bonitas* Dei est, qua concipitur non modo *absolute et in se*, ut summe bonus et perfectus tanquam αὐτοαγαθὸν, et *solus bonus*, Marc. x. 18, quia talis est originaliter, perfecte, et immutabiliter, sed etiam *relate et extrin-*

Digitized by Google

sece, ut beneficus erga Creaturas; quæ *benignitas* etiam dicitur, quia de ratione boni est ut sit sui communicativum.

Bonitas Dei quænam sit.

III. Quamvis bonitas ista ad omnes sese extendat Creaturas, non tamen sese extendit æqualiter, sed diversitatem maximam in bonorum communicatione ostendit; Unde alia est *generalis* qua creaturas omnes prosequitur, Ps. xxxvi. 6, 7. Alia *specialis* quæ homines respicit, Act. xiv. 17. Alia *specialissima* quæ electos, de qua Ps. lxxiii. 1, *Deus bonus est Israëli.* Si quæras diversitatis istius causas; dari possunt variæ præter ejus voluntatem. 1. Supremum ejus dominium decebat liberrimam in diffundendis donis suis ostendere potestatem, quæ in hac inæqualitate maxime elucet. 2. Postulabat Dei sapientia, ut ordo quidam in rebus existeret, qui in superiorum et inferiorum nexu conspicitur. 3. Faciebat hoc ad pulchritudinem Universi, quam perficiunt Creaturæ forma, actionibus, et virtutibus distinctæ. 4. Melius hoc demonstrabat inexhaustum divinæ bonitatis fontem, cum una creatura non posset omnem bonorum Dei communicationem recipere, eam in plures derivari.

Amor Dei quid sit.

IV. Ex bonitate fluit *Amor*, per quem sese communicare gestit creaturæ, illique sese veluti unire et benefacere vult, sed diversis modis et gradibus pro diversitate objectorum. Unde triplex gradus amoris divini constitui solet; primus quo creaturas prosequitur, qui vocatur φιλοκτισία; secundus quo homines complectitur, qui dicitur φιλανθρωπία; tertius qui erga electos specialiter fertur qui ἐκλεκτοφιλία nuncupatur. Nam quo quæque creatura perfectior est et præstantior, eo etiam majorem amoris divini effluxum et ἐκτύπωσιν participat. Hinc licet amor *affective* consideratus, et a *parte actus interni* sit æqualis in Deo, quia in eum non cadit magis et minus; tamen *effective* spectatus, sive a parte boni quod vult alicui, est inæqualis, quia effecta amoris alia aliis sunt majora.

Triplex est; Benevolentiæ, Beneficentiæ, Complacentiæ.

V. Triplex amor Dei vulgo statuitur, seu potius tres gradus sunt unius ejusdemque amoris; Primus, *Amor* est *benevolentiæ* quo Deus ab æterno bene voluit Creaturæ; Secundus, *Amor beneficentiæ*, quo illi juxta bonam suam voluntatem in tempore benefacit; Tertius, *Amor complacentiæ* quo sibi complacet in creatura propter radios imaginis suæ quos in ea videt: duo priores antecedunt omnem actum creaturæ; posterior sequitur, non ut effectum causam, sed ut consequens antecedens. Amore benevolentiæ nos diligit *antequam simus;* Amore beneficentiæ nos diligit *ut simus*, et Amore complacentiæ nos diligit *quum sumus*, ad ejus scilicet imaginem renovati: Illo nos eligit, isto nos redimit et sanctificat, hoc vero nos sanctos et justos gratuito remuneratur; de primo agitur, Jo. iii. 16, de secundo Eph. v. 25; Apoc. i. 5, de tertio Is. lxii. 3; Heb. xi. 6.

VI. Amorem Dei erga nos quatuor maxime commendant, 1. *Majestas Diligentis*, 2. *Tenuitas* et indignitas *Dilectorum*, 3. *Dignitas illius in quo* diligimur, 4. *Multitudo* et præstantia *donorum*, quæ ab isto amore in nos exundant. 1. Deus nos diligit, qui in summa ὑπεροχῇ et beatitate constitutus non eget nobis, qui non tenetur ad nos amandos, imo qui potest justissime odisse et perdere si vellet. 2. Dilecti sunt homines, non modo vanæ et fragiles Creaturæ; sed peccatores et rei, servi rebelles, qui tantum abest ut aliquid tale mereantur, ut contra odio et pœna sint dignissimi, hostes puta et fœdifragi. 3. Ille in quo dilecti sunt Christus est, Eph. i. 5, deliciæ Patris cœlestis, *et character ejus Personæ*, Heb. i. 2, 3, quo nihil præstantius, nihil carius dare nobis potuit, licet totum orbem dedisset. 4.

Digitized by Google

Effecta amoris sunt et multa numero, et magna dignitate; beneficia scilicet omnia quibus salus in hac vita inchoatur et perficitur in altera, et quod omnium beneficiorum caput est et summa, Dei ipsius donum, qui se nobis fruendum et in gratia et in gloria præbet.

Gratia

VII. Amorem excipit *Gratia*, ex qua Deus dicitur חנון *gratiosus* Exod. xxxiv. per quam concipitur Deus, ut volens se communicare Creaturæ ex amore gratuito citra ullum Creaturæ meritum, et non obstante ejus demerito. Bifariam autem solet præcipue sumi; vel *affective*, uti loquuntur, id. ratione *actus interni* in Deo; vel *effective* ratione *effectorum* quæ ad extra producit in Creaturis: Illa est erga nos, et ad eam nos habemus objective; Ista est in nobis, et ad eam habemus nos subjective. Priori sensu notat Dei *favorem* et *benevolentiam*, seu benignam et propensam ejus voluntatem, omnia liberaliter et gratis, non ex merito nostro, vel debito suo largientem; quæ iterum, vel innuit favorem quo nos ab æterno dilexit et elegit ad vitam, quo sensu electio vocatur *electio gratiæ*, Rom. xi. 5, et Eph. i. 6, dicimur *prædestinati ad laudem gloriæ gratiæ suæ*, id. gloriosæ suæ gratiæ; vel eum quo nos in tempore gratos habet et acceptos in Filio dilectionis suæ, quo potissimum sensu toties *gratiam et pacem* precatur fidelibus ad quos scribit Apostolus, id. tum favorem et benevolentiam Dei, tum omnigena ejus effecta, quæ *pacis* nomine ex idiotismo Hebræorum significantur. Eodem sensu, Rom. iii. 24; Luc. i. 30; Tit. iii. 7, gratiæ Dei fit mentio.

vel affective sumitur;

vel effective.

VIII. Posteriori sensu *Gratia* effective sumpta notat χαρίσματα omnia Spiritus S. gratis nobis a Deo data; sive *ordinaria* fidei, spei et charitatis ad propriam cujusque salutem, quæ in vocatione, conversione, et sanctificatione nobis conferuntur, quo sensu vox gratiæ usurpatur, 1 Cor. xv. 10, Eph. ii. 7, 8; sive extraordinaria et miraculosa ad communem totius Ecclesiæ ædificationem, quæ gratiæ nomine designantur, 1 Cor. xii. 4, 7, 8; Eph. iv. 7. Scholastici dona ista solent nomine *gratiæ gratis datæ* insignire, alia vero nomine *gratiæ gratum facientis*; Sed perperam, tum quia dona ordinaria non minus cæteris sunt gratis data, tum quia non possunt nos gratos Deo facere, quod sola gratia et justitia Christi nobis imputata efficit. Melius ergo *gratia gratum faciens* benevolentiam Dei erga nos innuit, per quam non ex nostris meritis, sed gratuito suo amore nos gratos facit in Christo; per *gratiam* vero *gratis datam* notantur omnia dona quæ gratis nobis conferuntur per Spiritum S. Ista autem gratia pro varietate actuum suorum distinguitur in *operantem* seu *prævenientem*, quæ movet voluntatem ut velit; et *cooperantem*, et *subsequentem*, quæ efficit ne frustra velit, de qua suo loco agetur.

Gratis data, gratum faciens.

IX. Rursus, Gratia distribuitur in *decernentem* et *exequentem*: Illa denotat æternum Dei propositum de nobis eligendis ante jacta mundi fundamenta; Ista complectitur universam mysterii istius admirabilis dispensationem, secundum graduum et temporum varietatem, quæ tum in Redemptione, tum in Vocatione, Justificatione, Sanctificatione, et aliis effectis salutaribus erga electos sese exerit, quam prædicat Paulus Eph. i. et 2 Tim. i. 9, 10.

Misericordia quomodo Deo sit tribuenda.

X. Gratiam Dei comitatur ejus *Misericordia*. Ut enim illa sese exerit circa hominem peccatorem, ut illi veniam peccati concedat; Ita ista circa hominem miserum exercetur, ut illius miseriæ succurrat. Hæc Deo proprie tribuitur, non quatenus significat dolorem conceptum ex aliena miseria, ut locum habet in hominibus; sed quatenus notat promptam et propen-

Digitized by Google

sam voluntatem succurrendi miseris absque omni ægritudine et perturbatione.

XI. Oritur non ab aliqua causa externa quæ hunc effectum in hominibus excitare solet; ut conjunctio sanguinis, amicitiæ, societas ærumnarum, imbecillitas ætatis, sexus, &c. Sed a sola bonitate, quæ ut sese communicare amat Creaturæ, ita miseras succurrere non desinit. Requirit quidem in objecto miseriam, sed quæ habet rationem conditionis et qualitatis tantum, non vero causæ; Et ita libere versatur circa illud, ut possit sese exerere, vel non exerere sine cujusquam injuria; unde *misereri* dicitur *cujus vult*, Rom. ix. 18.

Generalis et specialis.

XII. Duplex autem vulgo statuitur; una *generalis* qua Deus omnibus creaturis in aliqua miseria constitutis succurrit, Psal. civ. 27, alia *specialis* qua suorum miseretur, dum ex hominibus lapsis quosdam elegit servandos per Christum, qui ideo *vasa misericordiæ* vocantur: Illa temporalis est, quæ versatur tantum circa τα βιωτικα, et bona hujus vitæ; hæc vero salutaris et æterna, quæ nos in possessionem salutis et vitæ æternæ mittit.

XIII. Magnitudo misericordiæ colligitur ex variis, 1. Ratione *principii miserantis*, nimir. Dei, qui beatissimus in se, et nulla re indigus, nostri misereri, sola αὐθαιρεσία sua motus, non dedignatur. 2. Ratione *objectorum*, id. hominum quorum miseretur, qui non modo nihil tale merentur, sed plane hoc favore sunt indigni, utpote peccatores, et inimici Dei. 3. Ratione *modi et effectorum*, quia peccata innumera nobis remittit, et æternam miseriam a nobis removet, et bonum infinitum et æternum, vitam scil. et salutem confert. 4. Ratione *durationis*, quia est æterna חסד עולם, Isa. liv. 8; Ose. ii. 19; Thre. iii. 22; Luc. i. 54. Hinc opponenda est 1. *Justitiæ divinæ severitati*; quo sensu dicitur *exaltari supra judicium*, Jac. ii. 13. 2. *Peccatorum numero et atrocitati*, Mich. vii. 18. Nam *ubi abundat peccatum, ibi superabundat gratia*, Rom. v. 20, et *omnes conclusit Deus sub peccato, ut omnium misereretur*. 3. *Miseriarum et tentationum multitudini*; quia nulla tanta est, ex qua summa misericordia Dei juxta inenarrabiles divitias suas nos non liberet, Ps. ciii. 8; Eph. ii. 4, 5. 4. *Mortis et judicii* divini *terrori*, quia in decretorio illo die, pii omnes misericordiam consecuturi sunt, 2 Timoth. i. 18.

XIV. Quamvis vero amplissima sit et multiplex Dei misericordia ratione effectorum quæ sunt innumera, quo sensu dicitur πολυέλεος, Psal. li. 1; 1 Pet. 1, 3, et οἰκτιρμοὶ seu miserationes, et viscera miserationum Deo tribuuntur, Rom. xii. 1, sua tamen objecta et vasa habet in quæ diffunditur, electos scil. et fideles, quorum ab æterno misereri statuit, qui ab aliis distinguuntur quos præterire statuit, qui ideo vocantur *vasa iræ coagmentata ad interitum*, Ro. ix. 22. Asylum est pœnitentium et piorum, sed non refugium profanorum et impœnitentium.

QUÆSTIO XXI.

DE POTENTIA DEI.

Qualis sit Dei Omnipotentia, et An se extendat ad ea quæ implicant contradictionem? Neg.

I. *Potentia Dei*, quæ est *principium exequens* operationum divinarum, nihil aliud est quam ipsa Essentia Divina extra se productiva, per quam

Digitized by Google

concipitur ut potens facere ea omnia quæ vult, vel velle potest; quæ hic ante omnia distinguenda venit a *potestate* seu ἐξουσίᾳ, quæ jus et authoritatem aliquid faciendi notat, cum potentia innuat demum in conceptu suo vim et facultatem agendi.

www.ertongbook.com.cn

Status Quæstionis.

II. Non quæritur, An Potentia passiva quæ est principium patiendi ab alio in Deo detur; Nam cum ea sine imperfectione et mutatione dari nequeat, eam procul a Deo amovendam esse constat. Nec si generatio Filii vel spiratio Spiritus terminis passivis exprimitur, statim sequitur, dari in Divinis potentiam passivam, cum hoc meram σχέσιν notet ad Personas generantem et spirantes. Sed agitur tantum de activa, quæ est principium agendi in aliud.

III. Non quæritur de *Potentia actuali et ordinata*, secundum quam Deus actu et irresistibiliter facit quæcunque vult facere, eo tamen tempore et modo quo ipsi visum est, de qua Ps. cxv. 3. *Deus noster in cœlis est, quicquid vult facit;* de qua bene dicitur *a Potentia actuali ad opus seu effectum valere consequentiam;* Sed de *absoluta*, per quam concipitur plura posse facere quam reipsa facit, nimir. ea quæ perfectissimæ naturæ suæ non repugnant, vel contradictionem non implicant, per quam Deus potuisset ex lapidibus suscitare filios Abrahamo, Mat. iii. 9, et mittere duodecim legiones Angelorum Christo, Matth. xxvi. 53, de qua notandum, *A potentia absoluta ad opus non valere consequentiam*, quia multo plura Deus præstare potest quam revera præstat.

IV. Licet potentia et voluntas non differant realiter; non sequitur potentiam non latius patere ipsa volitione actuali; imo ut volitio actualis respondet potentiæ actuali, per quam quicquid vult facit, ita volendi facultas seu possibilitas respondere debet potentiæ absolutæ, per quam Deus concipitur posse facere quicquid potest velle.

V. Si quidam ex nostris Theologis *potentiam absolutam* rejicere videntur, tanquam commentum profanum et detestabile, ut *Calvin.* lib. iii. Insti. c. 23, s. 2, hoc intelligunt, non absolute, sed secundum quid, ratione abusus Scholasticorum, qui multa portentosa dogmata inde extruxerunt, quasi absolutæ potentiæ ratio in eo consisteret, quod Deus possit quicquid a nobis excogitari potest, sive bonum, sive malum, sive contradictorium, sive non; puta quod possit mentiri, peccare; quod possit aliquid quod repugnat naturæ rerum, &c.; hanc potentiam absolutam recte negat Calvinus, quia non esset potentiæ et virtutis, sed impotentiæ et imperfectionis; sed noluit negare Deum per potentiam absolutam plura posse præstare quam revera præstet per actualem.

Quotuplex sit possibile et impossibile.

VI. *Objectum* Potentiæ Dei nihil aliud est quam *possibile*, id. quicquid fieri non repugnat; ut omniscientiæ objectum est scibile. Impossibile vero non cadit sub omnipotentiam Dei, non ex defectu potentiæ in Deo, sed ex defectu possibilitatis rei, quia involvit in conceptu suo prædicata contradictoria; ut visio licet esset infinita, extenderetur tantum ad visibilia, non ad audibilia.

VII. *Impossibile* et *possibile* trifariam dicitur, 1. *supernaturaliter*, 2. *naturaliter*, 3. *moraliter*. *Impossibile supernaturaliter* est quod nequidem virtute divina fieri potest; ut lapis sensitivus, homo irrationalis; *Possibile supernaturaliter*, quod saltem divinitus esse potest, ut resurrectio mortuorum. *Impossibile naturaliter* est quod viribus naturæ et causarum secundarum fieri nequit, sed potest tamen fieri virtute supernaturali; ut Creatio mundi, partus virginis, &c.; *Possibile* vero quod non excedit naturæ finitæ vires. *Impossibile moraliter* est quod non potest fieri juxta sanctitatis Leges;

Digitized by Google

Possibile vero quod est consentaneum legibus honestatis. Deus potest quidem τὸ impossibile naturaliter, sed non quod tale dicitur, vel moraliter, vel supernaturaliter.

VIII. Aliud est *impossibile naturæ* respectu causarum secundarum, id est quod usitatum et consuetum naturæ cursum superat; ut Solem stare, ignem non urere; Aliud est *impossibile natura*, id. quod naturæ rei repugnat respectu omnium causarum. Quum impossibile dicitur non cadere sub potentiam Dei, intelligitur secundo modo, non primo; nam alias quæ sunt impossibilia hominibus, apud Deum sunt possibilia.

IX. *Impossibile*, vel est a *parte rei*, quod naturæ rei repugnat, vel a *parte Dei*, quia Deus hoc non potest facere; non quod absolute sit impossibile in se, quia ab aliis fieri potest, et sæpe fit, sed quia in Deum cadere nequit, v. g. mentiri, peccare, mori, quæ non sunt absolute impossibilia in se, sed respectu Dei. Ita quæcunque defectum aut *imperfectionem* aliquam notant; sive *moralem* qualia sunt mendacium, peccatum, abnegatio sui, Heb. vi. 18; 2 Tim. ii. 13; Jacob. i. 13, 14, sive *physicam* qualis est mors, vel corruptio, in ipsum cadere non possunt, quia omnipotens, quod *Aug.* eximie notat Tom. 9, de symbo. ad Catechume. lib. i. c. 1, "Deus omnipotens est, et cum sit omnipotens mori non potest, falli non potest, negare seipsum non potest, quum multa non potest et est omnipotens? Et ideo omnipotens est, quia ista non potest, nam si mori posset, non esset omnipotens." Et lib. v. de C. D. c. 10. "Potestas Dei non minuitur, quum dicitur mori, fallique non posse; sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minoris esset potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest, dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult."

X. Hinc patet quid statuendum sit de objecto Potentiæ Dei; non esse scilicet illud omne quod quocunque modo concipi, vel excogitari potest; siquidem multa falsa, et mala, et quæ esse non possunt concipiuntur: Non etiam illud tantum quod Deus vult, multo enim plura posse Deum facere quam vult res ipsa clamat, et Scriptura expresse docet, Matt. xxvi. 53; Matt. iii. 9. Sed illud omne quod non repugnat, tum a parte rei, tum a parte Dei, id. quod potest fieri, et quod Deus potest facere.

XI. Unde colligitur quid judicandum sit de contradictoriis: Contradictorium enim illud dicitur quod est *impossibile logice*, id. quod habet repugnantiam, et quod includit prædicata contradictoria; v. g. Deus corporeus, homo irrationalis. *Repugnantia* autem alia est *immediata* et *explicita*, quando termini repugnantes explicite sunt contradictorii; v. g. factum infectum, homo non homo. Alia *mediata* et *implicita*, quando termini repugnantes virtualiter tantum et implicite contradictionem includunt; v. g. quando de subjecto negantur proprietates inseparabiles, vel affirmantur prædicata contraria; v. g. Deus corporeus et mortalis, homo non risibilis, corpus non extensum, accidens non inhærens; talia enim involvunt prædicata contradictoria, quæ incurrunt in principium indubitatæ veritatis, *Impossibile est idem esse et non esse simul.*

Contradictoria non cadunt sub potentiam Dei.

XII. Talia vero non cadere sub Dei potentiam patet. 1. Quia impossibilia non possunt a Deo fieri, contradictoria autem sunt impossibilia, quia sunt *incompossibilia*; contradictio enim est æternæ disjunctionis, et in æternum opponuntur affirmare et negare, esse et non esse. 2. Quia potentia Dei versatur circa Ens, id. quod potest esse; At contradictorium est non ens. 3. Quia si posset facere contradictoria, posset facere ut idem simul esset et non esset, ut duæ propositiones contradictoriæ possent esse simul veræ. 4. Sic

Digitized by Google

nullum plane amplius daretur impossibile, quia nullum datur majus eo quod implicat.

Fontes Solutionum.

XIII. Licet autem potentia non extendatur ad contradictoria, non propterea censenda est limitari ejus infinitas; nam uniuscujusque agentis potentia æstimatur ex proprio objecto; proprium autem objectum potentiæ divinæ est id quod non repugnat. Ergo quum dicitur omnipotens seu omnia posse, particula *omnia*, non distribuit nisi Entia, sub quibus impossibilia et contradictoria non continentur.

XIV. Deus quidem potest facere quæ sunt supra rationem hominis, quia potest facere supra id quod possumus cogitare, Eph. iii. 20, sed non quæ sunt contra rationem: Nec si potest facere impossibilia apud homines, id. quæ superant vires humanas, statim sequitur posse facere impossibilia apud rationem, id. quæ repugnant rationi. Verum quidem est intellectum divinum superare logicam et ratiocinationem nostram; sed inde non potest colligi Deum illa posse quæ in nostra logica implicant contradictionem; quia licet deficiat recta nostra ratio in adæquatione veritatis divinæ, ut totam non possit assequi, nihil tamen illi veritati contrarium continet.

XV. Aliud est dicere Deum plura posse quam possimus intelligere, et mens nostra capere. Aliud vero, Deum posse quæ implicant contradictionem; prius docuerunt Theologi nostri ex Scriptura, sed non posterius, quod sine ullo potentiæ divinæ limitandæ metu constanter negarunt.

XVI. Apud Deum non est impossibile ullum verbum, vel res, quæ potest habere rationem veri Entis, Luc. i. 37; sed illud quod est contradictorium tale non est, sed nihil et non ens.

XVII. Aliud est facere contraria; Aliud contradictoria. Deus prius potest, sed non posterius; et si Deus naturam rerum aliter constituisset, nobisque alias rerum ideas indidisset, faceret quidem diversa et contraria, sed non contradictoria; nec falsum foret illud principium, *impossibile est idem simul esse et non esse*, quod est verum contradictionis fundamentum.

XVIII. Deus potuit facere ut præteritum non esset præteritum *in sensu diviso*, et antequam esset præteritum: Sed *in sensu composito*, non potest facere ut quod est præteritum non sit præteritum, quia non minus impossibile est rem simul fuisse et non fuisse, quam esse et non esse.

XIX. Licet asseramus Deum quædam non posse, non propterea censeri debemus negare ejus Omnipotentiam, ut hoc impingitur nobis a Pontificiis et Lutheranis; quia hoc tantum intelligimus de illis quæ implicant contradictionem, et vel vitium aliquod, vel imperfectionem arguerent in causa prima; qualia posse impotentiæ est, non potentiæ. Nec magis argui potest impotentiæ Dei potentia, quod non feratur in impossibilia, quam visus eo quod non videat sonos, vel auditus quod non audiat colores. Contradictoria autem censemus esse ea quæ Deum posse negamus; ut accidentia dari sine subjecto, Corpus aliquod illocale esse, vel πολύτροπον.

XX. Quod Johannes ait Matt. iii. 9, Deum posse ex lapidibus suscitare filios Abrahamo; non statuit Deum posse contradictoria; sed tantum vanam gloriationem Judæorum retundit, et spem impunitatis propter parentum sanctitatem, et gentis dignitatem conceptam, eo quod Deus illis deletis posset alium sibi populum colligere miraculose ex lapidibus, qui essent filii Abrahami non generatione sed imitatione. Hæc autem locutio, Vel figurate intelligi potest de *lapidibus* non *physice* sed *ethice*, id. de gentibus extraneis quæ lapides colunt, et quæ lapidibus in Scriptura comparantur; Vel ad *literam*, hoc sensu; si vos omnes male pereatis, Deus tamen nec erit vanus in promissis suis, nec deerit

Digitized by Google

Abrahamo posteritas; ut formavit Adamum ex terra, sic ex lapidibus potest filios suscitare Abrahamo, non carnales sed spirituales; Vel proverbialiter et hyperbolice, quomodo dicuntur *lapides clamaturi*, Luc. xix. 40, ut innuatur Deum posse mediis extraordinariis, et præter naturæ cursum populum sibi colligere. Ita hic potentia notatur absoluta, quæ scilicet superat ordinem in natura constitutum, non vero actualis, quæ talem ordinem observat et sequitur.

XXI. Quamvis omnia opera Dei sint finita, nec ullum infinitum actu et proprie dictum a Deo fieri possit; non propterea limitatur omnipotentia Dei, quia non desinit esse infinita, tum *essentiæ* respectu, cum qua convertitur, tum respectu *modi operandi*, qui in operibus finitis infinitus debet esse, sive propter infinitam distantiam inter ens et nihil; sive quia infinitum necessario statui debet agens, cui nihil in quod agat præsupponitur; tum respectu *objectorum*, quæ possunt dici infinita, non actu sed potentia.

XXII. Potentiam hanc infinitam suam Deus exercet, vel *mediate* interventu causarum secundarum, quibus tanquam instrumentis utitur ad operandum; vel *immediate*, quum Deus per seipsum sine aliis causis operatur; priori sensu Deus potentiam suam exerit in gradu finito, quia non potest communicare virtutem suam creaturæ nisi in gradu finito, cujus capax est creatura; v. g. quum potentiam suam exerit Deus in nutritione hominis per cibos: posteriori sensu illam exerit infinito modo, quia solus operatur, ut quum virtutem suam exerit in conversione hominis.

XXIII. Licet rei impossibilitas se magis teneat a parte rei propter repugnantiam terminorum, quam a parte Dei, in qua nulla impotentia, sed summa virtus et perfectio propterea notatur: tamen nihil est impossibile a parte rei, quod non sit etiam tale a parte Dei, ut quicquid possibile dicitur, non ita vocatur a parte rei simpliciter, quasi intrinsecam habeat entitatem in se ab æterno, quod quidam male voluerunt; sed a parte Dei, et respectu potentiæ agentis, quatenus possibile illud dicitur, quod agens primum potest producere.

XXIV. Si Deus posset facere infinitum actuali extensione et numero, tale esset, quod haberet extensionem actualem infinitam, vel numerum revera infinitum; sic darentur plura actu et revera infinita, imo aliquid tam magnæ extensionis, vel tanti numeri, cui Deus adjicere non posset vel unitatem, vel unum cubitum, cum ei quod est infinitum actu nihil addi possit, quod nemo non videt absurdissimum esse; Imo Creaturam aliquam dari infinitam actu, sive extensione, sive numero, tam implicat, quam Creaturam esse æternam et non factam.

XXV. Propositio ista, *Deum posse fallere si velit, licet nec velit, nec possit velle*, quacunque interpretatione emolliatur, tanquam nimis cruda et periculosa, imo et veritati de Deo in Scriptura traditæ aperte repugnans, merito rejicitur. Quia si Deus potest fallere, *potest* etiam *mentiri et peccare si velit*, quod perfectissimæ ejus veritati et sanctitati adversatur, atque ideo jamdiu damnatum est tanquam blasphemum in Scholasticis; Nam alterum verbis fallere, quid aliud est quam mentiri, aut falsum dicere? ideo si potest Deus fallere verbis, potest et mentiri, quod expresse repugnat Scripturæ, Tit. i. 2, Heb. vi. 18, et naturæ Dei, in qua nec esse potest ignorantia, nec error judicii, nec malitia, nec aliquid tale, unde mendacium originem ducit. Imo si hoc diceremus, dicere etiam possemus Deum posse fieri non Deum, horresco referens; quia si Deus posset fallere, Deus posset peccare, si posset peccare, posset fieri non Deus, quia qui peccat, vel peccare potest non est Deus. 2. Deus per bonitatem, sanctitatem et justitiam suam nequit dici posse facere malum, injustum et impurum, etsi

Digitized by Google

vellet: Ergo per eandem consequentiam non potest dici posse fallere, propter immutabilem ejus veritatem, quæ etiam ante omnem voluntatis conceptum Deo tribuenda est. 3. Deus id non potest facere, quod non potest velle; nam Deus non potest aliquid sine sua voluntate, cum voluntas potentiam in actum deducat, et quicquid potest Deus facere, id potest etiam velle ut fiat, nisi statuamus aliquid posse dici simul possibile et impossibile eidem Deo simplicissimo et veracissimo, quod ἀσύστατον; At nemo negat, nisi Atheus, Deum non posse velle fallere. 4. Si Deus posset fallere si vellet, potuit nos obligare si vellet ad credendum mendacium, idque fide divina propter authoritatem suam. 5. Deus non potest contradictoria: Ergo non potest fallere si velit; nam Deum posse fallere, est Deum posse esse non veracem, atque adeo non Deum. 6. Si Deus potest fallere, fides nostra semper nutabit circa Scripturam; nam si data est a Deo qui potest fallere, quomodo persuadere poterimus Atheo eum non fefellisse? Frustra dices eum non velle fallere; nam unde hoc illi constabit? non ex Scriptura, quæ expresse hoc dicit, quia statim reponere poterit, hoc dictum esse ab illo Deo qui fallere potest, et unde scimus eum hic effectum non dare, quod dicitur posse? non ex Dei natura, quia Dei naturæ non repugnat id effectum dare quod efficere potest: frustra etiam dices repugnare naturæ Dei id velle efficere, quia si non repugnat Dei naturæ, posse illud perficere, nec naturæ Dei repugnabit, posse velle illud facere.

XXVI. Quamvis potentia Dei ad plura se extendat quam ejus voluntas in *actu exercito*, quia multo plura potest facere quam ea quæ de facto vult, quæ sunt futura; non tamen latius patet voluntate in *actu signato*, id est, non potest plura facere Deus quam potest velle, cum utraque et potentia et voluntas ex ejus natura sibi formet legem.

XXVII. Aliud est Deum decernere posse ut fiat error a Creatura, et permittere ut creatura fallatur; Aliud vero Deum seipso immediate aliquem fallere posse: Prius potest juste fieri, et de facto fit a Deo, sed non posterius quod rationem peccati involvit.

XXVIII. Quamvis recte dici possit Deum aliquid facere posse si vellet, respectu eorum quæ Deus non potest velle ex hypothesi decreti sui immutabilis; quia talis operatio non involvit cum natura Dei ullam repugnantiam: Non pariter dici potest hoc, respectu eorum quæ non potest velle per suam bonitatem et justitiam; quia talia non ex hypothesi tantum respectu decreti sunt impossibilia, sed absolute et in se propter repugnantiam quam dicunt cum natura Dei.

QUÆSTIO XXII.

DE DOMINIO ET POTESTATE DEI.

Quid et quotuplex sit Dei Dominium? Et an detur Jus Absolutum et Ordinatum?

Dominii Dei fundamentum.

I. Cum *Potentia* Dei, de qua præcedenti quæstione actum, semper conjungi debet ejus *Potestas*, ex qua Jus et authoritas illi competit ea præstandi quæ facit; Potestas vero ex Dominio ejus oritur, de quo quæstio jam instituitur.

II. Deum Dominum esse Cœli et Terræ, si Scriptura ipsa toties non testaretur, satis ipsa natura Dei, quæ est independens, perfectissima, et omnium causa, hoc evinceret. Duplex ejus fundamentum statuitur, 1. ὑπερ-

Digitized by Google

ὑπεροχὴ et *eminentia Naturæ*, 2. *beneficentiæ amplitudo* et excellentia. Ut inter homines duo sunt fundamenta legitimi dominii; *Eminentia virtutis* supra cæteros, id enim fert rerum natura, ut superiores et præstantiores, inferioribus et ignobilioribus dominentur; unde Aristoteles expresse asserit, si quis reperiretur qui omnibus virtutibus cæteris mortalibus longe antecelleret, cæterorum omnium Regem esse constituendum; Deinde *beneficentia* per quam jus homini in alium acquiritur, ideo enim Dominus, quia beneficus; Cum ergo Deus in summa ὑπεροχῇ sit constitutus, et beneficiis innumeris Creaturas suas mactaverit, et quotidie mactet, tanquam opus suum, justissime omnium Dominus dicitur, ut opifex operis sui est Dominus.

Dominium naturale et œconomicum quomodo differant.

III. *Dominium* istud vocatur *naturale* et *essentiale*, ut distinguatur ab *œconomico* quod Christo competit, Phil. ii. 9. et multifariam ab illo differt; 1. Ratione *principii* et *originis;* Illud naturale dicitur, κατὰ φύσιν, quia a nullo datum, hoc vero œconomicum, et κατὰ θέσιν, quia ab alio datum, scilicet a Patre, Matt. xxviii. 19. *Omnis potestas mihi data est in cœlo et in terra.* 2. Ratione *fundamenti:* Prius fundatur in *decreto Providentiæ*, quo res et eventus omnes prædefinivit; Posterius vero in *decreto Prædestinationis*, secundum quod nos prædestinavit ad adoptionem per Jesum Christum, Eph. i. 5. 3. Ratione *objectorum;* Regnum naturæ universale est, quod Creaturas omnes ambitu suo complectitur, Regnum gratiæ specialiter ad Ecclesiam terminatur, unde peculiari ratione vocatur Rex et Dominus Ecclesiæ, quamvis enim potentiam suam et justitiam exerceat etiam in ipsos impios qui illi subjiciuntur, quosque regit et conterit virga ferrea, Psal. ii. 9. specialiter tamen regnat in electis et fidelibus per gratiam. 4. Ratione *effectorum;* Nam effecta Providentiæ divinæ in Regno naturali communia sunt, et in omnes creaturas licet diversimode sese diffundunt; sed effecta Regni gratiæ sunt beneficia salutaria solis electis propria, Vocatio, Adoptio, Justificatio, Sanctificatio, &c. 5. Ratione *administrationis;* Illud exercetur a Christo ut Deo, una cum Patre et Spiritu S. unde *essentiale* vocatur, quia totius Essentiæ Divinæ commune est; sed hoc ab ipso ut Mediatore et θεανθρώπῳ, unde *Personale* dicitur, quia ad Personam Filii pertinet, et illius œconomiæ destinatur. 6. Ratione *durationis;* Illud æternum est et immutabile, Psalm cxlv. 13. Hoc vero finem habiturum est, saltem quoad modum, quia reddet Regnum Deo Patri, 1 Cor. xv. 24.

IV. Præcipua Dominii Dei proprietas est, quod sit non solum *universale*, sed etiam *absolutum* et *illimitatum;* nam ut Deus est Ens independens et vere αὐτεξούσιος: Ita est plane ἀνυπεύθυνος, qui nullius censuræ vel judicio est subjectus, Job ix. 12; Dan. iv. 25. qui de suo facere potest quod vult, Matth. xx. 15. et cum quo nemo litigare potest, aut illi dicere, cur facis? licet divinorum ejus operum et judiciorum ratio nos lateat, Job xxxiii. 13; Rom. ix. 20, 21. *An figmentum dicet figulo, cur me ita fecisti?*

Jus absolutum et ordinatum.

V. Hinc orta distinctio Juris Dei, in *Absolutum* et *Ordinatum;* Illud est dominium sive potestas quam Deus obtinet in omnes suas Creaturas, statuendi de illis pro arbitrio sine injustitia. Cujus duplex est fundamentum. Primum est excellentia naturæ supra omnes creaturas; nam summa illa ὑπεροχὴ quam obtinet in omnia potestatem etiam illi summam conciliat. Alterum est dependentia omnium creaturarum ab ipso, tum in essendo, tum in operando, Act. xvii. 24. per quam, ut primus est a quo sunt omnia, ita et novissimus esse debet, ad quem referantur, Rom. xi. 36.

Digitized by Google

VI. *Jus ordinatum*, est ordo seu ratio Justitiæ, quam Deus Verbo Legis et Evangelii nobis declaravit, tum quoad officium hominis in utroque fœdere, opera scilicet et fidem, tum quoad promissionem et comminationem illi annexam in vita et morte, salute et condemnatione. Hujus fundamentum est fœdus cum Creatura initum, seu voluntas Dei, externo verbo Legis vel Evangelii nobis patefacta. Unde locum habet in ordinaria Dei erga homines dispensatione; Alterum vero in extraordinaria, quod Deus potest quidem illæsa sua justitia exercere, sed quod rarissime tamen exercet.

VII. Utriusque argumentum occurrit in Prædestinatione. Nam in Electione ad Jus absolutum pertinet, quod Deus pro liberrimo suo beneplacito homines peccatores et reos destinat ad salutem; et quod, licet omnes sint pares, hunc tamen præ illo eligit, ut visum in exemplo Esavi et Jacobi, de quo Apost. ait, Rom. ix. 11, quod *nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum electionem, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret, dictum est, major serviet minori*; unde statim additur v. 18. *miseretur cujus vult, et quem vult indurat.* Ad ordinatum vero spectat, tum quod non absque Christi satisfactione peccatoribus gratiam facit, et eos salvat, Rom. iii. 25, tum quod fidem et opera gratiose ex promisso remuneratur, 2 Thess. i. 5, 6, 7. In Reprobatione Jus absolutum cernitur in eo, quod licet homines omnes sint pares, tamen hunc præ illo præterit, ex sola ἰδιωτᾷ agens, non ut Judex, sed ut ἀντιμέτρως et Dominus qui potestatem habet faciendi vas ad decus et ad dedecus, Rom. ix. 21; Matt. xi. 26. Ordinatum vero in eo quod neminem reprobat et damnat nisi propter peccatum, Rom. i. 32.

VIII. Licet Jus absolutum ex Lege non reveletur, non ideo censendum est contrarium Legi; est supra et præter Legem, sed non contra eam: Nec propterea dicendum est injustum, utpote non conforme Legi; quia ut antea probatum est, Justitiæ regula adæquata non est sola Lex sed partim natura Dei, partim ejus voluntas; Deinde, Aliud est agere ex regula Justitiæ ordinariæ; Aliud vero ex superiori ordine, nim. ex Jure autocratorico, cui justitia non repugnat, sed subordinatur. Sic Princeps quum peccatum condonat, non agit ex Justitia qua Judex, sed ex clementia qua Dominus et Princeps, qui potest dispensare de lege a se lata. Ita Deus in exercitio istius Juris absoluti, licet nihil faciat quod adversetur justitiæ, non agit tamen ex ea, sed ex liberrimo beneplacito quod illi competit, ut supremo Domino.

IX. Quousque Jus Dei absolutum extendatur curiosius non est scrutandum, multo minus temere definiendum, nec nostrarum virium aut partium est limites ullos vel Potentiæ, vel Potestati Dei ponere. Si vermiculum nemo ferret de hominum potestate disputantem, et illi terminos ponentem, quanto minus hoc ferendum in homine qui, respectu Dei, vermiculo longe minor? Facessere ergo hinc jubemus curiosas et inutiles Scholasticorum quæstiones, qui temerario ausu Majestatis Dei arcana nobis incomprehensibilia definire præsumunt. Duo tantum hic arcte tenenda censemus; Hinc quidem, Jus Dei summum esse et absolutum supra quod possumus vel cogitare vel eloqui, ut possit facere de suo quod libet: Inde vero, esse semper sanctum et perfectissimæ Dei naturæ consentaneum, ut dum eo utitur, nihil faciat quod sapientiæ, bonitati, et sanctitati suæ adversetur.

X. Quum Scriptura de Jure absoluto loquitur, ut Rom. ix. et in libro Johi c. xxxiii. &c. non tam innuit quid Deus reipsa faciat, quam quid facere possit, ut ita præfractis et impudentibus libertatem Dei suggillantibus os obstruat.

Digitized by Google

Jus naturale et liberum.

XI. Huc pertinet distinctio Juris Dei in *Naturale* et *Liberum*. Illud fundatur in ipsa natura Dei; hoc vero pendet ab ejus arbitrio et voluntate: Illud æternum est et indispensabile, cujus contrarium velle nequit sine contradictione; Hoc vero positivum est et dispensabile, cujus oppositum Deus velle potuit sine repugnantia. Sic ad *Jus naturale* pertinet, quod Deus non possit seipsum abnegare, et gloriam suam alteri dare, quod Creatura rationalis Deo obediat et sublex sit, aut ut pœnam luat, quod Deus non possit non gubernare mundum quandiu mundus est, et mandata sancta et justa Creaturæ præscribere. Talia enim sunt ista omnia, ut Deus non possit contrarium velle sine repugnantia. Ad *Jus* vero *liberum* pertinet permissio peccati, gratiæ discriminantis collatio, Legis symbolicæ et cæremonialis institutio; hæc enim sunt hujusmodi, ut Deus potuerit ea velle vel nolle sine justitiæ suæ detrimento.

QUÆSTIO XXIII.

DE S.S. TRINITATE.

Quis sensus sit Vocum Essentiæ, Substantiæ, Subsistentiæ, Personæ, Trinitatis, ὁμοουσίου, in hoc Mysterio; Et an bene Ecclesia illis utatur?

I. Absolutam Dei considerationem ratione Naturæ et Attributorum ejus, excipit *Relata*, ratione Personarum, quæ versatur circa adorandum Trinitatis mysterium, quod nec capit ratio, nec demonstrat exemplum, sed sola divinæ Revelationis authoritas fide suscipiendum, et pietate suspiciendum proponit.

II. Ut vero ex Scriptura sobrie explicari queat quoad τὸ ὅτι, quod clare in ea traditur, non quoad τὸ διότι, vel τὸ πῶς, quod ipsis Angelis est ἀκατάληπτον, genuinus sensus et usus vocabulorum, quæ subinde adhiberi solent ad faciliorem ejus intelligentiam, aperiendus est.

1. Essentia.

III. Primo hic occurrit vox οὐσίας seu *Essentiæ* et *Naturæ*, quæ quidditatem rei notat, et in Scriptura non semel innuitur, non modo in concreto, quum Deus ὁ ὤν dicitur, Exod. iii. 14; Apoc. i. 4, sed et in abstracto, quum Deo tribuitur θειότης, Col. ii. 9, φύσις, Gal. iv. 8, θεία φύσις, 2 Pet. i. 4. Eo referri potest vox Hebræa יתרון, quæ τὴν ὄντως οὐσίαν designat, Job. xii. 16.

2. Substantia.

IV. 2 *Substantia* Deo tribuitur a Patribus, non quatenus dicitur a substando accidentibus, quæ in Deum non cadunt; sed a subsistendo, quia per se et a se subsistit. Notandum vero hic Veteres in contraria abire aliquando, et non uno modo substantiæ vocem usurpare; Quidam substantiam pro subsistentia sumunt, ut Hilarius qui *tres in Divinitate substantias agnoscit*, lib. de Synodis. Alii unam tantum agnoscunt, tres autem esse negant, ut *Aug.* lib. v. de Tri. c. 9. *Tertull.* cont. Praxeam, et alii, substantiam scil. pro natura et essentia sumentes.

3. Subsistentia.

V. 3 Vox est *subsistentia*, quæ ὑπαξις Græcis dicitur, unde τρόπος ὑπάρξεως modum subsistendi, seu personalitatem notat. Subsistere autem est aliud quid quam existere. *Existere* enim est rem actu esse extra suas causas in rerum natura, quod in accidentia non minus ac in substantias cadit; Sed *subsistere* notat modum existendi proprium substantiis. *Subsistentia* autem duplex vulgo statuitur; alia qua constituitur substantia in *esse substantiæ*; alia qua constituitur

Digitized by Google

in *esse suppositi*: Illa explicari solet per *Independentiam* a subjecto, quæ competit omnibus substantiis tam incompletis quam completis; Ista per *incommunicationem*, seu *incommunicabilitatem*, quatenus substantia singularis, neque est pars, nec adjunctum alterius, quæ si sit, intellectualis vocatur *Persona*. Illa est ipsa substantiæ existentia, Ista vero dicitur superaddere modum aliquem existentiæ substantiæ singularis, qui modus entitativus dicitur ultimo terminans et complens naturam substantialem, atque illi dans incommunicabilitatem, ut subsistere hoc sensu sit naturæ singularis ultimo completæ, et incommunicabilis. Ita *humanitas Christi* habet priorem subsistentiam qua constituitur in esse substantiæ, quia est vera substantia independens a subjecto; sed non posteriorem quæ constituit suppositum, quia non est suppositum humanum, utpote unita et adjuncta Verbo ad constitutionem θεανθρώπου. Hic vero vox subsistentiæ non priori sensu, sed posteriori sumitur.

4. ὑπόστασις. VI. 4. Huic subsistentiæ designandæ Græci adhibuerunt vocem ὑπόστάσεως, quæ magnarum turbarum olim in Ecclesia occasionem præbuit, propter vocis homonymiam; Vel enim generice et late sumitur apud Patres pro ipsa rei substantia, et ita veteres Romani et Africani nullum discrimen ponebant inter essentiam et hypostasim; unde in Synodo Sardicensi an. 347 habita, hæreticorum esse dicitur tres hypostases asserere, Catholicorum vero unam tantum, et *Athana.* Epist. ad Africa. et Antioch. ὑπόστασις οὐσία ἐστιν, καὶ οὐδὲν ἄλλο σημαίνει, ἢ αὐτὸ τὸ ὄν, *hypostasis substantia est, et nihil aliud notat, quam id quod existit;* quæ fuit etiam sententia Hieronymi in epist. ad Damasum, qui non patiebatur tres hypostases dici, ne tres essentiæ divinæ, et sic tres Dii statuerentur. Vel sumitur *stricte* pro rei subsistentia, et supposito, quomodo Alex. Synodus an. 319, contra Sabellianos definit unam esse prædicandam οὐσίαν, tres vero ὑποστάσεις, vide Basili. epist. ad Gregor. fratres. Hinc facile conciliatio instituitur inter loca Patrum inter se pugnantia, ut ostendit Athanasius in Concilio Alexand. cujus erat præses, qui litem acrem ortam inter Orientales et Occidentales, Græcos et Latinos, ea de causa prudenter et feliciter diremit, quod Grego. Nazi. observat in Orat. de laudib. Athanasii. Unde teste Aug. li. v. de Trini. cap. viii. dicere consueverant μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, *unam* scilicet *Essentiam*, *tres Subsistentias.* Postea vero ne vocis ambiguitas esset erroris occasio, ut Thom. notat p. 1. q. 29, art. 2. obtinuit Græcorum sententia, qui ὑπόστασιν pro subsistentia ponunt, quæ communis est hodie et recepta apud omnes, eoque magis, quod Scriptura hic præire nobis videtur, dum conferendo Personam Filii cum Persona Patris, cujus refert imaginem, vocat eum *Characterem subsistentiæ Patris*, Heb. i. 3.

5. Persona. VII. 5. Hinc patet quid nomine *Personæ* intelligendum sit; Nam quod apud Græcos hypostasis dicitur, id apud Latinos est *Persona*, non prout vox Scena petita est, et *histrionum larvam* notat, apud Gellium, lib. v. c. 7, ubi histriones, larvati, *personati* dicebantur; vel quum sumitur pro *qualitate* aliqua, aut externa specie, quæ ad causæ momentum nihil facit; quo pacto Judex non debet personam divitis in judicio respicere præ paupere, et a Deo removetur προσωπολημψία: vel pro *officio* et munere aliquo, ut quum quis dicitur exuere personam Judicis, et induere Accusatoris: Sed *proprie* et *stricte*, prout designat *suppositum intellectuale*, quomodo sumitur, 2 Corinth. i. 11, et apud Jurisconsultos passim usurpatur, quum actio dividitur in rem vel personam.

VIII. Vox *Personæ* proprie concreta est, non abstracta, quæ præter formam, quæ est personalitas, subjectum etiam notat cum forma a qua de-

Digitized by Google

nominatur; Sed quandoque tamen abstracte sumitur, unde fit ut Personæ Divinæ bifarium considerentur; vel concrete, ut quum Filius dicitur *ὑπάρχων in forma Dei*, Phil. ii. 6. vel abstracte, quum vocatur *Character Personæ Patris*, Heb. i. 3; posteriori sensu contradistinguitur essentiæ, ut modus rei; priori includit essentiam cum modo. Hinc duplex orta est *Personæ Divinæ* definitio, alia *abstractiva*, quam Calvinus noster recipit, lib. i. Insti. c. 13, s. 6. quum Personam definit, *Subsistentiam in essentia Dei, qua ad alios relata, proprietate incommunicabili distinguitur*, sequutus hac in parte Justinum et Damascenum, qui eam dixerunt *τρόπον ὑπάρξεως, modum subsistendi:* Alia vero *concretiva*, quæ est *Melanctonis* et *Ursini;* quibus *Persona* dicitur, *Individuum subsistens, vivens, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio, et quod non est pars alterius.* Illa perfectionem Personarum Divinarum plenius exprimit; Ista veritatem subsistentiæ earum clarius innuit.

6. Trinitas. IX. 6. Sequitur vox *Trinitatis*, propria huic mysterio; quæ licet in abstracto non extet in Scriptura, legitur tamen in concreto, 1 Jo. v. 7, ut non opus fuerit Pontificios illam ex Traditione arcessere ad causam fidei hæreticis prodendam, cum ipse *Bell.* lib. ii. de Chr. c. v. fateatur Trinitatem *evidenter* deduci ex Scripturis. Licet vero Τριὰς Græcorum videatur tantum ex prima nominis impositione quemlibet ternarium rerum numerum notare; tamen vox ista, ut multæ aliæ, sacra facta est Ecclesiastica consuetudine, et soli huic mysterio *κατ' ἐξοχὴν* applicatur. *Trinitas* autem dicitur, non *Triplicitas*, quæ Essentiæ multiplicationem inferret. Trinus ergo dicitur Deus, non triplex, quia tres sunt Personæ, sed unica numero Essentia.

7. ὁμοούσιον. X. 7. Post vocem Trinitatis, expendendum est *τὸ ὁμοούσιον*, de quo tot lites in Ecclesia veteri excitatæ sunt. Origo vocabuli petenda est ex hæresi Ariana; cum enim variis modis elabi semper conaretur Arius, fatendo Christum esse Deum, sed ante mundum creatum, imo genitum, qui haberet Essentiam Divinam, sed participatam et dependentem; tandem ut omnia illi effugia præcluderent Orthodoxi, in Concilio Nicæno dixerunt esse *ὁμοούσιον* Patri, id. *ejusdem naturæ* et essentiæ. Quantæ vero turbæ propter hoc vocabulum natæ sint, nemo ignorat, nisi qui in historia Ecclesiastica plane est hospes. Criminabantur quippe Ariani Orthodoxos, recens esse inventum Patrum Nicænorum, Veteribus plane ignotum, quos propterea *Homoüsianos* vocabant, quod tamen falsum esse docet Athana. ex Diony. Rom. Dionys. Alex. qui ante exortam Arii hæresim noh semel vocem hanc usurparunt. Cum vero Ariani hac voce se constringi viderent, ad fraudem conversi, conati sunt unius literulæ additione, omnem vim istius vocis intervertere, agnoscentes Filium Patri *ὁμοούσιον*, id. *similis essentiæ*, sed non *ὁμοούσιον*, ut notat *Theod.* lib. ii. hist. c. 18, et l. v. c. 21. Hinc factum ut in Concilio Arimin. simpliciores ab Arianis decepti *τὸ ὁμοιούσιον* in locum *τοῦ ὁμοουσίου* reponendum consenserint, unde Ariani Catholicos in suas partes transiisse gloriabantur; sed alii constanter restiterunt, et Athanasius fucum detexit, dum non similem, sed eandem in Patre et Filio essentiam esse docuit.

XI. Perperam vero *Curcellæus*, qui magno molimine *τὸ ὁμοούσιον* oppugnat, pertendit hoc de *unitate specifica* non *numerica* intelligi; ut una quidem specie dicatur essentia in Patre et Filio, sed non una et eadem numero, quomodo Petrus et Johannes bene dicuntur *ὁμοούσιοι*, quia sunt *ὁμοειδεῖς* qui eandem participant specie essentiam: Nam si Patres unitatem specificam tantum intellexissent, Tritheismum revera induxissent, non tantum tres personas, sed in tribus personis tres numero essentias diversas

Digitized by Google

statuentes, quomodo tres personæ humanæ, tres homines dicunt. Deinde nihil esset mirandum et ἀκατάληπτον in hoc mysterio, quod omnes tamen fatentur, quia quotidie id ipsum cernimus inter homines. Tertio, cum natura humana sit divisibilis, potest quidem eadem manere specie, quum propagatur per generationem, licet non sit eadem numero, quia secernit quandam substantiæ partem, quam in genitum transfundit; sed de Divina quæ indivisibilis est, eadem non est ratio: nam vel non communicatur, vel communicatur eadem numero; Itaque Christus vel filius Dei non est, vel eandem numero essentiam debet habere sibi communicatam. Sed hæc fusius probabuntur in sequentibus.

XII. Vocabulum ὁμοούσιον usurpatum est potius quam μονοούσιον, vel ταυτοούσιον; non quod illud unitatem specificam, ista vero numericam demonstrarent; sed quia duo postrema possent usurpari, posita tantum una hypostasi cum Sabellio: Nam μονοούσιος potius eum notat qui unam essentiam habet, quam qui est ejusdem essentiæ cum alio, vel eum designat cujus natura et essentia ita unica est, ut nihil ei sit simile; ut Sol μονοούσιος est, quia est solus suæ speciei, astra vero cætera ὁμοούσια dicuntur, quia eandem naturam inter se obtinent, vel non magnopere differentem. Sic Deus μονοούσιος est, quia unicus, et naturæ suæ consortem neminem habet, qui numero sit ab ejus essentia discretus. At Personæ Trinitatis eo sensu μονοούσιοι dici nequeunt, quia tres sunt, non unica hypostasis: ταυτοούσιος etiam ambiguitate non caret; potest enim designare eum, qui essentiam habet a seipso, non ex alterius communicatione, quo sensu solus Pater esset ταυτοούσιος ratione personæ: sed ὁμοούσιον notat hic plures personas, consortes ejusdem numero essentiæ.

ἱμπεριχώρησις. XIII. Huc pertinet vox ἱμπεριχωρήσεως, qua frequenter Patres utuntur, quam vellicat *Curcellæus*, tanquam ἄγραφον, ambiguam, et quæ adhibetur ad eam rem significandam quæ nusquam in Scriptura docetur. Verum non sine ratione usurpatam esse ad intimam Personarum inter se unionem describendam ex ipsa Scriptura non obscure colligi potest, quum *Filius dicitur esse in Patre*, et *Pater in Filio*, Jo. x. 38, et xiv. 11, quod mysterium non melius quam per ἐναλλαγὴν ἱμπεριχώρησιν, id. *mutuam circumplexionem* seu *inexistentiam* et immanentiam utcunque exprimi posse putarunt, ut ita designetur perfectissima illa unio qua Personæ Divinæ se complectuntur, et se, si fas ita loqui, permeant, ut licet maneant semper distinctæ, nunquam tamen a se invicem separentur, sed semper coëxistant, et ubicunque una est, ibi reipsa sit et altera. Nec si fideles dicuntur manere in Deo, et Deus in fidelibus, 1 Jo. iii. 24, et Jo. xiv. 23, propter intimam Spiritus præsentiam, qui arctissimum est communionis ipsorum cum Deo vinculum, continuo ἱμπεριχώρησις talis ipsis potest tribui; quia diversissima est ratio unionis mysticæ fidelium cum Deo, et unionis divinæ Personarum Trinitatis in Natura, vel Naturarum humanæ et divinæ in Christi Persona.

XIV. Voces *Proprietatis*, *Relationis*, et *Notionis*, quæ a Scholasticis adhibentur, suum usum sano sensu intellectæ habere possunt. *Proprietas* notat peculiarem modum subsistendi et characterem διακριτικὸν, quo in esse personæ hæc vel illa persona constituitur, et ab aliis distinguitur. *Relatio* vero innuit eandem proprietatem, quatenus dicit σχέσιν unius personæ ad aliam. Et *Notio* eundem characterem designat, quatenus significat Personam unam esse distinctam ab alia; ut sit index et nota distinctionis inter Personas. Aliquod tamen inter eas potest observari discrimen; quia Notio latius patet Relatione, et Relatio Proprietate. Nam tres tantum statuuntur Proprietates, Paternitas, Filiatio, Pro-

Digitized by Google

cessio; quatuor Relationes, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa et passiva; et quinque Notiones, ἀγεννησία, Paternitas, Filiatio, Spiratio tam activa quam passiva.

XV. A Notione oriuntur *Actus notionales*, quorum crebra mentio apud Theologos, qui probe distinguendi sunt ab *essentialibus*, qui fluunt a Proprietatibus essentialibus, et terminantur ad aliquid extra, quod est aliud et diversum essentialiter a Deo, unde communes sunt tribus Personis. Sed notionales proficiscuntur a Proprietatibus personalibus, quæ Personis singulariter competunt, et terminantur ad opus ad intra, quales sunt Generatio et Spiratio.

www.libtool.com.cn

De usu Vocum Trinitatis, Personæ, &c.

XVI. Explicato vocum, quæ hic usurpari solent, sensu; Nunc de earum *usu*, paucis dicendum; An liceat illis uti in hoc explicando Mysterio. Occasio Quæstionis nata est ex Hæreticorum importunitate, qui ut rem ipsam facilius possent convellere, voces ipsas tanquam novas et peregrinas, præter Scripturam excogitatas, eliminare sunt conati. Hoc jam Ariani, Sabelliani, et reliqui Anti-trinitarii urgebant adversus Orthodoxos, quod nomina οὐσίας, ὁμοουσίου, ὑποστάσεως, &c. non extarent in Scripturis, atque adeo non admittenda essent in Ecclesia. Arius in Disp. cum Athanasio, p. 373, *Cur Apostolicæ fidei adjicitur verbum, cujus nec Prophetæ nec Apostoli mentionem faciunt?* Quorum vestigia prementes Sociniani, et qui cum ipsis hic faciunt Arminiani, hoc subinde opponunt, *Curcellæus* inprimis, qui peculiari Dissertatione usum istarum vocum nec necessarium, nec utilem esse operose probare conatur, ideoque satius esse ut *redeatur ad S. Literarum simplicitatem, et omnes humanitus inventæ voces inde arceantur, aut saltem nullus deinceps in eas jurare cogatur*, p. 15, 16.

XVII. Equidem si de reipsa consensus esset, de vocibus non multum laborandum esse censeremus, quia non decet virum Theologum περὶ λογομαχίας. Et hoc sensu intelligenda sunt *Calvini* nostri verba, quæ tam odiose traducuntur a Pontificiis et Lutheranis, lib. i. Insti. c. 13, s. 5. "Utinam sepulta essent nomina Trinitatis, ὁμοουσίου, &c. constaret modo hæc inter omnes fides, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse unum Deum, nec tamen aut Filium esse Patrem, aut Spiritum Filium, sed proprietate quadam esse distinctos." Sed quia sæpius compertum est eos qui de verbis pertinacius litigant, fovere occultum virus, et satis constat novos istos Religionis Corruptores, non alia de causa voces istas Veteribus usurpatas condemnare, nisi quia res ipsas illis designatas recipere nolunt, ut cum vocibus res ipsas tollant, recte Nostri eas retinent, earumque usum non modo licitum, sed et utilem et necessarium esse pertendunt ad constringendam hæreticorum pertinaciam, et ipsos ex latebris suis educendos.

Status Quæstionis.

XVIII. Non quæritur, An temere et sine necessitate liceat voces peregrinas et novas extra Scripturam in Ecclesiam introducere: hoc enim apud omnes est in confesso, ne Adversariis calumniandi occasio detur, ne spargantur semina dissensionum in Ecclesia, et singularitatis oriatur suspicio, siquidem sæpe sub novis verbis, novæ res et recentia dogmata obtenduntur, quo pertinent varia Patrum dicta, quæ cavendam esse jubent vocum novitatem, et verborum licentiam. *Aug.* de C. D. lib. 10, c. 23, et *Hiero.* in Epist. ad Damasum. Sed, An liceat gravi aliqua ratione ita exigente dogmata ἔγγραφα vocibus ἀγράφοις enunciare, ad planiorem veritatis explicationem, et solidiorem errorum refutationem.

XIX. Non quæritur, An sermo hominum præferendus sit Sermoni divino; Sed, An ille ad istius elucidationem in quo Adversarii latibula

Digitized by Google

captare solent, admitti possit; An vero teneamur verbis Scripturæ ita mordicus hærere, ut extra ea, alia nulla in explicandis dogmatibus excogitari possint et usurpari: Quod pertendunt Adversarii: Nos negamus.

XX. Rationes petuntur, 1. Ab *utilitate*, quæ multiplex est, sive ad uberiorem explicationem mysterii istius, sive ad solidiorem hæresium quæ illud oppugnant refutationem. 2. A *necessitate*, quia nisi liceat verbis uti, quæ *ἀσύνθετα* non extant in Scriptura, non poterimus Scripturam interpretari, et illam ad usus tum theoreticos, tum practicos applicare; Sic esset inutilis ad institutionem et correctionem, convictionem et redargutionem hæreticorum, quia nemo fuit unquam qui errores suos confirmare non conatus sit ex Scriptura, et qui præsidium aliquod in ea se habere non putarit; unde quicquid verbis Scripturæ solis sancitum fuerit, poterit ab illis recipi, retinendo interim venenum suum. Sic Sabellius tres esse Patrem, Filium, et Spiritum S. non diffitebatur, quia Scriptura hoc dicit; sed unam personam ex tribus illis constituebat, pro diversis operationibus varie appellatam. Arius non negabat Christum esse Deum, sed intelligebat Deum factitium et dependentem. Socinus Christum Dei Filium fatetur, sed ratione muneris et potestatis, non naturæ; non negat redemisse nos sanguine suo, sed improprie et methaphorice, non vere et meritorie. Ita passim Hæretici Scripturas jactare solent, *ὁμοια μὲν λαλοῦντες, ἀνόμοια δὲ φρονοῦντες*, ut ait Irenæ. in præf. lib. i. Fuit ergo prudentiæ Christianæ tales usurpare voces quibus fides orthodoxa clarius confirmaretur, et sic constringeretur hæretica pravitas, ne ullus amplius sub æquivocatione ambigua et dolosa esset elabendi locus. 3. *A pari*. In aliis articulis commode adhibentur termini Ecclesiastici, quod nomen *Peccati Originalis*, et *Sacramenti* ostendit; quidni ergo in hoc mysterio possunt legitime usurpari?

XXI. 4. Hæc fuit mens Veterum in vocibus istis usurpandis. Athanas. in Disp. cum Ario coram Probo Judice Gentili, tom. ii. "Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum nova doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum mutationes, rebus immutabiliter manentibus, nominum vocabula immutare," &c. Greg. Nazianz. Orat. in S. Lumina; "Non est de nominibus odiosa contentione certandum, quandiu syllabæ ad eandem sententiam ferunt." Aug. lib. vii. de Trin. c. 4. "Fatemur loquendi necessitate partita esse hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversus insidias vel errores hæreticorum." Et tr. 97, in Joh. "Adversus impietatem Arrianorum hæreticorum novum nomen Homoüsion condiderunt, sed non rem novam tali nomine signaverunt." Hinc Tho. i. q. 29, Art. 3. "Ad inveniendum nova nomina fidem antiquam significantia coëgit necessitas disputandi cum hæreticis."

Fontes Solutionum.

XXII. *Ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων*, de qua Paulus, 2 Tim. i. 13. non est forma externa locutionis, quæ ita sit verbis Scripturæ alligata, ut nihil ne syllabam quidem aut voculam nisi in Scriptura extantem adhibere liceat; alias perperam conciones et commentationes in Scripturam fierent; sed notat eam docendi rationem quæ a Scripturæ mente et fidei analogia non recedat, quæque non tumido vanæ eloquentiæ fastu, sed religiosa veræ sapientiæ simplicitate gaudeat.

XXIII. Aliud est loqui de modo res enunciandi, Aliud de rebus ipsis; Paulus quum vetat *ἑτεροδιδασκαλεῖν*, 1 Tim. vi. 3, res ipsas notat, ne quis *ἕτερα* doceat, id. dogmata quæ aliena sint a veritate et simplicitate Evangelii: Sed non loquitur de modo tradendi, quasi illicitum censeret uti [illegible] verbis quam *ἐγγράφως*. Nec enim Deus frustra donum Prophetiæ [illegible]

Digitized by Google

Ecclesiæ ad interpretandas Scripturas, quod inutile sane foret, si rem Scripturis traditam nefas esset aliis vocabulis exprimere.

XXIV. Alia est *novitas verborum* tantum; Alia quæ cum verbis infert *novitatem rerum*. Alia utilis et necessaria, quæ ad elucidationem veritatis et erroris confutationem facit; Alia vero vana et exitialis, quæ sub novis et peregrinis verbis peregrina invehit dogmata. Paulus istam damnat, non illam, quum jubet vitare τὰς βεβήλους κενοφωνίας *profanas vocum novitates*, 1 Tim. vi. 20. Unde Aug. tract. 97, in Joh. *Apostolus non dicit verborum novitates devita*, sed addit profanas; *Sunt enim et doctrinæ religionis congruentes verborum novitates*, &c. *res ipsæ novis appellatæ nominibus ante nomina sua erant* &c.

XXV. Aliud est sub pœna anathematis obtrudere voces in Ecclesia recipiendas; Aliud vero res vocibus significatas: Posterius rite potest fieri, sed non prius.

XXVI. Aliud est non esse in Scriptura expresse, et κατὰ τὸ γράμμα, Aliud vero æquivalenter et κατὰ τὸ πρᾶγμα, sive quoad rem significatam; Voces Trinitatis, ὁμοουσίου, περιχωρήσεως, Personæ, non sunt in Scriptura priori modo, sed posteriori.

XXVII. Vitanda sunt illa vocabula, quæ materia sunt jurgiorum per se in Ecclesia, sed non quæ tantum per accidens propter pertinaciam hæreticorum, qui voces impugnant, ut res ipsas vocibus significatas tollant.

XXVIII. Licet Concilium Alexandrinum apud Socratem, lib. iii. c. 5, non usurpandos decreverit tales terminos in concionibus ad populum: agnoscit tamen posse legitime adhiberi in Polemicis, quando res nobis est cum versipellibus hæreticis qui eo nos adigunt.

XXIX. Alia sunt fundamenta fidei, Alia ejusdem munimenta: Illa innituntur tantum Scripturis et ex illis petuntur; Ista assumuntur etiam extra Scripturas contra impugnantium insultus. Hujusmodi sunt varia ista vocabula a Theologis excogitata ad prævertendam fraudem et καινοεγίας hæreticorum.

XXX. De Deo non est loquendum nisi cum Deo, id. nihil asserendum, nisi quod ipse asseruerit in Verbo suo quoad res ipsas, sed non statim quoad voces; alias non alia lingua quam Hebræa, in qua Deus locutus est, de illis esset loquendum.

QUÆSTIO XXIV.

An Trinitatis Mysterium sit Articulus fundamentalis fidei? Aff. contra Socin. et Remonst.

I. Antequam de *Veritate* Mysterii Trinitatis disputemus, de ejus *Necessitate* quædam dicenda sunt, non modo contra *Socinianos*, qui directe negant hunc esse fidei articulum: sed etiam propter *Remonstrantes*, qui licet illius fidem videantur profiteri, negant tamen articulis fundamentalibus esse accensendum, ut sine salutis dispendio possit a nobis ignorari; ut hoc non obscure testantur, In Apolog. sua, c. 3; In responso ad excerpta D.D. Profess. Leid. p. 38, 39; et *Episcopius*, lib. iv. Inst. c. 34; sic scilicet qui clanculum subruunt dogmatum Christianorum veritatem, plerumque prius quæstionem movent de eorum momento et necessitate, ut homines in securitatis somnum inducti, tanto facilius veritatem sibi excuti patiantur, nec decertent pro fide semel Sanctis data.

Digitized by Google

Status Quæstionis.

II. Ad Statum Quæstionis observa, 1. Non agi tantum de *negatione* istius articuli, sed de simplici *ignoratione;* quædam enim in Verbo revelata ejusmodi sunt, ut citra salutis dispendium possint ignorari, licet sine ejusdem periculo non possint negari: Sed Trinitatis non solum negatio, sed et simplex ignoratio est damnabilis.

III. Non quæritur, An æqualis debeat esse in omnibus cognitionis istius gradus. Fatemur enim varium esse et multiplicem; in aliis majorem et ampliorem, in aliis minorem et obscuriorem, v. g. in fidelibus V. T. præ fidelibus N., in idiotis et rusticis, præ Doctoribus; Sed, Annon aliqualis saltem ejus cognitio necessaria sit omnibus pro ratione status, personarum et temporis in quo versantur.

IV. Non quæritur de perfecta et plena istius Mysterii comprehensione, vel de intuitiva ejus notitia; hæc enim est solorum Beatorum, illa solius Trinitatis; quo sensu *Cyprian.* lib. i. de Bapt. Christi, dicit *sibi soli notam esse Trinitatem;* Sed quæritur tantum, An ad fidem Catholicam omnibus salvandis necessariam, trium Divinitatis Personarum cognitio, et confessio requiratur.

V. Non quæritur, An cognitio Trinitatis sit necessaria absolute quoad ejus κατανοησιν et ἀπανοησιν, sive quoad probationes omnes quibus confirmatur a Theologis, sive quoad rejectiones sophismatum quibus oppugnari solet ab hæreticis: Sed quæritur de positiva ac simplici dogmatis istius cognitione ac confessione.

VI. Quæstio ergo eo redit: An Mysterium Trinitatis sit Articulus fundamentalis, qui fidelibus omnibus creditu sit necessarius, ut sine salutis dispendio non modo negari, sed nec ignorari possit; quod Adversarii negant; Nos asserimus, his potissimum ducti argumentis.

Trinitatis dogma est articulus fundamentalis.

VII. Primo, Quia in ejus cognitione sita est vita æterna. *Hæc est vita æterna,* inquit Christus, Jo. xvii. 3, *ut te cognoscant solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Et ne quis excipiat fieri mentionem Christi, non ut Dei, sed ut Mediatoris a Deo missi, conferantur loca parallela, ubi de eo Scriptura loquitur, ut de vero Deo primario fidei objecto, 1 Jo. v. 20, *hic est verus Deus et vita æterna,* et Jo. xiv. 1. *Creditis in Deum, credite etiam in me.* Adde quod Christus non potuisset esse Mediator, nisi fuisset verus Deus: distinguitur autem hic non a Deo, sed a Patre a quo missus est.

VIII. Secundo, Quia continet primarium objectum fidei et cultus, cujus confessionem necessario includit Baptismus noster, Mat. xxviii. 19. Nam non sufficit cognoscere *quod sit* Deus quoad existentiam, vel *quid sit* quoad attributa; sed debet etiam agnosci *quis sit,* quoad Personas, prout se cognoscendum in Verbo nobis præbet. Unde, 1 Jo. ii. 23. *Qui negat Filium is nec Patrem habet,* et Jo. v. 23. *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui misit eum;* ut ergo Deus se revelavit ut Essentia unum, et Personis trinum, Patrem scilicet, Filium et Spiritum Sanctum; Ita qui non agnoscit et credit Trinitatem, non habet verum Deum, sed sibi pro Deo idolum fingit.

IX. Tertio, Quia ab eo articulo varia dogmata fundamentalia pendent; qualia sunt dogmata de missione Filii, de adventu ejus in carnem, de ejus Satisfactione, de missione Spiritus S. et divinis ejus operibus et sim. Et sine eo præcipuæ salutis causæ ignorantur; Gratia Patris, Meritum Filii, et Sanctificatio Spiritus Sancti, quæ nonnisi sacrilege Enti creato tribui possunt. Ut ergo ad salutem necesse est ut distincte cognoscamus Deum, a quo omnia beneficia salutifera nobis obveniunt; ita doctrina de Trinitate inter præcipuos fidei articulos merito est habenda.

Digitized by Google

X. Quarto, est stabilimentum totius Religionis Christianæ, et salutis nostræ, quo a Judæis hodiernis, Mahumetanis et Enthicis distinguimur. Quinto, constans fuit fides Veterum, ut ex Symbolis, Conciliis, Patribus, Rescriptis Imperialibus, Confessionibus Ecclesiarum facile colligitur; hinc illa Symbo. Athana. "Qui vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque integram et inviolatam servaverit, absque dubio in æternum peribit; fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur."

Fontes Solutionum.

XI. Licet Mysterium Trinitatis obscurius fuerit in Vet. quam in N. T. non sequitur ignotum plane fuisse; nam alias nec verum Deum cognovissent, nec in Messiam credere potuissent. Distinguenda ergo hic *cognitio* ab ejus *gradibus;* data fuit eadem cognitio quoad substantiam, ut postea probabitur, sed quæ varia fuit quoad gradum; gradus autem non mutat speciem.

XII. Trinitas continetur in Symbolo, si non in actu signato, saltem in exercito, quatenus fidem nostram tribus Personis obsignamus; nec alia fides est qua credo in Deum Patrem, alia qua credo in Filium et Spiritum Sanctum.

XIII. Aliud est credere τὸ ὅτι Trinitatis; Aliud scire τὸ διότι, et τὸ πῶς: Posteriori sensu non dicimus esse Articulum fundamentalem, quia hoc nec ipsi Angeli capiunt, multo minus homines licet perspicacissimi; sed priori tantum, quo modo ipsi rustici et idiotæ Trinitatis doctrinam et credere et profiteri tenentur.

XIV. Fides Trinitatis a baptizatis non poterat non requiri, quum in nomine Patris, Filii et Spiritus S. tingebantur; imo confessio fidei quæ ab ipsis exigebatur, et quæ Symbolo Apostolico continebatur, non ultra Trinitatis doctrinam ab initio extendebatur; unde antiquissimæ expositiones Symboli, quæ extant apud Irenæ., Tertull., Origen., Justinum, non ulterius extenduntur; imo et intra hæc capita Nicænum Symbolum contentum fuisse docent Socrates, Sozomenus, Nicephorus. Baptismus in nomine Christi administratus non excludit, sed includit fidem Trinitatis, quia Christus non potest cognosci sine Patre et Spiritu.

XV. Ut articulus aliquis sit fundamentalis, non opus est ut literaliter extet semper in Scriptura quoad omnia verba quibus solet exprimi; sufficit si in ea quoad rem contineatur, et æquipollenter, et per evidentem et necessariam consequentiam inde deducatur. Quamvis ergo vox Trinitatis non extet in Scriptura in abstracto, satis est rem ipsam contineri in concreto, et quoad sensum.

XVI. Dissensus Doctorum, qui occurrit in expositione istius mysterii nihil detrahere debet rei veritati; maxime quum dissensus non est in reipsa, sed in concipiendi ratione, vel explicandi modo, vel defendendi methodo, qualis potest esse inter Theologos, etiam Protestantes. Quoad Scholasticos, non diffitemur eos curiosis et temerariis suis quæstionibus totam hanc doctrinam misere obscurasse, sed lites ipsorum nostras non facimus, imo ab eorum tricis et λεπτολογήμασι procul esse volumus Virum Dei.

XVII. Loci fundamentales *Catholici* dicuntur, non tam respectu personarum, quam *doctrinæ;* non quod de illis Christiani omnes sive veri sive nomine tantum tenus consentiant; sed quia ab omnibus veris Christianis, qui Catholicam fidem profitentur, retinentur.

XVIII. Articulus Trinitatis non est tantum theoreticus, sed et practicus, quia facit ad gratitudinem et cultum Dei, ut nostram Deo uni et Trino qui se nobis revelavit fidem et obsequium addicamus; et ad consolationem, ut sciamus Christum vere nos redemisse, et salutem nostram in tuto esse positam.

Digitized by Google

XIX. Falso *Episcopius* pertendit Patrum Ante-Nicænorum aliam fidem fuisse: Nam constanter hoc dogma et creditum et confessum fuisse ex Justino, Athenagora, Ignatio, et aliis facile ostendi potest; Et illa ipsa confessio fidei quam Episcopius memorat hoc satis testatur: quomodo enim poterant credere in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, nisi Trinitatem credidissent? Nec concipi potest quomodo tam subito et inopinato Arium reluctantem tam unanimiter 318 Patres condemnassent, nisi certa fuisset apud Veteres hæc sententia. Socinus sane ingenue fatetur, se a Patribus et Conciliis hac in parte dissentire.

XX. Hoc vero ita se habere, ex priscis primorum seculorum quæ supersunt monumentis non obscure colligi potest; Pauca tantum ex multis damus. Plinius Junior in epist. ad Trajanum lib. x. epist. 97, de Christianis loquens, docet eos coluisse Christum ut Deum: "Illi tantum," inquit, "affirmabant hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere, secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum apellati abnegarent." Quibus verbis testatur Plinius Christianos, Dominum Jesum Christum tanquam Deum habuisse, et illum cultu divino, et doxologia religiosa esse veneratos; quod testimonium ab ipsis hostibus petitum, non patitur nos dubitare de fide primorum Christianorum. Tertull. eo respiciens, Apolo. c. ii. Plinium secundum ad Trajanum scribentem de Christianis, nihil aliud se de eorum sacramentis comperisse ait, quam *cœtus antelucanos ad canendum Christo ut Deo*, sic enim legendum esse, non ut vulgo legitur, *Christo et Deo*, verba Plinii liquido ostendunt, et ex eo Eusebius in Chron. p. 209, Edit. Scalig.

XXI. Clemens Romanus in epist. ad Corinth. opere genuino et vetustatis venerandæ, de Christo loquitur non ut homine tantum, sed de eo quem Deo conjungere non veretur una cum Spiritu S. pag. 20, *οὐχὶ ἕνα θεὸν ἔχομεν, καὶ ἓν χριστὸν, καὶ ἓν πνεῦμα χάριτος τὸ ἐκχυθὲν ἐφ' ἡμᾶς; Annon unum habemus Deum et unum Christum, et unum Spiritum gratiæ in nos effusum?* et ibidem eum vocat *sceptrum Majestatis divinæ*, ut illum ab humili hominum sorte eximat. Aristides qui vixit paulo post Clementem Rom. temporibus Ælii Adriani idem confirmat in Apologia sua oblata Adriano Imperatori, cujus meminit Euseb. in Chron. et Hiero. in Catal. Scriptorum Ecclesiasticorum, et imprimis Martyrologium Rom. vetustissimum, cujus hæc sunt verba: *Adriano Principi de Religione Christiana volumen obtulit nostri dogmatis, continens orationem, et quod Christus Jesus solus esset Deus, præsente ipso Imperatore, luculentissime peroravit.* Non absimili ratione, *Ignatius* in epist. ad Ephesios idem mysterium confirmat, *ἴχομεν*, inquit, *ἰατρὸν τὸν Κύριον ἡμῶν θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν πρὸ αἰώνων υἱὸν μονογενῆ καὶ λόγον, ὕστερον δὲ καὶ ἄνθρωπον ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου*, &c. *Habemus unicum Medicum Dominum nostrum Deum Jesum Christum, ante secula Filium unigenitum, postea vero et hominem ex Maria Virgine*, quo disertius dici nihil potuit. Theodoretus, Dial. 1. hujus loci meminit. Alibi in Epist. ad Rom. *Christum* vocat *Deum suum*, et in epist. ad Magnæsios, *Christum* dicit *Verbum Patris non prolatitium sed essentiale.* Athenagoras Atheniensis Philosophus in Apologia sua pro Christianis quam Imperatoribus Marco Aurelio Antonino et Lucio Vero obtulit, cujus mentio fit apud Epipha. hær. 64, et in Auctario Bibliothecæ Patrum Fronto. Ducæi, fidem S. Trinitatis non semel perspicue et solide adstruit. *Ut Deum asserimus, et Filium ipsius Verbum et Spiritum S. unum secundum potentiam, Patrem, Filium et Spiritum S.* &c. Justinus Martyr variis locis idem confirmat, quæ exscribere longum nimis

Digitized by Google

foret. Consulatur Dialogus contra Tryphonem Judæum, ubi Christum esse Deum contra ipsum ex Oraculis V. T. Christo applicatis solide probat. Et Apologia quæ vulgo secunda habetur. Irenæus Justini Martyris vestigia premens lib. iv. c. 11. *Ipse Christus*, inquit, *cum Patre est Deus vivorum, qui locutus est Mosi, qui et Patribus manifestatus est.* Vid. lib. iii. c. 6, lib. ii. c. 56. Clemens Alexand. Verbi Divinitatem et cultum non semel adstruit. Strom. lib. vii.; Pædog. lib. iii. ult., et lib. i. c. 11.

QUÆSTIO XXV.

An in una Essentia Divina Tres sint distinctæ Personæ, Pater, Filius et Spiritus Sanctus? Affirm. contra Socinianos.

Status Quæstionis.

I. Ad Quæstionis istius primariæ, quæ nobis cum Antitrinitariis tam veteribus quam recentioribus intercedit, intelligentiam, observa, Fidem orthodoxam hanc esse; In unica et simplicissima Dei Essentia, Tres esse distinctas Personas, quæ proprietatibus incommunicabilibus, sive modis subsistendi, ita inter se distinguantur, ut una non sit alia, licet per ineffabilem ἐμπεριχώρησιν maneant semper et existant in se invicem. Ita unica numero Essentia communicatur tribus Personis, non tanquam species individuis, vel substantia secunda primis, quia est singularis et individua; nec tanquam totum partibus, cum sit infinita et impartibilis; sed tanquam natura singularis suis suppositis, in quibus varios subsistendi modos sortitur. Unde patet, 1. Essentiam Divinam in eo præcipue a Personis distingui, quod communicabilitatem habeat, cum Personæ proprietate incommunicabili distinguantur. 2. Differre a naturis aliis singularibus, quod, cum communicentur tantum uni supposito, et unica subsistentia terminentur, quia sunt finitæ; ista, quia infinita est, plures possit admittere.

II. Hinc est quod tres Personæ in Divinis non sunt tres Dii, ut inter homines, quia Personæ in Divinis eandem numero participant Essentiam; eamque infinitam; at in humanis tres homines eandem Essentiam specie tantum non numero participant. Sic tres Trinitatis Personæ non συνούσιοι vel ὁμοούσιοι, sed ἑνούσιοι dicendæ sunt, quia non similem tantum, sed eandem numero inter se habent Essentiam, cujusmodi nihil extat in creatis. Nec Proprietates quibus inter se distinguuntur, dispares gradus constituunt, licet ordinem earum designent, utpote diversi subsistendi modi, quibus nec Essentia in Personis dividitur, nec Personæ ab Essentia separantur, sed tantum ita distinguuntur, ut una non sit altera.

III. Non quæritur, An unus sit numero Deus; vel, An tria ista nomina, Pater, Filius, et Spiritus S. de Deo dicantur; hoc enim facile concedunt Sabelliani et Sociniani. Sed, An tria ista nomina tres distinctas Personas, unica ista et individua Essentia subsistentes, designent; quod volunt Orthodoxi, negant Antitrinitarii: Tum illi, qui cum *Sabellio* unam tantum Personam agnoscunt, quæ alio et alio respectu, jam Patris jam Filii, jam Spiritus S. nomen induat; quem pestilentissimum errorem superiori seculo *Michael Servetus* monstrum hominis ex orco revocavit: Tum illi qui cum *Tritheitis* ex tribus Personis tres conflant essentias, unam essentiantem, duas essentiatas, quod impius *Valentinus Gentilis* asseruit: Tum illi qui cum infausto *Socino* Mysterium hoc sanctissimum, ut humani cerebri figmentum blaspheme traducere sustinent; Adversus quos fides Orthodoxa confirmanda est.

Digitized by Google

Trinitas non ex lumine naturæ, sed ex sola revelatione solide probatur.

IV. Ut vero Mysterium hoc longissime superat rationis humanæ captum, ita ex sola Verbi revelatione solide potest demonstrari: Et quicquid ad illius probationem a nonnullis ex natura et rationis discursu solet afferri, vel a Dei perfectione et potentia, vel ab ejus intellectione, vel a boni communicatione, licet supposita revelatione respectu fidelium possit utcunque inservire ad ejus illustrationem, non potest tamen convincere, et solidæ probationis vim obtinere. Eadem est ratio similitudinum variarum quæ hic adhiberi solent; ab anima humana, ab Iride, ab arbore, a fonte, a Sole et luce, quæ aliquod licet subobscurum Trinitatis exhibere videntur vestigium; quæ ut magna dissimilitudine semper laborant, ita sobrie et caute debent proponi, non adversariis ad eos convincendos, sed fidelibus ad eos confirmandos, et tanti Mysterii saltem credibilitatem ostendendam.

V. Quæ in Gentilium monumentis ad hoc Mysterium pertinentia occurrunt, vel sunt adulterina et suppositicia, ut quæ petuntur ex Trismegisto, et Libris Sibyllinis, qui jamdudum ut nothi ab oculatioribus condemnati sunt, et si nihil aliud evinceret, satis hoc testaretur, quod ibi clarius hoc mysterium retegitur, quam ab ullo Prophetarum propositum fuerit; vel non huc faciunt, ut quæ ex Platone et Platonicis de tribus Principiis, *Mente*, *Verbo*, et *Spiritu*, petuntur, quæ si quid probant, tres Essentias seu Deos separatos adstruunt; et si quid veri habent, id ex prisca Hebræorum doctrina et lectione librorum Mosis et Prophetarum, quos non ignotos fuisse penitus Platoni constat, haustum videtur, et Traditioni ex revelatione potius, quam rationi ex lumine naturæ adscribendum est.

VI. Quicquid ergo de hoc Mysterio scire licet, ex Dei Verbo solo discendum est; Et unica certa et invicta probatio, nec petenda est ex obscuro et corrupto rationis lumine, nec ex Patrum rivulis, nec ex turbidis Scholasticorum ἀφεβαστούντων, et in profundam istam abyssum temere irrumpentium lacunis, qui dum spinosissimis suis argutiis nihil indiscussum relinquere satagunt, sentiunt tandem scrutatores Majestatis ab ea opprimi; Sed ex limpidissimis Scripturarum fontibus, in quibus Spiritus Sanctus totum hoc Mysterium, quantum ad salutem cognitu necessarium est, revelare nobis dignatus est; In Veteri quidem Testamento obscurius, sed clarius in Novo. Unde propterea Probationum nostrarum initium facimus.

1. Trinitas probatur ex Baptismo Christi.

VII. Prima petitur a *Baptismo Christi*, Mat. iii. 16, in quo tres Personæ distinctis se manifestarunt personalitatibus; Pater qui e cœlo loquitur, Filius qui e Jordane ascendit, et Spiritus qui de cœlo descendit in specie Columbæ, et manet super Filium. Alius auditur, sed nec videtur, nec descendit. Alius non auditur, sed visibili specie descendit. Alius descendit et ascendit e flumine baptizatus in conspectu omnium: Unde illud Veterum, *Abi Ariane ad Jordanem, et videbis Trinitatem.* Filius hic intelligitur, non communis, sed singularis, et proprius ac *dilectus in quo Pater sibi complacuit*, qui Spiritu Sancto debuit baptizare, Luc. iii. 16, quod de Persona creata dici nequit, sed tantum de divina. Spiritus vero de quo mentio fit, non potest tantum designare voluntatem aliquam vel proprietatem Dei, quia nunquam in Scriptura Proprietates Dei dicuntur descendere e cœlo super aliquem, quæ est actio personalis, multo minus corpoream aliquam et visibilem speciem assumere. Nec particula ὡσεί, quæ apponitur, ad *modum descensus* referri debet, ut vellent Sociniani, quasi diceretur sensim et leniter delapsus, ut columba solet, non cum impetu, ut accipiter prædæ intentus: sed ad *modum apparitionis*, quæ facta fuit sub visibili ista et corporea specie, ad characterem Spiritus Christi melius designandum. Unde et descensus

Digitized by Google

ipse, et mansionis quies super Christum satis probant descendentem personam esse, non simplicem qualitatem: Nec obstat quod *illo baptizari* dicamur; non minus enim possumus dici *baptizari Spiritu*, figurate scilicet et mystice, quam dicimur *Christo indui et nutriri*, licet sit persona.

2. Ex Baptismo nostro.

VIII. Secundo, idem confirmatur ex *Baptismo nostro* a Christo instituto, Mat. xxviii. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, et Spiritus S.* Ubi etiam tres occurrunt Personæ distinctæ, ejusdem naturæ, authoritatis et virtutis, quibus nomina nostra ex æquo damus et spondemus obsequium: baptizamur autem in *nomen* ipsis commune, non in *nomina*, quod Essentiæ unitatem notat. Ut autem *baptizari in nomine Dei*, tria potissimum dicit, 1. *Authoritatem Dei instituentis*, et fœdus quod nobiscum pepigit hoc Sacramento, velut sigillo, confirmantis. 2. *Promissionem gratiæ et protectionis* erga eos, quos baptismo in communionem suam recipit. 3. *Stipulationem cultus et obsequii*, ad quod baptizati ex fœdere adstringuntur: Ita necesse est Patrem, Filium, et Spiritum S. unicum illum et verum esse Deum, qui ut author fœderis gratiæ, authoritatem habet instituendi Sacramenta ad ejus obsignationem, qui gratiam fœderalem potest polliceri et præstare, et ad cujus cultum ac obsequium fœderati initiantur et obligantur; quod de nullo mortalium dici posse Paulus satis testatur, 1. Cor. i. 13. quum negat Corinthios in nomen Pauli esse baptizatos. Nec vim istius argumenti potest elevare, quod Israëlitæ dicuntur in Mosem baptizati, 1 Cor. x. 2; Aliud est quippe in nomine Dei baptizari; Aliud *in Mosem baptizari*, id. vel Mosis ministerio, בד משה *per manum Mosis*, ut vertunt *Syrus et Arabs*, vel quod melius, *in doctrinam Mosis*, ad confirmationem doctrinæ a Mose traditæ, quomodo sæpe *Moses* pro Lege, vel doctrina ab ipso tradita usurpatur, Jo. v. 45, 46. *Moses in quem speratis, et cui creditis vos accusabit*, id. doctrina Mosis, et Luc. xvi. 29. *Habent Mosem et Prophetas*, non utique in personis ipsorum, sed in doctrina. Sic *baptizari in baptismo Johannis* est baptizari ad confirmationem doctrinæ quam Johannes baptismo suo obsignabat, Act. xix. 3.

3. Ex 1 Jo. v. 7.

IX. Tertio probatur ex 1 Jo. v. 7. ubi expresse tres memorantur, qui unum esse dicuntur, *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus, et hi tres unum sunt.* Tres ponuntur Testes, non utique qualitates, sed Personæ; nam ut Pater est Persona, ita et Verbum, et Spiritus, qui in eodem ordine et gradu locantur: Testes non humani, vel Angelici, qui vocantur testimonium divinum v. 10. oppositum proinde humano et creato. Ita tamen distincte testificantur, *ut unum sint*, non consensu tantum et voluntate, sed essentia, ut *unum* dicuntur, Joan x. 30. Frustra Adversarii ad telum hoc declinandum fidem istius loci sollicitare conantur, quasi adulterinus sit, quia desideratur in variis Codicibus Græcis, nec apud Syrum et Arabem Interpretes legitur, et a variis Patribus omittitur. Nam faciunt pro nobis antiquissimi et probatissimi Codices, qui locum hunc retinent, ut *Hiero.* prologo in Epist. Cano. in Codicibus Græcis extitisse notat, et *Erasmus* fatetur extare in Codice Britannico vetustissimo; Et laudatissimæ Editiones, Complutensis, Antuerpiensis, Ariæ Montani, R. Stephani, Valtoni, quæ optimis Codicibus usæ sunt, hunc habent; Unde si in quibusdam desideratur, hoc vel fraudi et dolo malo Arianorum adscribendum est, ut *Hiero.* agnoscit; vel anteriorum hæreticorum, quos manus sacrilegas intulisse in Scripturam constat. Accedit Textus ipsius connexio, et series sermonis Apostolici, quæ illum postulat; nam nullus esset sensus verborum sequentium *et tres sunt qui testantur in terra*, nisi supponeretur tres testes præcessisse testantes in cœlo, quibuscum Testium in terra fieret collatio.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

X. Perperam etiam volunt agi tantum de unitate consensus, seu ὁμοβουλίᾳ, 1. quia perfecta ὁμοβουλια supponit etiam ὁμοουσιαν, unde qui ad consensum referunt ex Nostris, non excludunt, sed supponunt identitatem naturæ; quicquid enim non est Deus, cum sit mutabile et fallibile quod deficere potest, ejus testimonium divinum, ac cum Deo unum dici non potest. 2. Non dicuntur tantum εἰς τὸ ἓν *ad idem esse*, ut de testibus terrestribus dicitur, quod bene ad consensum refertur, sed esse τὸ ἓν *unum*, quod identitatem naturæ proprie infert. Nec si *fideles* dicuntur *esse unum*, Joa. xvii. 21, ut *Pater est unum cum Filio*, sequitur eandem esse utrobique unitatis rationem: nec vox καθὼς semper notat æqualitatem, sed qualemcunque analogiam et similitudinem, ut 1 Pet. i. 19; Math. v. 48. Non dicitur de fidelibus, quod sint unum cum Deo, sed quod *sint unus spiritus*, 1 Cor. vi. 17, non ut referatur ad unitatem essentialem, sed ad mysticam et spiritualem, ut εἶναι ἓν πνεῦμα idem sit quod εἶναι ἓν τῷ πνεύματί, *esse unum Spiritu*, quia idem Spiritus et in Capite et in membris operatur.

4. Ex 2 Cor. xiii. 14.

XI. Quarto, Benedictio Apostolica idem non obscure evincit, 2 Cor. xiii. 14. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et Charitas Dei, et Communio Spiritus S. sit cum omnibus vobis.* Hæc enim tria beneficia quæ totam salutis rationem complectuntur, a tribus distinctis, et tribus nominibus insignitis, fidelibus optantur; Si ergo Dominus qui confert gratiam, et Deus qui charitatem largitur, sunt Personæ, quidni etiam Spiritus S. qui in eadem classe reponitur, ejusdem ordinis esset et dignitatis? Nec hic excipi debet, *Communionem Spiritus passive*, non *active* esse intelligendam, quasi votum hoc esset, ut gratia Christi, et charitas Patris, Spiritum S. fidelibus communicet: Nam aliud est Spiritum petere a charitate Dei et gratia Christi; aliud vero petere ut communio Spiritus sit cum fidelibus, non minus ac gratia Christi et charitas Patris, quod hic fit. Hoc enim pacto tria beneficia a tribus Personis manantia in opere Redemptionis, juxta proprium cuique operandi modum, designantur: Charitas Dei in *destinatione;* Gratia Christi in *acquisitione*, et Communio Spiritus in *applicatione;* quomodo alibi Spiritus proponitur ut author donorum, et ut objectum voti, non ut materia ejus, quum ab eo petitur gratia et pax, Apoc. i. 4, 5.

5. Ex Jo. xv. 26.

XII. Quinto, huc pertinent loca in quibus expressa fit mentio Trium, qui distincti sunt a se invicem, quibus opera divina ex æquo tribuuntur, ut Joan. xv. 26. "Cum venerit Paracletus, quem mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ille testabitur de me:" et c. xiv. 16. "Ego rogabo Patrem, et alium dabit vobis Paracletum, qui maneat vobiscum in æternum;" ubi videmus mentionem fieri Paracleti missi, Filii mittentis, et Patris a quo procedit, et cujus nomine mittitur, qui ut ut alii ab invicem, Filius a Patre, et Spiritus a Filio, tamen in æquali authoritatis et virtutis gradu collocantur ad complementum operis Redemptionis, quod soli Deo competit absque creaturarum interventu; sic missio et executio ostendunt tantum ordinem inter Personas et appropriatorum distinctionem, non essentiæ, aut causalitatis diversitatem. Nec obstat, quod Christus dicat se rogare Patrem et eum se esse majorem, Jo. xiv. 16, 28, quia hoc dicit officii et œconomiæ respectu, non ratione essentiæ; Vel quod Spiritus dicatur pluribus dari, quod personæ non competit; Nam et Filius bene pluribus dicitur dari, non destruendo vel distrahendo personam, sed communicando beneficia: Vel quod negatur Spiritum a se loqui, Jo. xvi. 13. Nam hoc absolute non est intelligendum, quasi aliquid non dicat, sed quia aliud non docet ab eo quod Christus docuit, ut innuatur esse principium

Digitized by Google

τελεσιουργικὸν, quod consummat opus salutis inchoatum a Patre, et promotum a Filio.

XIII. 1 Cor. xii. 4, 5, 6. "Distinctiones donorum sunt," inquit Paulus, "sed idem Spiritus; distinctiones ministeriorum, sed idem Dominus; distinctiones operationum, sed idem Deus qui operatur omnia in omnibus." Cum autem constet neminem nisi Deum solum posse authorem esse donorum, ministeriorum, et operationum, necesse est ut Spiritus, Dominus, et Deus Pater, a quibus ista proficiscuntur, sint unus ille Deus. Nec potest dici causas istas esse subordinatas, non principales, quia in eodem ordine collocantur, et non minus Spiritus dicitur distribuere singulis prout vult dona, quam Deus Pater author esse operationum: Sic Apostolus Corinthios de donis inter se litigantes ad unitatem vult reducere hoc argumento: Quæcunque habetis sive dona, sive ministeria, sive operationes miraculosas, ab unico Deo proveniunt; sed ista partim a Spiritu S., partim a Domino Jesu, partim a Deo Patre, qui κατ' ἐξοχὴν Deus dicitur, conferuntur; Ergo Pater, Filius, et Spiritus S. sunt unus ille Deus, in quo vos oportet unitatem colere.

Fontes Solutionum.

XIV. Impossibile est idem esse et non esse eodem respectu; sed in Trinitate quæ distinguuntur personaliter, idem possunt esse essentialiter; Itaque etsi Filius sit ejusdem essentiæ cum Patre, recte dicitur non esse Pater: Illud enim ratione essentiæ tantum dicitur, hoc vero respectu Personæ.

XV. Qui sunt tres numero Dii, non sunt unus numero Deus; sed Pater, Filius, et Spiritus S. licet sint tres numero Personæ, non sunt tamen tres numero Dii, quia eandem participant Essentiam Divinam. Pater est alius, Filius est alius, sed non alius Deus; Alius est personaliter, sed non essentialiter.

XVI. Principia quæ vera sunt de natura finita non sunt transferenda ad infinitam, alioqui fiunt falsa, v. g. Tria non possunt esse unum; gignens et genitum non sunt unum essentia; quod singulare est et individuum non potest communicari pluribus. Ideo male colligitur: In humanis tres personæ sunt tres homines, Ergo in Divinis tres Personæ sunt tres Dii: quia in humanis illi tres eandem participant essentiam specie tantum non numero, et similem potius quam eandem, habent enim quisque suam essentiam, et existentiam singularem; sed in Divinis Personæ eandem participant essentiam numero infinitam.

XVII. Licet sint tres Personæ Divinæ, non sequitur tria dari infinita: Nam ut Trinitas Personarum non infert Trinitatem Deorum, propter identitatem essentiæ, Ita non infert Trinitatem infinitorum, quia tres Personæ eandem numero infinitatem habent, quæ est proprietas essentialis, ac proinde sunt unus Deus infinitus.

XVIII. Ubi sunt unum et tria realiter distincta, ibi sunt quatuor; sed hic Personæ tres realiter non distinguuntur ab essentia, sed tantum subsistendi modo, ita ut *alius* inter Personas, sed non *aliud* inter illas et Divinitatem reperiatur, quia tres illæ Personæ, nihil aliud sunt quam unus Deus, qui in tribus Personis diversimode subsistit.

XIX. Quamvis verus Deus sit Trinitas, tamen non quicquid est verus Deus est Trinitas, sed vel Trinitas, vel aliqua ejus Persona.

XX. Qui concipit Deum tanquam unum, concipit completum quoad complementum essentiæ, sed non statim quoad complementum personalitatis; nec si conceptus noster de Deo est incompletus, sequitur ideo Essentiam ipsam Divinam esse incompletam, quia Essentia est inseparabilis a Personis.

Digitized by Google

XXI. Unum numero substantive quoad unitatem essentialem, non potest esse trinum eodem respectu; sed potest adjective et personaliter quoad trinitatem personalem.

XXII. *Quæ sunt eadem uni Tertio, sunt eadem inter se*, nimir. Tertii illius respectu in quo conveniunt; sic quia Personæ conveniunt in Essentia, idem etiam sunt inter se quoad Essentiam; atque ita bene quidem dici possunt *idem*, sed non *iidem*, Idem Deus, sed non eædem Personæ. 2. Quæ sunt eadem uni tertio singulari et incommunicabili, sunt eadem inter se, sed quum sunt eadem uni tertio universali, vel saltem communicabili, non sunt eadem inter se, v. g. Paulus et Petrus sunt unum in natura humana specifice, sed non sunt idem inter se numerice, quia natura humana est universalis; Pater et Filius sunt unum in Natura Divina, et non sunt tamen idem inter se, quia Natura Divina in qua conveniunt, licet sit singularis et individua, est tamen communicabilis pluribus Personis.

XXIII. Hinc patet quid respondendum sit ad sophisma hæreticorum, quod pro syllogismo expositorio afferunt, *Essentia Divina est Pater*, *Essentia Divina est Filius*, *Ergo Filius est Pater*, nimir. esse ex meris particularibus et constare quatuor terminis, quia medius terminus scilicet Essentia Divina non est incommunicabilis, ut in istiusmodi syllogismis esse debet, et diversimode sumitur in majori et in minori. Nam in majori vel sumitur universaliter et complete hoc sensu, Essentia Divina est Pater, id est quicquid est Essentia Divina, et sic est falsa; vel particulariter et incomplete, Aliquis qui est Essentia Divina est Pater, et sic vera est, sed nihil concludit, quia sunt meræ particulares.

XXIV. Licet Natura Divina præcise sumpta, singularitatem et existentiam concipiatur habere, non potest tamen dici Persona, quia non habet incommunicabilitatem: Ita licet latius pateat singulis Personis seorsim sumptis, tamen respectu Personarum simul sumptarum, illis adæquatur, et identificatur. Sic unaquæque Persona totam Divinitatem quidem participat, sed non totaliter et adæquate, si ita loqui licet, quia ita est in Patre ut sit etiam in Filio.

XXV. In qua essentia Pater est solus Deus opposite ad Filium et Spiritum S. et non ad Creaturas, et Numina fictitia Gentilium tantum, in ea non sunt tres distinctæ Personæ; Sed ita negamus in Essentia Divina solum esse Patrem. Nec hoc evincitur ex Jo. xvii. 3, quia particula exclusiva *μόνον solum*, non limitat subjectum *Te*, sed prædicatum *verum Deum*, et opponitur non Filio, aut Spiritui Sancto, sed Creaturis et falsis Diis, hoc sensu, ut *cognoscant Te, qui es solus verus Deus*, quod evidenter docet structura orationis: nam, si ad subjectum *Te* pertineret, dicendum fuisset sine articulo *μόνον τον ἀληθινὸν θεὸν Te solum esse verum Deum*, non vero, ut hic dicitur, *σὲ τον μόνον, Te, qui es solus verus Deus*, ubi articulus appositus voci *μόνον* innuit pertinere ad prædicatum sequens, non ad subjectum antecedens.

XXVI. Præter Essentiam et Relationem seorsim sumptas; est Persona ex utraque constans, non tanquam ex partibus componentibus, sed tanquam ex re et modo ejus. Persona gignit, aut gignitur, aut procedit. Essentia generando vel spirando communicatur. Relatio gignens a genito et procedente distinguit.

XXVII. Cogitatio de Tribus æquali cultu adorandis, non distrahit animum invocantis, ne forte cultum uni Deo debitum inter plures dividat, cum persuasum esse debeat posita unitate et *ὁμοουσίᾳ* Personarum, eodem invocationis actu quo Pater colitur, Filium et Spiritum Sanctum invocari, ut semper recurrere debeat illud Nazianzeni, *οὐ φθάσω τὸ ἓν πόησαι καὶ τοῖς τρισι*

Digitized by Google

περιλάμπομαι, οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρεται, *Non possum unum cogitare, quin trium fulgore mox circumfundar, nec tria possum discernere, quin subito ad unum referar.*

www.libtool.com.cn

QUÆSTIO XXVI.

An Trinitatis Mysterium ex Veteri Testam. demonstrari possit, et an sub eo cognitum fuerit? Aff. contra Socinianos.

I. Quamvis ex iis quæ a nobis ante sunt allata de necessitate istius Dogmatis tanquam Articuli fundamentalis, satis colligatur, revelatum et cognitum fuisse sub V. T., cum fundamentalia eadem sint apud omnes fideles, nec possint augeri vel minui: Quia tamen *Sociniani*, ut fidem istius Mysterii quacunque ratione destruant, peculiariter urgere solent, novum esse dogma post Christum et Apostolos demum excogitatum; quibus hic etiam succollant *Arminiani:* Necesse est ut adversus utrosque fides istius Mysterii asseratur, non modo ex N. sed etiam ex V. T.

Trinitas non fuit incognita in V.T.

II. Fatemur quidem non ea claritate revelatum fuisse sub V. Test. qua jam docetur in Novo, sed longe obscurius traditum fuisse, quia ita ferebat illius œconomiæ ratio et Ecclesiæ veteris adhuc infantis conditio: Sed hoc non obstat quominus sufficienter jam Patribus ad salutem patefactum fuerit; quod Orthodoxi hactenus constanter asseruerunt contra Socinianos, et variis argumentis probari potest.

III. Ad probationem certum est delectum faciendum esse locorum Scripturæ, ut non tam numero quam pondere certemus; nec enim tam sollicitos esse decet quam multa sint, sed quam solida, ne ludibrio exponatur Religio Christiana, et cavillandi ansa præbeatur Adversariis; quod dum *Calvinus* noster facere satagit, immerito et injustissime traducitur ab Adversariis, tanquam Judaïzans vel Arianizans, cum tamen vix quisquam fortius et solidius fidem Christianam adversus Arianorum, et Judæorum impietatem confirmaverit.

Personarum pluralitas probatur ex Gen. i. 26, &c.

IV. Ut vero πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως se hic revelare Deus dignatus est: Ita duplici probationum genere uti possumus; ut primo ea loca afferamus ex quibus *Personarum pluralitas* colligitur; Secundo ea quibus Trinitas expresse connotatur. Inter illa agmen ducunt ea quæ Deum de se numero plurali loquentem inducunt, qualia sunt tria potissimum; In hominis creatione, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, &c. Gen. i. 26; In Adami transgressione, *Ecce homo factus est sicut unus ex nobis*, Gen. iii. 22; Et in linguarum confusione, *Descendamus et confundamus linguam eorum*, Gen. xi. 7; nulla enim ratio assignari potest, cur Deus, qui alias tam frequenter de se in singulari loquitur, verbo plurali utatur, nisi ut in unitate Essentiæ aliquam saltem Personarum pluralitatem notet; hinc non dicit *faciam*, sed *faciamus*, ut plures innuantur, quorum ut communis est in creando operatio, ita communis debet esse natura; non dicit ad imagines, sed ad *imaginem nostram*, ut identitas imaginis, identitatem essentiæ pluribus istis communem designet. Neque hic excipi debet, 1. Deum honoris causa de se loqui numero plurali per enallagen, instar Regum et Principum: Quia idiotismus linguæ repugnat, licet enim persona secunda vel tertia posset honoris ergo sic compellari, tamen insolitum est plane ut prima persona de se ita loquatur, ut ipse *Aben Ezra* in Gen. xxix. 27, observat, nec ullum afferri potest

Digitized by Google

exemplum in contrarium: Nam quæ petuntur ex variis Scripturæ locis synecdochica sunt, ubi unus plurium nomine loquitur, Gen. xxix. 27. Laban de se et amicis præsentibus; Job. xviii. 2, 3. Bildah de se et sociis; Daniel ii. 36, de se et sociis; Jo. iii. 11, Christus de se, Johanne Baptista, et Discipulis; Cant. i. 4. Ecclesia de se et puellis id. fidelibus. Regum consuetudo hodierna non infert talem fuisse morem apud Hebræos, cum Regis etiam ambitiosissimi de se numero singulari loquentes introducantur, Pharao, Nebucadnetzar, Belthazar; quid quod Reges ita loquuntur, non tam ad se attollendos quam deprimendos, ne videantur tantum ex suo, sed etiam Optimatum sententia loqui. Deinde si honoris causa de se sic loqueretur Deus, semper ita loqui deberet, quod tamen non fieri certum est. Tertio, non modo inutilis sed et periculosa esset ista enallage; quia sic facile induceretur fidelis ad credendum pluralitatem Personarum, quod tamen falsum esset ex illa hypothesi.

V. Frustra etiam excipitur hic compellari Angelos: Quia in nullo ex tribus locis possunt intelligi; Non in primo, quia nec Angeli quicquam contulerunt ad hominis Creationem, nec ad eorum imaginem uspiam conditus dicitur; Et licet homines in variis sint similes Angelis, non possunt tamen dici ad eorum imaginem facti, quia ad hoc non requiritur qualiscunque similitudo, sed etiam dependentia typi a prototypo et exemplari, quæ hic non occurrit. Non in secundo, Gen. iii., quia quos alloquitur Deus, sunt ei pares, et eorum similitudinem homo ex promissione serpentis affectavit; quod de Angelis dici nequit. Non in tertio, Gen. xi., quia illi compellantur quorum opus est confusio linguarum, quod ad Angelos non pertinet, sed ad solum Deum, præterquam quod altum de Angelis hic silentium, solus Jehova dicitur descendere, videre, confundere, quod dici non debuisset, si Angelis usus esset administris in hoc opere.

2. Ex. Gen. i. 2. VI. Secundo, pluralitas probatur ex iis locis ubi sermo sit de Deo, ut de diversis personis, Gen. i. 2, *Spiritus Dei* dicitur incubare aquis; ubi per *Spiritum*, nec *aër* aut *ventus* potest intelligi, quia nullus dum creatus erat; et nulla rerum facta erat distinctio; nec Angelus aliquis, quia non constat, an tum Angeli creati fuerint, nec eorum ministerio usus legitur Deus in creatione; nec vis quædam et efficacia Dei, quæ fœcunditatis rerum causa fuerit, quia illa incubatione describitur, et distinguitur a Spiritu, ut effectum a causa, et actiones sunt suppositorum. Ergo per Spiritum necessario suppositum aliquod seu persona intelligenda est, quæ ad hoc opus concurrerit, idem scil. Spiritus, qui alibi Author Creationis perhibetur, Ps. xxxiii. 6, et civ. 30; Isa. xl. 13, 14, cujus elogia in rem creatam non cadunt. Nec obstat quod Spiritus Dei vocatur, ita enim est *Spiritus Dei* hypostatice considerati ut sit etiam *Spiritus Deus* οὐσιωδῶς: ut Filius hominis est etiam homo: Nec si incubatio illa, ut opus ad extra, est communis toti Trinitati originaliter, sequitur non posse appropriative competere Spiritui S., quia immediate et per se, licet a Patre et Filio eam peregit, ut Redemptio quæ toti Trinitati tribuitur, singulariter tamen et terminative Filio adscribitur.

Ex. Hos. i. 7, &c. VII. Idem probatur ex locis illis, in quibus Deus a Deo distinguitur, non essentialiter utique, sed personaliter. Hos. i. 7, dicit Jehova, *Servabo eos per Jehovam Deum ipsorum.* Ubi duo commemorantur, unus qui servat, alter per quem servat, nim. Messias, uterque Jehova. Gen. xix. 24. *Jehova demisit pluviam sulphuris et ignis a Jehova*, id. Filius a Patre; nam si voluisset tantum notare hoc factum fuisse immediate a Deo, sufficiebat dicere Jehovam pluisse, nec opus erat addere *a Jehova.* Mysterium ergo in hac locutione latere du-

Digitized by Google

bium non est, licet apodicticum ex eo loco seorsim sumpto duci non possit argumentum. Ita Psalm cx. 1, *Dixit Jehova Domino meo*, et Psal. xlv. 8, *Unxit te o Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, ubi mentio fit Dei ungentis, et uncti, nimirum hypostatice non essentialiter. Eo pertinent loca in quibus Messiæ nomina et Attributa Divina tribuuntur, quum vocatur *Jehova justitia nostra, Deus fortis, Angelus faciei*, &c. quæ manifeste evincunt esse Personam Divinam, distinctam a Deo Patre; Nec quidquam hic opponunt hæretici quod vim argumenti nostri elevet, ut suo loco probabitur, quum de Deitate Filii agetur.

Trinitas probatur ex Gen. i.

VIII. Ut vero varia sunt loca quæ pluralitatem Personarum connotant; Ita non pauca sunt in quibus Pluralitas illa ad Trinitatem restringitur. Primo, non obscure colligitur ex historia Creationis, ubi distincte Moses meminit *Elohim* creantis, *Spiritus* Elohim aquis incubantis, et *Verbi* omnia producentis. Elohim esse Deum non negant Adversarii, Spiritum Dei esse Personam distinctam ab ipso supra probatum est, Verbum vero non esse simplex Dei jussum et mandatum, sed Verbum personale evincit collatio Mosis cum Johanne, qui ad Mosem alludens, Sermonem, de quo locutus fuerat Moses, describit tanquam Personam subsistentem apud Deum Patrem, per quam omnia creata sint c. i. 1, 2, 3. Nec potest intelligi, vel *Sermo externus*, quo Deus Angelis ut ministris suis imperaverit, quia nondum erant creati, et per illum Sermonem, quo omnia facta sunt sine exceptione, produci debuerunt; Vel *internus* quo sibi ipsi hoc præceperit, quia Deus introducitur loquens in tertia persona tanquam alteri personæ imperans, non sibi; idque perpetuo: quod nec temere factum, nec accommodate ad sermonem internum exprimendum. Superest Ergo ut intelligatur *Sermo personalis*, id est Filius Dei, qui sæpe apud Chald. Paraphrastem per מימרא, seu *Verbum* exponitur. Nec obstat quod verbum *dixit* jussum Dei efficax connotet; licet enim objective et terminative ad creaturas producendas innuat efficax Dei mandatum, cui suam debent originem, supponit tamen ad intra et originaliter Verbum Dei personale tanquam *principium quod* illud mandatum debuit exequi, ut per illud omnia operatur, et secula ipsa fecit, Heb. i. 2. Quo respiciens David, Ps. xxxiii. 6, *Verbo Jehovæ*, inquit, *Cœli facti sunt, et Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Ubi mentio fit distincta trium ad Creationem concurrentium, *Jehovæ*, *Verbi* et *Spiritus*. Verbum enim aliud esse non potest ab illo per quod Johannes dicit omnia facta fuisse, c. i. 3. Nec alius Spiritus ab eo qui ferebatur super aquas in prima Creatione. Nec si alibi *Spiritus oris* Dei verbum ejus efficax solet designare, ut 2 Thess. ii. 8, hic etiam debet eodem modo sumi, cum de eo tam expressa mentio in prima parte versus facta fuerit.

2. Ex liberatione populi a servitute Ægyptiaca.

IX. Secundo, idem probatur ex *Liberatione Populi a servitute Ægyptiaca*, et deductione per desertum, et introductione in Canaan. Is est verus ille Deus quem Israëlitæ agnoverunt et coluerunt, qui Israëlitas ex Ægypto eduxit, per desertum deduxit, et tandem in terram promissam introduxit, quia non alius præter Deum tantum opus potuit exequi, ut ipse in præfatione Legis testatur; *Ego Dominus Deus tuus qui eduxi te ex terra Ægypti*, et sæpius hoc sibi soli vindicat, Exod. iii. 8, Deut. xxxiii. 29. At Tribus Trinitatis Personis Patri, Filio, et Spiritui S. hoc opus tribuitur. De Patre non dubitant Adversarii; de Filio probant loca sequentia, Exod. iii. 2, et xxiii. 20, et xxxii. 34, in quibus *Angelo Jehovæ* adscribitur hoc opus, quem non esse Angelum creatum, sed Increatum ipsum Dei Filium, qui a Deo ad hoc opus mittebatur, et se sæpius sub hoc symbolo Patribus patefecerat, osten-

Digitized by Google

ditur ex ejus descriptione, et attributis variis quæ illi tribuuntur, quæ talia sunt ut in creaturam cadere non possint, sed soli Deo competant, 1. quia dicit se Deum Abrahami, Isaaci et Jacobi, Exod. iii. 6, vocat Israëlitas populum suum, v. 7, mittit Mosem ad Pharaonem, v. 10, et sibi pollicetur cultum divinum post eductionem ex Ægypto, v. 12; 2. dicitur præcessisse Israëlitas in columna nubis et ignis, Exod. xiv. 19, quod expresse Jehovæ tribuitur, c. xiii. 21, et Num. xi. 25, et xiv. 14; 3. *Nomen Dei in ipso* dicitur futurum, ita ut impune non sit laturus qui adversus ipsum rebellaverit, Exod. xxiii. 20; 4. vocatur *facies ipsa Dei*, Exod. xxxiii. 14. *Facies mea præcedet te*, quia est imago Dei invisibilis, character Personæ Patris. Spiritum S. etiam eo convenisse ut Personam cum aliis, docet illustris locus, Is. lxiii. 7–14. "Miserationes Domini memorare faciam, &c. dixit vere populus meus ipsi, et fuit ipsis in Salvatorem. Angelus faciei salvavit eos propter dilectionem suam, &c. sed illi rebelles fuerunt, et irasci fecerunt Spiritum Sanctitatis ejus," &c. Ubi tres Personæ distinctæ recensentur, *Jehova*, *Angelus faciei*, *et Spiritus Sanctus*, quibus distinctæ operationes tribuuntur, *Jehovæ* miseratio erga populum, *Angelo faciei* redemptio, *Spiritui S.* exacerbatio et pugna contra populum, dum conversus est ipsis in inimicum. Cum ergo tribus istis opus mere divinum tribuatur, necesse est, ut sint unus ille verus Deus essentialiter, licet modo subsistendi et personaliter inter se distinguantur.

3. Ex descriptionibus Messiæ.

X. Tertio, idem evincitur ex descriptionibus Messiæ; Cum enim passim proponatur, non modo ut Semen mulieris, et fructus ventris, id est verus homo, sed etiam ut verus et æternus Deus, cui nomina, et attributa, et opera divina tribuuntur, ut postea sumus demonstraturi, qui mittendus fuit a Patre et Spiritu S., satis aperte Trinitatis mysterium exinde revelatum esse constat. Eo pertinet locus, Isa. lxi. 1, 2. "Spiritus Domini Dei super me, quapropter unxit me Dominus ad evangelizandum mansuetis," &c. Verba ista ad Messiam referri debere Christus ipse author est, Luc. iv. 21, neque id Judæi licet pertinaces negare possunt; talia enim de eo prædicantur, quæ nec Isaïæ, nec cuiquam mortalium competere possunt: Ut ergo opus quod Messiæ tribuitur Deum esse eum arguit; Ita dum fit mentio Jehovæ et Spiritus ejus mittentis et ungentis ipsum, Personæ duæ distinctæ ab eo connotantur. Nec alio spectat oraculum Aggæi c. ii. 5, 6. quod trium istorum expresse meminit, *Sum vobiscum, dictum Jehovæ exercituum, cum Verbo quo pepigeram vobiscum, et Spiritu meo stante in vobis.*

4. Ex Trina nominis Jehovæ repetitione. Num. vi. 24-26.

XI. Quarto, ex Trina nominis Jehovæ repetitione, ut in Benedictione Sacerdotali, Num. vi. 24–26, "Benedicat tibi Jehova, et custodiat te. Faciat Jehova ut luceat facies sua tibi, et gratiam faciat tibi. Attollat Jehova faciem suam erga te, et apponat tibi pacem;" Trina enim illa repetitio non potest alio pertinere, quam ad designandas tres illas Personas, a quibus benedictio illa petitur ut ab uno vero Jehova; quomodo Jacobus ter Deum commemorat, a quo benedictionem filiis suis petit, Gen. xlviii. 15, 16, "Deus ille ante cujus conspectum ambularunt Patres mei; Deus ille qui pascit me ex quo die sum, usque in hunc diem; Angelus ille qui vindicat me ab omni malo benedicat pueris istis:" nam Angelus qui vindicavit eum ab omni malo, et a quo benedictionem petit, non potest esse creatus. Eo etiam referendum Trisagium Seraphicum, Isa. vi. 3, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehova exercituum.* Licet enim trina ista repetitio possit indefessam Cœlitum in Deo laudando assiduitatem, et Sanctitatis divinæ excellentiam notare; non obstat quominus etiam ad S. S. Triadem designan-

Digitized by Google

dam adhibita fuerit; quod ex eo colligitur, quod hæc accinuntur Jehovæ, cujus plures esse personas vel illinc innuitur, non solum quod dicat, v. 8. *Quis ibit nobis*, sed et quod mandatum ibi factum non modo Patri sit tribuendum, sed etiam Filio et Spiritui S. ex colla. Jo. xii. 41, et Act. xxviii. 25, ubi quæ hic dicuntur de Jehova, tribuuntur Filio et Spiritui Sancto, qui per consequens designari intelliguntur in isto Trisagio. Frustra vero *Volkelius* argumentum infringere conatur ex locis illis, ubi trina habetur repetitio, ut Jer. xxvii. 4, et xxii. 9, Ezech. xxi. 32, quia non simpliciter ea nititur, sed ea juncta cum aliis Textus circumstantiis.

XII. Quinto, eo referenda sunt loca illa, ex quibus Divinitas Filii et Spiritus S. asseritur, de quibus in sequentibus agendum erit, quum de eorum Divinitate disputabitur, quæ nullam vim haberent nisi Trinitas Personarum in unitate Essentiæ jam connotata fuisset.

XIII. Sexto, cum non alius sit V. alius N. T. Deus, ut Marcionitæ et Manichæi olim fingebant, sed unus idemque utrobique revelatus, ut objectum solum fidei et cultus; Et sub N. T. se unum Essentia et Trinum Personis revelarit; Necesse est ut Judæis ut talis sit revelatus, et ab iis agnitus et cultus; alias verum Deum, qui non alius est quam Pater, Filius, et Spiritus S. non coluissent, quia qui Filium non habet, nec Patrem habet, 1 Jo. ii. 23.

XIV. Denique, si Trinitas non revelata fuit in V. T., perperam Orthodoxi hactenus tam veteres quam recentiores, eam ex V. T. probare sategerunt, quod sine gravi injuria tot Viris magnis et fidelibus Dei Servis impingi nequit. Nec dici debet hoc nos posse quidem ex V. T. nunc colligere adhibito Evangelii lumine: sed non potuisse pariter a Patribus fieri. Quamvis enim fateamur N. T. lucem nobis non parum inservire ad illustrandam veterum Oraculorum obscuritatem; negari tamen non potest, Deum qui ea Patribus revelare dignabatur ad ipsorum institutionem et solatium, ea attemperasse illorum captui, ut possent exinde de hoc Mysterio edoceri, quantum necesse fuit ad ipsorum salutem; alias frustra hæc ipsis revelata fuissent.

XV. Licet hodierni Judæi hoc Mysterium nolint agnoscere; non sequitur incognitum fuisse sub Veteri Testamento, non magis quam alia varia mysteria quæ a recutitis hodie negantur, quamvis certum sit ea jam olim revelata fuisse: cognitio enim rei non ex ignorantia hujus vel illius subjecti mensurari debet, sed ex revelatione facta in Verbo. Adde quod hodierni Judæi velum incredulitatis in corde gerentes, et odio nefario quo Messiam nostrum prosequuntur fascinati, sponte cæcutiant ad istam lucem, quam veteres fideles nullo præjudicio excœcati ope Spiritus S. magno cum solatio contemplabantur.

QUÆSTIO XXVII.

An Personæ Divinæ distinguantur ab Essentia, et inter se, et quomodo?

Personæ distinguuntur ab Essentia.

I. Asserta Personarum Divinarum Trinitate; Nunc de earum *distinctione*, tum ab Essentia ipsa, tum inter se, agendum. Personas ab Essentia distingui patet, quia Essentia est unica, Personæ vero tres: Illa absoluta; Istæ relativæ: Illa communicabilis, non quidem secundum multiplicationem, sed secundum identitatem; Istæ incommunicabiles: Illa est quid latius; Istæ vero habent se ut quid angustius: Licet enim Essentia sit adæquata tribus Per-

Digitized by Google

sonis simul sumptis, unaquaque tamen earum latior est, quia unaquæque Persona habet quidem totam Divinitatem, sed non adæquate et totaliter, si ita fas loqui, id est non exclusive ad alias, quia pluribus adhuc est communicabilis: Illa Principium commune est operationum ad extra, quæ indivisæ sunt et tribus Personis communes; Istæ Principium operationum ad intra, quæ singulis Personis relate ad se invicem competunt.

II. De natura distinctionis istius non consentiunt inter se Theologi. Alii realem statuunt, alii formalem, alii virtualem et eminentem rationis ratiocinatæ, quæ licet non sit a parte rei, habeat tamen fundamentum in re; alii personalem; alii denique modalem. Nos notiones istas varias non vexandas esse, et ad vivum resecandas censemus, utpote quæ a rebus humanis et finitis petitæ, Mysterium hoc nonnisi valde imperfecte adumbrare queant, et præstitisset in hac generali notione subsistere, dari distinctionem aliquam, licet qualis et quanta sit, a nobis capi et exprimi nequeat.

Non essentialiter, sed modaliter.

III. Licet autem omnes istæ distinctionis species longe subsistant infra tanti Mysterii sublimitatem, nulla tamen propius ad illud accedere nobis videtur, *distinctione modali*, qua modus dicitur distingui a re aliqua; quia proprietates personales quibus Personæ distinguuntur ab Essentia, sunt modi quidam quibus characterisatur; non quidem formaliter et proprie, quomodo modi dicuntur esse in rebus creatis, quæ cum finitæ sint diversimode affici, et modos realiter distinctos et posteriores re modificata admittere possunt, quod in Dei Essentiam infinitam et perfectissimam cadere nequit; sed eminenter et analogice, sublatis omnibus imperfectionibus. Ita Persona differre dicetur ab Essentia, non *realiter*, id est *essentialiter*, ut res et res; sed *modaliter*, ut *modus a re*.

IV. Unde sequitur nullam esse compositionem in Deo, quia compositio oritur tantum ex rebus diversis; sed hic non habemus res et res, sed rem et modos rei, quibus non componitur, sed distinguitur. Deinde compositio est ex illis quæ se habent ut potentia et actus, quod hic non datur. Nec terminus compositionis sine imperfectione Deo tribui potest.

V. Quicquid est in Deo essentiale et absolutum est Deus ipse; talia sunt attributa Divina, Potentia, Sapientia, Justitia, &c. Sed quicquid in Deo est personale, relativum, et modale, non statim omnimodo identificatur cum Essentia Divina; est quidem Deus in concreto, sed non in abstracto; est Deus Pater, vel Deus Filius, vel Deus Spiritus Sanctus, sed non potest dici formaliter ipsa Divinitas.

VI. Cum infinitas sit proprietas essentialis quæ competit Divinitati, non necesse est ut personalitatibus proprie tribuatur; sufficit eos dici modos Essentiæ infinitæ.

VII. Sapientia et Virtus Dei præcise et essentialiter sumptæ, sunt attributa quæ identificantur cum Divinitate; sed dicuntur de Filio et Spiritu S. personaliter et relate, prout afficiuntur personalitatibus Filii et Spiritus S.

VIII. Distinctio Personarum inter se major videtur esse quam ab Essentia; Nam Essentia potest prædicari de Persona, nec datur oppositio inter Personam et Essentiam in actu exercito, seu in concreto, ut dicatur, hæc Persona non est Deus, nam Pater est Deus, Filius est Deus, &c. quanquam in actu siguato et in abstracto Persona non sit Essentia: Sed Personæ de se invicem prædicari non possunt, nam Pater non potest dici Filius, vel Filius Pater.

Digitized by Google

In explicanda distinctione Personarum inter se vitandus Sabellianismus.

IX. In ea explicanda duo extrema vitanda sunt, quæ gravissimarum hæresium origo fuerunt. Hinc *Sabellianismus*, a Sabellio Pentapolitano, ex Ptolemaide Ægypti civitate Romam introductus circa ann. 260, quem secuti sunt postea Praxeas Asiaticus, et Hermogenes Afer, et quem seculo superiori *M. Servetus* renovavit, qui distinctionem tantum rationis inter Personas statuit, ut unica tantum sit Persona, quæ propter varios effectus, modo Pater, modo Filius, modo Spiritus S. dicatur: Inde vero *Tritheismus* Philoponi, et Valentini Gentilis, qui ex tribus Personis tres fingit Spiritus æternos et inæquales, essentialiter inter se distinctos.

Et Tritheismus.

X. Orthodoxi medium tenent: contra Sabellium solam distinctionem rationis hic locum habere negant, quia Pater alius est a Filio, et Filius a Patre a parte rei, citra conceptus nostri operationem; contra Tritheïtas *realem* seu essentialem rejiciunt, quia licet sint plures Personæ inter se distinctæ, unica tamen est Essentia. Séd *modalem* statuunt, quia ut Personæ proprietatibus personalibus tanquam modis subsistendi incommunicabilibus constituuntur, ita per eosdem distingui bene dicuntur.

XI. Licet autem Theologi videantur quodammodo hic inter se dissentire, dum alii realem, alii modalem tantum distinctionem urgent; facile tamen conciliantur, quia qui dicunt differre realiter, nolunt propterea notare *distinctionem realem majorem* quæ est inter res et res, quasi in Trinitate esset *aliud* et *aliud*, seu alia et alia Essentia, quod simplicitati et unitati Essentiæ Divinæ repugnat; sed tantum *distinctionem realem minorem*, ut vocant Scholastici, quæ est inter rem et modum rei, vel inter modos ipsos, quæ coincidit cum distinctione modali, quam alii statuunt; quia etsi in Deo non sit *aliud* et *aliud*, id est alia et alia Essentia, est tamen *alius* et *alius*, alia et alia Persona.

XII. Ad adstruendam distinctionem istam in Divinis, non necesse est dari aliquod exemplum par vel æquale in creaturis. Sufficit si simile aliquid detur, vel analogum, pro fundamento: imo vel ad ipsas Personas attendere satis est, quæ distinctæ non erunt nisi nomine tenus, ut Sabellius volebat, nisi distinctio realis modalis intercedat.

XIII. Quæ sunt ἀλλήλως incommunicabilia, possunt dici differre realiter, id est non sola ratione; sed non statim debent differre essentialiter et specifice. Personæ primo modo inter se differunt, non secundo.

XIV. Τρόποι ὑπάρξεως, seu modi isti subsistendi, quibus Personæ inter se distinguuntur, *reales* bene dicuntur quia non sunt opus rationis, sed a parte rei aliquid positivi innuunt, quo Personæ constituuntur, et inter se distinguuntur, non tamen vel *substantiales*, vel *accidentales*, bene dici possunt; cum ista sit entis finiti tantum divisio, et quidem rerum, non modorum; quod si substantiales quandoque dicuntur, hoc fit improprie respectu *subjecti modificati*, si ita fas loqui, non vero ratione *formæ* vel quidditatis ipsorum modorum.

XV. Quamvis vero modi isti negative ut plurimum exprimi soleant per incommunicabilitatem; Non sequitur nihil positivi innuere, sed dicere meram tantum negationem conjunctionis Essentiæ Divinæ cum alia re ad constituendum unum suppositum; quia terminus iste negativus infert tamen positive ejusmodi ultimum complementum per quod res ita est completa in se, ut cum alia ulterius uniri et communicari nequeat. Unde ista communicabilitas in aliquo positivo, quod formaliter personæ est constitutivum, non vero negativo fundatur. Alias Trinitatis conceptus esset pure negativus, et tres Personæ Trinitatis in suo esse personali constitue-

Digitized by Google

rentur, et a se invicem distinguerentur, per solam negationem, et opera personalia ad intra, nullum principium haberent nisi negativum; quæ cum stare non possint, necesse est ut dicamus modum subsistendi in Divinis aliquid positivi superaddere unitati Essentiæ Divinæ; Quamvis autem facile non capiamus quid positivi illud sit, non ideo in mera negatione dici debet consistere.

www.libtool.com.cn

Distinctio Personarum deprehenditur 1. in ipsis Personis ratione ordinis.

XVI. Distinctio autem ista Personarum in duobus potissimum observatur, 1. *Intus* in ipsis Personis, 2. *Foris* in earum operationibus. Quoad Personas ratione *ordinis*, quia Pater proponitur in Scriptura ut prima Persona, quæ a nulla est, Filius ut secunda, quæ est a Patre, et Spiritus S. ut tertia, quæ est a Patre et Filio. Cujus respectu quædam ὑπεροχὴ a Theologis tribuitur Patri, non quidem ratione *essentiæ* et Deitatis, quia ut Personæ sunt ἰσοούσιοι, ita summa datur inter eas æqualitas; sed ratione *modi* tum in subsistendo, tum in operando: In *subsistendo*, quia et quoad ordinem, et quoad originem præcedit Filium et Spiritum Sanctum, utpote qui nullum habeat vel ordinis vel originis principium, sed a *seipso* sit, non *positive*, sed *negative*, quo sensu Patribus dicitur πηγαία θεότητος *Fons Deitatis*, non absolute quoad existentiam, sed respective quoad illius communicationem. In *operando*, quia ordo operandi sequitur modum subsistendi. Unde Pater a se, Filius vero a Patre operatur.

Et proprietatum personalium.

XVII. Secundo, ratione *Proprietatum Personalium*, quæ non communes sunt Personis singulis sed singulares alicui Personæ, adeoque incommunicabiles, quia conveniunt Personis qua Personis, et ipsam Personarum incommunicabilitatem constituunt. Sic Patri tribuitur ἀγεννησία, Filio γέννησις, Spiritui Sancto ἐκπόρευσις. Pater dicitur αὐτογέννητος, non affirmative, alias sui ipsius principium foret, et seipso prior et posterior; sed negative, quia est ἀγέννητος, et ut explicat Athan. in Symb., ἀπ' οὐδενός ἐστι ποιητὸς, οὐδὲ μεν κτιστὸς οὐδὲ γέννητος, contradistincte ad Filium, qui licet non sit vel creatus, vel factus, est tamen a Patre genitus. Sic Filius dicitur esse a Patre per generationem; non ratione *Essentiæ*, et *absolute* qua Deus, sed ratione *Personæ*, et *reduplicative* qua Filius; Spiritus S. est a Patre et Filio per spirationem; quia generatio et spiratio est communicativa Essentiæ ad terminum Personalitatis.

XVIII. Quia vero Proprietates istæ Personales et characteristicæ exprimi solent nominibus relativis Patris, Filii et Spiritus Sancti; hinc fit ut relationibus etiam distingui inter se dicantur, non quidem prædicamentalibus, quæ sunt accidentales, sed transcendentalibus; ut enim unicuique Personæ peculiaris est subsistentia, et peculiaris proprietas, sic et singulis peculiaris est relatio. Quamvis autem *Relationes* istæ *reales* possint dici a parte *fundamenti*, quod in operationibus ad intra constituitur, quia reale est discrimen inter personas, et alius est reipsa Pater a Filio: Non possunt tamen dici Entia realia, ut vellent Scholastici, quia non sunt entitates absolutæ, sed modificationes tantum et characteres Essentiæ.

XIX. Ita tamen distinguuntur Personæ per istas relationes, ut non tam sint Principia constitutiva Personarum, quam earundem declarativa a posteriori, quatenus scilicet spectantur in esse suo externo et respectivo. Sic Paternitas, quæ est relatio Patris ad Filium, notificat nobis primam Personam, Filiatio secundam, Spiratio tertiam. Licet autem in Patre dentur duæ Relationes, Paternitas et Spiratio; Pater tamen non distinguitur in duas Personas, quia præterquam quod non potest esse proprietas δια-

Digitized by Google

κριτική Patris, utpote quæ communis Patri et Filio, solæ relationes quæ sunt oppositæ, hic distinctionem faciunt; quod non occurrit in Paternitate, et Spiratione.

2. In operibus ad extra.

XX. Secundo, distinctio colligitur ex *Operibus Personarum*. Nam licet opera ad extra indivisa sint, et communia ex æquo singulis Personis, tum ex parte principii, tum ex parte apotelesmatis; *ordine* tamen, et *terminis* distinguuntur. Nam ordo operandi sequitur ordinem subsistendi; ut ergo Pater a seipso est, ita a seipso operatur; ut Filius est a Patre, sic a Patre operatur, quo pertinent ista Christi, Joan. v. 19, *Filius non potest a semetipso operari, nisi viderit Patrem operantem*. Ut Spiritus Sanctus est ab utroque, ita ab utroque operatur. *Terminis* etiam differunt, quoties operatio aliqua divina ad aliquam Personam terminatur. Sic vox de cœlo audita terminatur ad Patrem, Incarnatio terminatur ad Filium, et apparitio sub specie columbæ ad Spiritum Sanctum.

QUÆSTIO XXVIII.

DE DEITATE FILII.

An Filius sit verus et æternus Deus, coëssentialis et coæternus Patri?
Aff. contra Socin.

I. Ut Divina Majestas et Gloria Filii Dei Redemptoris nostri adversus pestilentissimos hæreticos, qui eam execranda impietate oppugnatum eunt, asseratur, Quæstionis status rite tenendus est, ut quæ sunt ἐξαγόμενα et non controversa a controversis secernantur, et genuina eorum sententia, quam verbis ambiguis sæpe obtegere solent, ut simplicioribus imponant, deprehendatur.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur; An Filius sit Persona Divina, et An possit vocari Deus; hoc enim profitentur se credere Adversarii, unde *Smalcius* tractatum fecit de *Divinitate Christi*, et de *Christo vero et naturali Dei Filio*, et contra Franzi. disp. i. p. 5, *Filium*, inquit, *Personam esse non diffitemur, eamque Divinam*, &c. Et *Socinus* contra Wick. cap. v. *Dicimus concedere nos Christum esse naturalem Dei Filium*. Sic sæpe ea Christo tribuunt, quæ videntur veram ejus Divinitatem arguere. Si tamen penitius in sensum eorum inquirimus, facile patebit verba tantum esse et voces ad fucum faciendum excogitatas, ut videantur in primario Religionis Christianæ capite ad nos accedere, licet reipsa quam longissime distent. Nam quicquid de Christo prædicent, certum est eos non ultra humanam ejus naturam assurgere, et divinitatem tantum precariam et dependentem illi adscribere, respectu miraculosæ suæ conceptionis et Divinitatis, vel respectu muneris quod illi impositum fuit; sed quæ ad ὁμοουσίαν cum Patre non referatur, qui est Quæstionis cardo.

III. Ut ergo fucus omnis illis detrahatur, Quæstio non concipi debet; An Filius sit Deus; sed, An sit verus et æternus Deus Patri coëssentialis. Non, An possit dici naturalis Dei Filius quodam sensu, qui divinitatem precariam et dependentem ab eo habuerit, ratione *præeminentiæ, authoritatis, dominii et muneris*. Sed, An sit proprius Filius, qui eandem numero Essentiam cum Patre, non in tempore, sed ab æterno per ineffabilem generationem ab eo acceperit. Quod Sociniani cum veteribus Arianis ne-

Digitized by Google

gant, *Ostorod. Instit. c.* vi. *et* vii., *Volkel. lib.* v. *de Relig. c.* x.; Nos vero affirmamus.

IV. Ad Socinianos non obscure accedunt Remonstrantes; quamvis enim velint videri differre ab ipsis, generationem Filii asserendo, tamen in ea explicanda satis produnt suum cum ipsis consensum, dum negant ὁμοουσίαν Filii cum Patre, et statuunt Filium, non ordine modo, sed et dignitate, et potestate differentem a Patre, eique non coordinatum et consubstantialem, sed subordinatum tantum, ut *Episcopius* exponit lib. 4. Insti. c. 32 et 35.

Filii Deitas probatur. 1. Ex nominibus Dei.

V. Filium verum esse et ὁμοούσιον ac æternum cum Patre Deum quatuor ista, quæ ipsi tribuuntur, et soli Deo competunt, invicte demonstrant: 1. *Nomina Dei*, 2. *Proprietates*, 3. *Opera*, 4. *Cultus*. Primo *Nomina*, quia passim et in V. et in N. Testam. Deus vocatur; Ps. xlv. 8, *o Deus, Deus tuus unxit te*, quod de Christo dici liquet ex Heb. i. 8, 9, ubi Deus Pater a Deo Filio distinguitur, non οὐσιωδῶς, sed ὑποστατικῶς, et *Deus ejus* dicitur, non ratione naturæ, sed ratione muneris et œconomiæ. Isa. ix. 6. Puer nobis datus, et Filius nobis datus vocatur *Deus fortis;* hunc enim titulum cum cæteris qui adduntur non esse descriptionem Dei vocantis et nomen imponentis, ut vellent Rabbini, sed Messiæ vocati, ad ejus majestatem et gloriam designandam, res ipsa clamat. Jerem. xxiii. 5, 6. Germen Davidis dicitur vocandum *Jehova Justitia nostra*, quod de Messia intelligi series loci, appellatio *germinis et Regis*, et beneficiorum ejus commemoratio evincit, cui similis locus est Jer. xxxiii. 16. Eo spectat quod Isa. vii. 14, Filius quem Virgo parere debuit vocatur *Emmanuel*, non tantum quia per eum et in eo Deus summus revera nobiscum est, id. nobis favet et opitulatur, ut vult Socinus, quia sic non esset nomen Messiæ, quod esse tamen colligitur ex c. viii. 8, sed integra enunciatio, quod alienum est a mente Spiritus Sancti; sed quia ille est Deus qui nobiscum est, ut Mat. i. 22, interpretatur, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεὸς. Mala. iii. 1. vocatur *Dominus* qui venturus est in Templum suum, quod de Messia dici Evangelistæ docent Marc. i. 2. Luc. i. 76; quis autem Dominus est κατ' ἐξοχὴν cujus est Templum, nisi Deus? unde dies adventus ejus, vocatur dies Jehovæ magnus et terribilis, Mal. iv. 5.

VI. Hoc vero ulterius confirmatur ex collatione variorum locorum V. et N. T. in quibus quæ de Jehova, Deo Israëlis, Creatore Cœli et Terræ, dicta sunt in Veteri, ad Christum Filium Dei applicantur in Novo. Confer loca Num. xiv. 22, et xxi. 5, 6, et Psalm xcv. 9, cum 1 Cor. x. 9; Ps. cii. 26, cum Heb. i. 10, 11; Isa. vi. 9, 10, cum Joa. xii. 40, 41; Isa. xlv. 23, cum Rom. xiv. 11; Joel. ii. 32, cum Rom. x. 13; Ps. lxviii. 19, cum Eph. iv. 8, 9.

VII. In N. T. clarius adhuc Deus vocatur. Joan. i. 1, *Sermo erat Deus*, quod de Deo secundario et factitio, ratione muneris intelligi nequit, ut vellent Adversarii, sed de vero Deo ratione naturæ; quia non dicit ἐγένετο, ut v. 14, quando loquitur de incarnatione, quod prius notasset; sed ἦν *erat*, ad ejus existentiam æternam designandam. Deinde, eo modo debet esse Deus, quo potuit esse in principio ante rerum omnium creationem, v. 1, tanquam ejus author, v. 3, hoc autem nemini nisi Deo summo competit. Tertio, non est credibile Johannem in primis historiæ verbis, uti voluisse nomine Dei improprie et ambigue, nulla addita explicatione, quod facile fideles in errorem periculosissimum inducere potuisset; ut crederent Sermonem istum esse verum Deum, qui non esset tamen. Quamvis autem Sermo iste dicatur fuisse *apud Deum*, personaliter consideratum, id. Patrem,

Digitized by Google

quo sensu non potuit esse persona illa apud quam esse dicitur; Non obstat quominus fuerit Deus essentialiter idem cum Patre.

VIII. Dicitur *verus Deus et vita æterna*, 1 Jo. v. 20, quæ verba non ad Patrem, sed ad Christum esse referenda, evincit tum pronomen οὗτος, quod Christum respicit, de quo immediate actum, tum scopus Apostoli, qui est docere Christum venisse ut nos ad cognitionem et communionem veri Dei adducat, nosque ideo esse in vero illo, eo quod sumus in Filio ejus Jesu Christo, quoniam et ipse Jesus Christus sit *verus Deus et vita æterna*. Confirmatur ex eo quod elogium *vitæ æternæ* in stylo Joh. nunquam Patri, sed frequentissime Filio tribuitur, Joan. i. 4, et xi. 25, et 1 Joan. i. 2, et v. 11, 12.

IX. Vocatur *Deus benedictus in secula*, Rom. ix. 5, quod non potest referri per apostrophen δοξολογικὴν ad Patrem, quia eam nec res poscit, nec verborum series admittit; nam articulus cum participio ὁ ὤν relativus est, sententiam novam non inchoans, sed inchoatam continuans; nec de Patre potest accipi, sed de Christo, de quo verbis immediate præcedentibus actum fuerat. Deinde limitatio κατὰ σάρκα, quæ opponitur Deo benedicto, ostendit duas in Christo naturas designari, humanam, secundum quam oriundus sit a Patribus, et divinam, secundum quam sit Deus benedictus in secula. Appellatur *Deus magnus*, Tit. ii. 13, non utique Pater, sed Filius, quia Deus et Servator uni articulo subjiciuntur, quod non fieret, si essent duæ personæ, deinde ἐπιφάνια nunquam tribuitur Patri, sed semper Christo; Et ille, cujus adventum expectamus, dicitur semetipsum dedisse pro nobis v. 14, quod est solius Christi.

X. Exclamatio Thomæ, Joan. xx. 28, in quam admirabundus erumpit, viso et attrectato Christo, ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου, *Domine mi, et Deus mi*, ad Christum necessario refertur, nec potest nisi violenter alio detorqueri, quia præcessit εἶπεν αὐτῷ, *dixit ipsi*, scil. Christo, ut fidem suam hac eximia confessione illi approbaret, quasi dicat, *Tu es Dominus et Deus meus*. Unde non ponitur admirationis nota ὦ, sed articulus præpositivus ὁ. Ita dicitur *Deus manifestatus in carne*, 1 Tim. iii. 16, *et Deus qui redemit Ecclesiam suo sanguine*, Act. xx. 28, quod dici non potest nisi de Filio, qui carnem nostram assumpsit, et sanguine suo æternam redemptionem nobis acquisivit.

XI. Nec omittendus illustris locus, Philip. ii. 6. ubi *forma Dei* Christo adscribitur, *Qui cum esset in forma Dei, non reputavit rapinam esse æqualem Deo.* Unde varia argumenta petuntur, 1. quia Christus dicitur esse in *forma Dei*, quod non posset illi competere, nisi esset natura Deus; nam ut *forma servi* illi opposita necessario notat naturam humanam cum statu servili; Ita forma Dei, Essentiam Divinam gloria et majestate coruscantem designare decet. 2. quia dicitur esse *æqualis Deo*, tum quoad *naturam*, quia idem cum Patre, tum quoad *personam*, quia est perfectissima ejus imago, tum quoad *statum*, quia eadem gloria ab æterno fruebatur. 3. quia fuit in forma Dei antequam fuerit in forma servi, id. antequam natus sit et homo sit factus, quod notat verbum ὑπάρχων. Frusta Socinus *formam Dei* vult referri ad gloriam et *potentiam miraculorum* quam Christus in passione deposuerit. Nam sic alii qui dono miraculorum pollebant, potuissent dici in forma Dei, quod nec dictum uspiam, nec dici potest: Antithesis formæ servi non probat formam Dei esse tantum speciem aliquam externam et qualitatem, imo contrarium evincit; Nam ut similis conditio non potuit esse nisi in humana natura; Ita forma Dei non potest esse nisi in essentia Dei. Nec exinanitio, quæ Christo tribuitur, consistit in formæ istius divinæ depositione absoluta, sed tantum in occulta-

Digitized by Google

tione ejus sub velo carnis in statu humilitatis. Quamvis ἴσος aliquando *similem* tantum, non *æqualem* notet, non potest eo sensu hic sumi, quia talis ἰσότης intelligitur, quæ oritur ex formæ Dei possessione, quæ non similitudinem tantum aliqualem, sed veram æqualitatem et identitatem importat.

XII. Quamvis nomen Dei improprie, limitate, et in plurali possit tribui Creaturis, ut Angelis et Magistratibus, qui *Dii* quandoque vocantur; nunquam tamen proprie, absolute, et in singulari cuiquam tribuitur, nisi vero Deo. Unde Filium Dei, cui hoc modo tribuitur, Deum verum et æternum esse necesse est.

2. Ab attributis.

XIII. Eadem Deitas evincitur ex *Attributis Divinis*, quæ cum soli Deo propria sint exclusive ad Creaturas, non potest non esse Deus, de quo illa prædicantur. Talis est *Æternitas*, quæ illi tribuitur non semel, ut quum dicitur, *Sapientia fuisse apud Deum ab initio viæ suæ, et ab æterno principatum habuisse a principio ante terram*, Prov. viii. 22. Sapientiam enim hic personalem notari postea probabitur. Mich. v. 2, quod *egressus ejus fuerint a diebus seculi*, ubi mentio fit duplicis egressus; alter qui *futurus* erat in tempore Bethlehemo, ex Patribus quoad naturam humanam, *Ex te mihi prodibit futurus Dominator;* alter *præteritus*, seu potius æternus per generationem secundum naturam divinam a Patre, *cujus egressus inde a principio et diebus seculi*, ne quis putaret cœpisse demum existere eum quum natus est. Vocatur *Primus et novissimus, qui est, qui erat, et qui venturus est*, Apoc. i. 8, *Pater æternitatis*, Isa. ix. 6, nec initium dierum, nec finem vitæ habens, Heb. vii. 3. Hæc enim talia sunt ut in durationem finitam et temporalem cadere non possint.

Æternitate.

XIV. Huc pertinet locus, Jo, i. 1, ubi *Sermo dicitur fuisse in principio*, non utique in *principio Evangelii*, seu novæ Creationis, ut vellent Adversarii, sed in *principio temporis*, quia non aliud hic principium intelligi potest, quam id de quo agit Moses, Gen. i. 1, ad quod manifeste alludit, quod demonstrat scopus Joann., qui est describere Personam Christi, partim ab eo quod fuit ante Incarnationem, inde a principio, partim ab eo quod factus est per Incarnationem, ubi utitur verbo ἐγένετο non vero verbo ἦν. Deinde res ipsa hoc evincit; nam cui verisimile est Johannem hoc tantum voluisse, Sermonem, id. Christum Patris oratorem jam fuisse in principio Evangelii, id. cum Evangelium prædicare inciperet? Tam absurdus sensus Spiritum S. non decet.

XV. Joan. viii. 58, *Antequam Abraham existeret ego sum*, quod perperam Adversarii trahunt ad Prædestinationem, ut dicatur fuisse ante Abrahamum ratione prædestinationis; quia non agebatur de prædestinatione Christi, sed de reali existentia, siquidem quæstio erat, An vere potuisset dicere Christus Abrahamum diem suum vidisse, quod Judæi in ista ætate de Christo negabant, Christus autem affirmat, ratione inde petita, quod antequam Abrahamus fuisset, jam existeret. Multo minus admitti potest audax alia Socini corruptela, qui hæc verba ita interpretatur, *Antequam Abraham fieret*, scil. *Pater gentium*, se fuisse; quia non agitur hic de tempore quo vocandæ erant gentes, sed de eo quo Abraham vixerat, quod non videbatur Christus, qui minor erat quinquagenario, potuisse præcedere; non de futuro, sed de præterito. Eodem sensu dicitur Christus habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus factus esset, Joa. xvii. 5, non tantum, quia ipsi a Patre prædestinata est, sed etiam quia illam actu ab æterno possedit, quod non potuisset, nisi jam extitisset. Gratia quidem potest nobis dici data a Deo per prædestinationem antequam simus, 2 Tim. i. 9, sed gloriam nemo potest dici habere actu nisi qui actu existit.

Digitized by Google

Immensitate. XVI. 2. *Immensitas et Omniprœsentia*, quum dicitur esse in medio suorum ubicunque congregati fuerint, Matth. xviii. 20, et xxviii. 20, "Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem seculorum." Et Jo. iii. 13, "Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit e cœlo, nimirum Filius hominis qui est in cœlo," ubi Christus loquens in terris, dicit se esse in cœlo; nemo vero potest esse et in cœlo et in terra simul, nisi qui replet cœlum et terram. Nec audiendus Socinus, qui præsens exponit per præteritum, ut dicatur Filius hominis a cœlo descendisse, et in cœlo fuisse; quia repugnant verba Christi ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, quæ de præsenti existentia in cœlo etiam postquam descendit de cœlo, non de præterita intelligi res ipsa loquitur; descendisse ergo de cœlo dicitur per Incarnationem, qui in cœlo semper erat per immensitatem.

Omnipotentia. XVII. *Omnipotentia* illi tribuitur Apoc. i. 8, et xi. 17, ubi vocatur παντοκράτωρ; Jo. v. 17, ubi dicitur omnia facere quæ Pater facit; et Heb. i. 3, omnia portare Verbo suo potenti. Nec si Filius nihil potest facere a seipso ratione ordinis et originis, continuo sequitur potentiam ejus esse limitatam et dependentem; quia diversitas ordinis non facit diversitatem essentiæ et virtutis. Matth. xxviii. 18, omnis potestas illi data dicitur, quæ supponit necessario omnipotentiam, nec enim omnem potestatem posset habere in cœlo et terra, qua Mediator, nisi haberet omnipotentiam qua Deus.

Omniscientia. XVIII. *Omniscientia* de eo prædicatur, Jo. xxi. 17. *Domine, tu nosti omnia*, et Joh. xvi. 30. *Novimus nunc quod omnia nosti;* vocatur καρδιογνώστης, Apoc. ii. 23, qui ipsas cogitationes cordis novit, Luc. vi. 8, et Jo. ii. 24, 25. Nec dici potest hoc Christum habere per revelationem, quia Deus hoc soli sibi servat, 1 Reg. viii. 39. *Christus* dicitur *ignorare diem judicii*, Marc. xiii. 32, non qua Filius Dei, sed qua Filius hominis, qualis ab interrogantibus conspiciebatur. Nec si *solus Pater* dicitur illud nosse, hoc excludit cognitionem Filii et Spiritus, qui profunda Dei scrutatur; Non magis quam, Matth. xi. 27, Pater potest dici seipsum ignorare, quum *nemo cognoscere* dicitur *Patrem nisi Filius. Solus* ergo non excludit omnes simpliciter, sed illos in certo genere quos non intererat hoc scire, nim. homines, ut sic parati semper essent et vigilarent, ne dies iste dormientibus et imparatis superveniret.

Immutabilitate. XIX. *Immutabilitas*, Heb. i. 11, 12, *Cœli peribunt, Tu autem permanes, Idem semper es, et anni tui non deficiunt*, quæ de unico vero Deo dici, constat ex Ps. cii. unde ista desumpsit Apostolus. Ita Heb. xiii. 8, dicitur *idem esse heri, hodie, et in æternum*, non modo ratione doctrinæ et operationum, sed etiam ratione Essentiæ et Personæ, quia effecta supponunt causam.

XX. Denique *Plenitudo Deitatis* in ipso habitare dicitur, id. essentia cum attributis, Col. ii. 9, et *vita Dei* ipsi tribuitur, Jo. v. 26. Nec si dicitur illi data a Patre, ideo minuitur ejus dignitas, quia hoc ordinem tantum notat, non inferioritatem; quippe accepit eandem numero cum Patre, non ex gratia, sed ex natura, non in tempore, sed ab æterno.

3. Ex Operibus divinis. XXI. Tertio, idem colligitur ex *Operibus divinis* quæ illi tribuuntur; ut *Creatio*, quam Deus sibi soli tribuit, Is. xl. 12, et xliv. 24, et quæ virtutem infinitam postulat. Proverb. viii. 27, &c. *cum firmaret cœlos, ibi ego eram*, &c. ubi Sapientia æterna loquitur. Jo. i. 3, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine eo nihil factum est.* Heb. i. 2, *Per eum secula fecit*, et v. 10, *Tu Domine fundasti terram.* Col. i. 16, 17, *Per eum omnia sunt, quæ in cœlis sunt, et quæ in terris, visibilia, invisibilia, throni.* 2. Mundi creatio, conservatio et gubernatio;

Digitized by Google

quia *omnia portat Verbo suo potenti*, Heb. i. 3. *In ipso omnia subsistunt*, Col. i. 17. *Pater meus huc usque operatur, et ego operor*, Jo. v. 17. 3. Miraculorum patratio, quæ vel ipse per se, vel Apostolorum ministerio fecit, ut passim videtur in Evangelio, et præcipue mortuorum resurrectio, Joan. v. 21, et vi. 40, quæ arguunt absolutum Christi in creaturas imperium. Unde ad opera ista provocat tanquam ad argumenta invicta Divinitatis suæ, Joan. v. 36, et alibi.

XXII. Non potest intelligi *secunda Creatio*, Jo. i. 3, ut cavillatur Socinus, 1. quia Joh. loquitur absolute et sine ulla restrictione, quæ adhiberi solet, quoties de nova creatione agitur. 2. agitur de creatione universali, in qua per eum *omnia facta sunt*, et *sine quo nihil factum est*. 3. de creatione mundi, qui Christum non cognovit, v. 10. Ergo non Ecclesiæ tantum. 4. Paulus extendit istam creationem ad omnes omnino creaturas visibiles et invisibiles, et ipsos Angelos, et distinguit creationem primam a secunda, de qua agit tantum, v. 18. Nec si *per Filium* omnia creata dicuntur, notatur causa instrumentalis, quæ nulla potest esse in Creatione, sed efficiens principalis, quomodo *per Deum* dicuntur esse omnia, Rom. xi. 36, et particula διὰ sæpe ita sumitur, Gal. i. 1. Nec tantum δι' αὐτοῦ *per ipsum* ut principium omnia sunt condita, sed εἰς αὐτὸν *ad ipsum*, tanquam ad finem, Coloss. i. 16, quod instrumento non competit: Imo ἐν αὐτῷ dicuntur omnia facta, quomodo Act. xvii. 38, dicimur ἐν αὐτῷ nim. Deo vivere, moveri, et esse. Nec si Patri tribuitur creatio appropriative, continuo denegatur Filio, ut Pater non excluditur ab opere Redemptionis, licet peculiariter Filio adscribatur.

XXIII. Virtus patrandi miracula non fuit illi adventitia et ministerialis, qualis erat Apostolorum et Prophetarum, sed propria et insita: quia dicitur ab eo manasse, Luc. vi. 19, et viii. 46. 2. negant Apostoli se propria virtute facere miracula, sed in nomine Christi, Actor. iv. 7, 10, id. ejus vi et authoritate, et virtutem istam a Christo petunt, Act. ix. 34. Nec si Christus preces nonnunquam adhibuit ad miraculi alicujus patrationem, ut Jo. xi. 41, sequitur propriam virtutem illud edendi non habuisse, quia hoc non fecit ex defectu potentiæ, sed partim secundum voluntariam œconomiam, per quam in officio Mediatorio se Patri submittit, et ad illum omnia refert, partim ut se accommodaret iis, quibus præsentibus miracula patrabat, ut scirent omnia precibus esse obtinenda.

XXIV. Nec minus *Opera Gratiæ* et *Redemptionis* Christo tribuuntur; qualis est Electio, Jo. xiii. 18; Redemptio, Act. xx. 28; Vocatio, Jo. x. 16, Matth. ix. 13; Sanctificatio, Eph. v. 26; Missio Spiritus Sancti, Jo. xvi. 7, 14, et xv. 26; Defensio adversus omnes hostium insultus, et donatio vitæ æternæ, Jo. x. 10, 28; Vivificatio et resurrectio mortuorum, Jo. v. 21; et suiipsius suscitatio, quæ ut invictum affertur Divinitatis ejus argumentum, Jo. ii. 19, et x. 18, Rom. i. 4; Judicium universale, Johan. v. 22, Act. xvii. 31. Hæc enim omnia soli vero Deo competunt. Nec dici debet hæc Christo tribui ut causæ instrumentali, per quam Pater operetur: Nam, præterquam quod pleraque ista opera immediate a Deo fieri debent sine ullius instrumenti interventu; licet Christus agat hic ut Mediator, qui ratione œconomiæ minor est Patre, non desinit illi æqualis esse quoad essentiam et potestatem, et ista operari ut Dominus; quod invicte probat Apostolus, Heb. iii. 3, 4, ubi loquens de constitutione Ecclesiæ dicit Christum domum istam condidisse, atque ita eum Mose, qui in ea fuit tantum servus fidelis, longe digniorem fuisse probat; statimque subjicit, *Omnis domus ab aliquo construitur, Deus autem ille est qui omnia construxit*, innuens scilicet clarissime Christum, qui Ecclesiam ædificavit, Deum esse:

Digitized by Google

Unde κατ' ἐξοχήν vocatur *Dominus* et *Maritus Ecclesiæ*, Eph. iv. 5, et v. 25, quod ad solum Deum sanctum Israëlis pertinere docet Isa. liv. 5.

4. Ex Cultu.

XXV. Quarto, *Cultus religiosus* soli Deo ob infinitam ejus potentiam, gloriam et majestatem debitus, illi tribuitur. Fides, Joan. xiv. 1, "Credite in Deum, et in me credite;" Spes, Ps. ii. 12, "Beati qui sperant in eum," At maledictus qui spem suam in homine collocat, Jerem. xvii. 5; Adoratio, Heb. i. 6, "Adorent eum omnes Angeli;" Ps. ii. 12, "Osculamini Filium;" Joan. v. 22, "Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem;" Phil. ii. 9, 10, "Datum est illi nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur, et omnis lingua confiteatur, quod Dominus est Jesus ad gloriam Patris." Invocatio, quia gratia et pax, et cætera beneficia spiritualia, quæ a Deo solo expectari possunt, a Christo non minus ac a Patre petuntur in Epistolis Paulinis, et fideles per *Invocantes Nomen Domini Nostri Jesu Christi*, describuntur Act. vii. 59, et ix. 14; 1 Cor. i. 2; Gloria et honor, Apoc. v. 13, omnis creatura inducitur gloriam tribuere Agno non minus ac Patri, *Insidenti throno, et Agno sit benedictio, honor, gloria et potentia, in secula seculorum.*

XXVI. Frustra hic excipitur, 1. Fidem etiam ad creaturam posse terminari, quia Israëlitæ dicuntur *Credidisse Deo et Mosi*, Exod. xiv. 31, quia hoc non ad personam Mosis refertur, sed ad *doctrinam.* 2. Christum esse objectum secundarium fidei, non primarium: Quia non datur subordinatio in objecto fidei, nec magis potest dividi fides et cultus religiosus inter Creatorem et Creaturam, quam Divinitas, Isa. xlii. 8, "Hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus." Nec dici debet, honorem Dei non alienari, quum aliquem ex Dei præscripto colimus, istum enim Dei solius causa fieri, et honorem in Deo ipso terminari: Quia supponitur semper falso, talem honorem Creaturæ posse legitime exhiberi, cum fides et adoratio ferantur in objectum infinitum, omniscium, omnipotens, et æterna gloria præditum; quod in nullam Creaturam licet perfectissimam cadere potest.

XXVII. Quamvis vero Christus qua Mediator sit adorandus, non sequitur Divinitatem ejus non bene colligi ex ejus adoratione; Quia Mediator in conceptu suo dicit Personam Divinam, quam non tollit minoritas œconomica; Non adorandus est directe *qua homo reduplicative*, id. respectu naturæ humanæ, quæ non est objectum per se adorabile, sed *specifice* ille *qui homo* est adoratur, sed respectu naturæ divinæ; ut hic tria probe distinguenda veniant, *Objectum adorationis*, quod est Persona Christi, *fundamentum*, quod est natura divina, et *adjunctum*, sine quo non fit adoratio, nim. natura humana.

XXVIII. Quatuor hisce Argumentorum Classibus possumus et alia attexere. 1. Ab *æqualitate Filii cum Patre*, Joa. v. 17, 18, quum ait Christus se continuo operari cum Patre, quod Judæi de æqualitate essentiæ et potentiæ interpretantur, atque ideo tanquam blasphemum eum conantur interficere, *eo quod Deum Patrem suum vocaret, se parem ei faciens*, quam illationem tantum abest ut Christus redarguat et neget, ut contra illam ulterius confirmet variis argumentis, tum ab æqualitate vitæ, sive essentiæ viventis v. 26, "ut Pater habet vitam in seipso, ita Filio dedit habere vitam in seipso;" tum ab æqualitate operationis, v. 19, "quia quæ Pater facit, Filius ὁμοίως facit;" tum ab æqualitate honoris et cultus soli Deo debiti, v. 23, "Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem;" quæ absolutam æqualitatem inferunt, et non tantum limitatam respectu operationis, ut vellent Adversarii; Eo vel magis, quod æqualitas operationis

Digitized by Google

cum Deo præsupponat necessario æqualitatem potentiæ essentialis, atque adeo ipsius essentiæ. Nec obstat quod dicitur *nihil facere a seipso*, v. 19. Hoc enim ordinem quidem operandi notat, qui sequitur ordinem subsistendi, sed non inæqualitatem essentiæ vel potentiæ arguit, alias non diceretur ὁμοίως operari.

XXIX. 2. *Ab unitate ejus cum Patre*, Joan. x. 30. *Ego et Pater unum sumus*, quod ad *unitatem consensus* tantum, non essentiæ referre, est vim facere verbis Christi; 1. quia ab unitate potentiæ Christus ratiocinatur ad unitatem essentiæ, v. 28, 29, quæ duo non differunt in Deo; 2. quia Judæi Christum lapidibus obruere voluerunt, non ob unitatem voluntatis, sed propter unitatem essentiæ cum Deo, quam opinione ipsorum blaspheme sibi tribuebat, "Non lapidamus te propter ullum bonum opus, sed propter blasphemiam, quia cum sis homo, te facis Deum," v. 33. 3. Christus dictum non revocat et corrigit, sed tuetur et confirmat versibus sequentibus, argumento petito a Magistratibus, qui vocantur Dii in Scriptura, unde colligit non tantum a comparatis, sed etiam a *minori ad majus;* Si Magistratus politici vocantur Dii propter munus aliquod temporale ipsis concessum, quanto magis ego quem Pater sanctificavit, et misit in mundum ad officium Mediatoris, quod virtutem divinam postulat, et qui opera Patris facio, ita ut Pater sit in me, et ego in Patre, quod de nulla creatura dici potest, me legitime Deum et Filium Dei vocare potui? Sic sanctificatio et missio in mundum affertur a Christo, non tanquam causa Filiationis antecedens, et a priori, quasi Filius tantum ideo diceretur, sed tanquam argumentum et signum a posteriori, unde illa colligitur.

XXX. 3. *A munere Christi Mediatorio.* Quia Mediator debuit esse Propheta, qui non tantum externe, sed et interne mentem illuminaret, et cor flecteret, Rex qui Ecclesiam adversus Satanæ et mundi insultus tueretur, et Spiritu suo potenter eam regeret, Sacerdos qui merito mortis et obedientiæ infinito infinitæ Justitiæ divinæ satisfaceret, et redemptionem æternam nobis acquireret. Quæ omnia ab homine mero fieri non potuerunt, sed eum postulabant, qui essentia et potentia infinita præditus esset, ut suo loco probabitur. Idipsum etiam ex Filiatione Christi colligi potest invicte, ut in sequenti Quæstione demonstrabitur.

Fontes Solutionum.

XXXI. Christus factus est Dominus post resurrectionem, Act. ii. 36, non dominio essentiali, quod habuit inde ab orbe condito, ut conditor omnium, Hebr. i. 2, et quatenus est Λόγος; sed dominio personali et œconomico, quod illi competit, quia est θεάνθρωπος, et quidem non simpliciter, nam longe ante David eum appellavit Dominum, Ps. cx. 1, nec quoad ejus jus et fundamentum, quod habuit ab initio, sed secundum quid, et ratione plenæ manifestationis et inaugurationis.

XXXII. Qui hæres constituitur dono gratiæ, non proprietate naturæ, non est verus Deus; sed Filius non ita vocatur hæres, quia est proprius Dei Filius; non Filius, quia hæres, sed hæres, quia Filius. Deinde hæres dicitur ratione dominii quod obtinet in omnia.

XXXIII. Qui distinguitur a Deo οὐσιωδῶς considerato, is non est Deus; sed Christus distinguitur a Deo ὑποστατικῶς tantum spectato, quatenus per appropriationem nomen Dei Patri tribuitur, non exclusive ad Filium et Spiritum S., sed œconomice, quia Christus Mediatoris munus obtinet, et Spiritus S. Paracleti, Pater vero ut prima Persona sustinet Majestatem Numinis.

XXXIV. Qui proponitur ut *homo merus*, is non potest esse Deus; sed non qui proponitur tantum ut *homo verus*, quia utrumque potest esse, et

Digitized by Google

homo et Deus. Loca quæ humanitatem Christi prædicant, veritatem ejus asserunt, sed Divinitatem non negant; et quoties denominatur Christus ab humanitate, non statim excluditur Divinitas, ut quoties asseritur Divinitas, non excluditur humanitas, quia denominationes quæ tribuuntur Personæ possunt ab alterutra natura peti.

XXXV. Aliquid accipi potest, vel in tempore, vel ab æterno, vel ex gratia, vel ex natura: Prior accipiendi modus revera inferioritatem arguit, et naturæ inæqualitatem, et in verum Deum cadere nequit; At posterior Personis divinis competere potest sine ulla inæqualitate; quia ordo subsistendi Personarum non tollit æqualitatem essentiæ. Ita Filius omnia potest dici accepisse a Patre, vel qua Λόγος per ejusdem essentiæ communicationem ab æterno, vel qua θεάνθρωπος et Mediator in tempore per officii impositionem, cujus respectu se Patre minorem fatetur.

XXXVI. *Principium*, vel est *communicationis*, vel *inchoationis*; Filius habet principium communicationis, nimir. Patrem, sed non inchoationis, quia essentia illi communicata est ab æterno.

XXXVII. Christus dicitur πρωτότοκος, non πρωτόκτιστος, Col. i. 15. *Primogenitus omnis Creaturæ* ratione dominii, quia ut omnia per ipsum facta sunt, ita imperium habet in omnia; sed non ratione creationis, quasi primus inter Creaturas productus esset, alias non diceretur, jam fuisse in principio, et omnia condidisse. Hoc sensu vocatur, *Principium creaturæ Dei*, Apoc. iii. 14, non *passivum*, quasi esset prima Creatura, sed *activum*, quia ab eo omnes creaturæ originem ducunt, ut Paulus loco citato exponit.

XXXVIII. Pater *unus Deus* dicitur, 1 Cor. viii. 5, 6, non relate ad Filium, aut Spiritum Sanctum, sed ad idola, quod patet ab antithesi, v. 4, *Idolum nihil est in mundo, et nullus est alius Deus nisi unus*, et v. 5, 6, agit de iis qui vocantur Dii in cœlo et in terra. 2. Ut unus Dominus non excludit a Dominio Patrem, qui Dominus Dominorum vocatur, 1 Tim. vi. 15; Ergo nec unus Deus Pater excludit a Deitate Filium, qui dicitur etiam verus Deus. Distinguuntur quidem inter se *unus Deus Pater*, *et unus Dominus Jesus Christus*, sed personaliter, non essentialiter.

XXXIX. Quum Christus negat se bonum esse opposite ad Deum, qui solus bonus est, Matt. xix. 17, non absolute hoc est intelligendum, sed relate ad mentem adolescentis, qui eum ut ψιλὸν ἄνθρωπον respiciebat; quasi diceret, ut quid me bonum vocas, cum non habeas me pro Deo, et nemo sit vere et perfecte bonus nisi Deus?

Filius bene dicitur αὐτόθεος.

XL. Licet Filius sit a Patre, non minus tamen αὐτόθεος dicitur, non ratione Personæ, sed ratione Essentiæ; non relate qua Filius, sic enim est a Patre. sed absolute qua Deus, quatenus habet Essentiam divinam a se existentem, et non divisam vel productam ab alia essentia, non vero qua habens essentiam illam a seipso. Sic Filius est Deus a seipso, licet non sit a seipso Filius. Unde patet quam injuste dicam hic hæreseos scribant Calvino, Genebrardus et alii ex Pontificiis, eo quod impietatem Valentini Gentilis confutaturus, (qui Essentiam divinam soli Patri tribuebat, quem ideo Deum primarium vocabat, et αὐτόθεον, Filium vero et Spiritum S. essentiatos a Patre,) Filium non minus ac Patrem αὐτόθεον dixit, sed respectu Essentiæ tantum, quæ non minus est αὐτουσία in Filio quam in Patre, non vero Personæ; quod recte dici ipse Bellar. agnovit, li. ii. de Christo c. 19.

XLI. Quod Christus dicitur ex Virgine natus, passus et mortuus, non ubique præsens, et minor Patre, ostendit quidem eum fuisse verum hominem nobis per omnia similem, sed non negat fuisse Deum; imo ita pro-

Digitized by Google

ponitur natus ex Virgine in tempore, ut sit genitus ab æterno a Deo, Prov. viii. 22. Ita est Patre minor ratione voluntariæ exinanitionis et assumptæ carnis, ut sit tamen ei par respectu æternæ Deitatis ipsi ab æterno communicatæ, Jo. v. 18; ita mortificatus carne; ut sit vivificatus Spiritu, 1 Pet. iii. 18.

QUÆSTIO XXIX.

DE ÆTERNA FILII GENERATIONE.

An Filius Dei ab æterno sit genitus a Patre? Aff.

I. Quæstio præcedens ὁμοουσίαν, et identitatem essentialem Filii cum Patre asseruit; Ista ejus *distinctionem Personalem* ab eo, ineffabilem et æternam ejus Generationem, adversus Anti-Trinitariorum blasphemias, demonstrabit.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur, An Christus possit dici genitus a Deo per miraculosam Spiritus S. conceptionem; Et, An Filius Dei vocari possit per gratiosam communicationem existentiæ, potestatis, et gloriæ divinæ: hoc enim facile largiuntur Adversarii; et nullam aliam Filiationis ejus causam agnoscunt. Sed, An sit genitus ab æterno a Patre, et, An vocetur Filius propter arcanam et ineffabilem ex Patre generationem? quod blaspheme negant Sociniani; Nos affirmamus.

III. Ut vero veritas æternæ istius generationis melius possit adstrui, aliquid in antecessum de ejus natura observandum. Non quod ea a nobis concipi possit, vel exprimi. *Hic enim vox silet, mens deficit, non tantum mea, sed etiam Angelorum*, ut Ambrosi. li. de fide cap. 5. loquitur, et Grego. Nazi. fibulam injicit curiositati nostræ, quum vult eam silentio coli, Θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω, μέγα σοὶ τὸ καθεῖν ὅτι γεγέννηται, ut hic rite usurpari possit illud, Isa. liii. 8, licet alio etiam respiciat, *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed tantum ut distinguatur a generationibus humanis, et negative potius quam positive explicetur.

IV. Ut omnis generatio dicit communicationem essentiæ a parte gignentis genito, per quam genitus fiat similis gignenti, et eandem cum ipso naturam participet; Ita Generatio ista admirabilis recte exponitur per communicationem essentiæ a Patre, per quam eandem cum illo essentiam Filius indivisibiliter possidet, et illi fit simillimus: Sed qualiscunque sit inter generationes naturales et humanas, et supernaturalem et divinam analogia, Non est tamen ista ex illis metienda, vel ad illas exigenda, quia magnum inter eas discremen intercedit, sive *principium*, sive *modus*, sive *terminus* attendatur. Nam in physica generatione Principium non est tantum activum, sed et passivum et materiale; sed in Divina datur tantum activum. In illa communicatio fit non totius essentiæ, sed partis tantum, quæ deciditur a gignente et ab eo alienatur: Sed in ista communicatur eadem numero essentia sine decisione et alienatione. In illa productus non modo distinctus est a gignente, sed etiam separatus, quia generans extra se generat terminative; sed in ista gignens in se et non extra se generat; Ita Filius genitus licet sit distinctus, nunquam tamen est ab eo divisus, non modo ὁμοιούσιος sed et ὁμοούσιος.

V. Generatio ista facta est ἀχρόνως, non in tempore, sed ab æterno; ideo nulla hic prioritas vel posterioritas durationis observari potest, licet sit

Digitized by Google

prioritas ordinis, secundum quem Filius est a Patre, licet non sit post Patrem. 2. ἀχωρίστως, quia Pater non genuit extra se, sed in eadem essentia. Unde dicitur Λόγος fuisse apud Deum, et Pater in Filio, et Filius in Patre. 3. ἀπαθῶς sine ulla passione, vel mutatione, vel in Patre, vel in Filio, cum ipsum generari nullam imperfectionem notet, sed potius sit omnis perfectionis receptio. Quamvis ergo respectu Patris Generatio bene dicatur activa, non tamen bene dicitur passiva respectu Filii, quia alias potuisset dici Filius in potentia gignentis. Nec obstat quod gigni dicatur; hoc enim ἀνθρωποπαθῶς dictum, θεοπρεπῶς debet intelligi, removendo omnem imperfectionem; unde quod locum habet in generatione transeunte et physica et materiali, non debet transferri ad hyperphysicam, immanentem, et divinam.

VI. Persona bene dicitur generare Personam, quia actiones sunt suppositorum; sed non Essentia Essentiam, quia quod gignit et gignitur necessario multiplicatur, et sic via sterneretur ad Tritheismum. Essentia quidem generando communicatur; sed generatio, ut a Persona fit originaliter, ita ad Personam terminatur.

VII. Utrumque potest sano sensu dici, *Patrem Filium generare, et genuisse;* Prius respectu generationis in se spectatæ, quia opera Trinitatis ad intra, quale est gignere et gigni, sunt æterna et indesinentia; alias si actus personales haberent finem, haberent etiam principium, nec omnis posset in Deo negari mutatio. Ut ergo in opere sunt perfecti, ita in operatione sunt perpetui; Nec ulla propterea potest colligi generationis imperfectio, quia etiam in natura dantur, quæ sunt dum fiunt, ut radii solares. Posterius tamen melius dicitur nostri respectu, cui imperfectum est quod est in fieri, perfectum vero quod est in facto esse. Unde Scriptura, cum qua nobis loquendum, utitur potius verbo præterito quam præsenti, Ps. ii. et Prov. viii. Terminata ergo bene dicitur generatio *terminatione perfectionis*, non *terminatione durationis*, ut notant Scholastici; Et quum Filius semper gigni dicitur, non negatur *perfectio termini*, sed *finis* tantum *communicationis*.

Generatio Filii probatur ex Ps. ii. 7.

VIII. Generatio ista probatur, 1. ex illustri Oraculo, Psal. ii. 7, *Tu es Filius meus, ego hodie genui te*, quod de Messia dici, non Apostoli modo agnoscunt, Act. iv. 25 et xiii. 33, Heb. i. 5, sed Judæi ipsi vi veritatis pressi fateri coguntur. Is autem vocatur Filius Dei, non qualiscunque, sed qui talis sit κατ' ἐξοχήν, et exclusive ad ipsos Angelos; *Nam cui Angelorum unquam dictum, Tu es Filius meus*, &c., ut Apostolus argumentatur, Heb. i. 5, atque adeo verus et æternus cum Patre Deus; Quis enim nisi Deus Regni sui pomœria potuit usque ad fines terræ protendere, v. 8, Reges et populos, ut vasa figulina conterere, v. 9, quem Reges terræ debeant osculari, id. religiose colere, v. 11, 12, qui absolutam habeat potestatem vitæ et necis, qui vel minimo iræ ardore gentes et Principes depascat, in quem fiducia sit collocanda, et a quo felicitas expectanda sit, nisi verus et æternus Deus? Huic Filio tribuitur generatio, non temporalis et physica, sed hyperphysica et æterna, qualis illi potest competere, qui æternus est æterni Patris Filius, atque adeo verus cum ipso Deus, per quam extollitur non modo supra homines, sed etiam ipsos Angelos. At si propter gratiosam communicationem existentiæ vel gloriæ ita vocaretur, non hoc illi soli, sed et aliis, licet dispari gradu posset tribui. Nec obstat locus, Act. xiii. 33, ubi Paulus videtur Oraculum hoc referre ad resurrectionem Christi. Nam præterquam quod locus, Psalm ii., non tam affertur ab Apostolo ad probandam resurrectionem Christi, quod facit, v. 35 ex Ps. xvi. quam ad probandam impletionem promissionis datæ Patribus de Christo excitando et in mundum

Digitized by Google

mittendo; ista non sunt opponenda, sed componenda; non quod generatio ista consistat in resurrectione, si quidem jam a principio fuit apud Deum, Jo. i. 1, imo et ante secula Prov. viii. 22, et Deus voce cælitus edita Filium suum esse testatus est in ejus baptismo; sed ratione φανερώσεως et *declarationis a posteriori*, quia per illam innotescit, ut Paulus interpretatur, Rom. i. 4, quum ait *Christum* fuisse ὁρισθέντα *declaratum Filium Dei per resurrectionem a mortuis*, juxta morem Scripturæ, quo res fieri vel nasci dicuntur, quum manifestantur, Prover. xvii. 17. Quia ergo resurrectio fuit irrefragabile Divinitatis ejus, et æternæ Filiationis argumentum, Spiritus S. apud Psaltem potuit utrumque conjungere, et respicere tam ad æternam generationem quam ad ejus manifestationem, quæ in resurrectione fieri debuit. Et Paulus bene dicit impletum fuisse Oraculum, quando patefacta est ejus veritas, quum per resurrectionem plenissime declaravit Pater eum ὄντως et ἰδίως esse Filium suum; ut Jacobus, c. ii. 23, dicit impletum fuisse Oraculum de Justificatione Abrahami per fidem, *Abraham credidit Deo, et illi imputatum est ad justitiam*, quando obtulit Filium suum; non quia tum demum facta sit per istam oblationem justificatio, sed quia declarata. Atque eo respicit vocula *hodie*, quæ non apponitur ad notandum certum tempus quo ista generatio cœperit; sed ut intelligamus omnia esse Deo præsentia, et successivam non esse istam generationem, sed permanentem in æternitate, in qua scilicet nihil præteritum est, aut futurum, vel ulla temporis successio, sed τὸ νῦν indivisibile, quod omnes tamen temporis circumstantias complectitur: Ut ergo apud Deum nunquam hesternus aut crastinus dies est, sed semper hodie; ita Filiatio ista utpote æterna, recte per hodie æternitatis designari potuit.

IX. Frustra etiam opponitur, talem esse generationem quæ sit pars decreti, aut effectum ejus, atque ideo opus mere arbitrarium; *Narrabo*, inquit, *decretum, Dominus mihi dixit, Tu es Filius meus, hodie genui te, Pete a me, et dabo tibi in hæreditatem gentes;* Nam generatio ista non proponitur ut *pars decreti* istius, sed tantum ut ejus *fundamentum*, quo nititur Regnum universale quod illi conceditur; Nam nisi Christus fuisset verus et æternus Dei Filius, ab ipso ab æterno genitus, nunquam potuisset in Mediatorem destinari, et regnum universale obtinere. Denique, non magis urget quod hæc ad Davidem pertinere volunt, qui tamen dici non possit ab æterno a Deo genitus. Nam licet hoc Oraculum posset utcunque ad Davidem pertinere in typo, ratione dignitatis ad quam evectus est, longe dispari tamen ratione competeret Christo, in quo solo perfecte potuit impleri, et ad quem præcipue David Spiritu Prophetico respexit; ita de Melchisideco et de Christo idem dicitur, Heb. vii. 3, quod sit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, nec initium dierum, nec vitæ finem habens, nemo tamen negat longe alio sensu de Christo et de Melchisideco dici. Imo si propius verba expendantur facile patebit, quamvis multa in hoc Psalmo ad Davidem, ut typum pertineant, hoc tamen Oraculum peculiariter et ἐξόχως Christo proprium esse, quia de eo talia prædicantur, quæ in hominem mortalem cadere nequeant: Ut sæpe occurrit in Oraculis compositis, ut quædam conveniant, et typo et antitypo, quædam vero, vel soli typo, vel soli antitypo; quod hic fieri ex circumstantiis textus non obscure liquet.

Ex. Prov. viii. 22, 23, &c.

X. Secundo, idem colligitur ex loco, Prov. viii. 22, in quo sic Sapientia introducitur loquens, "Jehova," inquit, "possidebat me principio viæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus, ante seculum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ, quum nullæ essent abyssi, edita, vel genita eram, &c., quum aptaret cœlos, ibi eram, priusquam statueret fundamenta terræ, eram apud eum

Digitized by Google

ut deliciæ," &c., 24, 25, 26, 27, 30. Nihil dici potuit clarius ad Mysterium de quo agimus confirmandum. Sapientia æterna Patris dicit Jehovam ipsam possedisse, quo modo? nonnisi per veram generationem, per quam dicitur genita, et habita instar nutritii charissimi a Patre, et hoc non in tempore, sed ab æterno, *initio viæ suæ*, *ante opera*, et ne ullus superesset scrupulus, addit vers. 24, 25, hoc fuisse ante principium et primordia terræ, antequam essent ullæ abyssi et montes, &c., quod absolutam æternitatem notat. *Sapientia* autem ista non potest esse tantum qualitas, aut virtus aliqua, sed necessario debet esse *Persona* subsistens, quia quæcunque illi tribuuntur personalia sunt, ut quod *doceat*, *clamet*, *Reges vocet* et constituat, c. viii. *ædificet domum*, *mactet animalia*, *convivium paret*, et *mittat ancillas* ad vocandos homines, et sim. c. ix. quæ nonnisi personæ competere possunt. Nec hic potest esse *prosopopœia*, per quam introducatur loquens Sapientia in genere, et in abstracto; Nam licet locus dari possit prosopopœiis in amplificationibus et exaggerationibus, maxime in apologis, non tamen ubi agitur de brevibus et confertis præceptis, ubi idem toties repetitur, nec ulla alibi figurati sermonis expositio additur; alias nihil certi esset in Scriptura, si liceret ad prosopopœias ubique recurrere; Nec ullum simile exemplum datur: nam quod affertur ex c. ix. 13, de *insipientia*, quæ sub imagine Mulieris fatuæ loquens introducitur, longe dispar est a nostro, ut intuenti patet, et potest optime ad Mulierem adulteram, ejusque illecebras referri; Quod vero petitur ex 1 Cor. xiii. de *charitate*, quæ omnia sustinere et credere dicitur, non magis facit pro Adversariis, quia abstractum ponitur pro concreto, charitas pro homine charitate prædito, cui talia competunt. Ita hic Sapientia in abstracto ponitur, non *qualitative*, sed *personaliter*, pro eo qui sapientia præditus est, qui quia perfectissime eam possidet, non modo Sapientia dicitur in singulari, sed חכמות *Sapientiæ*, in plurali ex Hebræorum idiotismo.

XI. Hunc autem non alium esse quam Filium Dei Christum Dominum nostrum colligitur, non modo ex nomine ipso *Sapientiæ*, quo sæpe solet insigniri in Novo Testamento, Luc. vii. 35, 1 Cor. i. 24, sed et ex attributis, quæ isti Sapientiæ tribuuntur, quæ in ipsum aptissime quadrant, et nemini alii competere possunt. Quis enim alius Sapientiæ nomen mereri potest, et quidem Sapientiarum? Quis alius homines ad se vocat, veram salutis viam docet, vult Legem et præcepta sua in Ecclesia obtinere, homines peccatores stultitiæ arguit, et auscultantibus vitam, incredulis vero ultimum exitium denunciat? Quis alius est, qui antequam mundus esset, fuit apud Deum, et ipsi mundo creanti perpetuo adfuit? Si Jehova dicitur possedisse Sapientiam ab initio; Nonne *Sermo* dicitur *fuisse in principio, et fuisse apud Deum?* Jo. i. 1. Si dicitur fuisse Patri in deliciis; Nonne Christus est *υἱὸς ἀγαπητὸς*? Matt. iii. 17. Si a Patre ordinata est et inuncta; Christus nonne præcognitus est ante jacta mundi fundamenta, et unctus ad Officium Mediatorium? 1 Pet. i. 20. Si ante colles edita dicitur; Nonne Christus est ante omnia? Coloss. i. 17. Si per eam Reges regnant; Nonne Christus est Rex Regum et Dominus Dominantium? Apoc. xix. 16. Si Sapientia docet et clamat, homines vocat et hortatur ad resipiscentiam in plateis et semitis, tum per se immediate, tum mediate per puellas; Nonne Christus hoc præstitisse legitur, tum immediate per seipsum, Evangelium prædicans, tum mediate per servos suos Apostolos, quos per totum orbem misit ad vocandos homines ad communionem gratiæ suæ?

XII. Verbum חוללתי non debet verti *formata sum*, ut vellent Vatablus et Pagni., sed *genita sum*, ut Chaldæus et Græci reddunt, quia חולל verbum Pihel a radice חול non modo *parturire* notat, quum de mulieribus

Digitized by Google

dicitur, sed et *gignere*, respectu virorum, ut Buxtorf. explicat in Lexico. Nec si alicubi ad formationem verbum hoc potest referri, ut Ps. xc. 2, Deut. xxxii. 18, sequitur eodem sensu sumi semper debere; cum res de qua agitur hoc non potest pati, ut hic, ubi mentio fit Sapientiæ quæ genita est ante secula. Quum vero LXX. reddunt, ἔκτισε με *creavit me*, vel mendum est pro ἔκτισε, vel ἐκτήσατο, vel hoc fit, quia apud Græcos τὸ κτίζειν creare, et gignere inter se quandoque reciprocantur, Ps. xc. 2, et civ. 31, Deut. xxxii. 18, vel quia Spiritus Sancti mentem ipsi non sunt satis assecuti. Nam τὸ קנה quod hic habetur, verbum est generale quod acquisitionem vel possessionem notat, quæ in specie potest obtineri, vel per creationem, ut Genes. xiv. 19, vel per generationem, Genes. iv. 1, quam postremam significationem hic retinendam esse patet, 1. ex locutionibus variis, quæ hic cumulantur, *in initio viæ*, *ante opera*, *ante secula*, *ante primordia terræ*, &c., quæ descriptionem absolutæ ætatis important, 2. ex verbo חולל quod additur ad possessionem istam explicandam, quod generationem dicit, unde LXX. vertunt γεννᾷ με.

3. Ex Mich. v. 2.

XIII. Tertio, probatur ex Mich. v. 2, ubi *egressus Messiæ dicuntur esse a principio, a diebus æternitatis*, opposite scil. ad egressum ejus temporalem ex civitate Betlehem per nativitatem ex Virgine, ut sic contradistinguatur exitus exitui, generatio generationi, temporalis æternæ. Is enim non potest non esse genitus ex essentia Patris, cujus egressus dicuntur esse a principio, a diebus seculi. Hoc vero Oraculum ad Messiam pertinere, *Jonathan*, Chald. Parap., agnoscit, qui loco τοῦ משל substituit משיחא *Messiam;* et prædicata ipsa evincunt, quia vocatur Dominator in Israël κατ' ἐξοχήν, cui adscribitur vocatio gentium, regnum pastorale, fortitudo Jehovæ, gloria et pax extendenda ad omnes fines terræ, v. 4, 5. Exceptiones variæ quæ afferuntur facile solvuntur. Licet egressus latius pateat generatione, tamen negari non potest generationem esse egressum, ut omnes filii et posteri dicuntur egredi ex femore patrum, et non semel tribuitur Filio, quod a Patre prodierit et egressus sit, Joan. xiii. 3, et xvi. 27, 28, nec potuit prodiisse a Patre nisi per generationem substantialem, cujus egressus præcessit omnem creationem, et productionem e nihilo. Si מקדם alicubi non significat æteraitatem, non sequitur nuspiam eam connotare, quia Deus dicitur esse מקדם Hab. i. 12, ἀπ' ἀρχῆς ab æterno, et Deus vocatur Deus קדם id. æternus, Deut. xxxiii. 27. Ita hic egressus dicitur esse ab initio, id. ab æterno, eoque magis quod additur alia phrasis eodem pertinens ad ἐκπορεύσεις, מימי עולם a *diebus seculi*, licet enim עולם et קדם seorsim sumpta tempus quandoque notent, juncta tamen ut hic, æternitatem significant. Audax vero est corruptela hoc referre ad antiquitatem familiæ Christi, quia ortus est a Davide Betlehemita, qui jam olim vixit; Quia non agitur de antiquitate familiæ Dominatoris, sed Dominatoris ipsius, ut non tantum fuerit in remotissima potentia ad nascendum, sed ut de facto extiterit. Nec melius dicitur fuisse ab initio, ratione prædestinationis, quia ab æterno fuit decretum apud Deum Ducem illum aliquando ex stirpe Davidica proditurum; quia Propheta non loquitur de decreto Messiæ aliquando exhibendi, sed de actuali ejus egressu; alias omnium rerum egressus dicendi essent æterni, quia decreti.

4. A Filiatione Christi.

XIV. Quarto, demonstratur ex *Filiatione Christi*, quæ ut maxime propria et plane singularis est, necessario inferre debet communicationem essentiæ a Patre modo perfectissimo, nim. per generationem; Ideo non modo vocatur ὁ υἱὸς *Filius* κατ' ἐξοχήν, Hebr. i. 5, et Matth. xvi. 16, *Tu es Christus Filius ille Dei vi-*

Digitized by Google

ventis, sed etiam *Filius proprius*, Rom. viii. 32, *qui proprio Filio non pepercit*, qui proprium habet Patrem, Joan. v. 18, qui proinde ex essentia genuit Filium; *Filius Unigenitus*, Jo. i. 14, *Vidimus gloriam ut unigeniti*, et 18, *Unigenitus qui est in sinu Patris*, et Matt. iii. 17, *summe dilectus*. Jam si Filius tantum diceretur propter gratiosam communicationem existentiæ et gloriæ, respectu naturæ humanæ, sive in miraculosa conceptione, sive in resurrectione et exaltatione, sive in vocatione, non posset vel proprius, vel unigenitus vocari Dei Filius, quia Filiatio ista et aliis posset competere, si non in eodem gradu, at in eodem genere. Nam et *Angeli Filii* vocantur propter excellentiam naturæ, et *Magistratus* propter dignitatem muneris, et *Adamus* propter miraculosam creationem, et *Fideles* tam propter adoptionem et regenerationem, quam resurrectionem. Ergo necesse est dari aliquem alium filiationis modum illi proprium et singularem, qui non alius potest esse quam per generationem, ut per naturam obtineat quod per gratiam cæteris confertur, quod urget Apost. Hebr. i. 5, ubi docet Christum ita esse Filium, ut ipsius respectu, ne Angeli quidem, sint aut dici possint Filii.

XV. Quum Christus dicitur visus ὡς μονογενὴς *ut unigenitus Patris*, Johan. i. 14, τὸ ὡς non est *assimilativum*, quasi similis tantum esset unigenito; sed est *expressivum veritatis*, ut sæpe alibi, 2 Cor. iii. 18, Luc. xxii. 44, 1 Cor. iv. 1, quia fuit revera talis; quod vel ex eo colligitur, quod dicitur fuisse in principio apud Deum, imo et fuisse Deus, per quem omnia creata sunt. Nec si Christus habet multos fratres Rom. viii. 29, desinit esse unigenitus κατ' ἐξοχὴν, quia genitura plane est dissimilis, et toto genere diversa, non mystica sed naturalis, non per qualitatum expressionem, sed per essentiæ ipsius communicationem. *Isaacus* vocatur *unigenitus* Heb. xi. 17, non simpliciter, sed secundum quid, quia solus ex Sara libera in legitimo conjugio Abrahæ genitus, eoque solus hæres factus: Quamvis autem μονογενὴς, et ἀγαπητὸς de eodem subjecto enuncientur, Gen. xxii. 2, Matth. iii. 17, non sequitur absolute æquipollere, alias quicunque sunt ἀγαπητοὶ Θεοῦ, possent etiam dici μονογενεῖς παρὰ πατρὸς, quod falsum.

XVI. Christus dicitur *proprius Filius Patris*, non tantum quatenus opponitur *alieno*; ut vere Patris intelligatur, quia sic non distingueretur a fidelibus, qui etiam hoc sensu proprii Filii Dei dici possunt, quia non sunt alieni; sed quatenus opponitur *adoptivo* et metaphorico; ut dicatur naturalis Filius, qui talis est, naturæ ipsius privilegio, non adoptionis tantum gratia et beneficio, opposite ad fideles, qui Filii sunt adoptivi Eph. i. 5; eo modo quo Pater dicitur *proprius ejus Pater*, Jo. v. 17, non qualicunque ratione sed maxime propria, quia Judæi voluerunt hoc audito lapidibus illum obruere quasi blasphemasset, quod non fecissent, si de paternitate tantum adoptiva locutus fuisset.

5. Ex Col. i. 15. Heb. i. 3.

XVII. Quinto, Quia est *Imago Dei invisibilis*, Col. i. 15, et ἀπάυγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *Effulgentia gloriæ Patris, et character Personæ ejus*, Heb. i. 3. Illa enim debet esse vera generatio, cujus terminus is est, qui est imago gignentis, et character ipsius Personæ, qualis dicitur Christus. Nec sine causa Paulus jungit hic ἀπάυγασμα et χαρακτῆρα, ut veritas et perpetuitas imaginis notetur; Non est tantum *splendor* qui cito transit, sed *character* qui semel impressus semper manet. Nec hic opponi debet, hominem esse imaginem Dei, nec tamen ex ejus essentia genitum; Quia alia est *imago accidentalis* et analogica, quæ in virtutum similitudine consistit, qualis est in homine respectu Dei, qui hoc sensu dicitur particeps naturæ

Digitized by Google

divinæ, 2 Pet. i. 4, alia vero *essentialis* et naturalis, qualis est Patrum in filiis, qui ejusdem sunt cum illis naturæ; qualis est in Christo, qui ideo non tantum similis, sed etiam æqualis Patri dicitur. Licet autem Christus sit imago Dei hypostatice considerati, id. Patris, et ejusdem cum eo essentiæ, non sequitur esse sui ipsius imaginem, quia potest esse imago alterius, quoad modum subsistendi, qui ejusdem cum illo est essentiæ: Non potest esse eadem persona cum illo cujus est imago, sed nihil impedit quin possit esse idem essentia. Quamvis etiam diceretur imago Dei, qua ἀπαύγασμα, et ratione Officii Mediatorii, quia perfecte refert nobis Patrem, ut qui videt ipsum, videat et Patrem, Jo. xiv. 9, non excluditur tamen, sed supponitur ratio imaginis essentialis, quatenus est Λόγος, quia substantialis illa imago fulsit in Christo incarnato, et quasi in speculo in ipso eluxit divinæ virtutis imago clarissima, unde dicitur Θεὸς φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ, *Deus manifestatus in carne*, 1 Tim. iii. 16.

XVIII. Non potest Christus dici *Filius Dei viventis* ratione *unctionis vel muneris*, quasi nomen Christi et Filii Dei coinciderent, quia expresse a Domino distinguuntur. Nec ideo Christus Filius Dei viventis dicitur, quod esset Messias, sed contra inde agnoscitur pro Messia, quod esset Dei Filius, qui solus huic muneri potuit esse par: Hinc fit, ut, quia ista duo indivulso nexu inter se sunt conjuncta, nemo possit confiteri Jesum Messiam, quin eo ipso agnoscat eum ut Filium Dei viventis, et vice versa. Christus enim, et Filius Dei, eandem designant personam, sed non eandem rem in eadem persona: *Filius* enim *personam*, *Christus* vero *officium exprimit*. Nec addi debet, fideles sæpe vocari filios Dei viventis, quos tamen coëssentiales Deo nemo dixerit, Hos. i. 10; Gal. iii. 26; Rom. viii. 14. Quis enim nescit aliam esse longe fidelium filiationem, quorum nemo potest μονογενὴς et proprius Dei Filius vocari, per adoptionem scil. gratuitam, quæ est in Christo, ab ea qua Christus κατ' ἐξοχὴν dicitur Filius Dei viventis, per antithesim ad filium hominis morientis, ut aliquid longe præstantius; ut innuat Petrus se cum cæteris discipulis non habere illum tantum pro Filio hominis, qualem alii eum existimabant, qui eum vel Eliam, vel unum ex Prophetis, vel Johannem Baptistam esse censebant; sed Filium etiam æterni illius Dei qui semper vivit et nunquam deficit: ut ergo ejusdem erat cum matre naturæ, qua Filius hominis; sic necesse est ut ejusdem etiam sit cum Patre naturæ, qua Dei viventis Filius.

XIX. Quamvis Christus diceretur ἀπαύγασμα τῆς δόξης et χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Patris ratione muneris Mediatorii, et ut est ἀπαύγασμα, quia perfectissime Pater sui imaginem in ipso expressit, et sigillo suo veluti obsignavit, Joh. vi. 27, non obstaret tamen hoc quominus et hoc ipsi tribueretur, qua Λόγος est, et ratione Filiationis æternæ, secundum quam est *lumen de lumine, et Deus de Deo*, ut Concilium Nicænum loquitur, et characterem expressissimum gerit in seipso Personæ Patris, quo ita differt ab eo secundum subsistentiam, ut conveniat cum eo secundum essentiam; Imo illa σχίσις non posset locum habere nisi ista supposita, quia non potuisset per Incarnationem gloriam Dei, et characterem ejus Personæ nobis exhibere, nisi talis fuisset antea per æternam generationem.

Fontes Solutionum.

XX. Christus diversimode *primogenitus* dicitur, 1. ratione *temporalis nativitatis*, quando vocatur *primogenitus Mariæ*, quia nemo ante ipsum natus est, et nemo post ipsum. 2. ratione *resurrectionis*, Col. i. 18, *primogenitus ex mortuis*, tum quia primus resurrexit, non tam *prioritate temporis* quam *causalitatis*, quia propria virtute resurrexit, Jo. ii. 19, alii vero omnes virtute aliena, nim. Christi; tum quia resurrexit ad vitam immortalem, non denuo moriturus.

Digitized by Google

3. ratione *authoritatis* et *dominii*, quomodo vocatur *primogenitus omnis Creaturæ*, Col. i. 15, et inter multos fratres, Rom. viii. 29, quia omnes prærogativæ primogenitorum, Regnum, Sacerdotium, dupla portio illi propriisime competunt. 4. ratione *æternæ generationis*, quum dicitur *primogenitus Dei*, Heb. i. 6, quia a Patre ab æterno genitus πρὸ πάσης κτίσεως μονογενῶς γεννηθεις, ut habent Scholia Græca. Nec Primogenitus semper debet esse ex numero eorum quorum primogenitus dicitur, cum sæpe unigenitum notet, ante quem nemo fuit, et post quem nemo venturus est: Sic Christus primogenitus omnis Creaturæ dicitur, non quod sit primus Creaturarum, sed quia ante Creaturas genitus est, ut hic non connumeratio cum Creaturis sit intelligenda, sed antecessio et præexistentia; nam si est ante Creaturam omnem, non debet inter Creaturas recenseri, atque ideo æternus sit necesse est.

XXI. Pater nec genuit Filium *jam existentem*, quia jam ante supponeretur fuisse, nec *nondum existentem*, sic enim non foret æternus, sed *coëxistentem*, quia ab æterno fuit cum Patre. Itaque divisio valet tantum in generationibus physicis, ubi genitum transit a non esse ad esse; sed non potest accommodari generationi huic hyperphysicæ, quæ est actus æternus æterni Patris, a quo Filius emanat, et in quo immanet sine omni præcisione, coëxistendo. Unde Filius non fuit proprie ante generationem, nec cœpit esse per generationem, sed semper emanavit a Patre actu æterno et interno, ad modum radii a Sole jugiter emanantis, licet modo eminentiori inexplicabili. 2. Deinde per generationem communicatur Essentia Divina genito, non ut *existat*, sed ut *subsistat*, adeo ut illa non terminetur ad existentiam absolutam, sed ad modum subsistendi, nec per eum constituatur Deus absolute, sed Filius relate.

XXII. *Necessarium* et *voluntarium* utcunque in Deo quoad nostrum concipiendi modum distinguantur, realiter tamen non opponuntur. Unde Pater necessario et voluntarie Filium genuisse dicitur; necessario quia natura genuit, ut est natura Deus, sed voluntarie, quia non coacte, sed lubenter genuit; non *voluntate antecedente*, quæ notat actum volendi liberum ad extra, sed *concomitante*, quæ notat naturalem volendi in Deo facultatem; non libertate *indifferentiæ*, sed *spontaneitatis*.

XXIII. Licet Filius a Patre genitus dicatur, non sequitur *Filium fore sui ipsius Filium*, quia Essentia non generat Essentiam, sed Persona Personam; Pater Filium, qui ab ipso est *alius*, licet non *aliud*.

XXIV. Quod est perfectissimum non generat *aliud* a se essentialiter, sed *alium* a se personaliter. Nam Essentia Patris est Essentia Filii et Spiritus Sancti, licet esse Patrem non sit esse Filium, aut esse Spiritum S. Unde *unum* manet semper perfectissimum, nimirum Deus, licet non sit unica Persona, quia tribus suppositis est communicabile, non essentia diversis, sed relatione characteristica distinctis.

XXV. Quum Filius dicitur unus esse cum Patre Deus, et tamen esse distincta Persona ab ipso, nulla est contradictio; quia licet eandem essentiam habeat, secundum quam unus cum Patre Deus dicitur, non habet tamen eam cum eodem modo subsistendi: Nec si in finitis et creatis ad diversam personam diversa requiritur essentia, continuo hoc in Divinis locum habet, ubi Essentia eadem numero et singularis, potest tamen pluribus esse communicabilis, quia infinita.

XXVI. Licet *fideles* dicantur *gigni*, vel *nasci ex Deo*, propter similitudinem virtutum, et non per essentiæ communicationem; non sequitur eodem sensu hoc intelligi de Christo, quia agitur de propria generatione, per quam Filius est proprius et unigenitus Dei.

Digitized by Google

XXVII. Miraculosa conceptio Christi potest esse argumentum a posteriori, quo cognoscitur ejus æterna Filiatio, sed non statim est ejus causa a priori. Ita intelligenda sunt Angeli verba ad B. Virginem, Luc. i. 35. *Ideo quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi particula διὸ est nota consequentiæ, non consequentis, *signi* cur sit vocandus Filius Dei, non *causæ*, quia antequam conciperetur, jam fuisse dicitur, Jo. i. 1, Phil. ii. 6; unde non dicit simpliciter *erit*, sed κληθήσεται *vocabitur*, id. manifestabitur.

XXVIII. Non ideo Filius Dei dicitur Christus, quia a Patre sanctificatus, Jo. x. 36, alias enim Filiationis rationes addit, tum ab unitate essentiæ, v. 30, tum ab identitate operum, v. 38; sed ideo sanctificatus est, id. ad munus Mediatorium consecratus, quia Filius fuit, quod alias sustinere non potuisset: Nec ideo Filius, quia dilectus Matt. iii. 17, sed ideo dilectus, quia Filius, ut verborum series docet.

XXIX. Cum Generatio ista hyperphysica sit diversissima a generationibus physicis et finitis, perperam Adversarii ex istis ad illam argumentantur, quasi ulla vel mutatio, vel imperfectio, vel alienatio, vel prioritas naturæ aut temporis in Deum propterea caderet, quia omnis generatio substantialis est mutatio a non esse ad esse, quia omnis genitus est posterior gignente, quia qui gignit partem substantiæ alteri communicat, et genitus essentialiter est diversus a gignente: Hæc enim et similia quæ petuntur ex generatione humana, male trahuntur ad generationem divinam per μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Nec si conferuntur generationes istæ inter se, propterea coæquantur: imo dum quicquid perfectionis occurrit in generationibus finitis illi tribuitur, ut quod gignens gignat sibi simile, per communicationem essentiæ, quicquid imperfectionem aliquam notat, sedulo ab ea est removendum.

XXX. Frustra se fatigant Scholastici in *modo generationis* istius inquirendo et explicando, cum sit non modo ineffabilis, sed et ἀκατάληπτος ipsis Angelis. "Indecorum est quærere," inquit Athanasius contra Arian. "quomodo ex Deo Verbum sit, aut quomodo sit Dei splendor, aut quomodo gignat Deus, et quis sit modus generationis Dei. Insaniret enim qui talia auderet, quoniam rem ineffabilem et propriam divinæ naturæ, et duntaxat ipsi ac Filio suo cognitam verbis interpretari conaretur." Et Hilar. lib. iii. de Trini. "Ut inenarrabilis est Pater in eo quod ingenitus est; Ita enarrari Filius in eo quod unigenitus est non potest, quia ingeniti est imago qui genitus est."

XXXI. Similitudines quæ adhiberi solent ad hujus Mysterii explicationem, petitæ vel a *Mente*, quæ se ipsam intelligendo, sui imaginem et ideam excitat in seipso, quæ in mente semper manet unde manat; vel a *Sole*, a quo jugiter emanant radii, ut nec sit ante illos, nec absque illis; possunt utcunque facere ad Mysterii istius illustrationem, eoque magis quod Scriptura ad eas non semel videtur respicere, quum Filium Dei vocat Λόγον, *Sapientiam*, *Imaginem Dei*, Et ἀπαύγασμα δόξης *splendorem gloriæ Patris:* Sed plenam et accuratam modi generationis istius determinationem exhibere nequeunt. Unde hic, si uspiam, sobrie nobis est sapiendum, ut contenti τῷ ὅτι, quod clarum est in Scriptura, de modo isto plane nobis incomprehensibili definiendo, vel etiam inquirendo anxie non cogitemus, sed Deo, qui solus se perfectissime novit, illum relinquamus.

Digitized by Google

QUÆSTIO XXX.

www.libtool.com.cn

DE SPIRITUS. S. DEITATE.

An Spiritus S. sit Persona Divina, a Patre et Filio distincta? Affir.

I. Ut Anti-Trinitarii Filio non denegant personalitatem, sed æternitatem: Ita Spiritui Sancto æternitatem non detrahunt, sed personalitatem. Quemadmodum ergo æternitatem Filii jam evicimus; Personalitas Spiritus adversus eosdem jam est demonstranda.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur de Spiritu οὐσιωδῶς considerato, quo sensu Deus dicitur *Spiritus*, Jo. iv. 24, et natura divina Christi sæpe eo nomine venit, 1 Tim. iii. 16, 1 Pet. iii. 18, 19, hoc enim tribus Personis ex æquo competit; Sed prout ὑποστατικῶς spectatur, et unam ex illis singulariter designat.

III. Non quæritur; An iste Spiritus, qui Sanctus dicitur κατ' ἐξοχήν, non tantum subjective, quia est sanctissimus, sed etiam efficienter, quia nos sanctificat, sit res vel Creatura aliqua, vel virtus quædam Dei, ut cætera attributa, hoc enim non diffitentur Adversarii; Sed, An sit Persona Divina, a Patre et Filio non divisa, sed distincta. Negant Pneumatomachi tam veteres quam recentiores; Nos affirmamus.

Spiritus S. est Persona Divina.

IV. Rationes sunt. 1. Quia Spiritui S. *actiones personales* variæ tribuuntur; ut docere, Jo. xiv. 26, testari, Joan. xv. 26, Rom. viii. 16, revelare futura, 1 Tim. iv. 1, scrutari profunda Dei, 1 Corinth. ii. 10, separare aliquos, et expresso mandato ad ministerium illos mittere, Is. lxi. 1, Act. xiii. 2, et xx. 28, creare, Gen. i. 2, fœcundare Virginem sterilem, Luc. i., operationes omnis generis exercere, et dona tam ordinaria quam extraordinaria hominibus conferre, 1 Corinth. xii. 11. *Omnia hæc agit unus ille et idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis, sicut vult*, ubi quod de Deo dixerat, v. 6, quod operetur omnia, ὁ δὲ αὐτός ἐστι Θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα, applicatur Spiritui Sancto, πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, quod dici non posset, nisi Spiritus Sanctus Persona esset Divina ejusdem ordinis et virtutis cum Patre. Nec excipi debet rebus sæpe tribui quod Personarum est, nec tamen propterea res ipsas personas censeri; ut peccato quod deceperit et occiderit, Rom. vii. 11; Legi quod loquatur, Rom iii. 19; Charitati quod omnia credat et speret, 1 Cor. xiii. 7; Sanguini Abelis quod clamet, Gen. iv. 10. Nam nemo non videt loca allata non notare agendi principales causas, sed media, quibus per usitatam metalepsim actio principalis agentis adscribitur; nec enim proprie peccatum decipit, sed diabolus per peccatum, nec active occidit, sed meritorie. Lex proprie non loquitur, sed Legislator in Lege, vel per Legem. Charitas credit, id. homo charitate imbutus. Sanguis clamat, non effective, sed objective. At quæ tribuuntur Spiritui Sancto, sic Personarum sunt, et viventium, ut in Scriptura ad res inanimatas non transferantur.

V. Non melius elabuntur, qui hoc ad *Prosopœiam* referunt, quia Prosopopœiæ subjectum ordinarie solet esse res aliqua corporea, vita vel sensu carens, ut quum cœli audire jubentur, et flumina plaudere manibus; quod in Spiritum Sanctum non quadrat. 2. Quia si figurate locuta esset Scriptura in uno vel altero loco de Spiritu S., alibi hoc propriis verbis explicuisset, quod non facit tamen, imo constanter de illo ita loquitur. 3. Si

Digitized by Google

mens Adversariorum valeret, tota historia Evangelica in jejunas allegorias facile posset transformari, et quæcunque de Christo dicuntur pari modo ad virtutem Sapientiæ transferri. 4. Licet quædam locutiones figuratæ occurrerent in Scriptura respectu rerum aliarum, non sequitur, quicquid de Spiritu S. legitur, figurate et per prosopopœiam debere intelligi, collatio enim locorum disparitatem facile ostendit.

VI. Secundo, Quia proponitur non tantum ut distinctus a Patre et Filio, sed etiam ut *alius*, et missus ab utroque, Jo. xiv. 16, et xv. 26, et xvi. 7. *Rogabo Patrem, et* alium *Paracletum dabit vobis.* Nemo autem dixerit aliquem, alium a Patre et Filio vocari, et ab illis mitti, qui tamen Persona pariter cum ipsis non fuerit. Adde nomen *Paracleti* quod illi tribuitur, quod ut officium personale in Christo innuit, 1 Jo. ii. 1, quatenus apud Patrem Intercessorem et Patronum nostrum agit, causam nostram disceptando, idem etiam debet notare in Spiritu S. ut sit personaliter Patris et Filii Paracletus apud nos, id est *Interpres* eorum, Consiliarii et Consolatoris munus in nobis obeundo. Tertio, hoc docet enallage generis, qua utitur Scriptura, dum πνίματι, quod est neutrius generis, conjungit pronomen masculinum personæ denotandæ magis accomodum: Jo. xvi 13. ὅταν ἔλθη ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Et Eph. i. 13, 14, dicimur obsignari τῷ πνίματι ἁγίῳ ὅς ἐστιν ἀρραβὼν, &c. Cur enim talis enallage usurpetur a Scriptura causa nulla reddi potest, nisi ut clarius Persona Spiritus S. hoc pacto designaretur.

VII. Tertio, Quia æquali potestate, et authoritate ac virtute in obsignandis fidelibus, et conferendis Ecclesiæ bonis, concurrit cum Patre et Filio, qui indubitate sunt Personæ distinctæ; ut patet in Baptismi formula præscripta, Matt. xxviii. 19, benedictione Apostolica, 2 Cor. xiii. 14, et testificatione de Christo, 1 Jo. v. 7, quod fieri non posset, nisi Persona esset ab illis distincta, et cum illis ejusdem conditionis et authoritatis. Exceptiones Adversariorum supra sunt discussæ, Quæstione de *Trinitate.*

VIII. Quarto, Quia sub specie visibili apparuit, ut in Baptismo Christi sub specie columbæ, Matt. iii. 16, et die Pentecostes in specie linguarum, quæ visæ sunt Apostolis dispertitæ instar ignis insidentis super Apostolos, Act. ii. 3. Personarum est, non attributorum aut accidentium, visibiles species assumere, et in, vel cum, vel sub ejusmodi formis apparere. Nec nisi absurde quis dixerit justitiam aut misericordiam Dei, vel aliquam aliam virtutem per visibilem formam se conspiciendam præbuisse. Nec reponi debet non omne quod apparet, per se subsistens esse, siquidem accidentia apparent, nec tamen per se subsistunt. Nam licet certum sit accidentia immediate in oculos incurrere, supponunt tamen semper rem substratam, aut Personam. Unde sub specie ista visibili, aliquod subsistens fuisse oportet, quod textus Spiritum Sanctum fuisse asserit, et a Personis Patris et Filii in Baptismo Servatoris expresse distinguit. Nec dici potest linguas igneas ad Spiritus Sancti dona esse restringendas; Textus enim manifestam notat Spiritus a donis ejus distinctionem; *Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus* ille *Sanctus*, quo erant repleti, *dabat illis loqui*, v. 4.

IX. Quinto, Quia in Spiritum Sanctum peccatur; hinc mentio fit Israëlitarum qui exacerbarunt Spiritum Sanctitatis, Is. lxiii. 10, et blasphemiæ in Spiritum S. tanquam peccati irremissibilis, Matth. xii. 31, 32, et Ananiæ et Sapphiræ, qui mentiri dicuntur Spiritui Sancto, Act. v. 3, unde statim pœnas dederunt sui criminis. Is autem adversus quem peccamus, non potest non esse Persona divina. Nam ut solus Deus est objectum cultus et adorationis; Ita proprie et ultimate solus est peccati objectum. Et ut blasphemia quæ in Patrem et Filium dirigitur, supponit eos esse Personas;

Digitized by Google

Ita et blasphemia quæ in Spiritum Sanctum fertur; Imo eo certius hoc evincitur, quod blasphemia in Spiritum Sanctum longe gravius censetur crimen, utpote irremissibile, quod neque in hoc seculo, nec in futuro remittitur, id. nunquam, ut Marcus interpretatur; quod dici non posset, nisi Persona esset. Licet autem in Scriptura nonnulla dicantur blasphemari, quæ non sunt Personæ, ut *Bonum nostrum*, Rom. xiv. 16; *Doctrina*, 1 Tim. vi. 1; *Dei Sermo*, Tit. ii. 5; *Via veritatis*, 2 Pet. ii. 2; Non sequitur idem de Spiritu S. dici posse; quia res semper dicuntur blasphemari relate ad Deum ipsum; sic nostri boni blasphemia est Dei ipsius offensio, a quo bonum illud accepimus; doctrinæ et sermonis blasphemia, in Deum ipsum ejus authorem refunditur. Sed blasphemiæ in Spiritum Sanctum alia ratio est, quia expresse distinguitur a blasphemia in Patrem et Filium.

X. Perperam vero dicitur Ananias mentitus Spiritui S. ceu Dei dono, quo pollebat Petrus, non vero ceu Personæ Divinæ. Nam mentiri nemo potest alicui, nisi ut Personæ intelligenti et viventi, unde v. 4, Petrus inquit, *non mentitus es hominibus, sed Deo*, mentiendo scil. Spiritui Sancto, quod explicatur v. 9, per τὸ πυράζεσθαι, *tentare Spiritum Sanctum*, quod de Persona tantum dicitur. Quamvis vero τὸ ψεύδεσθαι cum accusativo potius esset fallere et decipere, quam mentiri, (quod non simpliciter potest dici, siquidem verbum hoc non modo cum dativo, sed etiam cum accusativo in eo significatu jungitur, Prov. xiv. 5, et Isa. lvii. 11,) res tamen eodem rediret, cum æque Persona is debeat esse quem alii fallere student, ac is cui mentiri conantur.

XI. Sexto, hoc evincit Spiritus S. distinctio a donis suis, quæ toties proponitur. Cur enim Scriptura tam sollicite distingueret Spiritum a donis suis, si nihil aliud esset quam aliquod Dei donum? Certum est quidem non raro Spiritum pro donis sumi, sed constat etiam alibi ab illis expresse distingui, tanquam eorum authorem et causam efficientem, *Discrimina sunt donorum, sed idem Spiritus*, 1 Cor. xii. 4, et v. 8, *Huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii vero sermo cognitionis*, &c. et v. 11, *Omnia ista operatur unus et idem Spiritus, distribuens sigillatim unicuique sicut vult.* Et ne quis putet esse virtutem aliquam seu potentiam Dei ipsi per modum attributi competentem, Scriptura δύναμιν a Spiritu distinguit, Luc. iv. 14. *Christus dicitur recessisse a deserto in virtute Spiritus*, et Act. i. 8, *Accipietis*, inquit Christus, *virtutem Spiritus Sancti supervenientis*, ubi δύναμις effectum, Spiritus vero causam et principium ejus notat, Personam scil. hac virtute præditam, quam in alios diffundit.

Divinitas Spiritus S. probatur, 1. ex Nominibus.

XII. Spiritum Sanctum autem non esse Personam tantum, sed Personam Divinam, ex quatuor argumentis, quibus Divinitatem Christi probavimus, firmissime potest evinci; Quia Nomina, Attributa, Opera, et Cultus Dei illi tribuuntur. *Nomina* quidem, quia quod de Jehova exercituum dicitur, Is. vi. 9, applicatur Spiritui Sancto, Act. xxviii. 25. *Bene locutus est Spiritus Sanctus per Isaiam dicens, Vade ad Populum illum*, &c., et qui vocatur Spiritus Dei, is statim dicitur Deus, et Rupes Israëlis, 2 Sam. xxiii. 2. *Spiritus Jehovæ locutus est in me, et sermo ejus per linguam meam, dixit Deus Israëlis, mihi locuta est Rupes Israëlis.* Eo pertinet quod Ananias dicitur mentitus Deo, quia mentitus est Spiritui Sancto, ut supra visum, et quod Fideles Templa dicuntur esse Dei viventis, quia sunt Templa Spiritus Sancti, qui in ipsis habitat; *An nescitis corpus vestrum esse Templum Dei, et Spiritum Dei habitare in vobis?* 1 Cor. iii. 16, et vi. 19. Cum vero Templum et Divinitas sint relata, non potest non esse Deus ille, cujus

Digitized by Google

Templum dicimur. Nec hoc tantum præsentiæ vel habitationis respectu intelligi debet; non enim quæcunque inhabitari dicuntur, eo ipso Templa sunt, et nunquam vocamur Templa Verbi divini, quod tamen in nobis copiose habitare debet. Sed Templum involvit necessario relationem cultus religiosi ejus, cui erectum est. Unde *Aug.* libr. i. cont. Maxim. *Si sacrilegi essemus faciendo Templum cuicunque creaturæ, quomodo non est verus Deus, cui non Templum facimus, sed nos ipsi Templum sumus?*

2. Ab Attributis.

XIII. Secundo, *Attributa divina* illi competunt: *Æternitas*, quia erat jam in principio creationis, *Ferebatur* enim *super aquas*, Gen. i. 2; qui autem rerum omnium creationem antecessit, ipse creatus non est, ac proinde æternus. *Omniprœsentia* et *Immensitas*, Ps. cxxxix. 7, 8, *Quo irem a Spiritu tuo?* Quod ad præsentiam essentiæ referendum esse, et non virtutis tantum, supra probatum, Quæst. de *Immensitate Dei.* 1 Cor. iii. 16, *Spiritus S. habitat in vobis;* non utique per efficaciam tantum suam, sed etiam per essentiam, quia ibi est, ut Deus in Templo suo. *Omniscientia*, quia *scrutatur profunda Dei*, 1 Cor. ii. 10, non *effective*, quia facit nos scrutari, nostrum enim non est scrutari τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, ne opprimamur a gloria, Prov. xxv. 27; sed *subjective* et *formaliter*, quia eodem modo se habere dicitur ad ea quæ sunt Dei, quomodo spiritus hominis se habet ad ea quæ sunt hominis, proprie et formaliter per operationes suas reflexas scrutando interiora cujusque: Et scopus Apostoli eo nos ducit, qui est probare solum Dei Spiritum omniscium, et omnia scrutantem, posse nobis certo retegere ea quæ Deus paravit diligentibus se, quæ alioquin nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ascenderunt in cor hominis, v. 9. Scrutari autem dicitur, non inquirendo, quod dubitationem aliquam in eo supponeret, sed *penetrando*, quomodo Deus dicitur scrutari corda et renes. Eo pertinet quod dicitur *futura annunciare*, Joh. xvi. 13, quod est solius Dei; et quod per eum Prophetæ qui futura prædixerunt locuti sint, 2 Pet. i. 21. *Omnipotentia*, quia *Virtus Altissimi* dicitur, Luc. i. 35, non essentialis simpliciter, sed personalis. *Vita*, quia est Spiritus vivificus, 1 Cor. xv. qui vivificat mortalia corpora nostra, Rom. viii. 11.

3. Ab Operibus.

XIV. Tertio, *Opera*, tum *Naturæ*, Creatio, Gen. i. 2, Psal. xxxiii. 6; conservatio et gubernatio, Psal. civ. 30; Patratio miraculorum, Matth. xii. 28, 1 Cor. xii. 4. Tum *Gratiæ*, Christi conceptio, Luc. i. 35; Unctio et missio, Isa. lxi. 1; Peccatorum remissio et regeneratio, 1 Cor. vi. 11, Joh. iii. 5; Gubernatio Ecclesiæ, Act. xiii. 2, et xv. 28, et xx. 28; Prædictio futurorum, Joh. xvi. 13, Act. xi. 28; Collatio donorum, 1 Cor. xii. 7; Illuminatio, Eph. i. 17, 18; Sanctificatio, 2 Thess. ii. 13, et 1 Pet. i. 2; Mortuorum resurrectio, Rom. viii. 11.

4. A Cultu.

XV. Quarto, *Cultus* illi divinus tribuitur, quia baptizamur in ejus nomine non minus quam Patris et Filii; in ipsum credere jubemur in Symbolo, non minus ac in Patrem et Filium; ab ipso gratiam et pacem, cæteraque beneficia non minus petimus, quam a Patre et Filio, 2 Cor. xiii. 13, et Apoc. i. 4, ubi petitur gratia et pax a *septem Spiritibus qui sunt ante thronum:* Spiritus enim S. sic describitur, non respectu personalitatis, quæ unica est, sed respectu septemplicis, id est, multiplicis donorum varietatis, quæ ipse effundit in fideles, et septenario numero utitur, non modo propter ejus perfectionem, sed allusive ad septem Ecclesias ad quas scribit, ut innuat donorum suorum copia se illis affatim prospecturum, ac si singulis Ecclesiis singularis Spiritus daretur. Nec dici potest per septem Spiritus illos, non Personam intelligi, sed medium exprimi, quo gratiam et pacem a Patre proficisci vult Apostolus; quia eodem modo a Spiritibus gratiam petit, quo a Patre, ἀπὸ πνευμάτων

Digitized by Google

tanquam a principio et causa. Ita quia Templum sumus Spiritus S., Paulus colligit nobis esse glorificandum Deum in corpore et animo nostro quæ sunt Dei, 1 Cor. vi. 20; quem Deum? nempe illum cujus Templum sumus, non excludendo quidem Patrem et Filium, sed œconomice designando Spiritum S., quem invocare, est glorificare. Unde Act. iv. 24, 25, Spiritus qui loquitur per Prophetas invocatur ab Ecclesia, *Domine, tu es Deus ille qui fecisti cœlum et terram, qui per os Davidis servi tui dixisti;* quo exemplo et vetus Ecclesia semper eum invocavit, hymno de Spiritu S., *Veni Creator Spiritus*, &c., Et *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui S.*, &c.

XVI. Si Scriptura rarius meminit adorationis et cultus Spiritus Sancti, hoc non fecit, quod non sit coadorandus cum Patre et Filio; nam non desunt istius adorationis præcepta et exempla: Sed quia in œconomia salutis, quæ ordini Personarum respondet, ut Pater operatur per Filium, et Filius per Spiritum S.; Ita gloria Divinitatis, quæ est ex adoratione, a Spiritu S. qui excitat preces in cordibus Fidelium, per Filium tanquam Mediatorem ad Patrem refertur. Hac de causa proponitur sæpius ut author et *principium* precum, quam ut *objectum* ad quod dirigantur; ut ille qui potius invocat, id est nos invocare facit, quam qui invocetur.

Fontes Solutionum.

XVII. *Donum Dei* οὐσιωδῶς considerati, non potest esse Deus; sed nihil obstat, Donum Dei personaliter sumpti esse Personam divinam, quomodo Christus, qui est Persona divina, vocatur tamen donum Dei, Joh. iii. 16, et iv. 10, et Is. ix. 6. Ita Spiritus S. potest vocari donum Dei. Nec repugnat semper, ut aliquis sit, et donum, et donator suiipsius, cum Christus ipse seipsum det pro nobis, et nobis in alimentum vitæ æternæ, *Panis quem ego dabo, Caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*, Joh. vi. 51.

XVIII. Si quædam quandoque tribuuntur Spiritui S. quæ minus congruere videntur personæ, ut quod eo *ungamur*, *baptizemur*, et *repleamur*, quod *effundatur* a Deo et nobis detur; ista de donis ejus in nobis intelligenda sunt; supposita tamen Personæ ejus veritate: et Christus non minus dicitur indui, recipi, manducari a nobis, et nobis a Deo dari, citra Personalitatis suæ præjudicium.

XIX. Μερισμοὶ Spiritus, Heb. ii. 4, non tam sonant *passive* partitiones Spiritus, quam *active* distributiones donorum quorum fit mentio, quæ fiunt a Spiritu S. qui dona sua distribuit quibus vult, 1 Cor. xii. 11. Licet ergo distributionem donorum Spiritus S. agnoscamus, tamen ipsius Personæ Spiritus S., quæ in se indivisa est, et divisa a quolibet alio, divisionem aut partitionem negamus.

XX. Ut Spiritus Sanctus sæpe metony. ponitur pro donis suis, ita dicitur vel augeri vel minui, non ratione principii, sed donorum quæ in homines diffundit. Ita Deus dicitur de eodem Spiritu, quem contulerat Mosi, id. ex iisdem donis et gratiis, quæ erant necessariæ Reip. illi regendæ, seposuisse quod daret 70 Senioribus, ut in partem illius sollicitudinis venirent, Num. xi. 17. Elizæus *duplicem Spiritum* pro se petit, 2 Reg. ii. 9, id. charismata duplo majora iis quæ in aliis Prophetis vulgo cernebantur, vel duplam portionem donorum Spiritus, id. magnam copiam, ad sustinendum magnum et difficile munus quod illi demandabatur. Quod si vocatur *virtus* et *spiritus Eliæ*, Luc. i. 17, non *originaliter*, sed *subjective* hoc est intelligendum, quia in Elia residebat.

XXI. Verus Deus non potest *mitti* per *imperium*, quia se superiorem non agnoscit; sed potest mitti per *consensum*, quod diversitatem quidem officii notat, sed non essentiæ. Filius et Spiritus mittuntur posteriori modo, non priori.

Digitized by Google

XXII. Spiritus S. nondum erat ante Christi glorificationem, Joh. vii. 39, non simpliciter et absolute, quasi tunc demum inceperit esse καθ' ὑπόστασιν, cujus contrarium effecta ejus demonstrant; sed secundum quid, ratione uberioris effusionis, quæ postea in Apostolos aliosque fieri debuit.

www.libroof.com.cn

QUÆSTIO XXXI.

DE SPIRITUS S. PROCESSIONE.

An Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedat? Affir.

I. Ut Filio tribuitur γέννησις, Ita Spiritui Sancto ἐκπόρευσις, seu *Processio*, non modo late sumpto vocabulo, prout notat originem ab aliquo habere; sic enim non minus Filio posset competere, cui ἔκδοσις et ἔκλυσις tribuitur, quum dicitur exivisse a Patre, Joh. xvi. 28, et habere egressus æternos, Mich. v. 2; Sed *stricte*, quatenus notat emanationem a Patre et Filio, distinctam a Filii generatione.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur de *Processione temporali et externa*, quæ terminatur ad Creaturas, per quam Spiritus S. mittitur ad nos sanctificandos, et ad perficiendum opus salutis; Sed de *Processione æterna et interna*, quæ terminatur ad intra, et nihil aliud est quam modus communicationis Essentiæ divinæ, quo tertia Persona Trinitatis a Patre et Filio eandem numero essentiam habet, quam Pater habet et Filius.

Quomodo Processio differt a Generatione.

III. Processionem istam differre a Generatione Filii negari non potest, quia se habent ut alius et alius, qui habent ad invicem relationem originis; Sed quodnam sit istud discrimen explicari non potest, et tutius ignoratur, quam inquiritur. Unde *Damascen.* lib. iv. orth. fid. c. x. Ὅτι μὲν ἐστι διαφορὰ γεννήσεως καὶ ἐκπορεύσεως μεμαθήκαμεν, τίς δὲ τρόπος διαφορᾶς μεμαθήκαμεν. *Et Aug.* lib. iii. cont. Maxi. c. xiv. "Est differentia inter Generationem et Processionem, sed ego distinguere nescio, quia utrumque inenarrabile." Scio hic Scholasticos differentiam istam velle petere ab operatione intellectus et voluntatis, ut generatio Filii fiat per *modum intellectus*, unde dicatur Dei *Sapientia*; Processio vero per *modum voluntatis*, unde dicatur *Amor* et *Charitas*. Sed ut hoc sine Scriptura dicitur, ita rem implicat potius quam explicat. Sanius loquuntur, qui in re tam ardua balbutientes, discrimen istud in tribus collocant, 1. In *principio*, quia Filius emanat a Patre solo, Spiritus S. vero a Patre et Filio simul. 2. In *modo*, quia Filius emanat per viam generationis, quæ terminatur non tantum ad personalitatem, sed etiam ad similitudinem, ob quam Filius vocatur imago Patris, et secundum quam Filius accipit proprietatem communicandi alteri Personæ eandem essentiam; Sed Spiritus per viam spirationis, quæ terminatur tantum ad Personalitatem, et per quam Persona quæ procedit non accipit proprietatem communicandi essentiam istam alteri Personæ. 3. In *ordine*, quia ut Filius est secunda Persona, Spiritus S. vero tertia, generatio modo nostro concipiendi spirationem præcedit, licet reipsa sint coæternæ.

De Processionis Principio disputant Græci et Latini.

IV. Quoad *Processionis Principium* celebris est Controversia inter Græcos et Latinos, inter quos tamen de Deitatis unitate et Personarum Trinitate est consensus. Quæritur, An a Patre solo procedat, An vero a Patre et Filio. Græci prius statuunt, Latini posterius. Illi accusant istos, quod addiderint

Digitized by Google

Symbolo Nicæno per Constantinopolitanum explicato particulam *Filioque*; Isti vero illos carpunt, quod in Symbolo Athan. vocem μόνου inseruerint art. vii., ἀπὸ τοῦ μόνου πατρὸς. Sæpius ea de re disceptatum fuit acriter inter Orientales et Occidentales. Tandem in Concilio Florentino anno 1439, temperamentum aliquod quæsitum est ad concordiam ineundam, ut statueretur Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedere. Sed notum est Orientales qui subscripserant, ab illa transactione resiliisse, et in priori sua sententia acriter etiamnum perstare.

V. Licet non debeant Græci hæreseos insimulari propter sententiam suam, nec ea debuerit esse occasio Schismatis vel orti, vel continuati, Latinorum tamen sententia ut Scripturæ verbis convenientior et verior recte retinetur. 1. Quia Spiritus Sanctus non minus a Filio quam a Patre mittitur, Joh. xvi. 7. Ergo ab eo debet procedere, quia non posset a Filio mitti, nisi ab eo procederet. 2. Quia Spiritus Filii dicitur non minus ac Patris, Gal. iv. 6. 3. Quia quicquid habet Spiritus, non minus habet a Filio quam a Patre, Johan. xvi. 13, 14, 15; et ut Filius dicitur esse a Patre, quia non a se loquitur, sed a Patre, a quo omnia habet, sic Spiritus debet dici esse et procedere a Filio, quia audit et loquitur ab ipso. 4. Quia insufflavit Spiritum S. discipulis in tempore, Joh. xx. 22. Ergo spiravit ab æterno; nam processio temporalis supponit æternam.

VI. Pater et Filius spirant Spiritum S. non ut duo principia diversa, siquidem vis spirativa est eadem in utroque, sed ut duo supposita, quæ eadem virtute concurrunt ad istam processionem.

VII. Licet Spiritus dicatur procedere a Patre, Joh xv. 26, non negatur de Filio, imo supponitur, quia missio Spiritus illi tribuitur, et quæcunque Pater habet, Filius pariter habere dicitur, Jo. xvi. 15.

VIII. Cum vis spirativa sit una numero in Patre et Filio, non bene diceretur hoc respectu Spiritus procedere a Patre per Filium, quasi esset principaliter a Patre, secundario vero et minus principaliter a Filio: Sed si *modus subsistendi* spectatur, secundum quem Pater est fons Deitatis, a quo Filius emanat, non male hoc sensu dicitur a Patre per Filium procedere quoad processionis ordinem et modum.

IX. Si in quibusdam Symbolis primis omissa fuit particula, *Filioque*, quæ processionem a Filio arguit, factum id quia tunc temporis nulla dum de Processione Spiritus S. lis mota fuerit; sed addita fuit prudenter postea ob insurgentes errores.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS QUARTUS.

DE DECRETIS DEI IN GENERE,

ET

DE PRÆDESTINATIONE IN SPECIE.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS QUARTUS.

DE DECRETIS DEI IN GENERE,

ET

DE PRÆDESTINATIONE IN SPECIE.

QUÆSTIO PRIMA.

An Decreta dentur in Deo, et quomodo sint in eo?

I. Post considerationem absolutam Essentiæ Dei, ejusque Attributorum, et relativam Personarum, sequitur Disquisitio de *Actibus Essentialibus* Dei *internis*, qui vulgo *Decreta* vocantur; de quibus hic quæritur, 1. *An dentur* in Deo, et quomodo sint in eo.

Decreta in Deo dantur.

II. Decreta in Deo dari, et Scriptura testatur, quæ passim τρέγνωσιν, πρόθεσιν, ἀφιστόνν βουλήν, εὐδοκίαν, consilium, Deo tribuit; Et ratio multiplex evincit, tum a *summa Dei perfectione*, ad quam pertinet, ut nihil fiat sine ejus voluntate; tum ab ejus *omniscientia* per quam nota ab æterno habere debet omnia opera sua, non tantum quæ sunt in genere possibilium, sed etiam in genere futurorum, quæ non potuit aliter intueri quam in suo decreto; tum a *dependentia* causarum secundarum a prima, et rerum omnium ac eventuum a supremo Ente et agente.

Non ratione Inquisitionis, sed determinationis.

III. Decretum Deo tribuitur, non quatenus est effectum deliberationis et consultationis præcedentis, cum ratiocinatione et discursu ab uno ad aliud, quo non est opus ei, *cujus oculis omnia sunt nuda et intime patentia*, Heb. iv. 13, sed ratione *determinationis* certæ de rerum futuritione, secundum quam nihil facit temere, sed consulto, id. sciens et volens.

IV. *Actus divini* trifariam distinguuntur. 1. Sunt *actus immanentes* et *intrinseci*, qui nullum habent respectum ad extra; Tales sunt actus personales, gignere, spirare, quorum est absoluta necessitas, sine potentia ad oppositum. 2. Alii sunt *actus extrinseci* et *transeuntes*, qui non sunt in Deo, sed a Deo effective, et in creaturis subjective, ut creare, gubernare; Isti sunt actus temporales, et Deus extrinsecus tantum ab iis denominatur. 3. Sunt *actus immanentes* et *intrinseci* in Deo, sed connotantes respectum et σχέσιν ad extra; qualia sunt Decreta, quæ nihil aliud sunt quam *Consilia Dei de rebus extra se futuris.*

V. Circa ista Decreta quæritur, *Quomodo sint in Deo*, An *essentialiter*, An vero *inhæsive* et accidentaliter? Prius statuunt Orthodoxi; Posterius *Socinus* et *Vorstius*, qui, ut Dei simplicitatem evertant, et in eo compositionem realem dari evincant, pertendunt esse veri nominis Accidentia; adversus quos ita disputamus.

Digitized by Google

Non sunt in Deo ad modum accidentium.

VI. In Deo nullum potest dari accidens; Ergo Decreta non possunt illi inesse inhæsive et accidentaliter. Patet 1. a *simplicitate*, quia in quem cadunt accidentia, is non est absolute simplex, utpote qui componitur ex subjecto et accidente. 2. Ab *infinitate* et *perfectione*, quia quodcunque accedit ad aliquid, ad ejus perfectionem facit ad quod accedit. At Deus est perfectissimus omni modo, nec tantum perfectibilis, ut omnes creaturæ. 3. Ab *immutabilitate*, quia accidens est radix omnis mutationis: At Deus est immutabilis tam voluntate quam essentia.

Sed ut actus voluntatis immanentes.

VII. Cum ergo non possint accidentaliter Deo competere, necesse est ut in Deo dicantur esse *essentialiter*, ut *actus immanentes voluntatis ipsius* cum ἐχίσι et terminatione ad extra, quique ideo non differunt realiter ab ipsa Essentia Dei, cum voluntas Dei, cum qua identificantur, nihil aliud sit quam ipsa Essentia volens, inadæquato conceptu a nobis apprehensa: hoc sensu Decreta recte dicuntur identificari cum ipsa Essentia, prout concipitur ad modum actus vitalis sese determinantis ad hoc vel illud extra se producendum; Unde duplicis causæ notionem induunt, Efficientis et Exemplaris; *Efficientis*, quia quæcunque futura sunt, ideo futura sunt, quod Deus ea decrevit; nec dari potest alia prior causa ejus operum; *Exemplaris* autem, quia Decretum Dei est omnium rerum extra se quasi idea, ad quam ceu ἀεχέτυπα ipsa veluti ἔκτυπα exprimuntur in tempore.

Qui habent rationem Causæ Efficientis et Exemplaris.

Et ideæ bene dicuntur.

VIII. Ut omne agens libere et ex consilio agit ad ideam, non male rerum omnium ideæ in mente Dei dicuntur esse, non prout sonant speciem aliquam intelligibilem, vel formam aliquam rerum, quæ ex rebus ipsis eliciatur, et accedat aliunde, et imprimatur in Deo, ut se res habet in ideis humanis; Sed prout innuunt notionem seu causam exemplarem, quæ rebus ipsis præexistit in mente Dei, et exprimitur in ipsis quum producuntur, nihilque aliud est quam ipsamet Essentia divina, prout ab ipso Deo intelligitur, vel ut *imitabilis* a Creaturis, si sit res mere possibilis, quæ pertinet ad scientiam naturalem, vel ut *imitanda*, si sit futura, et scientiam liberam respicit.

IX. Unde patet Ideam diversimode tribui Deo, et homini; in homine idea est prius impressa, et postea exprimitur in rebus: Sed in Deo est tantum exprimens proprie, non impressa, quia non accedit aliunde. In homine res ipsæ sunt exemplar, et scientia nostra est imago, sed in Deo scientia divina est exemplar, et res ipsæ sunt imago, vel similitudo ejus expressa.

X. Licet Ideæ rerum possibilium et futurarum statuantur in mente Dei, non sequitur Deum debere pariter concipi, vel ut possibilem, vel ut futurum; sufficit ut inde colligamus rerum omnium possibilitatem et futuritionem a Deo pendere, et Deum hoc sensu esse omnia non formaliter, sed eminenter.

XI. Quamvis Idea dicat rationem similitudinis et convenientiæ, Dei autem et Creaturæ sit summa distantia, et nulla proinde videatur esse posse similitudo; Non desinit tamen Idea dari; quia distinguenda est *similitudo univocationis*, quando duo conveniunt in uno conceptu univoco et communi, (ut Petrus et Paulus dicuntur similes, quia conveniunt in humanitate, quæ est illis communis,) et sic non datur similitudo inter Deum et Creaturas, quia ea quæ dicuntur de Deo et de Creaturis, non dicuntur univoce, sed analogice; sed alia est *similitudo expressionis*, sive repræsentationis, quomodo unum distincte repræsentat et exprimit aliud,

Digitized by Google

sive conveniant in alio communi, sive non; nam idea quæ est in Deo, repræsentat perfectissime Creaturam ipsam, et sic idea bene dicitur similitudo rei cognitæ.

XII. Aliud est agere ad Ideam adventitiam et accidentalem; Aliud ad Ideam essentialem. Imperfectionis est agere ad Ideam adventitiam, et aliunde mutuatam; Sed non ad Ideam essentialem, quomodo agit Deus, non respiciendo ullum exemplum extra se, sed essentiam suam.

Fontes Solutionum.

XIII. Libertas Decreti divini non obstat quominus non sit ipse Deus; quia est liberum tantum *terminative* et *ex parte rei*, sed non *subjective* et *ex parte Dei;* est liberum in *actu exercito*, quatenus situm est in Dei libertate, ut hoc vel illud decernat, *non in actu signato*, quia aliquid decernere pendet ex interna constitutione Dei, qua intelligit et vult; liberum quoad σχέσιν et *relationem ad extra;* sed non quoad *existentiam absolutam ad intra.* Tria ergo in Decreto probe sunt distinguenda, 1. *Essentia Dei volens* et decernens ad modum *principii;* 2. *tendentia ejus ad extra*, sine ulla tamen interna vel additione, vel mutatione, quia nihil dicit nisi respectum externum et habitudinem ad creaturam, quæ se habet ad modum *relationis;* 3. *objectum* ipsum sive res decreta, quæ habet rationem *termini.* Primo modo Decretum est necessarium, sed posteriori liberum, vide supra. Loco 3. Qu. VII. *De Simplicitate Dei.* Th. 11.

XIV. Quod est dependens ab alio ut a causa proprie dicta non est Deus; sed non quod pendet ab alio tanquam a principio, quale est Decretum, quod est posterius in signo rationis, et ex parte conceptus nostri, non ratione rei et temporis.

XV. Actio transiens differt ab agente, nec tam est in Deo, quam a Deo; sed actio immanens quale est Decretum, cum eo identificatur, quia in Deo non differunt *Esse*, *posse*, *operari*, siquidem non agit Deus ut Creaturæ per aliquod superadditum ad suam naturam, sed per suammet essentiam, seipsam per modum principii vitalis ad hoc vel illud determinantem. Ita bene dicitur, quod nulla actio a libera voluntate procedens, possit esse Deus absolute et in se, sed potest tamen bene dici Deus σχετικῶς spectatus, per modum actus vitalis sese sponte determinantis: hoc sensu Decretum nihil aliud est quam Deus ipse decernens.

XVI. Ut Deus est Ens absolute necessarium; Ita Decretum est necessarium intrinsece a parte principii, sed non obstat quominus sit liberum extrinsece et terminative; neque hoc ullum discrimen reale infert in Deum, quia est mera σχέσις et relatio ad extra, quæ modificat, non componit.

XVII. Decreta Dei non sunt multa intrinsece, et ἄλλως καὶ ἄλλως, *aliter* et *aliter* se habentia in Deo, quamvis se habeant πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο, ad aliud et aliud extrinsece; unde quæ in Entibus finitis formaliter diversa sunt, ea eminenter identificantur in Ente infinito.

QUÆSTIO II.

An Decreta Dei sint æterna? Affir. contra Socin.

Sociniani Decretorum æternitatem non admittunt.

I. Ut *Sociniani* facilius probent Decreta Dei differre realiter a Deo, docent non esse æterna, sed temporalia, vel saltem æterna secundum quid; hinc statuunt quædam facta esse ante conditum mundum, ut decretum de creando, conservando et regendo mundo, et similia: Alia vero temporalia,

Digitized by Google

quæ post conditum mundum diversis temporum articulis facta sint, prout rerum ipsarum ratio exigere potuit, ut loquitur *Crellius* apud Volkel. lib. i. de vera Relig. c. xxxii.; nec aliter *Vorstius* et *Remonstrantes* sentiunt. Nos vero omnia Decreta absolute æterna esse credimus.

www.jstor.com.cn

Orthodoxi eam asserunt.

II. Rationes sunt, 1. Quia Scriptura illis æternitatem tribuit, ut quum regnum dicitur paratum piis *a jactis mundi fundamentis*, Matth. xxv. 34, quum electi dicimur *ante jacta mundi fundamenta*, Eph. i. 4, et gratia data nobis dicitur in Christo *πρὸ χρόνων αἰωνίων*, 2 Timoth. i. 9, et Christus præcognitus a Deo, *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, 1 Petr. i. 20, id. ab æterno, nam quod præcessit principium temporis debet esse æternum. Nec adverbium temporis *ante* quod usurpatur innuit actum temporalem, quia non tam sumitur *positive*, quomodo indicat differentiam temporis, quam *negative*, prout ejus remotionem notat; Nec dici debet hoc tantum asseri de quibusdam decretis, non omnibus, ad ostendendam singularem personarum vel rerum præstantiam, vel insignem earum certitudinem; quia eadem debet esse ratio omnium decretorum; unde positio quorundam non excludit, sed includit et supponit alia analogice. Imo Scriptura hoc non ad quædam tantum, sed ad omnia extendit.

III. Quod demonstrat secundo, locus, Act. xv. 18, ubi Jacobus asserit, *Deo nota fuisse ab æterno omnia sua opera*. Nam si Præscientia Dei est æterna, necesse est etiam ut decretum quo ipsa nititur sit æternum; quippe non novit res ut futuras, nisi in decreto, per quod a statu possibilitatis transeunt ad statum futuritionis.

IV. Tertio, Si in tempore demum decreta conderet; Ergo pro re nata consilium caperet ad instar hominum, quod nec sapientiam ejus infinitam, nec perfectionem absolutissimam, et immutabilitatem decet, cum tam absurdum sit, eum novi alicujus decreti esse susceptibilem, quam illi aliquid ex improviso accidere.

V. Quarto, perperam *Vorstius* post *Socinum* distinguit æternitatem in absolutam et restrictam, simpliciter et secundum quid, ita dictam; quia Scriptura de æternitate eodem modo semper loquitur, nec uspiam talem distinctionem innuit; Nec rei ipsius natura eam potest facere, quia æternitas non est successiva, sed indivisibilis et tota simul.

Fontes Solutionum.

VI. Licet Decreta alia aliis priora vel posteriora dicantur, non sequitur non esse æterna in se; quia hoc non dicitur a parte Dei, sic enim sunt unicus et simplicissimus actus in Deo, sed respectu nostri concipiendi modi, qui propter distincta objecta, decreta non possumus nisi distincte per prius et posterius concipere. Ita prioritas illa et posterioritas, non tam ratione decretorum spectanda est, quam rerum decretarum, quæ in executione suum habent ordinem, et aliæ aliis sunt priores, vel posteriores.

VII. Illud non est æternum, quo aliquid prius est ordine durationis et temporis, sed dici potest æternum, quo aliquid prius est prioritate ordinis et naturæ: Deus prior est decretis suis posteriori modo, ut eorum principium, non tamen priori.

VIII. Causa non semper effectu suo prior est ordine temporis, ne in Creaturis quidem, imo sæpe fit ut effectus causis suis sint coævi, quum scilicet ab illis per emanationem procedunt; ut lumen Soli, ratio menti, actus cognitionis et dilectionis in intellectu Angelico et humano recens creato, sunt *σύγχρονα*. Ita nihil obstat decretum esse coæternum Deo a quo fit, quamvis non tam decreti causa, quam principium dici debeat.

IX. Licet Deus mutet in tempore dispensationem suam erga homines,

Digitized by Google

sive in bonum sive in malum; Non sequitur mutari decretum ipsum, vel in tempore demum fieri, quia hæc ipsa mutatio jam ab æterno decreta est; Sed ista *ἀνθρωποπαθῶς* dicta, *θεοπρεπῶς* debent intelligi, non ratione mutationis in Deo, sed in operibus ejus. Sic intellige loca, Jer. xviii. 10, et xxxi. 28; Deut. xxviii. 63.

X. Quamvis decreta Dei statuantur æterna; non sequitur Creaturas æternas fuisse; sequitur tantum Deum ab æterno decrevisse, quid futurum esset circa illas in tempore; fuisse ergo dicuntur tantum quoad *esse cognitum* et *intentionale*, propter futuritionem earum decretam, quo sensu dicuntur omnia opera cognita fuisse Deo ab æterno, Act. xv. 18, sed non quoad *esse reale*.

XI. Si decreta a quibusdam negantur esse æterna a posteriori, quia desinunt cum ipsa executione; hoc intelligendum est tantum respectu objectorum quæ producuntur extra Deum, non respectu actus divini, qui non mutatur. Ita post executionem, res quidem decreta desinit esse in fieri, quia jam facta est, sed non desinit tamen ipsum decretum, quia verissimum est Deum ab æterno tale quid decrevisse.

XII. Licet decreta possint esse diversa respectu rerum decretarum, nulla tamen dantur quæ sibi ipsis adversentur respectu eorundem objectorum; ut velit aliquem per unum decretum perdere, quem per aliud decretum servare velit. Nec si Deus decrevit, ut eidem homini, bona et mala contingant successive, sequitur esse contraria decreta; Imo ut sunt ab uno Deo, ita unius ejusdemque decreti semper sibi constantis effecta censeri debent, qui hac ratione homini prospectum voluit; ut ejusdem Medici decreto diversa et sæpe contraria remedia ad ægri curationem successive adhibentur.

XIII. Æternitas Decretorum Dei non tollit libertatem ejus in decernendo; quia licet nullum momentum assignari possit, quo Deus ad hoc vel illud decernendum fuerit actu indifferens; tamen certum est naturam Dei in se fuisse indifferentem, ut vel hoc vel illud decerneret, quia nulla fuit necessaria connexio inter Deum et Creaturas, qualis est inter Patrem et Filium, quem non potuit non generare, cum potuisset, si voluisset, abstinere ab omni rerum productione.

QUÆSTIO III.

An dentur Decreta conditionata? Neg. contra Socin., Remonstr., et Jesuitas.

I. Nulla est Decretorum Dei distinctio, quæ frequentius urgeatur a Socinianis, Remonstrantibus, et aliis qui liberi arbitrii Idolo litant, ea, qua distingui solent in *absoluta et conditionata*; sed nulla tamen est quæ majoribus prematur absurdis, et quæ minus sit admittenda. Scopus Socinianorum, et eorum qui hac in parte illos sequuntur, est Scientiæ mediæ figmentum confirmare, Electionem ex fide prævisa adstruere, et humani arbitrii vires extollere.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur de Decreto *absoluto* vel *conditionato* a *posteriori* et *consequenter*, vel respectu *rerum decretarum* et objectorum volitorum extra Deum; An dentur talia decreta, quæ vel nullam conditionem, et medium in executione habeant, vel quæ aliquod includant. Hoc enim sensu non negamus varia decreta posse vocari conditionata, quia conditiones habent sibi subordinatas; Quamvis fatendum sit minus propriam esse locutionem, quia non confundenda est

Digitized by Google

conditio cum *medio;* et aliud est rem decerni sub conditione; aliud vero eam decerni per talia media exequendam. Sed quæritur de Decreto *absoluto* vel *conditionato a priori* et *antecedenter*, a parte *ipsius decreti;* An talia dentur decreta, quæ suspendantur a conditione aliqua extra Deum potestativa et incerti eventus; An vero sint absoluta, quæ pendeant a solo ejus beneplacito. Prius Sociniani cum cæteris asserunt; Nos vero posterius.

Nulla dantur decreta conditionata.

III. Rationes sunt, 1. Quia omne Decretum Dei est æternum; Ergo non potest pendere a conditione, quæ est tantum in tempore. 2. Quia Decreta Dei pendent ab ejus εὐδοκία. Matth. xi. 26; Ephes. i. 5; Rom. ix. 11. Ergo non sunt suspensa ab aliqua conditione extra Deum. 3. Quia omne decretum Dei est immutabile, Isa. xlvi. 10, Rom. ix. 11. At decretum conditionatum est mutabile, quia omnis conditio est mutabilis, præsertim si non sit decreta a Deo, sed in libero hominis arbitrio posita, ut de tali hic agitur, unde ea cessante Deus fine suo excideret, et nova inire teneretur consilia per ἀνοίκους φροντίδας. 4. Quia repugnat sapientiæ et potentiæ Dei, talia condere decreta, quæ a conditione aliqua impossibili pendeant, quæ nec futura sit nec esse possit, quia ipse a quo solo pendet eam dare non vult: Nec si in hominibus infirmis et futurorum ignaris hoc potest locum habere, sequitur in Deo sapientissimo, omniscio, et omnipotenti, cui omnia sunt non modo prævisa, sed et provisa, idem dari posse.

IV. 5. Quia absurdum est Creatorem pendere a Creatura, Deum ab homine, et voluntatem Dei, quæ prima est omnium causa, a rebus ipsis; quod necessario fieri debet si Decreta Dei suspenduntur a conditione aliqua quæ sit in homine.

V. 6. Quia nulla datur scientia media quæ pro objecto habet futura conditionata, ut supra probatum Loc. 3. Qu. XIII.; Ergo neque decretum conditionatum, quod illi loco fundamenti solet substerni.

VI. 7. Quia decreta conditionata non possunt poni, quin supponatur eum qui decrevit, aut ignorare eventum, aut eventum non esse in decernentis potestate, aut eum de eventu nihil certo aut absolute constituisse, quæ omnia cum in Deum sint maxime injuria, illi tribui nec possunt nec debent.

VII. Hinc sapienter Synodi Gallicanæ non semel proscripserunt Decreta conditionata, velleitates inefficaces, et desideria frustratoria et irrita, utpote Sapientiæ, Potentiæ, et Constantiæ Dei contraria.

Fontes Solutionum.

VIII. Aliud est Deum non decrevisse quemquam servare, nisi per legitima media; Aliud statuere decretum de his et illis servandis per legitima media esse conditionatum, et eventus incerti; quod fingunt Adversarii. Licet fides et perseverantia habeant rationem conditionis prærequisitæ ad salutem decretam, ut sine illis non debeat expectari; non habent tamen rationem conditionum potestativarum ad Dei decretum æternum de salute huic et illi in Christo conferenda. Imo tantum abest ut Deus illis decreverit salutem sub tali conditione, ut contra eo ipso quo illis salutem decrevit, decreverit quoque illis fidem et perseverantiam, et omnia alia media ad salutem necessaria.

IX. Aliud est *rem decretam* esse conditionatam; Aliud *ipsum decretum:* prius damus, sed non posterius; potest dari causa antecedens, vel conditio rei volitæ, sed non statim ipsius volitionis: Sic Deus vult ut salus habeat annexam conditionem fidei et pœnitentiæ in executione, sed fides et pœnitentia non sunt conditio vel causa actus volendi in Deo, vel decreti de salute in intentione.

X. *Promissiones* et *comminationes conditionales* non inferunt dari decre-

Digitized by Google

ta conditionata, quia non pertinent ad voluntatem decernentem, sed præcipientem, et sunt appendices mandatorum divinorum, quæ per modum stimuli illis adduntur ad homines excitandos. Ita qui promittit et minatur sub conditione incerta, non prædicit aut decernit quid sit reipsa eventurum, sed tantum indicat quid evenire queat conditione præstita vel neglecta. Unde tales promissiones et comminationes ostendunt tantum necessarium nexum conditionis cum conditionato, sed nullam futuritionem rei involvunt. At decreta habent veritatem categoricam de re futura, aut non futura.

XI. Quamvis omnis promissio vel comminatio hypothetica refundi debeat mediate in aliquod decretum a quo pendeat; non debet esse decretum conditionatum, sed absolutum; non quidem de executione rei illius, seu de ejus certa futuritione, sed tantum de ejus cum alia infallibili connexione; v. g. propositio Evangelica servandi peccatores si crediderint nititur aliquo decreto, non quidem rei futuritionis, quasi omnibus decreverit dare salutem sub conditione fidei, sed *connexionis*, qua fidem cum salute indissolubili nexu sociare voluit: Sic quum Paulus comminatur *mortem illis qui secundum carnem vixerint*, Rom. viii. 13, perperam quis inde colligeret Deum decretum conditionatum fecisse de omnium morte, si vivant secundum carnem; sed tantum Deum peccatum et mortem vinculo arctissimo inter se conjunxisse. Sic verum est bruta fore risibilia, si essent rationalia; nemo tamen dixerit propterea Deum decrevisse conditionate ut bruta sint risibilia, si sint rationalia; sufficit ut talis propositio fundetur in decreto generali, quo voluit risibilitatem esse proprietatem rationis, et nullibi esse rationem, quin eam comitetur risibilitas. Eodem sensu bene infero peccatores omnes servatum iri si crediderint, non ex ullo decreto conditionato, sed ex hac veritate generali certissima, quam Deus decreto suo absoluto sancivit, fidem scilicet esse medium infallibile salutis; quia enim unicam hanc viam homines deducendi ad salutem instituit, hinc veritas propositionis istius hypotheticæ exurgit, *Si peccator credit servabitur*, quæ consequentiæ tantum certudinem notat, non vero consequentis positionem infert.

XII. *Consilium* quod Pharisæi dicuntur rejecisse adversus seipsos, Luc. vii. 30, non notat decretum ullum conditionatum de servandis Pharisæis sub conditione fidei et pœnitentiæ, sed voluntatem mandati, testimonium scilicet Johannis de Christo, per quod Deus consilium iis dabat de modo adipiscendi salutem æternam, quo sensu sumitur vox consilii, Ps. cvii. 11; Prov. i. 25, 30; Apo. iii. 18, et alibi.

XIII. Quod habetur, 1 Sam. ii. 30, "Dixeram plane domum tuam, et domum Patris incessuram coram me in perpetuum; Nunc vero absit ut hoc faciam," et cap. xiii. 13, "Si servasses mandatum Domini Dei tui, stabilivisset regnum tuum in perpetuum:" Promissio est facta Sauli posita ejus obedientia, quæ non nititur decreto ullo conditionato, de re quæ nec fuit unquam, nec futura erat, sed tantum connexione a Deo constituta inter pietatem et vitam.

XIV. Loca varia Scripturæ, quæ loquuntur de rebus futuris posita hac vel illa conditione; qualia sunt, Gen. xx. 7; 2 Sam. xvii. 1, 2, 3, cum v. 14; et xxiv. 13; Jer. xvi. 3, 4, et xvii. 24, 25, 26, et xxxviii. 17, 18, xlii. 9, 10, non inferunt ulla decreta conditionata, sed notant tantum promissiones, vel comminationes varias, quæ ostendunt quidem certitudinem connexionis unius cum alio, v. g. obedientiæ et conservationis ac salutis, rebellionis et exitii; sed non futuritionem eventus vel absoluti vel conditionati, quidve de his vel illis Deus nominatim decreverit. Et hoc eo ve-

Digitized by Google

rius est, quod cum Deus qui omnia in sua habet potestate, sciat conditionem talem nunquam futuram, utpote quam ipse non decrevit, dici non potest aliquid sub illa conditione decrevisse; nihil enim fingi potest absurdius, quam statuere Deum decernere aliquid sub conditione, quam eo ipso momento quo decernit scit nunquam impletum iri.

XV. Quamvis Decreta a parte objectorum sæpe conditionem aliquam includant, non desinunt formaliter et in se esse absoluta; quia conditio et conditionatum pendent immutabiliter a Deo, vel quoad permissionem, ut in malis, vel quoad effectionem, ut in bonis.

XVI. Tantum abest ut ad hominum mutationem, Deus sua decreta mutet, ut contra omnis illa factorum humanorum mutatio procedat ex æterno et irrevocabili Dei decreto, qui hoc modo exequitur quod eventurum per promissiones et comminationes decreverat: Nec sententiam mutat priorem precibus piorum, sed per illas ipsas preces, quod futurum constituerat perducit ad exitum. Ita quum Deus mutat quæ fecit, quum adimit homini vitam quam dederat, quum destruit mundum quem creaverat, hæc mutatio est in rebus non in Deo, nam ab æterno decrevit istam facere mutationem, et nisi fieret, decretum de facienda ista mutatione mutaretur.

XVII. Locus Num. xiv. 30, ubi Deus per Mosem protestatur Israëlitas non intraturos in terram, quam illis juramento promiserat, docet quidem solennem promissionem factam fuisse a Deo illi populo, introducendi illum in terram Canaan, sed sub conditione obsequii præstandi, qua cessante cessabat promissio et contractus. Sed non arguit aliquod fuisse decretum conditionatum de illis introducendis; Imo ut decreverat talem promissionem facere, ita suis de causis etiam constituerat illam istorum contumaciam permittere, et illius generationis individua non introducere in terram promissam. Deinde ut promissio facta fuit genti in communi, non necesse est ut singula ejus individua respiciat, ut in illis impleatur; sufficit ut spectarit demum ea quæ ad sequentem generationem pertinebant, in quibus debuit impleri.

XVIII. Licet proprietates respectivæ Dei, quales sunt misericordia et justitia, supponant ad sui exercitium in objecto circa quod versantur, qualitatem aliquam, puta miseriam et peccatum: Non sequitur propterea decretum quod fit de hominum salute, vel damnatione, esse conditionatum, quia quamvis supponatur ad ejus constitutionem, non suspenditur tamen ab ea, sed certissime et infallibiliter impletur juxta Dei beneplacitum.

XIX. Quicquid dicitur adversus Decreta conditionata, dicitur pariter contra voluntatem hypotheticam, quia nullus datur actus voluntatis de rebus extra se futuris, qui non induat notionem decreti; Unde non elabuntur qui omissa voce decreti conditionati, retinent tamen voluntatem hypotheticam; idem enim, mutato tantum nomine, dicunt. Plura vide supra, Loco 3, Quæst. XIII. de *Scientia media*, et Quæst. XVI. thes. 19, &c. *de Voluntate conditionali.*

QUÆSTIO IV.

An Decretum afferat necessitatem rebus futuris? Affirm.

I. Quæstio agitatur inter Nos et Pelagianos ac Semipelagianos Veteres et Novos, qui ut facilius Idolum Liberi Arbitrii stabiliant, necessitatem rerum ex Decreto et Præscientia negant, quam constanter asserunt Orthodoxi.

Digitized by Google

Status Quæstionis.

II. Ad Quæstionis Statum observa, 1. *Necessarium* dici id quod aliter se habere non potest, τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, ut nominis ratio a non cessando demonstrat. Hoc autem bifariam spectari potest, vel in Deo, vel in rebus ipsis. *In Deo* duplex *necessitas* vulgo notatur; una *absoluta*, cujus oppositum simpliciter est Deo impossibile, ut quum dicitur Deus incorruptibilis, et qui seipsum abnegare nequit; alia *hypothetica*, quæ oritur ex hypothesi decreti divini, quo posito necesse est sequi ipsum effectum volitum. Prior fundatur in immutabili Dei natura; posterior in immutabili ejus voluntate, quæ iterum duplex est; alia *immutabilitatis*, ex decreto immutabili, alia *infallibilitatis*, ex præscientia infallibili. In rebus ipsis variæ etiam occurrunt necessitatis species. 1. *Physica* et interna a parte causarum secundarum, quæ ita sunt ad unum determinatæ, ut non possint aliter agere, ut in igne necessitas urendi. 2. *Coactionis*, quæ oritur a principio externo per violentiam agente. 3. Hypothetica *eventus* seu *dependentiæ*, per quam res, licet sit natura sua mutabilis et contingens, non potest non esse propter dependentiam a Dei ordinatione, cujus nec voluntas mutari, nec præscientia falli potest.

Variæ necessitatis species.

III. Non quæritur de *Necessitate absoluta* et *physica*, respectu causarum secundarum in se, quia fatemur alias esse necessarias, alias contingentes; Sed respectu Dei et in ordine ad ipsum. Non de *necessitate coactionis*, quia decretum nullam vim infert causis secundis, sed futuritionem rerum decrevit fieri convenienter naturæ ipsarum; Sed quæritur de *necessitate hypothetica et consequentiæ*, respectu certitudinis eventus et futuritionis ex decreto; quam asserimus.

Decretum infert necessitatem eventus.

IV. Rationes sunt, 1. Quia omnia æterno et immutabili consilio apud Deum decreta sunt, unde non possunt non evenire tempore præstituto, alias mutaretur Dei consilium, quod fieri posse negat Scriptura, Isa. xlvi. 10, Ephes. i. 9. 2. Quia necessitatem istam Scriptura prædicat, Matth. xviii. 7. "Necesse est ut scandala eveniant," et c. xxvi. 54. "Quomodo implerentur Scripturæ, quæ dicunt ita debere fieri," scilicet ex decreto. Luc. xxii. 22. "Filius hominis vadit, κατὰ τὸ ὡρισμένον. Ita Act. ii. 23, et iv. 28. "Herodes et Pontius Pilatus congregati sunt ad faciendum ea omnia quæ manus tua et consilium," id est consilium efficacissimum "antea decreverant fieri." 1 Cor. xi. 19. "Necesse est hæreses esse," &c. 3. Quia maxime fortuita et casualia necessario dicuntur evenire; patet exemplo cædis casualis, Exod. xxi. 12, 13, sortium, Prover. xvi. 33, avicularum et capillorum, Matt. x. 29, 30, ex ossium Christi conservatione, Joan. xix. 36, et ejus morte, Act. iv. 28.

V. 4. Quia ut infallibili præscientia omnia prævidentur, Act. xv. 18, Heb. iv. 13, ita infallibiliter evenire necesse est. 5. Quia certo prædicuntur ut futura, ita ut sermo Dei non possit excidere, nec Scriptura solvi; Ergo debent necessario contingere, si non quoad modum productionis, qui sæpe contingens, at quoad certitudinem eventus, qui aliter se habere non potest.

Fontes Solutionum.

VI. Quod statuit determinationem ad unum per necessitatem physicam, vel coactionis, tollit libertatem et contingentiam; sed non quod eam statuit tantum per necessitatem hypotheticam; quia certitudo non oritur ex causarum secundarum natura, quæ liberæ sunt et contingentes, sed extrinsece ex decreti immutabilitate, quod ita determinat futuritionem eventus, ut rerum naturam non mutet, sed res necessarias necessario, liberas libere agere sinat. Unde patet necessitatem et immutabilitatem decreti tollere quidem *contingen-*

Digitized by Google

tiam respectu *causæ primæ*, quia cum omnia necessario eveniant, nihil potest contingenter fieri; sed non tollere eam respectu *causarum secundarum*, quia idem decretum quod præstituit futuritionem rerum, statuit etiam *modum futuritionis*, ut quæ necessarias causas haberent necessario fierent, quæ vero contingentes, contingenter: Atque ita effectus bene dicitur, et *necessarius* et *contingens* simul, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο; Illud a *parte Dei* et relate ad decretum; Istud a *parte rei* et relate ad causas secundas et proximas, quæ aliter se habere potuerunt.

VII. Quamvis ergo in ordine ad causam primam dicantur omnia necessaria, tamen secundum se sumpta quædam possunt esse libera, contingentia, et fortuita, quia unaquæque res est et judicatur secundum causas proximas et particulares. *Omnis effectus in necessitate et contingentia sequitur causam proximam, et non causam primam*, ut Thom. ait, tract. de Præsci. et Prædest. c. 4.

VIII. Necessitas decreti tollit quidem *libertatem independentiæ*, et τὸ ἀνυπεύθυνον et ἀδέσποτον Creaturæ, quia ita a prima causa pendet, ut sine ea nec esse nec operari possit; Sed non tollit *libertatem spontaneitatis* et *indifferentiæ*, quia necessitas est tantum hypothetica, quæ eventus certitudinem ponit, sed causarum secundarum naturam et proprietates non tollit. Hinc est quod recte dicatur, *Adamum necessario, et libere peccasse:* Illud quidem respectu decreti, et rei futuritionis; Istud respectu voluntatis ejus, et quoad modum, quia qualiscunque fuerit necessitas decreti, Adamus tamen volens peccavit, et per consequens liberrime.

IX. Licet detur necessitas eventus ex Decreto, non propterea quicquam detrahitur Sapientiæ et Justitiæ Dei, quasi nec illa posset cum fructu hortari homines ad officium, nec ista, præmia vel pœnas virtuti et vitio statuere. Quia necessitas ista, ut jam dictum, utpote extrinseca et hypothetica, optime consistit cum libertate creaturarum, quæ non desinunt liberrime agere a parte sui, licet effectus sit necessarius a parte Dei: Tantum abest ergo ut ista opponantur sibi invicem, ut amice inter se conspirent, quia per ista media quamvis libera, promoventur et producuntur eventus a Dei decreto definiti.

X. Quamvis res omnes necessariæ dicantur ex decreto; Deus non propterea potest censeri author peccati, quia decretum quod est causa futuritionis peccati, non est tamen ejus causa, nec physica per malitiæ infusionem, nec ethica per ejus approbationem; Ita licet ad decretum sequatur peccatum necessario, non tamen potest dici fluere ex decreto; quia decretum non influit in rem, nec est effectivum mali, sed tantum permissivum et directivum.

XI. Ut vero Deus propter necessitatem quam decretum ejus rebus infert, peccati incusari non potest; Ita nec peccatores propterea excusari possunt; quia talis necessitas libertatem eorum et πρεσπίφυσιν in agendo non tollit, nec impedit quominus liberrime actus suos exerceant. Nec si exequuntur hoc pacto decretum Dei, continuo illi obedire censendi sunt, quia decretum non est regula actionum nostrarum, sed Lex Dei; Quamvis ergo impleant voluntatem decernentem, non minus censentur rei, quia peccant contra voluntatem præcipientem, legem sibi positam injustissime violando; Sic Herodes et Pontius Pilatus cum Judæis non desinunt teterrimi criminis reatum incurrisse per crucifixionem Christi, licet nihil fecerint nisi quod Dei manus et consilium antea jam decreverant fieri, Act. iv. 28. Sed de his postea fusius agetur, quum de Providentia Dei actuali circa peccatum, et de ejus concursu disputabitur, ubi calumnia quæ nobis objici solet de Deo authore peccati, et de Fato Stoïco refutabitur.

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

DE TERMINO VITÆ.

www.libtool.com.cn

An Dei Decreto cujusque hominum vitæ terminus fixus et immobilis cum omnibus suis circumstantiis ita sit constitutus, ut alio temporis articulo, et alio mortis genere decedere non possit, quam quo eum decedere contingit? Affir. contra Socin. et Remonstr.

I. Quæstio hæc movetur nobis a Socinianis et Remonstrantibus, qui ut Decretorum mutabilitatem asserunt, negant etiam vitæ Terminum a Dei Providentia ita fixum esse et determinatum, ut non possit vel prorogari, vel abbreviari. De qua fuse disputatum fuit in Belgio ante aliquot annos, studio Amplissimi Viri *Joh. Beverovicii*, Medici Dordraceni, qui Virorum Doctorum super ea judicia inquisivit, eaque in *Epistolica Quæstione de Termino Vitæ* in lucem misit.

Status Quæstionis.

II. Ad Quæstionis Statum observa, 1. *Terminum vitæ* alium esse *communem* et *generalem*, qui assignatus est humano generi; alium *specialem*, qui datus est hujus vel illius individui durationi. Non agitur hic de primo, sed de secundo; Non quæritur, An Decreto Dei statutum sit hominibus semel mori: vel, An detur terminus aliquis vitæ humanæ vel longior vel brevior, sive absolute et in se, sive comparate ad vitam animantium? hoc enim non diffitentur Adversarii. Sed quæritur de Termino speciali. An unicuique a Deo constitutum sit momentum nativitatis et mortis, quod fixum sit et immobile?

III. 2. *Terminus vitæ* potest dici *mobilis vel immobilis* diverso respectu, vel resp. *Causæ primæ*, vel resp. *Causarum secundarum*. Non quæritur, An Terminus vitæ physicus, qui oritur ex causis proximis naturalibus sit immobilis; Fatemur enim posse vel contrahi vel produci propter bonum vel malum regimen, ut qui ex ordine naturæ potuisset diutius vivere, vel crapula, vel luxuria, vel aliis peccatis vitæ cursum ordinarium abrumpat; vel gladio, fame, aut causibus aliis violentis intereat. Sed quæritur de *Termino hyperphysico*, qui a causa prima, et divina ordinatione ponitur. Eo respicit distinctio Thomæ i. q. 116, art. 3. "Fatum ut in causis secundis est mobile, ut autem a divina præscientia est immobile, non necessitate absoluta, sed conditionali."

IV. Constitutio Termini vitæ, vel est *absoluta antecedenter*; vel *consequenter*, ut excludat omnem causarum secundarum et mediorum usum. Non quæritur de posteriori; An mors cujusque et vita decreta sit absolute absque ullo respectu ad media necessaria, quæ finibus suis certo subordinentur, et eidem decreto includantur, adeo ut quicquid fecerint, aut non fecerint homines, certo eventurum sit quicquid decrevit Deus. Hoc enim nemo nostrum asserit, quia ita fixum terminum agnoscimus, ut necessitatem mediorum propterea non excludamus. Sed quæritur de *constitutione absoluta antecedenter*, quæ non pendeat ab ulla conditione prævia. Et Quæst. redigitur ad hos terminos: An Terminus vitæ, non generalis et communis, sed specialis et proprius uniuscujusque, ita sit fixus et immobilis, non causarum secundarum respectu, sed primæ, et æterni Dei decreti, ut quacunque tandem ratione nec prorogari nec abbreviari possit; An vero ita indefinitus sit et mobilis, ut possit vel contrahi peccatis hominum, vel produci arte et industria Medicorum: Posterius affirmant, post Socini., Remonstr. et Lutherani; Prius vero Orthodoxi.

Digitized by Google

Terminum vitæ esse fixum probatur, 1. ex Job. xiv. 5.

V. Rationes sunt, 1. ex Jobi xiv. 5. ubi Deum sic alloquitur, "Siquidem definiti sunt dies ejus, numerus mensium ejus tecum est, statuta seu determinationes ejus fecisti, quas nemo transgrediatur," et cap. vii. 1. *Nonne militia*, seu determinatum tempus, (hoc enim חק innuere Pagni. et Mercerus notant in h. l.) et *ut mercenarii dies sunt dies ejus?* Unde colligitur dari certum et determinatum numerum dierum vitæ hominis, et hunc a Deo positum esse immutabiliter, ut nemo eum prætergredi possit. Nec excipi debet, 1. conditionatam esse locutionem, propter particulam אם; quia series orationis docet, non conditionaliter esse sumendam, sed ratiocinative, pro *siquidem*, hoc sensu, 'quandoquidem definiti sunt dies hominis, et terminos illi posuisti breves, quos non transgredietur, recede ab ipso, id. hoc tibi sufficere debet, quod miseria ejus talis sit per peccatum, ut brevi confici debeat, nihil ut opus sit gravioribus malis eum onerare.' 2. Jobum loqui de termino communi humanæ vitæ præfixo, quem ordinarie attingunt omnes qui culpa sua dies non abbreviant. Quia verba ostendunt agi de termino speciali cuique præfixo, agitur enim de *numero mensium ejus*, de *diebus ejus* et de *termino ejus*. 3. Licet Jobus loquatur de definitione dierum, non innuere tamen qua ratione illa facta sit a Deo; et nihil obstare si dicamus circumscribi ex certa prævisione divina, quo modo quisque nostrum se gesturus sit, vel saltem ex hypothesi boni vel mali usus arbitrii nostri. Quia supponitur gratis obedientiam vel inobedientiam, bonum vel malum usum liberi arbitrii respici, cujus tamen nulla fit mentio: Adde quod Deus nihil prævidere potest futurum nisi consequenter ad suum decretum, aut effectivum, aut permissivum, de illius futuritione.

2. Ex Psal. xxxix. 4, 5.

VI. Secundo, ex Psal. xxxix. 4, 5. "Fac scire me Domine, finem meum, et mensuram dierum meorum quæ ipsa sit, noscam quanti ævi ego. Ecce palmas," id est ut palmæ mensuram, "posuisti dies meos, et tempus meum tanquam nihil coram te." Unde duo colliguntur, 1. Quod Deus finem hominis novit; Ergo illum præfinivit, quia nec nosse nec prædicere posset, nisi illum determinasset. 2. Quod Deus certam mensuram constituit diebus hominis, quod perperam diceretur, nisi terminum vitæ ejus præfinivisset. Neque hic notatur tantum brevitas vitæ in genere, sed in individuo brevitas dierum Davidis determinata et definita a Deo, non conditionate, sed absolute.

3. Ex Act. xvii. 26.

VII. Tertio, ex Act. xvii. 26. "Deus fecit ex uno sanguine totum genus humanum, ut habitet super universa superficie terræ, definitis præstitutis temporibus, et positis terminis habitationis eorum." Jam ubi sunt καιροὶ προτεταγμένοι, ibi definitus esse debet vitæ terminus; quod non potest referri tantum ad durationem generis humani, sed etiam ad durationem cujusque individui, quandoquidem, ut postea v. 28. additur, *In ipso vivimus, movemur, et sumus*, et v. 25. *Ipse dat vitam, halitum et omnia:* Confirmatur ex Act i. 7. ubi Deus dicitur tempora in sua potestate posuisse; Ergo et tempus cujusque mortalis. Et si cuique rei suum tempus nascendi et denascendi assignavit, Eccl. iii. 1, 2, nulla ratio subest, cur non æque statuatur decretorius dies, quo quisque mori debeat, positus ab ipso, ac cuique suum diem natalem præfixit, quo in mundum veniat.

4. Ex Matt. x. 28.

VIII. Quarto, ex loco Matth. x. 28, 29, 30, ex quo ita concludimus: Si capilli capitis nostri numerati sunt, multo magis dies, menses, et anni; Et si ne passer quidem cadit sine Patris voluntate, quanto minus censendus est homo hujus vitæ stationem subire aut relinquere absque speciali nutu summi Imperatoris, cui jus vitæ et

Digitized by Google

necis proprie in eum competit? Quæ ita dicuntur Apostolis, ut ad alios etiam pertineant, quia ut mandatum commune est, communis etiam debet esse promissio contra pericula persecutionum et mortis, et argumentum consolationis ducitur a Dei providentia non propria Apostolis, sed omnibus communi.

5. Ex prædictione mortis.

IX. Quinto, vitæ terminus prædicitur infallibiliter; Ergo præfinitur immutabiliter, quia non alia potest dari prædictionis certitudinis causa; patet exemplo diluvii primi mundi, cui præfinitum fuit tempus 120 annorum, Gen. vi.; Mosis, Deut. xxxi. 14; Infantis Davidis, 2 Sam. xii. 14; Filii Jeroboami, 1 Reg. xiv. 12; Achaziæ Regis Israël, 2 Reg. i. 4; Petri, Joa. xxi. 18; Christi Servatoris, cujus mors prædicitur, non modo quoad genus mortis, Luc. xviii. 32, Joa. xii. 33; sed etiam quoad horam et tempus, Joa. vii. 30, et xiii. 1, et xvii. 1; Filiorum Heli, 1 Sam. ii. 34; Israëlitarum qui peste percussi, 2 Sam. xxiv. 15. ubi exerte dicitur pestem in illos grassatam esse usque ad עת מועד id. *tempus constitutum;* Belzazaris, Dan. v. 25, 26, &c.; Achabi et Jezebelis, 1 Reg. xxi. 22, 23. Cum igitur quicquid præscitur a Deo, habeat futuritionem suam definitam et infallibilem ex definito consilio et præcognitione Dei, Act. ii. 23, tam necesse est definitum esse a Deo modum, et diem mortis singulorum, quam utrumque ab illo certo et infallibiliter præsciri. Nam fingere aliquid indefinite et conditionate præscitum a Deo, ut vellent Adversarii, est dicere ἀσύστατα.

X. Sexto, mortis genus quod maxime casuale et fortuitum videtur, definitum est immutabili Dei decreto; Ergo multo magis quodlibet aliud mortis genus. Patet in homicidio casuali, de quo, Exod. xxi. 13, 14, dicitur, quod *Deus facit talem hominem occurrere ad manum ejus*, et ut Onkelos habet, *a facie Dei traditus est;* In Achabo, cujus instans exitium, 1 Reg. xxii. 28, prædicitur, et tamen dicitur *casu* periisse, v. 34, nimirum causæ secundæ respectu, quæ de Achabo non cogitabat; In Idololatris Judæis, quos Deus dicitur numerasse ad gladium, Isa. lxv. 12; In Herode qui a vermibus corrosus est, Act. xii. 23; In primo mundo aquis diluvii suffocato; In 185 millibus hominum exercitus Sancheribi, qui una nocte interierunt. Quis vero dixerit Dei decretum de inevitabili isto mortis genere ab uniuscujusque obedientia vel inobedientia, bono aut malo usu liberi arbitrii fuisse suspensum, tanquam necessaria conditione, sine qua Deus absolute terminum vitæ nemini præfigere posset?

XI. Septimo, Deus certo et præstituto ordine totam hominis vitam, et motus, et ætates moderatur a principio ad finem; Ergo et ultimum vitæ terminum debet definire; nam qui totum gubernat, et singulos actus antegressos provide curat, cur negligeret extremum? Si quod minoris est momenti regitur a Deo, an quod maximum est, decretorius sc. ille dies a quo pendet æternitas, homini relinqueretur? Conceptio hominis, et nativitas, et quæcunque pertinent ad ejus vitam, et varios rerum successus, in libro Dei scripta sunt, ut passim notatur, Ps. cxxxix, 16, et cvi., et cvii., cxliv., cxxi., &c.; et non scripta erunt in libro Dei, quæ ad extremam vitæ clausulam, quæ omnium maxime est memorabilis, spectant, quasi Deus non habeat exitus mortis penes se, Psal. lxviii. 20, et non sit Dominus mortis ac vitæ, finis æque ac initii?

XII. Octavo, si Deus non præstituit cuique suum vitæ terminum, sequitur Dei providentiam versari tantum circa τὰ καθ' ὅλου, non circa τὰ καθ' ἕκαστα; hominem non tantum fortunæ suæ, sed et vitæ mortisque esse fabrum; Deum et ejus voluntatem ac scientiam postponi causis secundis, et pro re nata omnia ordinare et disponere, consilium capere in arena, termi-

Digitized by Google

nos figere et refigere, ad motus hominum decreta sua formare et inflectere, et sic Deum non esse Deum, id. Dominum independentem et absolutum, qui quæ vult facit, sed hypotheticum et conditionibus circumscriptum; quæ omnia cum sint impia et blasphema, tale etiam esse illud, unde deducuntur, necesse est.

www.libtool.com.cn

Fontes Solutionum.

XIII. Ezechiæ dies non ultra terminum a Deo fixum prorogati fuerunt, sed tantum ultra illud tempus, quo secundum ordinem causarum secundarum et naturalium, et vim ipsam morbi morti proximus videbatur, et reipsa moriturus fuisset, nisi Deus gratia sua prospexisset. Denunciatio ergo mortis, quæ fit a Propheta, est comminationis non prædestinationis, non absoluta, sed conditionalis, licet conditio expressa non fuerit, sed eventu tantum declarata. Non decreverat ergo mori Ezechiam, sed tantum mortis sententiam illi denunciari, ut dolore salutari contritus ad eum ardentius confugeret, quod a Rege intellectum fuisse ex eo colligitur, quod illico ad parietem conversus ad Jehovam preces ardentissimas pro vitæ prorogatione fuderit. Licet autem comminatio non deberet impleri, non desinebat tamen esse maxime seria, quia per eam decretum de conservando Rege exequi constituerat. Mors quidem per comminationem denunciata pugnabat cum eventu decreto, qui fuit prorogatio vitæ, sed non ipsa comminatio mortis, quæ medium a Deo institutum erat ad illius executionem.

XIV. *Impii non dimidiant dies suos*, Ps. lv. 23, non proprie aut absolute, sed comparate et relate, non quidem ad decretum Dei, sed vel ad naturam suam, et corporis habitum, quia sibi relicti, et absque casu divinitus immisso, potuissent diutius vivere possibilitate causæ secundæ, non vero possibilitate effectus qui pendet a concursu causæ primæ et secundæ, vel relate ad opinionem, spem et intentionem, tum suam, tum aliorum, quia ingentis dierum summæ spem jam conceperant. Sic sæpe in Scriptura res dicitur talis, quæ talis habetur opinione et fallaci hominum judicio, Luc. viii. 18, *quod habet*, id. *quod videtur habere, auferetur ab eo*. Nec si pii quidam immatura morte abripiuntur, et nonnulli impii ad provectam ætatem perveniunt ex fixo Dei decreto, continuo sequitur comminationem istam Psaltis nullam esse, nec istos illis ideo infeliciores censendos esse; quia quamvis pariter tempore constituto, respectu providentiæ divinæ ipsis incognitæ moriantur, tamen mors utrorumque longe dispar est. Isti tempore immaturo et semper immaturi, mortem horrent et fugiunt, et frustra tardare satagunt, dum in morte nihil nisi mortem vident, sine pœnitentia, sine spe, et consolatione, ex morte in mortem transeunt, et mortem acerbissimam sibi reddunt, non tam sponte egredientes ex mundo, quam succisi et violenter eradicati. Sed pii dierum saturi, quamvis in ipso ætatis flore, vocantem Dominum alacres sequuntur, cupiunt dissolvi ut sint cum Christo, et parati ad discessum, accensis lampadibus, et lumbis præcincti adventum Sponsi cum desiderio præstolantur; et ut impii quocunque moriantur tempore etiam in decrepita senectute, immaturi semper et imparati obeunt; Ita pii quomodocunque, et quandocunque moriantur, mature semper et opportune moriuntur, unde dormire et quiescere in cubilibus suis, et ad Dominum redire, dicuntur.

XV. *Improbus moritur, tempore non suo*, Eccl. vii. 17, tum respectu causarum secundarum, et constitutionis naturalis, quia ulterius potuisset prorogari ejus vita, quam Deus justo judicio abrumpere voluit; tum respectu voti et spei ipsius, quia intempestive semper moritur, id est illibens et imparatus, qui nunquam vel vivere vel mori didicit, quamvis ratione peccatorum plus satis maturus, unde mors improvisa et inexspectata obre-

Digitized by Google

pere dicitur tempore malo, id. non suo, Eccl. vii. 17. Tempus quippe pœnitentiæ et pietati opportunum, tempus est acceptum, et vere καιρὸς nostrum, quo in rem nostram uti debemus, quia ab illo omnis εὐτυχία pendet. At ubi præteriit, non restat nisi καιρὸς ἄκαιρος. Sic exponit Greg., Expo. mor. in Job. lib. xvi. c. 6.

XVI. Quum Scriptura loquitur de *prolongatione* vel *abbreviatione* dierum, quæ fit a Deo respectu piorum aut impiorum, Exo. xx. 12; Deut. iv. 40, et xxx. 19, 20; Psalm. xci. 16; 1 Reg. iii. 14; Prover. x. 27; non tam intelligitur proprie *prolongatio* vel *abbreviatio* termini a Deo positi, quam *longævitas absoluta*, aut *mors præcox*, per metony. *antecedentis pro consequente*, ut Paulus explicat verba Legis, Eph. vi. 1. *Ut sis longævus super terram.* Rursus abbreviari vel prolongari dies alicujus dicuntur, non absolute et simpliciter ultra terminum singulis a Deo positum; sed tantum comparate tum ad alios, tum ad naturæ leges et cursum ordinarium, tum ad ipsorum vota et expectationem. Nam ut quibusdam diutius vivere datur, quam vel ipsi crediderant, vel alii speraverant; Ita multi calculos suos male ponunt, dum in florenti ætate et fortuna sentiunt vitæ filum abrumpi, multo citius quam sibi persuaserant.

XVII. Quamvis longitudo dierum promittatur pietati, et brevitas impiis denuncietur, non propterea terminus vitæ suspenditur a conditione incerta hominis, quia Deus qui decrevit eos ad pietatem deducere, decrevit etiam longævitatem ipsis concedere, coronando dona sua, non ipsorum merita, et si abbreviat vitam impiorum ob ipsorum scelera, eodem consilio quo decrevit illa permittere, decrevit etiam illa hoc pacto punire. Promissiones ergo et comminationes non declarant quid Deus de singulis apud se decreverit, sed quales sive longævitate ornare, sive brevitate vitæ multare velit, et quæ præmia pietati, quas pœnas impietati posuerit, quæ tamen, pro natura rerum temporalium, semper cum conditione voluntatis ejus intelligendæ sunt, qui potest prout expedire judicat, vel vitam contrahere piis ad ipsorum salutem, vel impiis producere ad graviorem ipsorum pœnam.

XVIII. Licet possibile fuisset hunc vel illum diutius vivere, in sensu diviso, et seposito Dei decreto, tamen in sensu composito, et ex decreti hypothesi, necesse erat ut eo loco et tempore, et eo modo moreretur. Quamvis Lazarus moriturus non fuisset, si Christus dum ægrotabat eum visitasset; tamen ita divinitus erat constitutum, ut Christus abesset, ut moreretur.

XIX. Tantum abest ut certitudo finis et eventus tollat necessitatem et usum mediorum, ut ea supponat potius, quia Dei decreto talia media instituta sunt ad futuritionem rei: Licet Ezechiæ prorogata fuisset vita, ut de eo dubitare non posset, non ideo debuit cibum negligere, sed contra debuit subservire hac in parte consilio Dei: Sic Act. xxvii. 24, Deus vitam omnium quotquot in navi erant dederat Paulo, tamen cum nautæ vellent se subducere, dicit Apostolus Centurioni, *nisi manserint isti, servari non potestis.* Unde patet Medicorum operam, qui a Deo in morborum levamen instituti sunt, sine temeritate negligi non posse, licet in illis fiducia non sit collocanda; nec cessare debent illi ab opere, quia nesciunt, nec opus est ut sciant, quid Deus de vita vel morte ægri constituerit; nostrum est facere quod nostri est officii, et Deo eventum committere; Si terminus vitæ nondum accessit, benedicet remediis, et iis utetur ad finem suum obtinendum. Sin aliter de eo statuerit, frustra erunt artes Medici, sed fecerit tamen ille officium suum.

XX. Licet fixus sit vitæ Terminus, bene tamen preces pro longæva

Digitized by Google

vita possunt concipi, tum quia terminus ille nemini cognitus est, tum quia preces debent semper esse ex hypothesi voluntatis Dei, cui se suaque omnia fideles semper submittere debent.

XXI. Qui violentas sibi manus inferunt, non possunt hinc excusari, quia tale scelus non committunt, ut decreto Dei, quod ignorant, morem gerant, sed ut furorem diabolicum, quo perciti sunt, expleant; Nec magis excusantur apud Deum ob terminum vitæ suæ ita fixum, quam latrones in necando viatore, qui ex Dei providentia in eorum manus incidit.

XXII. Doctrina de Termino vitæ fixo, sic debet nos fortes et imperterritos reddere in periculis omnibus quæ nos circumstant, dum vocationem nostram sequimur; ut non faciat nos temerarios ad tentandum Deum, et adeunda quælibet pericula sine necessitate; ut Turcæ hoc prætextu, quod dies ipsorum numerati sint, nullum fugiunt discrimen, et nihil sibi metuunt a peste, ejusque contagio, quos propterea *securos a peste, sed non tutos hæc opinio præstat*, ut scite Busbequius loquitur, epist. 4.

XXIII. Sive quis moriatur semel, aut bis, ut in Lazaro, et filia Jaïri visum, sive non moriatur, ut Enoch, aut tantum immutetur, ut fideles superstites novissimo die, 1 Cor. xv. 51, manet tamen immobile Dei decretum, quo singulis præfixit aut vitam, aut mortem, unam, vel geminam, aut transmutationem.

XXIV. Incolæ primi mundi, Sodomitæ, et similes peccatores prorogare poterant vitam, si resipuissent; non ultra terminum a Deo fixum, quia ut non decreverat illis dare resipiscentiam, ita nec vitam eorum prorogare voluit, sed respectu causarum naturalium et cursus ordinarii vitæ.

XXV. Ninivitis denunciatus fuit interitus sub conditione, nisi resipiscerent, sed tacita et subintellecta, quod ut fieret, Deus terribili Prophetæ comminatione effecit.

XXVI. Quum Moses, Ps. xc. 10, dicit *dies vitæ nostræ esse septuaginta, vel octoginta annos;* non loquitur de termino vitæ speciali cuique individuo constituto, sed tum de termino generali, ad quem vita Israëlitarum sui temporis redacta erat, quorum corpora cadebant in deserto, et quidem magnam partem intra illum terminum 70 aut 80 annorum; tum de termino communi posito vitæ hominum, qui ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ intra terminum istum consistit, et quidem in valentioribus, paucis illum et rarissime superantibus.

XXVII. Huc non male refertur, quod passim apud Philosophos et Poëtas profanos de lethi certitudine et inevitabilitate legitur, ut illud Pindari Pythi. ode 12, τὸ γε μόρσιμον οὐ πάρφυκτον, id. *fatale decretum non est evitabile.* Unde nomen *mortis* videtur originem ducere a voce μόρος quæ apud Poëtas pro letho sumitur; μόρος enim a verbo μείρω deducitur, quasi μεμερισμένος τοῖς πᾶσιν, ἐκ δὲ τοῦ μόρος γίνεται μορισμον, ut loquitur Etymo. magn., et per metathesin σ, μόρσιμον, τὸ περαιωμένον καὶ τὸ εἱμαρμένον. Eo etiam pertinent ista Lucretii, lib. iii.

Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat
Nec devitari lethum pote, quin obeamus.

Et ista Silii Italici,

Et pace et bello cunctis stat terminus ævi,
Extremumque diem primus tulit.

a quibus non abludunt hæc Ciceronis de senectute, "Quod cuique tem-

Digitized by Google

poris ad vivendum datum, eo debet contentus esse." Et Senecæ de Consola. ad Marcium, c. 20. "Nemo nimis cito moritur, qui victurus diutius quam vixit non fuit; fixus est cuique terminus; manebit semper ubi positus est, nec illum ulterius diligentia aut gratia promovebit."

www.libtool.com.cn

QUÆSTIO VI.

DE PRÆDESTINATIONE.

An Prædestinatio publice doceri, et prædicari debeat? Affirm.

Occasio Quæstionis.

I. Occasionem huic Quæstioni jam olim dederunt tempore Augustini, nonnulli ex Gallis fratribus: Cum enim ille in libris contra Pelagianos multa inseruisset et inculcasset de Prædestinatione, ut hac ratione veritatem adversus impia illorum dogmata defenderet, hac doctrina varios turbatos esse, constat ex duabus epistolis *Prosperi* Augustini discipuli, et *Hilarii* Arelatensis Episcopi, quæ præfixæ sunt lib. de Prædestinatione Sanctorum, et bono perseverantiæ, Tom. vii. Oper. August. Causa fuit, non quod eam omnino falsam judicarent, sed quod existimarent ejus prædicationem periculosam esse, et invidiosam, quæ premenda potius esset silentio, quam in medium proponenda.

II. In ea etiam nonnulli sunt hodie sententia, qui pertæsi contentionum, quæ circa hanc doctrinam omnibus pene seculis exortæ sunt; putant tutissimum esse ad pacem Ecclesiæ, et ad tranquillitatem conscientiæ, has Quæstiones non attingere, utpote quibus injiciantur animis scrupuli, et subnascantur dubitationes, quæ infirmorum fidem labefactare possint, et homines ad desperationem, vel securitatem carnalem impellere. Sed hæc oratio honestior est, quam verior, nec facile recipi potest ab iis, qui norunt fructus uberrimos consolationis et sanctificationis, qui ex hac doctrina bene intellecta ad fideles redeunt.

III. Unde sic statuendum putamus, doctrinam istam, nec præposterse modestiæ obtentu penitus esse supprimendam, nec præsumptione temeraria curiosius esse rimandam, sed sobrie et prudenter, ex Dei Verbo esse docendam, ut ita duo infames scopuli declinentur; hinc *affectatæ ignorantiæ*, quæ nihil videre vult, et in revelatis sponte cœcutit; inde *curiositatis temerariæ*, quæ nihil non videre et cognoscere etiam in arcanis satagit. In primum impingunt, qui *in defectu* peccantes, ab istius doctrinæ propositione abstinendum esse putant; In alium vero, qui in *excessu* errantes, volunt omnia in hoc mysterio ἐξερευνᾶν, nec in eo quicquam ἀνεξιχνίαστον esse arbitrantur. Adversus utrosque statuimus cum Orthodoxis, posse cum fructu doceri Prædestinationem, modo sobrie ex Dei Verbo doceatur.

Prædestinatio est docenda.

IV. Rationes sunt, 1. Quia Christus et Apostoli non semel eam docuerunt, ut constat ex Evangelio, Matt. xi. 20, 25, et xiii. 11, et xxv. 34; Luc. x. 20, et xii. 32; Joh. viii. 47, et xv. 16, et alibi non semel; et ex Epistolis Paulinis, Rom. ix. toto et viii. 29, 30; Eph. i. 4, 5; 2 Timot. i. 9; 1 Thess. v. 9; 2 Thess. ii. 13. Nec aliter Petrus, Jacobus et Johannes se gerunt, qui identidem occasione data de hoc mysterio loquuntur. Jam si illis licuit docere, cur non nobis discere? Cur doceret Deus quod ἄῤῥητον fuerat ἄμυητον? aut cur ea voluit vulgari, quæ melius nesciuntur? An prudentiores Deo esse volumus, vel leges illi præscribere?

Digitized by Google

V. 2. Quia unum est ex primariis Evangelii capitibus, et fidei fundamentis, quod non potest sine insigni Ecclesiæ et fidelium detrimento reticeri, utpote quod fons est gratitudinis nostræ erga Deum, radix humilitatis, fundamentum et anchora fiduciæ firmissima in omnibus tentationibus, consolationis dulcissimæ fulcrum, et potentissimum ad pietatem et sanctimoniam incitamentum.

VI. 3. Importunitas Adversariorum, qui primarium hoc fidei Caput exitialibus erroribus corruperunt, et infames quibus subinde doctrinam nostram proscindere solent calumniæ, Tractationis istius necessitatem nobis imponunt, ut veritas in aperta luce collocetur, et ab hominum maleferiatorum falsissimis et iniquissimis criminationibus liberetur; quasi fatalem et Stoïcam necessitatem inducamus, quasi per eam extinguamus omnem in animis hominum religionem, et eos vel in securitatis et profanitatis pulvinar, vel in desperationis barathrum projiciamus; quasi Deum crudelem, hypocritam, et authorem peccati, horresco referens, constituamus. Quæ omnia cum sint falsissima, necessario debent refelli, sobria et salutari istius doctrinæ ex Verbo Dei propositione.

Fontes Solutionum.

VII. Licet profani non raro abutantur ista doctrina perperam intellecta; non propterea legitimus ejus usus erga pios debet tolli, nisi majorem profanorum, quam fidelium rationem habere vellemus; 2. Si propter abusum quorundam abstinendum esset ab istius Mysterii propositione, abstinendum esset pariter a plerisque Religionis Christianæ mysteriis, quibus profani abutuntur, vel quæ irrident et insectantur; qualia sunt Mysteria Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, et similia. 3. Calumniæ quibus Pseudapostoli doctrinam Pauli infamabant, non potuerunt efficere ut illam silentio premeret, imo divine suo more eam executus est, ut Adversantium os occluderet. Cur ergo ab ea nobis temperabimus? sequamur modo Pauli vestigia, et cum eo loquamur et taceamus.

VIII. Si quidam doctrina ista abutuntur, vel ad licentiam, vel ad desperationem; hoc non fit per se ex ipsa doctrina, sed per accidens ex hominum vitio, qui detorquent eam pessime ad proprium exitium. Imo nulla est doctrina ex qua potentiores ad pietatem petantur stimuli, et uberiores fiduciæ et consolationis rivuli dimanent, ut suo loco videbitur.

IX. Prædestinationis Mysterium est sublimius, quam ut a nobis possit capi, quoad τὸ διότι, et temerarius esset qui hujus rationes vel causas invenire vellet, vel reddere; Sed non obstat tamen quominus τὸ ὅτι clare doceatur in Scriptura, et a nobis teneri firmiter debeat: Duo ergo hic distinguenda sunt, alterum quod Deus in Verbo revelavit, alterum quod celavit; illud aspernari non possumus nisi perperam, hoc investigare nisi temere nequimus. *Arcana Deo*, inquit Scriptura, *sed revelata nobis et filiis nostris*, Deut. xxix. 29. Revelata negligere est ingrati, sed occulta quærere est superbi. *Non ideo negandum est quod est apertum, quia comprehendi non potest quod est occultum*, ut ait Aug.

X. Patres ante August. parcius de hoc mysterio locuti sunt, non quod judicarent doctrinam esse silentio premendam, sed quia non dabatur occasio fusius de ea disputandi, nondum exorta hæresi Pelagiana, imo securius aliquando locutos fuisse certum est: non tamen hanc veritatem penitus tacuisse (nam ignorare qui potuerunt in Scriptura sacra tam clare proposita?) probat August. lib. de bono Perseverantiæ, adductis in hunc finem ex Ambrosio, Cypriano, Nazianzeno testimoniis, cap. 15.

Quomodo Prædestinatio sit docenda.

XI. Licet vero docendam censeamus Prædestinationem, non propterea fibulam curiositati humanæ laxandam arbitramur, sed magna *sobrietate et prudentia* hic opus esse

Digitized by Google

credimus, tum ut maneamus intra terminos a Scriptura præscriptos, nec sapiamus παρ' ὃ γέγραπται, tum ut prudenter rationem habeamus personarum, locorum et temporum quibus proponi debet; Nec enim quibusvis statim, et primo ingressu hoc mysterium tradi debet, sed paulatim, et per gradus; nec æque quoad omnes suas partes, quædam enim sæpius inculcari debent ut utiliores, et ad solatium piorum accommodatiores, ut Electionis doctrina, aliæ vero parcius tractari, ut Reprobatio; Nec tam plebi in Ecclesia proponi, quam τοῖς μύσταις in Schola. Rursus, Prædestinatio non tam *a priori* spectanda est, quam *a posteriori;* non ut descendamus a causis ad effecta, sed ut ascendamus ab effectis ad causas; non ut curiose *librum vitæ* evolvamus, ut videamus, an nomina nostra ibi inscripta sint, quod nobis interdictum, sed ut solicite *librum conscientiæ* versemus, quod nobis non modo permissum, sed et mandatum, ut sciamus, an sigillum Dei impressum sit cordibus nostris, et an fructus electionis, fides scil. et pœnitentia, in nobis deprehendantur, quæ tutissima est procedendi via ad salutarem doctrinæ istius cognitionem: Uno verbo, curiosæ omnes et vanæ quæstiones hic sunt fugiendæ, et quas Paulus vocat, 2 Tim. ii. 23, ἀπαιδεύτους ζητήσεις καὶ ἀπεράντους, quæ pugnas et contentiones solent excitare; et scopus unicus nobis esse debet fidem instituere, non curiositatem pascere, ædificationi consulere, non gloriæ nostræ velificari.

QUÆSTIO VII.

Quo sensu vox Prædestinationis, προγνώσεως, ἐκλογῆς, προθέσεως, in hoc Mysterio usurpentur?

I. Cum Scriptura variis utatur vocibus in hoc Mysterio explicando, quarum genuina significatio multum lucis affert ad rei ipsius cognitionem; De illis in antecessum quædam præmittenda sunt.

Prædestinatio. II. Prima hic occurrit vox *Prædestinationis*, quæ non levi brachio est prætereunda: Quamvis enim vox προορισμοῦ non extet in Scriptura, verbum tamen unde deducitur non semel legitur, Act. iv. 28; Rom. viii. 29, 30; Eph. i. 5. Prædestinare autem seu προορίζειν, ex vi verbi, est 'de rebus antequam fiant aliquid definire, easque ad certum finem dirigere.'

III. Trifariam autem sumitur apud Authores. 1. *Latius* pro omni decreto Dei circa Creaturas, et potissimum circa Creaturas intelligentes in ordine ad ultimum earum finem; Et sic non semel apud Patres usurpatur pro ipsa Providentia. 2. *Specialius* pro consilio Dei de hominibus lapsis, vel salvandis ex gratia, vel damnandis ex justitia, quod vulgo Electio et Reprobatio dicitur. 3. *Specialissime* pro decreto Electionis, quæ Prædestinatio Sanctorum dicitur. Rursus juxta ultimam hanc σχέσιν bifariam sumi potest, non modo pro destinatione ad finem, sed singulariter pro *destinatione ad media*, quo sensu usurpatur a Paulo, Rom. viii. 29, 30, quum ait Deum eos quos præcognovit *prædestinasse, ut sint conformes imagini Filii sui*, ubi manifestum est prædestinationem distingui a præcognitione, et respicere potissimum media, non finem. Ita Eph. i. 5, postquam dixit Apostolus Deum nos elegisse in Christo, addit προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν, ut notet destinationem mediorum, quæ ad salutem ab electione destinatam obtinendam ordinantur.

IV. Circa vocem istam autem quæritur, An referenda sit tantum ad Electionem, An Reprobationem etiam complectatur? Quæ Controversia olim acriter disceptata fuit in causa Godeschalci seculo nono, Johanne

Digitized by Google

Erigena Scoto eam Electioni tantum convenire statuente, (lib. de unica Prædestinatione;) Godeschalco autem et Lugdunensibus, et eorum nomine Remigio Episcopo, ad Reprobationem eam extendentibus. Idem nunc inter Nos et Pontificios quæritur. Pontificii enim, quibus Reprobationis nomen exosum est, primo sensu usurpandam esse pertendunt, unde reprobos, non prædestinatos, sed *præscitos* vocare solent: et non supponunt, sed opponunt reprobationem prædestinationi, ut Bell., Greg. de Valen., Pighius lib. viii. de libero Arbit. c. 2. Ad quos nonnulli etiam ex Orthodoxis accedere videntur, licet non eodem fine. Nos vero quamvis libenter fateamur, nomen Prædestinationis ex usu Scripturæ sæpius restringi ad Electionem; tamen non tantum ex propria vocis significatione, sed etiam ex usu Scripturæ et recepta consuetudine, recte extendi ad Reprobationem censemus, ut utramque consilii divini partem ambitu suo complectatur, tum Electionem, tum Reprobationem, quo sensu hic a nobis sumitur.

Prædestinatio complectitur Electionem et Reprobationem.

V. Rationes sunt. 1. Quia Scriptura verbum προορίζειν extendit ad actus scelestos reproborum, qui crucifixionem Christi procurarunt, *Filius hominis abit, κατὰ τὸ ὡρισμένον*, Luc. xxii. 22; et Act. iv. 28. *Nihil Herodes et Pontius Pilatus fecerunt, quam quoad manus et consilium Dei προώρισαν fieri.* Nec excipi debet, non agi de eorum reprobatione, sed ordinatione crucifixionis ad bonum finem. Quia ista non sunt opponenda, sed componenda; Crucifixio enim Christi, quæ nobis est medium salutis, Crucifigentibus fuit medium damnationis, quod a justissimo Dei decreto pependit.

VI. Secundo, Scriptura utitur phrasibus æquipollentibus, quum ait quosdam positos esse ad iram, 1 Thess. v. 9, 1 Pet. ii. 8, coagmentatos ad interitum, Rom. ix. 22, scriptos ad judicium, Jud. 4, factos ad dedecus, Rom. ix. 21, et ad diem mali, Proverb. xvi. 4. Si Reprobatio istis phrasibus describitur, cur non poterit exprimi Prædestinationis voce? Tertio, quia definitio Prædestinationis, ordinatio scilicet rei ad finem per media antequam sit, non minus convenit Reprobationi quam Electioni. Quarto, Patres non semel ita loquuntur: Concilium Valentinum, "Confitemur Prædestinationem electorum ad vitam et Prædestinationem impiorum ad mortem." August. Enchi. ad Laur. c. 100. "Implet ipse quod vult, bene utens et malis tanquam summe bonis ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam." Et de Peccato, meritis et remiss. l. ii. c. 17, de C. D. l. xxi. c. 24; Fulgen. ad Monimum lib. i.; Prosper. ad Capit. Gall. c. 14; Isido. lib. ii. de summo bono, c. 6, "Gemina est prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem."

VII. Quamvis vero Prædestinatio nonnunquam stricte sumatur in Scriptura pro Prædestinatione Sanctorum, seu Electione ad vitam; Non sequitur non posse latius usurpari. Nec si objecta reprobationis et electionis sunt opposita, statim ipsi actus a parte Dei sibi invicem adversantur, imo ab eadem causa liberrime agente possunt proficisci.

Πρόγνωσις non sumitur theoretice, sed practice.

VIII. Secunda vox, quæ hic sæpius recurrit, est πρόγνωσις, de qua Paulus non semel loquitur, Rom. viii. 29, οὓς προέγνω, et Rom. xi. 2, non rejecit populum quem προέγνω, et Petrus c. i. primæ, v. 2, electi dicuntur κατὰ πρόγνωσιν. Quia vero Pelagiani veteres et recentiores perperam hac voce abutuntur ad stabiliendam prævisionem fidei et operum; observandum, πρόγνωσιν bifariam posse sumi, vel *theoretice*, vel *practice;* priori modo pro simplici notitia Dei rerum futurarum, quæ præscientia dicitur, et pertinet ad intellectum; posteriori pro dilectione practica, et decreto quod Deus de hujus vel illius salute statuit, et ad voluntatem spectat; hoc sensu cogni-

Digitized by Google

tio sæpe ponitur pro dilectione et approbatione, Ps. i. 6; Joh. x. 14; 2 Tim. ii. 19. Sic γινώσκειν non modo rem aliquam cognoscere, sed et de ea cognoscere et judicare significat, ut *Plebiscitum* non est plebis notitia, sed *sententia*, a verbo *sciseo*, quod decernere et statuere significat: Quum ergo Scriptura utitur voce προγνώσεως in doctrina de Prædestinatione, non eam usurpat priori sensu, pro nuda Dei præscientia, qua fidem vel opera hominum præviderit, 1. quia illa præcognovit etiam quos reprobavit, at hic agitur de præcognitione electis propria, 2. nuda præscientia non est rerum causa, nec modum aut ordinem rebus imponit, sed invenit, ut hic fit tamen in serie salutis, 3. quia nihil prævideri a Deo potuit, nisi quod ipse dederit, quodque adeo sequatur tanquam effectum Prædestinationem, non vero præcedat ut causa, ut postea probabitur. Sed sumitur posteriori sensu pro *præcognitione practica*, id. dilectione et electione Dei, ne putemus illam esse ἄλογον, licet rationes sapientiæ ejus nos lateant, quo modo *Christus* dicitur προεγνωσμένος *præcognitus a Deo*, id. ordinatus, *ante jacta mundi fundamenta*, 1 Pet. i. 20.

IX. Rursus, quia in benevolentia illa Dei et præcognitione practica distinguimus, 1. amorem et benevolentiam, qua nos prosequitur, 2. decretum ipsum, quo constituit amorem suum in nos explicare per communicationem salutis: hinc fit ut πρόγνωσις modo latius sumatur pro utraque, *dilectione* scilicet et *electione*, quo sensu usurpatur, Rom. viii. 29, et Rom. xi. 2, modo strictius pro *dilectione* et favore, qui fons est et fundamentum electionis, et ita Petrus i. 2, de ea loquitur, quando dicit fideles electos esse κατὰ πρόγνωσιν *secundum præcognitionem*, id. ex dilectione Dei.

Ἐκλογή. X. Tertio, est expendenda vox ἐκλογῆς, seu *Electionis*, quæ subinde occurrit, sed non semper eodem significatu; aliquando notat *vocationem ad munus* aliquod politicum vel sacrum, ut 1 Sam. x. 24, Saul vocatur electus, et Jo. vi. 70, Judas electus, scil. ad Apostolatum. Aliquando cooptationem et segregationem externam populi alicujus ad fœdus Dei, quo sensu populus Israëliticus dicitur a Deo electus, Deut. iv. 37. Sed in hoc negotio sumitur proprie pro Electione ad æternam salutem, scilicet pro Dei consilio, quo Deus decrevit quorundam misereri ex gratia, eosque a peccatis per Filium liberatos salvare. Rursus eo respectu, vel sumitur *objective*, pro ipsis electis, ut Rom. xi. 7, ἐκλογὴ ἐπέτυχεν, *Electio obtinuit, reliqui occalluerunt*, id. electi; vel *formaliter* pro actu Dei eligentis, qui vocatur ἐκλογὴ χαρίτος, Rom. ix. 11, quæ iterum spectatur, vel in antecedente decreto, quomodo facta est ab æterno, vel in subsequente executione, quomodo fit tantum in tempore per vocationem, quo Christus respicit Joa. xv. 16, *Vos non me elegistis, sed ego vos elegi*. Et v. 19, *Non estis ex mundo, sed ego vos elegi ex mundo*. August. utramque σχέσιν conjungit de Prædesti. Sanctorum c. xvii. "Electi sumus ante Mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta prævidit; de mundo autem electi sumus in ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit implevit."

XI. Ita Electio vi vocis strictior est Prædestinatione; Nam omnes possunt prædestinari, sed non omnes possunt eligi, quia qui eligit, non omnes sumit, sed aliquos e multis legit; Electio aliquorum necessario aliorum præteritionem et rejectionem infert, *Multi vocati*, inquit Christus, at *pauci electi*, Mat. xx. 16, et Paulus Rom. xi. 7, *Electi assecuti sunt, reliqui occalluerunt*, hinc 2 Thess. ii. 13, utitur verbo εἵλετο ad electionem designandam, quod secretionem aliorum ab aliis innuit, *Deus vos εἵλετο a principio*, id. *exemit et separavit ad salutem in sanctificatione spiritus, et fide veritatis*.

Digitized by Google

Πρόθεσις. XII. Quarto, πρόθεσις a Paulo sæpe usurpatur in Electionis negotio, Rom. viii. 28, et ix. 11, Eph. i. 11, ad designandum, consilium hoc Dei non esse inanem quandam et inefficacem velleitatem, sed constans, determinatum et immutabile Dei propositum. Vox enim est efficaciæ summæ, ut notant Grammatici veteres, et signate vocatur a Paulo, πρόθεσις τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος, *consilium illius qui efficaciter omnia operatur ex beneplacito suo*, Ephes. i. 11. Aliquando electioni tribuitur, ut Rom. ix. 11, πρόθεσις κατ' ἐκλογήν, *propositum Dei secundum electionem*, et Eph. i. 11. *prædestinari dicimur κατὰ πρόθεσιν*; aliquando vocationi jungitur, Rom. viii. 28, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς, *qui vocati sunt secundum propositum*, quia tum Electio, tum Vocatio, hoc Dei proposito nititur, et in eo fundatur.

XIII. Licet autem istæ voces sæpe promiscue usurpentur, non raro tamen distinguuntur, nec sine ratione a Spiritu S. adhibentur, ad varias istius decreti σχίσεις designandas, quæ unica voce non ita commode possent explicari. Nam ut decretum istud potest concipi, vel ratione *principii* a quo oritur, vel ratione *objecti* circa quod versatur, vel ratione *mediorum*, per quæ impletur, ratione prioris mentio fit προθέσεως vel εὐδοκίας, quæ consilium et beneplacitum Dei notat, ut primam causam istius operis; ratione posterioris dicitur πρόγνωσις, vel ἐκλογή, quæ versatur in secretione certarum personarum ab aliis ad salutem; ratione vero postremi usurpatur vox προορισμοῦ, secundum quem Deus præparavit media ad finem obtinendum necessaria; πρόθεσις respicit finem, πρόγνωσις objecta, προορισμὸς media; πρόθεσις certitudinem eventus, πρόγνωσις et ἐκλογὴ personarum singularitatem, et distinctionem, προορισμὸς mediorum ordinem; ut Electio sit certa et immutabilis per πρόθεσιν, determinata et definita per πρόγνωσιν, et ordinata per προορισμόν.

XIV. Hisce vero tribus gradibus, si ita loqui licet, decreti æterni, ex adverso tres actus in executione temporali respondent, vocatio, justificatio, et glorificatio: Ut enim glorificabimur apud Patrem, redempti per Filium, et vocati per Spiritum Sanctum; Ita Pater nos glorificare proposuit apud seipsum ab æterno, hæc est πρόθεσις; elegit in Filio, hæc est πρόγνωσις; prædestinavit ad gratiam et dona Spiritus Sancti, qui Filii obsignat imaginem in nobis per sanctitatem et patientiam crucis, is est προορισμὸς. Sicut enim Pater mittit Filium, Filius cum Patre Spiritum Sanctum; Ita vice versa Spiritus S. nos ad Filium ducit, et Filius ad Patrem deducet tandem.

XV. Hæc autem vocabula quibus describitur Prædestinatio Membrorum, usurpantur etiam ad exprimendam Prædestinationem Capitis. Nam de eo pariter dicitur πρόθεσις, Rom. iii. 25, quum ait Paulus ὃν προέθετο ἱλαστήριον &c., πρόγνωσις, 1 Pet. i. 20; ubi dicitur προεγνωσμένος, et προορισμὸς, non modo quando dicitur ὁρισθὶς Filius Dei, Rom, i. 4, sed et quum mors ipsius dicitur contigisse ex definito Dei consilio, Act. ii. 23, et ex ejus prædestinatione, qui προώρισεν fieri quæcunque ab Herode et Pontio Pilato gesta sunt.

Digitized by Google

QUÆSTIO VIII.

DE ANGELORUM PRÆDESTINATIONE.

www.libtool.com.cn

Ad detur Prædestinatio Angelorum, et An sit ejusdem generis et ordinis cum Prædestinatione hominum? Prius aff., Poster. neg.

I. Licet Scriptura longe parcius loquatur de Prædestinatione Angelorum, quam de Prædestinatione hominum, quam nosse plurimum nostra refert; Quia tamen ad nostram ædificationem pertinere judicavit quædam de ea tradere; nostrum est eam ducem sequi, et ab ea discere, quæ super hoc argumento docere nos voluit.

Datur Angelorum Prædestinatio.

II. Dari Prædestinationem Angelorum Scriptura testatur aperte, quum meminit Angelorum Electorum, *Obtestor te*, inquit Paulus ad Timoth. primæ, c. v. 21, *coram Deo et Angelis electis*, quod non tantum *adjective* dicitur, quia sunt eximii et præstantes, sed etiam *participaliter*, quia sunt a Deo electi, ut ita a reprobis discernantur, quorum etiam reprobatio non semel describitur, quando dicuntur catenis caliginis traditi damnationi servari judicio magni illius diei, 2 Pet. ii. 4, et Jud. 6, et ignis æternus illis paratus statuitur ab æterno, non materialis et sensibilis, qui Spiritus attingere non potest, sed spiritualis et intelligibilis, quo torquentur animæ, Matth. xxv. 41. Unde casus eorum proponitur, Luc. x. 18; Apoc. xii. 10, et xx. 10.

Objectum ejus.

III. Quale autem fuerit ejus *objectum*, quæritur, id. quales Deo prædestinanti obversati sint Angeli; Volunt quidam fuisse *pares*, non *impares*, id. integros adhuc et stantes, sed labiles, ex quibus quosdam e lapsu præservare et in bono confirmare, alios lapsui permittere, et propter peccatum damnare decreverit; quod quidem vere dici potest, si Reprobatio latiori sumatur significatu, prout decretum non præservandi a lapsu, et illum permittendi includit, sic enim objectum ejus non potest non esse Angelus integer, sed labilis: Verum si strictius et magis proprie intelligitur, prout notat decretum deserendi in lapsu, et damnandi propter lapsum; Angeli non possunt hic spectari tantum ut integri, at labiles, ut respectu electorum; sed ut lapsi; Primo, quia labilitas Creaturæ eum non facit reprobabilem, sed lapsus; nec jure quis pœnæ addicitur, aut addicendus decernitur, eo quod peccare possit in Leges, sed quod de facto peccasse supponatur. Deinde reprobatio omnis absolute considerata est actus justitiæ et iræ, siquidem per illam vasa iræ fiunt, et coagmentantur ad interitum, Rom. ix. 22, unde non potest simpliciter esse actus beneplaciti, ut permissio peccati, quæ a solo ejus beneplacito pependit, quippe, cum omnes paris essent conditionis, et pariter labiles, a sola ejus *sidenia* factum, quod horum potius quam illorum lapsum permittere decreverit. Tertio, quia Prædestinatio hominum supponit peccatum, ut postea probabitur; ergo et Angelica respectu reprobationis, ratio enim diversitatis commoda dari nequit.

IV. Scriptura eo nos videtur deducere, quæ reprobationem ut consequens peccati considerat, quum ait "Deum non pepercisse Angelis lapsis," 2 Pet. ii. 4, "Sed eos catenis caliginis detrusos tradidisse, ut asservarentur ad judicium." Et Jud. 6, dicit "reservasse judicio magnæ dici Angelos, qui non servarunt suam originem;" Ergo per prius concipiuntur peccasse et deseruisse originem suam, quam concipiantur reprobati, cum primus gradus reprobationis in derelictione in lapsu, et abdicatione a facie Dei

Digitized by Google

collocetur. Non ergo reprobavit et pœnæ æternæ devovit, quos sineret labi, sed eos quos siverat labi sua ipsorum culpa, reprobavit, et abdicavit in æternum.

V. Licet vero permissio lapsus Angelorum supponatur eorum Reprobationi, non propterea sine fine a Deo decreta censebitur; finis enim illius decreti potuit esse manifestatio gloriæ Dei in infirmitate Creaturæ, ut discrimen creaturæ mutabilis et labilis, a Creatore immutabili et æterno clarius pateret; Unde lapsus in tempore non fuit medium exequendæ reprobationis, sed fuit conditio in objecto requisita, ad quam sequebatur reprobatio, tum quoad desertionem in lapsu, tum quoad damnationem.

VI. Atque hinc colligitur primum discrimen Prædestinationis Angelorum et hominum: Quod in ista obversentur Deo homines pares, in eadem corruptionis massa, et ut peccatores et lapsi; Sed in illa Angeli dispares Deo objecti sint. Nam qui electi sunt ex ipsis, spectati sunt ut stantes Dei gratia, qui vero reprobati, ut lapsi propria culpa. Labilitas quidem fuit communis omnium, sed non propter eam reprobari debuerunt, alias omnes reprobandi fuissent, quia fuit hic status naturæ integræ; sed propter lapsum, qui fuit status naturæ corruptæ, atque adeo juste reprobabilis.

Electio Angelorum.

VII. Ut vero de utraque Prædestinationis Angelorum parte aliquid dicamus: Prima occurrit *Electio* bonorum, quæ duobus actibus absolvitur, *Præservatione a lapsu*, seu *confirmatione in bono*, et *destinatione ad vitam et felicitatem supernaturalem*, quorum utrumque ex eventu patet. Cum enim quidam ex ipsis originem suam servarint, et in bono sint confirmati, ut faciem Patris videant continuo, Matth. xviii. 10, dubitari nequit quin hoc ab Electione pendeat, siquidem non potuit oriri a natura, quæ fuit omnium communis ex Creatione, communia autem non faciunt discrimen. Interim gratia, vel virtus qua steterunt Angeli boni usque ad confirmationem suam, et aliorum lapsum, distinguenda est a *gratia confirmante*, quæ fuit primum Electionis beneficium: Nam quamdiu steterunt antequam confirmarentur, stabant per eas vires quas acceperant in Creatione, et quæ illis concreatæ erant, per quas etiam Angeli mali steterunt usque ad lapsum; sed quando confirmati sunt, non tantum ut non laberentur, sed ut neque essent amplius labiles, hoc ab Electione fluxit, quæ hos ab illis secrevit. Antea habuerant *auxilium sine quo non*, quod illis sufficiebat ad standum si voluissent; sed per Electionem habuerunt *auxilium quo* actu et immutabiliter starent, cujus vi, ex statu labilitatis traducti sunt ad statum immutabilem felicitatis et gloriæ inamissibilis.

VIII. Quamvis vero ista Electio non possit dici gratuita, eo modo quo Electio hominum, quæ sola Dei miscericordia nititur, non desinit tamen esse gratuita, quia Deus ad eam non tenebatur. Nam licet ex hypothesi decreti de creandis Angelis, eos bonos et sanctos, non peccatores, creare debuerit; non tenebatur illos creare justos immutabiliter, et nullam fecit injuriam iis quos labi permisit sua ipsorum culpa, et citra ullam injuriam potuisset alios in isto labilitatis statu relinquere. Quod ergo gratiam confirmationis illis largiri voluerit, fuit ex beneplacito suo, non ex ipsorum merito.

An Angeli electi sint in Christo.

IX. Quomodo autem confirmationis istius gratiam consecuti sint, et An *in Christo* bene dicantur electi, quæritur inter Theologos, nec omnes inter se consentiunt. Consentiunt quidem omnes, non posse dici *electos in Christo Redemptore*, quia ubi non est peccatum, ibi non datur redemptioni locus: Sed in eo dissident; An aliqua saltem ratione *Mediator* ipsorum dici possit, non quidem *Re-*

Digitized by Google

demptionis, sed *Præservationis*, *Confirmationis*, et ἀναχεφαλαιώσεως recollectionis, ut qui natura erant labiles, in gratia confirmarentur ne laberentur, et qui a lapsu præterito non erant redimendi, saltem a futuro præservarentur. Hæc fuit mens Bernardi, Serm. 22 in Canti., qui vult Christum Angelorum fuisse Redemptorem, "Quo pacto enim tu dices D. Jesum Christum bonis Angelis fuisse Redemptorem? qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum a captivitate eruens, sicut illum a captivitate defendens, et hac ratione fuit æque utrique Redemptio, solvens illum hominem, servans istum Angelum," &c.

X. Quamvis vero sententia ista nihil habeat quod repugnet analogiæ fidei, putamus tamen veriorem esse, et Scripturæ verbis magis conformem eorum sententiam, qui negant Electionem Angelorum factam esse in Christo Mediatore. Fatemur quidem confirmationis gratiam illis per Λόγον obtigisse, ut a quo entitatem acceperant, ab eodem ejus conservationem mutuarentur; quia Pater nonnisi per Filium operatur, tam in operibus naturæ, quam in operibus gratiæ, Joan. v. 17, qui fons est omnis vitæ et gratiæ. Sed hoc posse pariter de Christo θεανθρώπῳ et Mediatore dici non putamus.

Angeli non sunt electi in Christo.

XI. Rationes sunt, 1. Quia Scriptura nunquam sic loquitur, quæ Mediatorem Christum vocat inter Deum et homines, sed nunquam Angelorum, 1 Tim. ii. 5, imo expresse negat Christum assumpsisse Angelos, sed semen Abrahæ, Heb. ii. 16; 2. quia Mediator omnis supponit partes dissidentes, est enim duorum, Gal. iii. 20, at nullum erat dissidium inter Deum et Angelos; 3. quia Mediatorem utrique parti conjunctum esse oportet, quod de Christo respectu Angelorum dici nequit; 4. quia quorum Christus est Mediator, eorum est ἱλασμος, et Advocatus, quia isti sunt actus formales mediationis, 1 Tim. ii. 5, 6, et 1 Joan. ii. 1, 2. Sed cum actus illi circa peccatores tantum occupentur, non possunt locum habere respectu Angelorum.

Fontes Solutionum.

XII. Christus recte potest dici *Caput Angelorum*, ratione *dominii* et *regiminis*, quia ipsi etiam, ut Mediatori, subsunt Angeli, tanquam Domino et Regi, cui in conservanda et tuenda Ecclesia ministrant, Heb. i. 14, et hoc sensu Angeli et Potestates dicuntur illi subjici, 1 Pet. iii. 22; sed non bene dicitur *Caput influxus et sustentationis*, ut respectu fidelium, quos ut membra Corporis sui mystici sibi unit et vivificat; unde Paulus, qui Eph. i. 21, Christum exaltatum super omnem potestatem asserit, *soli Ecclesiæ datum esse in Caput* testatur, v. 22, 23, *quæ est ejus Corpus, et complementum ejus qui implet omnia in omnibus*, non sane in omnibus Creaturis, sed in omnibus fidelibus, qui pertinent ad illud Corpus suum, quod *complementum* ejus vocat, tum *active*, quia illud implet gratiis suis, tum *passive*, quia Corpus istud mysticum, ex membris istis coagmentatur et completur.

XIII. Non magis requiritur Mediator ad confirmandam Creaturam in gratia Creatoris, quam requirebatur ad eam creandam et primitus cum eo uniendam: quia eadem est utrobique ratio; si ergo Mediator non potest dici fuisse ad eorum Creationem, ergo neque ad eorum confirmationem.

XIV. *Angeli* dicuntur *immundi*, et *stolidi* coram Deo, Jobi iv. 18, et xv. 15, non *absolute*, quasi defectus aliquis culpabilis in ipsis foret, sic enim *sancti* non possent vocari, sed *comparate* quoad Deum, relate ad infinitam ejus perfectionem, quia essentialiter, immutabiliter, et independenter est Sanctus. Nec si opus habuerunt Filio Dei conservatore et confirmatore, ut in ipso et per ipsum subsisterent, per quem creati fuerant, Col. i. 16, 17, 18, statim opus habuerunt Christo Redemptore; alias etiam homo eo eguisset in statu integritatis, quod nemo tamen dixerit.

Digitized by Google

XV. Loca Eph. i. 10, ubi *omnia recollecta* dicuntur *in Christo, tam quæ in cœlis quam quæ sunt in terra*, Et Col. i. 20, *quum per ipsum reconciliata dicuntur omnia Deo, pace per sanguinem ejus facta:* non evincunt Electionem Angelorum bonorum factam esse in Christo. 1. Quia possunt referri ad homines, tam comprehensores, quam viatores, ut significetur in Christo recolligi et reconciliari Deo universam Ecclesiam, tum Veteris quam Novi Testamenti, illam triumphantem in cœlis, istam militantem adhuc in terra; atque id eo certius videtur confirmari, quod agatur de recollectione, et reconciliatione eorum qui disjecti, et divisi fuerant a Deo per peccatum, quod de Angelis dici nequit. 2. Quamvis verba extenderentur ad Angelos, non sequeretur electos fuisse et confirmatos per Christum; quia possunt dici recolligi in Christo, vel quatenus per homines in Angelorum lapsorum locum subrogatos per Christum, reparatur et resarcitur veluti eorum jactura, ut voluit *Augustinus*, Enchir. c. 62, et post eum *Lombardus*. Vel quatenus Christus pace facta Angelos hominibus conciliavit, ut posita seditione, boni cives, et rebelles, qui prius infensi erant inter se, reconciliantur, et positis odiis sub eodem Principe vivunt ita tranquille, ac si unum ex omnibus conflatum esset corpus, quæ sententia est *Chrysost.* in h. l.

XVI. Atque hinc oritur secundum discrimen Prædestinationis Angelorum, et hominum, quod isti quidem in Christo sunt electi, Ephes. i. 4, scilicet servandi et redimendi; Sed Angeli licet per Filium Dei sint confirmati, non tamen in Christo possint dici electi; qui illis quidem uti potuit, ut ministris, sed pro quibus tamen venire non debuit, ut Mediationis suæ objectis.

XVII. Posita vero quorundam Electione, sequitur aliorum Præteritio, qua non modo confirmare eos in bono noluit, sed peccatum eorum permittere, et posito lapsu, illos in eo derelinquere, et propter lapsum damnare decrevit. Quo refertur illorum Reprobatio, quæ duobus etiam actibus continetur, uno *negativo*, qui est derelictio in lapsu, alio *affirmativo*, qui est ad æternum supplicium damnatio; nec enim tantum sunt præteriti, dum negata est ipsis confirmatio in bono, et e malo erectio, sed et pœnis æternis positive sunt addicti, Matt. xxv., Jud. 6.

XVIII. Rursus in *Præteritione* duos actus possumus notare; 1. *lapsus permissionem*, quam diximus Reprobationem præcedere in signo rationis, secundo *derelictionem in lapsu:* prior est actus meri beneplaciti; nam si quæritur ratio, propter quam quosdam præservare voluit a lapsu, alios vero lapsui permittere, nulla alia reddi potest præter solum beneplacitum, quia ita illi libuit; posterior est actus justitiæ, ideo enim eos voluit in peccato derelinquere, quia hoc meruerant. Ita autem omnes in peccato deseruit, ut nulli spem gratiæ facere voluerit, vel cuiquam ex illis pepercerit, sed æterno et irrevocabili supplicio addixerit, severius cum illis, atque cum hominibus agendo, quorum nonnullos a lapsu erigere misericordia sua in Christo voluit; sed hic in casu simili, gratiam similem denegavit, parcendo hominibus, non pepercit diabolis; sed voluit ut vulnus eorum esset immedicabile, et ruina irreparabilis. Si quæritur ratio, respondet Aug.: *occulta esse potest, sed injusta esse non potest.* Variæ vulgo afferuntur probabiles. 1. Quod homo peccarit ex fragilitate, Diabolus vero ex malitia; quo sublimior autem ejus fuit cognitio, eo et gravius peccatum. 2. Quod homo ab alio seductus, Diabolus vero nullo instigante, sed propria voluntate, apostasia plane voluntaria, et prorsus spontanea. 3. Quia in Angelorum lapsu, non tota natura Angelica cecidit, at in homine peccante totum genus humanum cecidit, ideo ne totum genus interiret, divina misericordia remedium exhibuit. Sed quæcunque rationes

Digitized by Google

afferantur, in liberrimo Dei beneplacito præstat acquiescere, et grato animo φιλανθρωπίαν Dei erga nos agnoscere et celebrare, per quam relictis Angelis peccantibus, nihilo nobis inferioribus, imo longe quoad naturam præstantioribus, quibus in æquali culpa non æqualem largitus est gratiam; nos tamen in peccato pariter jacentes et reos ex lapsu, admirabili misericordia erigere et ad salutem perducere statuit.

XIX. Ut ergo Deus decrevit Angelorum creationem ad bonitatis suæ manifestationem, et permissionem lapsus eorum ad libertatis suæ, et absoluti dominii demonstrationem, et majorem gratiæ suæ, in aliis, quos præservare voluit a lapsu, illustrationem; Ita derelictionem in lapsu, et damnationem propter peccatum ipsorum, ad justitiæ suæ ostensionem constituit.

XX. Damnatio autem Angelorum, quæ est actus positivus Reprobationis, duabus partibus absolvitur, *dejectione e cælo*, et *detrusione in tartarum:* Utriusque meminit Scriptura; primæ quidem, dum dicitur e cœlo cadere, Luc. x. 18, *Contemplabar Satanam instar fulguris e cælo cadentem*, et Apoc. xii. 9, 10. *Accusator fratrum, qui vocatur Diabolus, cum Angelis suis, dicitur in terram dejectus;* quod supplicium peccato apprime respondet; Nam ut domicilium suum et originem reliquerant, sponte a Deo deficiendo, ita justissimum fuit a beatis illis sedibus exturbari longe a Dei conspectu, quomodo Rex eum ex aula sua ejicit, a quo graviter est offensus. Secundæ etiam meminit non semel, ut quum Petrus ait, *Angelos malos* ταρταρώσας ζόφου ταῖς σειραῖς *catenis caliginis vinctos in tartarum præcipitari*, cap. ii. 2do, v. 4, et Judas in judicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reservari dicit, et Apoc. xx. conjici in stagnum ignis et sulphuris, (paratum ipsis ab æterno, Matt. xxv.) dicuntur.

XXI. Licet vero justissima ista Dei sententia in Diabolum statim lata sit, non tamen statim quoad omnes partes executioni mandata est: Nam quamvis e cœlo ejectus sit, non illico in tartarum detruditur, sed permittitur illi adhuc mora quædam in mundo, Deo illi habenas aliquatenus laxante pro sapientia sua, tum ad exercitium piorum, tum ad impiorum pœnam, unde dicitur *Princeps aëris, et mundi, Deus hujus seculi*, qui instar Leonis rugientis nos circumstat, quærens quem devoret, 1 Pet. v.; quo referenda sunt, quæ Apoc. xx. de *solutione et ligatione Satanæ* habentur, *donec ultima die projiciatur in stagnum ignis et sulphuris, ubi in æternum torqueatur*, v. 10, 14.

XXII. Ex quibus patet ita in statu pœnali jam constitui Angelos lapsos, ut reprobatio sua ipsis sit cognita, sciantque ad majorem sui desperationem, nullam spei scintillam ipsis esse reliquam: ut hic etiam differant ab hominibus reprobis, quorum licet certa sit ab æterno et immutabilis reprobatio, nemini tamen dum in terra versantur, cognita est infallibiliter; sed Diaboli damnationis pœnam ita sustinent, ut sciant se esse extra omnem spem veniæ, ut tam præposteræ sit misericordiæ condolere velle illorum miseriæ, quam ridiculæ spei aliquid sperare cum Origene de eorum restitutione post varias seculorum revolutiones.

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

www.libtool.com.cn

DE PRÆDESTINATIONIS OBJECTO.

An Objectum Prædestinationis sit homo creabilis, aut labilis; An vero homo conditus, et lapsus? Prius neg., Poster affir.

Status Quæstionis.

I. Postquam de Prædestinatione Angelorum dictum est, Ad Prædestinationem hominum est veniendum: Prima quæstio respicit ejus *Objectum*, circa quod, quia variant ipsorum etiam Orthodoxorum sententiæ, paulo distinctius de eo agendum est.

II. Non quæritur simpliciter, *Quodnam* sit objectum Prædestinationis ratione naturæ; Constat enim hic agi de genere humano, non Angelico, de quo supra dictum est; Sed *Quale* illud sit ratione qualitatis, id. qualiter homo consideratus sit in mente Dei prædestinantis, et quibus qualitatibus vestitus; An ante creationem, et lapsum, An vero post.

III. Sententiæ Theologorum ad tres ordines possunt referri. Alii enim *supra lapsum* ascendunt, unde et *Supralapsarii* dicti, qui objectum Prædestinationis volunt esse hominem, vel nondum creatum, vel saltem nondum lapsum. Alii *infra Lapsum* descendunt, et hominem non tantum ut lapsum, sed etiam ut redemptum per Christum, et vel credentem, vel incredulum, objectum Prædestinationis statuunt. Alii medium tenentes, *in lapsu* subsistunt, et hominem lapsum Deo prædestinanti objici pertendunt. De secunda sententia postea agetur; nunc prima et tertia excutiendæ sunt.

IV. In antecessum vero observandum, qualiscunque sit Theologorum hac in parte diversitas, manere tamen apud utrosque salvum fidei fundamentum, et ex æquo istos opponi exitiali Pelagianorum et Semipelagianorum errori; Nam et illi qui in hoc negotio altius ascendunt, et creationem aut lapsum hominis in Prædestinationis decreto includunt, et qui utrumque supponunt, in eo omnes conveniunt, quod homines Deo *pares*, non *impares* objiciunt, et tales quorum discretio a solo Deo pendeat; a quo fundamento recedunt omnes sectarii.

V. Licet vero non incommode geminæ istius sententiæ conciliatio instituatur a quibusdam, ex latiore, vel strictiore vocis Prædestinationis usu, quæ vel *generaliter* ab illis sumitur, pro omni Dei decreto circa hominem in ordine ad ultimum ejus finem, (quo sensu dubium non est quin complectatur decretum de creando homine, et permittendo ejus lapsu:) vel *specialiter* ab istis, pro consilio Dei de servandis hominibus ex misericordia, et damnandis ex justitia, quo modo resolvitur in Electionem et Reprobationem, et pro objecto habet hominem lapsum. Quia tamen prior illa significatio non est ex usu Scripturæ, et confundit opera naturæ et gratiæ, Creationis et Redemptionis ordinem; lubentius acquiescimus in posteriori sententia, quam Synodus Dordracena sapienter ex Verbo Dei sancivit, tanquam veriorem, et ad conscientias tranquillandas, et cavilla Adversariorum amolienda, commodiorem. Eam vero esse sententiam Synodi, ne quis dubitare queat, evincunt verba Artic. 6, ubi "profunda, misericors pariter et justa hominum æqualiter perditorum discretio" dicitur esse "Decretum illud Electionis et Reprobationis in Verbo Dei revelatum," Et Artic. 7, Electio definitur "immutabile Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta, ex

Digitized by Google

universo genere humano, ex primæva integritate in peccatum et exitium sua culpa prolapso, secundum liberrimum voluntatis suæ beneplacitum, ex mera gratia, certam quorundam hominum multitudinem, aliis nec meliorum, nec digniorum, sed in communi miseria cum aliis jacentium, ad salutem elegit in Christo," &c.

www.tongli.com.cn

VI. Ut vero Quæstionis Status melius percipiatur, observa 1. Non quæri, An Creatio hominis et Permissio lapsus cadant sub Dei decretum: utrinque enim est in confesso, tam illam quam hunc a Deo esse præstitutum. Sed, An se habeant ad modum *medii* respectu decreti salutis et damnationis; et An Deus in signo rationis concipiatur prius cogitasse de hominum salute et exitio, quam de eorum creatione et lapsu.

VII. 2. Non quæritur rursus, An in Prædestinatione ratio peccati in considerationem veniat; Non diffitentur enim, qui supra lapsum ascendunt, consequenter hic respici, ut nemo damnetur nisi propter peccatum, et nemo salvetur nisi qui miser fuerit et perditus; Sed quæritur, An peccatum se habeat antecedenter ad Prædestinationem quoad esse prævisum, ita ut homo non obversetur, nisi ut lapsus, Deo prædestinanti; quod volumus.

VIII. 3. Non quæritur, An peccatum habeat rationem *causæ impulsivæ* respectu Prædestinationis. Agnoscunt enim qui in lapsu subsistunt non posse dici causam, nec respectu Reprobationis, quia sic omnes reprobarentur, multo minus respectu Electionis: Sed quæritur tantum, An rationem habeat *qualitatis* vel conditionis præcedaneæ in objecto requisitæ; duo enim hæc multum differunt, *Qualis* sit Prædestinatus, et *Quare*, sive propter quid: Illud notat qualitatem et conditionem objecti, hoc vero causam. Ita quæstio eo redit: An Deo prædestinanti homo obversatus sit, non modo ut creabilis vel conditus, at non lapsus, sed etiam ut lapsus; non quoad esse reale, sed quoad esse cognitum et intentionale, ut licet lapsus non fuerit causa, fuerit tamen conditio et qualitas in objecto prærequisita? Negant Viri Docti cum quibus nunc agimus; Nos affirmamus.

Homo creabilis non est objectum Prædestinationis.

IX. Rationes sunt; 1. Quia non Ens non potest esse objectum Prædestinationis. At homo creabilis, vel labilis simpliciter est non Ens, quia per creationem a non esse ad esse fuit productus. Ratio majoris ex eo patet, quod salus et exitium quæ per Prædestinationem intenduntur, sunt fines qui introducuntur in subjectum, quod propterea supponitur jam existere. Nec hic excipi debet objectum Creationis seu decreti Creationis, fuisse non Ens; Ergo et tale potuisse pariter esse objectum Prædestinationis. Nam longe dispar est ratio Creationis, quæ dicit productionem rei, et sic objectum suum facit, non supponit, alia vero Prædestinationis, quæ versatur circa objectum jam constitutum, et quæ non facit simpliciter ut sit, sed ut sit hoc vel illo modo. Ut ergo decretum de homine creando debuit habere pro objecto hominem creabilem, cui destinabatur; Ita decretum de homine salvando vel damnando debuit respicere hominem lapsum, quia illi destinabatur redemptio vel exitium: subjectum autem omne suis adjunctis prius esse concipitur.

X. 2. Quia vel omnes homines creabiles sunt objectum Prædestinationis, vel aliqui tantum ex illis; sed neutrum dici potest: Non prius, quia sunt innumeri homines possibiles, qui nunquam creandi sunt, ac per consequens nec salvandi, nec damnandi; Non posterius, quia si aliqui tantum, ex omnibus creabilibus; ergo non fuere indefinite præsciti, sed definite qua futuri, nulla enim alia ratio reddi potest, cur alii creabiles non sint prædestinati, quam quia non erant futuri. Frustra regeretur omnes

Digitized by Google

homines creabiles absolute non esse Prædestinationis objectum, quia non omnes sint creabiles in tempore; Nam, præterquam quod absurde dicerentur creabiles, si non possent creari; nulla ratio potest afferri, cur quotquot sunt creabiles, non cadant sub objectum Prædestinationis, si homo creabilis qua talis est ejus objectum; Ergo, ut discrimen inveniatur inter eos, qui possunt objici Deo prædestinanti, vel non, descendendum est ad decretum Creationis, ut supponantur creandi reipsa, non tantum creabiles.

XI. 3. Qui objicitur divinæ Prædestinationi debet esse, vel eligibilis per misericordiam, vel reprobabilis per justitiam; sed hoc dici nequit de homine creabili et labili, sed tantum de creato et lapso. Nec valet hic distinctio *actuum elicitorum et imperatorum*, quasi homo non sit eligibilis, vel reprobabilis quoad actus imperatos, id. quoad actualem misericordiam, sed bene quoad elicitos, id. intentionem miserendi, et puniendi. Nam gratis supponitur latius patere actus elicitos quam imperatos, cum isti sint illorum effectus; et misericordiæ, vel justitiæ Dei effecta destinari posse creaturis, nec miseris, nec reis, quod repugnat naturæ proprietatum istarum respectivarum, quæ objectum certis qualitatibus vestitum supponunt.

XII. 4. Si Prædestinatio respicit hominem creabilem vel labilem, creatio et lapsus erunt media Prædestinationis; sed hoc recte dici nequit. 1. Quia Scriptura nunquam de illis, ut de mediis Prædestinationis loquitur, sed ut de conditione antecedanea, dum transit a Prædestinatione ad vocationem. 2. Medium necessariam habet connexionem cum fine, ut posito medio, necessario debeat suo tempore poni finis. At nec creatio nec lapsus ullam talem connexionem habent, vel cum electione, vel cum reprobatione, nam poterant creari et labi homines, nec tamen eligi. 3. Media debent esse ejusdem ordinis et dispensationis: At creatio et lapsus pertinent ad ordinem naturalem et dispensationem Providentiæ, salus vero et damnatio ad ordinem supernaturalem Prædestinationis. 4. Si media essent, Deus consilium inivisset de homine salvando, vel perdendo, antequam quicquam decrevisset de ejus futuritione et lapsu, quod absurdum.

XIII. Frustra dices, Deum non potuisse pervenire ad illustrationem gloriæ suæ per modum justitiæ et misericordiæ, nisi posita creatione et lapsu, ideoque utrumque posse habere rationem mediorum. Nam licet peccatum et creatio requirantur antecedenter ad illustrationem misericordiæ et justitiæ; Non sequitur propterea esse media, sed tantum conditiones requisitas; nec enim ea omnia, sine quibus non possumus aliquid præstare, continuo sunt media: sic existentia et ductilitas in luto supponitur, ut conditio ad vasis confectionem ad decus, aut ad dedecus, sed non est medium; morbus in ægro est conditio prævia sine qua non sanatur, sed non est medium per quod sanatur.

XIV. 5. Quia sententia illa est *ὑπερβλητος*, quasi Deus homines reprobasset, antequam per peccatum essent reprobabiles, et destinasset ad pœnam innocentes, antequam in iis ulla prævideretur culpa; Nec ideo voluerit damnare, quod essent peccatores, sed ideo permiserit fieri peccatores, ut possent puniri, et creare constituerit, ut perderet.

Sed est Homo lapsus.

XV. Unde patet longe tutius et verius loqui eos, qui in objecto Prædestinationis assignando ultra lapsum non ascendunt. Scriptura sane eo nos ducit. 1. Quum nos eligi dicit ex mundo; Ergo non ut creabiles, vel labiles tantum, sed ut lapsos, et in massa corrupta, Joan. xv. 19. *Quia ex mundo non estis, et ego vos elegi ex mundo, ideo mundus vos odit.* Nec elabitur qui dicit, hic non Prædestinationem æternam intelligi, sed vocationem, quæ fit in tempore: Quia

Digitized by Google

ista non opponenda sunt, sed componenda; Nam ex qua massa in tempore Deus hominem vocat, ex eadem ab æterno eum elegit, et qualis obversatur in executione decreti, talis debuit Deo objici in ipso decreto: Nec propterea necesse est eundem esse intentionis et executionis ordinem, sed tantum idem esse utrobique objectum vocationis et electionis; ut ex eo bene colligatur eligi hominem peccatorem, quia ut talis vocatur.

XVI. Deinde Electio hominum fit in Christo, Ephes. i. 4, Ergo hominem respicit lapsum, quia in Christo non possunt eligi, nisi ut redimendi, et sanctificandi per ipsum; Ergo ut peccatores et miseri. Nec reponi debet, *eligi in Christo*, nihil aliud esse quam *per Christum*, non ut Redemptorem, sed ut Deum, ut notetur, non medium, sed causa principalis Electionis. Nam licet non negandum sit Christum, ut Deum, esse authorem Electionis nostræ, non posse tamen hoc loco sic intelligi patet. 1. Quia eo modo electi dicimur in Christo, quomodo dicimur in ipso benedicti, et redempti, v. 3 et 7. At hoc de Christo, non ut Deo simpliciter, sed ut Redemptore intelligi debet. 2. Confirmatur ex loco parallelo, 2 Tim. i. 9, ubi gratia nobis dicitur data ante tempora secularia in Christo, non utique ut Deo simpliciter, sed ut Mediatore. 3. Tota series capitis, quo recensentur beneficia salutaria Dei in nos collata per Christum, evincit de eo agi sub illa σχήσει, neque diffitetur ipse *Beza*, licet primæ sententiæ addictus, qui τὸ *in ipso* idem vult esse quod, *in ipso adoptandos*. Cum ergo nemo possit eligi ad salutem per Christum consequendam, nisi qui concipitur ut perditus et miser; necesse est objectum illius Electionis esse hominem lapsum.

XVII. Tertio, Massa de qua Paulus loquitur. Rom. ix. 21, est objectum Prædestinationis. At non alia est quam *massa corrupta*, 1. Quia ea massa intelligitur, ex qua fiunt vasa misericordiæ, et vasa iræ, illa ad decus, ista ad dedecus, v. 21, 22, 23; ira enim et misericordia necessario supponunt peccatum et miseriam. 2. Illa massa intelligitur, ex qua desumpti sunt Isaacus et Ismaël, Jacobus et Esavus, qui proponuntur in exemplum vel Electionis gratuitæ, vel rejectionis justæ et liberæ. At talis est massa corrupta, quia loquitur de gemellis in utero conceptis, v. 11, et per consequens peccatoribus. 3. Ea massa intelligitur in qua homines jacentes possunt odio haberi a Deo, ut Esavus. At talis debet esse massa corrupta, quia non potuisset Deus creaturam puram et integram odisse. 4. Illa massa intelligitur, ex qua Pharao suscitatus est a Deo ad ostendendam potentiam suam in ejus exitio. At nemo dixerit Pharaonem ex massa integra fuisse excitatum: Sic intelligit *August.* Enchir. c. xcviii. xcix. et cvii. qui vocat eam *massam perditionis*, et epist. 105, "Quia universa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, honorem donat indebitum gratia," et postea, "ex ea massa facti sunt, quam propter unius peccatum merito Deus justeque damnavit." Idem asserit li. 2, cont. duas Epistolas Pelagi. et li. v. in Julia. c. vii.

XVIII. Nequicquam obtenditur. 1. Massam hic intelligi puram, quia pueri nihil dum boni vel mali fecerant, v. 11. R. quia non dicuntur nihil boni vel mali fecisse absolute, (siquidem agitur de illis ut conceptis in utero; Ergo jam peccatoribus:) Sed comparate inter se, nihil boni vel mali, quo inter se distinguerentur; nihil boni fecerat Jacobus præ Esavo propter quod eligeretur, nihil mali fecerat Esavus præ Jacobo, propter quod reprobaretur, pares enim erant quoad omnia. Ita distinctio unius ab alio, non potuit aliunde oriri quam a sola Dei εὐδοκίᾳ, *ut propositum secundum Electionem firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante*, v. 11. 2. Massam notari ex qua fiunt vasa ad dedecus; ergo non corruptam, sed inte-

Digitized by Google

gram, quia jam homo esset vas ad dedecus. R. Sed ἀτιμία hic non peccatum, sed pœnam peccati notat, ut decus innuit gloriæ coronam, ad quam homo præparatur. Ita *fieri vas ad dedecus*, non est creari ad exitium, sed reprobari et parari ad interitum, quod nemini nisi peccatori convenit: Quo pertinet quod Paulus non dicit de vasis iræ, quod Deus ea κατήρτισεν, quomodo de vasis gratiæ dicit, Deum ea præparasse, sed quod sint κατηρτισμένα ad interitum, quia Deus alios invenit vasa aptata ad interitum suo vitio, alios facit vasa gratiæ sua misericordia. 3. Massam intelligi, non peccati, sed luti ex quo Adam formatus est. R. Sed quocunque respexerit Paulus in similitudine figuli, sive ad locum, Jer. xviii. 6, sive Is. xlv. 9, non potest alia massa intelligi quam corrupta, quia non ex alio luto possunt fieri apud Deum vasa misericordiæ et iræ; nec alio spectat comparatio figuli, quam ad ostendendam summam Dei libertatem in Electione et Reprobatione hominum. 4. Non posse intelligi massam corruptam, quia sic tollerentur facile omnes scrupuli propositi a Paulo, v. 14, 19. R. Neg.; scrupuli enim semper remanent in Electione et Reprobatione comparata, cum nulla ratio dari possit, cur hunc potius quam illum elegerit vel reprobarit, et nihil possit reponi, quam illud Apostoli, *Quis es o homo, qui responsas Deo? An figmentum dicet fictori, cur me ita fecisti?* 5. Sic excludi Adamum et Evam a prædestinatione, quia non potuerunt formari ex massa corrupta. R. Neg.; quia *formatio* ista non *physice* intelligenda est per creationem, sed *ethice* per prædestinationem; quo pacto, et ipsi primi parentes ex massa corrupta formari potuerunt, quia qua miseri et peccatores fuerunt electi ad salutem, non quidem in massa peccati originalis originati, quod in posteris tantum existit, sed peccati originalis originantis, quo ipsi infecti sunt.

XIX. Quarto, illustratio gloriæ Dei per demonstrationem misericordiæ in electis, et justitiæ in reprobis, est finis Prædestinationis ex Apost. Rom. ix. 22, 23. At illa requirit conditionem peccati in objecto, quia nec misericordia exerceri potest sine miseria prævia, nec justitia sine prævio peccato. Si Deus hominem ante lapsum ad gloriam prædestinasset, opus fuisset quidem bonitatis immensæ cujusdam, sed quæ misericordia recte non vocaretur, quæ non tantum non dignum, sed indignum, et contraria meritum respicit. Ita si Deus hominem a peccato omni immunem reprobasset, opus esset absolutæ potestatis, et ἀντιμεμετρημένον; at justitiæ opus non esset; quia misericorditer liberat, et juste damnat (ut ait *Aug.*) hominem; Ergo lapsum tum in Electione, tum in Reprobatione considerare debuit. Frustra subtilissimus *Twissus* excipit; Exercitium misericordiæ et justitiæ effective consideratum, supponere homines miseros et reos, sed non pariter ipsam intentionem miserandi, alias sequeretur a pari, cum salvationis objectum sit fidelis, etiam destinationis æternæ objectum esse, quod nemo nisi Arminianus dixerit. Nam sive misericordia et justitia considerentur *effective*, ratione exercitii et actus externi in homine, sive *affective* ratione actus interni in Deo, idem objectum postulant; Licet enim prædestinatio nihil ponat in prædestinato, ut aiunt, et sic propositum miserandi non sit ipsa misericordia effective considerata, quæ communicatur Creaturæ; non sequitur non esse actum misericordiæ, quæ proinde miseriam et lapsum supponere debet: Ut Princeps qui gratiam facere decernit reo, eo ipso actum misericordiæ erga eum exerit, licet nondum de facto sententiam absolutoriam illi intimet. Nec ratio Viri Docti a pari de salutis decreto valet, quia confunditur *conditio* prævia cum *medio* subsequente; Nam illa quidem, qualis est lapsus, præcedere debet tam in intentione quam in executione; sed istud, qualis est fides respectu salutis, præcedere

Digitized by Google

quidem debet in executione, sed non pariter in intentione, imo ut medium debet sequi intentionem finis. Sic æger est objectum consultationis Medici de illo sanando, sed in illa non potest considerari ut jam purgatus, eo quod purgatio est medium ad sanationem obtinendam.

XX. Ut vero *finis Prædestinationis* respectu hominum, salus nimirum et damnatio, supponit necessario creationem et lapsum in objecto: *Media* etiam id ipsum evincunt: In Electione quidem Christus, Vocatio, Justificatio, Sanctificatio, quæ præexigunt conditionem lapsus et peccati: Christus enim est Servator a peccatis, Matt. i. 21. Vocatio est peccatorum, Justificatio reorum, Sanctificatio immundorum. In Reprobatione vero derelictio in peccato, separatio a Christo, retentio peccati, excœcatio et induratio, quæ nonnisi in peccatorem cadunt.

Fontes Solutionum.

XXI. Creatio et lapsus non ordinantur instar *medii* per se subordinati ad Prædestinationis finem; sed præsupponuntur instar conditionis in objecto prærequisitæ, ut existentia et ductilitas in luto, non est medium quod substernit figulus suo instituto, de vasis ad decus vel ad dedecus parandis, sed conditio tantum seu qualitas in objecto prærequisita, et causa sine qua non; nisi enim homo conditus esset et lapsus, non posset venire in executionem.

XXII. Quamvis Prædestinatio non præcedat decretum de creando homine, et de permittendo lapsu; Non sequitur Deum incerto fine hominem condidisse; Nec enim si Deus pro fine non habuit patefactionem misericordiæ et justitiæ in salute vel damnatione, illico dicendum est omni fine caruisse; quidni enim Deus in utroque gloriam suam patefacere voluit per exercitium aliorum attributorum, potentiæ, sapientiæ, et bonitatis, licet non respexerit adhuc ad misericordiam et justitiam, quia nondum erat eorum objectum constitutum. Finis ergo propter quem Deus decrevit hominem creare, et lapsum ejus permittere, non fuit manifestatio justitiæ et misericordiæ in salute et damnatione hominum ex decreto prædestinationis, quod ordine naturæ, et in signo rationis est eo posterius, (nisi velimus Deum primo cogitasse de opere reficiendo, quam cogitaverit de eo conficiendo, et de ægri curatione, antequam de morbo quicquam constituerit;) sed fuit communicatio, et velut ἔκτασις potentiæ, sapientiæ, et bonitatis Creatoris, quæ tum in creatione hominis, Ps. viii. 5, 6, tum in ejus lapsu diversimode emicuerunt, quod ultimum fuit intra naturæ terminos, et in tali rerum ordine. At postquam hunc ordinem peccatum corrupit et perturbavit, Deus qui ex tenebris lucem, et bonum ex malo elicit, redemptionis opus instituit, non alio fine, quam ut in alio rerum ordine, virtutes easdem, et cum illis misericordiam et justitiam magnificentius ostentaret, et velut in gradu summo; cui fini serviunt media, non Creatio, quæ alterius est generis et ordinis, non lapsus, qui occasio tantum fuit et terminus a quo Deus consilium salutis incepit: sed fœdus gratiæ, missio Filii et Spiritus Sancti, redemptio, vocatio, &c., quæ non ad ordinem naturæ, sed ad superiorem et supernaturalem ordinem gratiæ pertinent.

XXIII. Vulgatum Axioma, quo uti hic solent Supralapsarii, et quod ad ravim usque oggerit *Twissus*, et cui soli, operosam, quam super hoc argumento instituit Disputationis molem, superstruere videtur, *Quod ultimum est in executione, debet esse primum in intentione:* At illustratio gloriæ Dei per misericordiam in salute electorum, et per justitiam in reproborum damnatione, est ultima in executione; Ergo prima debet esse in intentione: varias patitur limitationes. Primo, valet quidem resp. *finis ultimi*, sed non respectu *subalternorum;* alias sequeretur pariter, id quod penultimum est in executione, esse secundum in intentione, et quod antepenultimum est,

Digitized by Google

esse tertium, et sic deinceps. Ita quia in executione primo creat, 2. permittit lapsum, 3. redimit, 4. vocat, sanctificat, et glorificat, oporteret Deum primo intendisse hominis glorificationem et redemptionem, antequam cogitasset de ejus productione, vel lapsus permissione, quod absurdum esse nemo non videt. Jam illustratio misericordiæ et justitiæ in hominum salute vel damnatione, non est finis ultimus simpliciter et absolute, quoad hominis gubernationem in genere, sed secundum quid et relate, quoad gubernationem lapsi. Finis enim ultimus, ut jam dixi, fuit manifestatio gloriæ Dei in communi per hominis creationem et lapsum: Unde Decretum Electionis dicitur primum in intentione, non absolute, quasi primum sit omnium decretorum ordine, etiam ante creationem et lapsum, sed tum in genere decretorum, quæ sunt de salute hominis peccatoris, tum respectu mediorum ei subordinatorum. Secundo, valet tantum in *eodem rerum ordine*, et ubi necessaria et *essentialis* occurrit rerum *subordinatio;* quod non diffitentur illi cum quibus agimus, qui volunt tantum valere in *natura subordinatis*. Sed nulla datur necessaria inter creationem et lapsum, et redemptionem connexio et subordinatio, imo inter ea nemo non videt hiatum, et *μέγα χάσμα*, propter peccatum quod creationis ordinem abrupit, et redemptionis œconomiæ locum dedit; peccatum est contra naturam, nec medium vel respectu salutis, nisi per accidens, id. occasio, vel respectu damnationis; damnatio enim est propter peccatum, non peccatum propter damnationem. Non confundendæ ergo hic sunt viæ et *œconomiæ Dei*, in *natura et gratia, providentiæ et prædestinationis*, quia cum sit alius finis, alia etiam necesse est esse media. Axioma ergo potest locum habere in eodem ordine, ut quod ultimum est in executione in ordine naturæ, vel gratiæ, sit etiam primum in intentione; sed non valet ubi agitur de disparatis, et ubi fit saltus ab una dispensatione ad aliam, ab ordine nuturali providentiæ, ad ordinem supernaturalem prædestinationis, ut hic res se habet.

XXIV. Ita autem concipienda est ista *subordinatio*, ut non *subjective et a parte Dei* sit intelligenda; quia cum omnia unico et simplicissimo actu decernantur, qui et finem et media simul complectitur, non tam subordinatio hic locum habet, quam *coordinatio*, per quam varia ista objecta simul et semel menti divinæ obversantur et unicum decretum constituunt; Sed tantum *objective* et *a parte nostri*, quatenus ad faciliorem intelligentiam, concipimus subordinate juxta variam *σχέσιν* et dependentiam, quam res decretæ habent ad se invicem, quæ in Deo tamen sunt unita.

Prov. xvi. 4. XXV. Deus non fecit improbum qua improbum, productione physica, malitiam illi instillando, sed quem improbum propria culpa deprehendit, *fecit* id. *ordinavit* destinatione morali et juridica ad *diem mali*, id. ad diem calamitatis et interitus, quod alibi Judas dicit impios esse scriptos ad judicium; sic *τὸ ποιεῖν* sæpe in Scriptura, pro ordinatione sumitur.

XXVI. Licet objectum Prædestinationis statuatur homo lapsus, non sequitur Prædestinationem demum factam in tempore; quia homo lapsus intelligitur, quoad esse cognitum et prævisum, non quoad esse reale, et præscientia lapsus et decretum ejus permissivum non minus æternum est ac ipsa Prædestinatio.

XXVII. Quamvis Deus dicatur excitasse Pharaonem ad hoc ipsum ut in ipso potentiam suam exereret, Rom. ix. 17, non sequitur eum in reprobatione sua fuisse consideratum ante creationem, et lapsum; quia non agitur de prima creatione, sed de productione ex semine immundo, vel erectione ad Regnum, quam per Providentiam suam procuravit Deus, ut

Digitized by Google

in eo quem prævidebat rebellem fore, et indurandum miraculis et plagis ejus ex justo suo judicio, materiam potentiæ suæ exerendæ in ejus exitio haberet.

XXVIII. Licet Apostolus loquatur de potestate et jure Dei absoluto in hominum prædestinatione, per similitudinem figuli qua utitur, Rom. ix. 21, 22, non sequitur eam creationem et lapsum hominis præcedere; quia liberrima illa potestas et jus absolutum Dei in prædestinatione comparata hominum lapsorum satis patet, cum ista hominum discretio ab invicem nullam aliam causam possit habere præter solum ejus beneplacitum.

XXIX. Quamvis creatio et lapsus cadant sub decretum Dei, et sic prædestinata possint dici, voce prædestinationis late sumpta pro omni Dei consilio circa creaturam: Non minus recte tamen Prædestinatio stricte dicta a lapsu inchoatur; quia hoc sensu decretum creationis et lapsus pertinent ad Providentiam, non ad Prædestinationem.

XXX. Calvinum receptam in Ecclesiis nostris sententiam circa objectum Prædestinationis secutum esse, multis ex locis colligi potest clarissime, potissimum vero, lib. de ætern. Prædest. p. 978. "Quum de Prædestinatione," inquit, "sermo habetur, inde exordiendum esse constanter semper docui atque hodie doceo, jure in morte relinqui omnes reprobos qui in Adamo mortui sunt et damnati." Et postea, "Quæstionem hanc non ideo tantum parcius attingere convenit, quod abstrusa est, et in penitiore sanctuarii Dei adyto recondita; sed quia otiosa curiositas alenda non est, cujus illa nimis alta speculatio, alumna est simul et nutrix. Altera pars, quod ex damnata Adæ sobole, Deus quos visum est eligit, quos vult reprobat, sicut ad fidem exercendam longe aptior est, ita majore cum fructu tractatur. In hac doctrina quæ naturæ humanæ corruptionem et reatum in se continet libentius insisto, sicut non solum ad pietatem magis conducit, sed magis etiam Theologica est." Ita Instit. li. iii. c. 22, s. 1 et 7, et c. 23, s. 3. "Ex corrupta massa si desumpti sunt omnes, non mirum si damnationi omnes subjaceant." Sic in c. ix. ad Rom. censet Paulum loqui de massa corrupta, ubi inter alia; "Verum est," inquit, "propinquam reprobationis causam esse, quia sunt omnes in Adamo maledicti." In quo summi Theologi judicio, quod respondet Articulo xii. Confessionis Gallicanæ, ut et in Synodi Dordracenæ decreto, omnino acquiescimus, et omnibus quibus placet sapere sobrie, acquiescendum esse putamus.

XXXI. Præter istas duas sententias circa Objectum Prædestinationis, Tertia datur eorum qui volunt, non modo hominem lapsum et peccato corruptum; sed etiam ut *redemptum a Christo*, et vel *credentem in ipsum*, vel *incredulum*, Deo Prædestinanti objici; Quæ sententia fuit Semipelagianorum, et nunc recipitur ab Arminianis, et illis omnibus, qui Christum pertendunt esse fundamentum Electionis, et fidem prævisam ejus causam, vel saltem conditionem præcedaneam. Verum quia quæstio ista in eam recidit, quæ agitanda erit postea, de fundamento et causa impulsiva Electionis, de ea nihil nunc addimus: Nam si semel probatum fuerit, nec Christum nec fidem antecedere Electionem, sed in ea includi tanquam media ejus et effectus, eo ipso evictum erit, non posse hominem qua Redemptum, et qua credentem, aut incredulum, esse Objectum Prædestinationis.

Digitized by Google

QUÆSTIO X.

DE ELECTIONIS CAUSA.

www.libtool.com.cn

An Christus sit causa et fundamentum Electionis? Neg. contra Armin. et Lutheranos.

I. Prima de Electione Controversia, a qua cæteræ omnes pendent, respicit ejus *Causam;* An præter solum Dei beneplacitum, alia detur causa impulsiva extra ipsum, qua motus decretum electionis condiderit. Orthodoxi enim solam εὐδοκίαν locum habere statuunt, et nullam ejus causam, aut dari posse, aut quærere fas esse censent. Sed Adversarii, qui Pelagianismum vel Semipelagianismum fovent, alias etiam posse in ordinem venire arbitrantur, puta vel Christum ejusque meritum, vel fidei, et operum provisionem. Unde tripertita oritur quæstio, de Christo, de Fide, de Operibus: An Electio facta sit propter Christum, et intuitu meriti ejus; An ex fidei prævisione; An ex operibus prævisis. De prima nunc agitur.

Status Quæstionis.

II. Ad Statum Quæstionis observa; Non quæri, An Christus ingrediatur decretum Electionis; vel, An nullus sit intuitus meriti Christi in destinatione salutis. Non negamus enim ingredi illud *consequenter*, tanquam *medium primarium* executionis; Nec volumus nobis destinari salutem sine ullo intuitu meriti Christi; agnoscimus enim Deum, qui destinavit nobis salutem, eodem actu destinasse nobis Christum Mediatorem qui eam nobis acquireret. Sed quæritur, An Christus ingrediatur decretum *antecedenter*, ut *causa impulsiva* et meritoria, propter quam nobis destinetur; quod volunt Adversarii; Nos negamus.

III. Non quæritur, An Christus sit causa meritoria et fundamentum *salutis decretæ* a *parte rei;* Sed, An sit *decreti salutis* a *parte Dei;* Non, An sit causa a parte effectus voliti terminative; Sed, An sit causa a parte actus volendi formaliter; Non, An sit fundamentum Electionis exequendæ *a posteriori;* Sed, An sit fundamentum Electionis decernendæ *a priori;* Non, An Decretum Electionis sit *absolutum* a *mediis* consequentibus, quæ necessaria agnoscimus, et inter ea Christum; Sed, An sit *absolutum a causa impulsiva*, et conditionibus antecedentibus: Ita Quæstio redigitur ad hos terminos; An Christus sit fundamentum et causa meritoria, non salutis a posteriori, sed electionis a priori; non a parte effectus in homine, sed a parte actus volendi in Deo; An Decretum sit absolutum, non a mediis, sed a causa antecedente. Quod negamus; Adversarii affirmant.

IV. Arminiani passim hoc adstruunt tanquam sententiæ suæ primarium fundamentum; ut liquet ex Collat. Hagi., Actis Synoda., Ex Arminii, Corvini, et Grevinchovii, aliorumque scriptis: quod potuerunt haurire a Pontificiis, qui pertendunt Christi merita prævisa esse causam Prædestinationis, ut Dida. Alvarez de auxiliis, lib. v. disp. 39. Vasquez, disp. xci. c. 1. Suarez in 3 q. xix. art. 4. disp. 43. quanquam non pauci nec ignobiles Scholastici reclament, Tho. in 3 q. xxiv. art. 4. Bonavent. in 3 Dist. xi. Durandus in 3 Dist. x. et alii. Lutherani cum Arminianis hic faciunt, dum asserunt Christum esse causam meritoriam Electionis; ut Eckar. in fasci. contro. Gherar. Brokman., et alii. Scopus eorum est sub prætextu gloriam Christi extollendi, Gratiam universalem stabilire, et absolutam electionem

Digitized by Google

Dei κατ' εὐδοκίαν destruere. Ad ipsos etiam accedunt illi ex Nostris, qui Gratiam universalem tuentur, qui ut facilius universalem Redemptionem adstruant, statuunt decretum de mittendo Christo pro salute generis humani præcedere decretum Electionis, quod volunt versari circa dandam fidem, et ex φιλανθρωπίᾳ Dei generali promanare, atque adeo latius eo esse.

Christus non est fundamentum Electionis.

V. Rationes Orthodoxorum sunt; 1. Quia Electio est facta ex solo Dei beneplacito; Ergo non propter Christum, quia beneplacitum excludit omnem causam extra Deum, a qua Electio pendeat; hinc apud Mosem, inquit, *miserebor cujus miserebor*, &c. Sic Matt. xi. 25. "Confiteor tibi Pater, quod occultaveris hæc a sapientibus, et intelligentibus, et ea revelaveris infantibus. Etiam Pater, qui ita placuit tibi," et Rom. ix. 11. "Ut propositum Dei secundum Electionem firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante," &c. et v. 16. "Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei," Luc. xii. 32. "Ne time parve grex, quia (εὐδόκησεν) libuit Patri vestro dare vobis Regnum." Si vero omnia in solidum soli beneplacito Dei adscribuntur, non potest nec debet alia extra ipsum causa quæri. Nec juvat excipere, beneplacitum istud in Christo fundari ut erga nos exeratur; quia aliud est debere in Christo fundari, ut causa antecedente a qua pendeat, quod negamus; cum ex eo Christus ipse sit ordinatus in Mediatorem: Aliud vero fundari in ipso, ut fundamento Redemptionis, ab ipsa Dei εὐδοκίᾳ præordinato; quod concedimus.

VI. 2. Quia effectum Electionis non potest dici ejus causa; At Christus est effectum Electionis, utpote qui electus ipse sit et præordinatus in Mediatorem, Isa. xlii. 1, 1 Pet. i. 20, et Joan. iii. 16, ubi dilectio Dei erga mundum præcedit ordine missionem Filii tanquam ejus causa. Sic 1 Joan. iv. 10. "In eo" dicitur "charitas esse Dei, non quod dilexerimus Deum, sed quod Deus prior nos dilexerit, et dederit Filium suum pro nobis." Frustra Corvinus et alii excipiunt, supponi quidem missioni Christi aliquem amorem seu affectum in Deo miserendi ad salutem; sed esse communem et universalem respectu omnium, non specialem respectu electorum: Quia hoc gratis supponitur, non probatur; nullum enim talem amorem universalem salutarem ex Scriptura agnoscimus, sed tantum specialem erga electos, quibus Christus tantum Servator et Caput destinabatur, ut suo loco probabitur.

VII. 3. Tertio, confirmatur ex eo, quod objectum prius debet esse actu, qui circa illud versatur: At Objectum meriti Christi sunt Electi; Ergo Electio præcedere debet et Redemptionem et decretum ejus. Objectum autem mortis Christi esse Electos, ex illis locis evincitur, quæ statuunt Christum pro populo suo, Matt. i., pro ovibus, Joh. x., pro amicis, Joh. xv., pro Ecclesia se dedisse, Eph. v. 25. Nec si Scriptura alibi latius videtur extendere mortem Christi ad omnes, continuo universalitas absolute est intelligenda, sed limitata, vel respectu universitatis fidelium, vel respectu generum singulorum, non singulorum generum, ut postea demonstrabitur.

VIII. Quarto, intentio finis præcedere debet destinationem mediorum: At salus est finis, Christus est medium; Ergo prius concipi debet destinari salutem electis, quam destinari Christum ad finem illum obtinendum. Ut intentio sanandi ægrum præcedere debet Medici inquisitionem, et remediorum applicationem: Ita necesse est ut in mente Dei concipiamus prius fuisse cogitationem de eligendis illis quibus salutem destinabat, quam de eligendo Servatore qui ipsis salutem procuraret. Alias fine incerto venisset Christus, et destinatus fuisset Redemptor, antequam nihil apud Deum de illis qui reipsa redimendi erant constitutum fuisset.

Digitized by Google

Fontes Solutionum.

IX. Licet Christus sit *fundamentum salutis*, non statim potest dici *fundamentum Electionis*, quia multo plures causæ requiruntur ad salutem, quam ad Electionem. Nam media Electionis fiunt causæ salutis; Nec Electio potest dici salus, cum nihil adhuc ponat in electo, sed tantum principium et causa salutis.

X. *Eligi* dicimur *in Christo*, Ephes. i. 4, non jam *existentes*, quasi supplendum sit participium ὄντας; quia nemo potest esse in Christo, quin prius datus sit a Patre Christo, Johann. xvii. 6, 7, et per fidem et charitatem ad quam eligimur illi sit insitus; sed in Christo *futuros*, et per Christum redimendos, ut suppleatur infinitivus εἶναι, ut hic statuatur Christus primarium electionis exequendæ medium, et causa salutis quæ per eam nobis destinatur, non causa decreti per quod decernitur. Hanc esse Pauli mentem multa evincunt. 1. quia Paulus dicit nos *eligi in Christo*, non *propter Christum;* illud notat intuitum Christi in electione, tanquam medii subordinati, quod concedimus; hoc vero ejus causalitatem, quod nequit dici, nisi velimus medium prius intendi ipso fine. 2. Quia dicit nos eligi in Christo ut *simus sancti;* Ergo non possumus spectari in Christo existentes antecedenter, ita enim jam essemus sancti, sed ut futuri consequenter. 3. Paulus seipsum alibi interpretatur, quum ait, 1 Thess. v. 9, *Deum nos constituisse ad obtinendam salutem per Christum:* Ita eligi in Christo nihil aliud est, quam destinari ad salutem in Christo seu per Christum adipiscendam, ut Christus sit causa salutis, non electionis. Sic 2 Thess. ii. 13, dicimur *electi ad salutem in sanctificatione Spiritus, et fide veritatis*, non ut sanctificatio sit causa electionis, cum sit ejus finis in hoc loco, sed ad salutem consequendam per sanctitatem et fidem.

XI. Non eodem plane modo eligimur in Christo, quo in ipso benedicimur. Nec est par ratio benedictionum quæ nobis dantur in tempore, et decreti, seu actus interni et immanentis in Deo, qui fit ab æterno: Illæ fundantur in Christo ut in causa meritoria et efficiente, quia sine ipso nihil communicari potest Creaturæ, et propter ipsum, et ab ipso ut Capite, quicquid gratiæ nobis confertur, promanat; Sed decretum nullam causam agnoscit præter εὐδοκίαν. Nec reponendum est Electionem esse benedictionem; quia Electio quidem est fons et principium omnium benedictionum, sed non potest proprie dici benedictio, quæ in nos reipsa transit, et ad quam nos habemus subjective, quod dici non potest de Electione quæ manet in Deo: Particula ergo καθὼς quæ adhibetur a Paulo, Eph. i. 4, non notat paritatem Electionis et benedictionis, ut eadem sit utriusque causa; sed fundamentum et originem benedictionum quæ derivant ab electione, ut doceat nihil fieri in tempore, quod ab æterno non sit præstitutum, et fideles non benedici a Deo in Christo, nisi quomodo Deus ab æterno constituit in electionis decreto, ut in ipso benedicerentur.

XII. *Gratia* dicitur *nobis data in Christo*, πρὸ χρόνων αἰωνίων, 2 Tim. i. 9, *destinatione*, propter certitudinem eventus, non actuali collatione; *in Christo*, ut fundamento redemptionis et salutis, quia destinatur salus conferenda per Christum: Sed non propter Christum tanquam causam ipsius Electionis.

XIII. Propter quod Deus nos salvat in tempore, etiam ab æterno decrevit nos salvare propter illud, verum est, si τὸ *propter* referatur ad *rem decretam*, non ad *ipsum decretum*, ad volitum, non ad volitionem: quia Deus nos decrevit salvare propter Christum, ut reipsa nos salvat propter ipsum in tempore: Sed falsum est, si τὸ *propter* referatur ad ipsum actum Dei decernentis, et decretum ipsum; quia missio Christi est effectus decreti, non causa.

XIV. Licet propter Christum non eligamur, non tamen eligimur sine

Digitized by Google

Christo et extra Christum; quia eodem decreto quo destinata est nobis salus, destinatus etiam est Christus ad eam nobis acquirendam, nec aliter destinata est, quam ut per Christum acquireretur. Electio ergo non excludit, sed includit Christum, non ut jam datum, sed ut dandum, nec unquam ista duo sunt ab invicem divellenda; quod faciunt tamen Sophismata Adversariorum.

XV. Quamvis *amor beneficentiæ* et *complacentiæ* non possit erga nos ferri, nisi propter Christum antecedenter; quia placatio actualis Dei quæ per Christum fit, supponi debet necessario amoris divini erga nos reali communicationi; Non pariter hoc necessarium est respectu *amoris benevolentiæ* qui in Deo manet. Deus potuit nobis bene velle antecedenter ad Christum, licet non potuerit nobis benefacere nisi propter ipsum. Nec ullum inde affertur justitiæ præjudicium, quia amor iste non excludit, sed includit, et post se trahit necessario satisfactionem; quia enim nobis bene vult, ideo Christum constituit in Mediatorem, ut nobis per ipsum actu benefaciat: Nec si nos amat, jam *placatus* debet censeri, sed tantum *placandus:* nam beneficentia quidem requirit reconciliationem jam factam; sed ad benevolentiam sufficit, ut sit præstanda suo tempore.

XVI. Aliud est Christum qua *Λόγον* esse *causam efficientem* Electionis; Aliud eum qua *Θεάνθρωπον* et Mediatorem esse *causam objectivam et meritoriam* ejus. Prius asseritur a Christo, Johan. xiii. 18. *Scio quos elegerim*, et Jo. xv. 16. *Vos non me elegistis, sed ego vos elegi:* sed non posterius.

XVII. Si "prædestinamur ad conformitatem imaginis Filii Dei, ut sit primogenitus inter multos fratres," Rom. viii. 29, sequitur quidem Christum esse primarium medium executionis, a quo cætera omnia pendent, sed non esse causam ipsius Electionis. Imo cum præcognitio, quæ Electionem personarum hic significat, ut supra dictum, præponatur Prædestinationi, quatenus significat destinationem ad media; satis innuitur, primo Electos esse a Deo, qui erant servandi, antequam dati fuerint Christo, et prædestinati ad conformitatem imaginis ejus. Nec si Christus dicitur primogenitus inter multos fratres, necesse est ut primo electus sit omnimode; sufficit ut primum locum obtineat in executione, ratione causalitatis et dignitatis.

XVIII. Quod nititur misericordia Dei effective considerata, illud etiam debet niti merito Christi, quia Christus est canalis per quem misericordia Dei ad nos transit, fons omnis benedictionis et gratiæ; sed quod nititur misericordia Dei affective spectata, et quatenus in Deo manet, qualis est electio, non statim debet niti merito Christi antecedente, sufficit ut illud involvat consequenter.

XIX. Licet a quibusdam Theologis Orthodoxis, Electio Christi statuatur prior Electione hominum, non propterea censendi sunt favere Novatoribus: Primo, quia hoc ita ab illis intelligitur, ut sit prioritas tantum ordinis, non causalitatis, ut volunt Arminiani: Deinde ut non latius extendatur Electio Christi in Mediatorem, quam Electio hominum qui salvandi sunt, ut non pro pluribus destinatus sit, et missus, quam pro electis, cujus contrarium statuunt Gratiæ universalis patroni. Interim observandum, omnem illam ordinis differentiam non esse intelligendam respectu Dei, cui omnia simul præsentia sunt, et a quo omnia unico et simplicissimo actu decreta sunt, tam ea quæ ad finem, quam quæ ad media spectant; sed tantum respectu nostri, qui propter finitudinem nostri intellectus, ista inadæquate concipimus, ea dividendo, quæ in se tamen unita sunt.

Digitized by Google

QUÆSTIO XI.

An Electio facta sit ex prævisione fidei, aut operum; An vero ex sola Dei Gratia? Prius Neg., Poster. Affirm.

www.hugo-lang.ch

I. Hic præcipuus Cardo est Controversiæ Pelagianæ; ad quem ceu communem Scopulum impegerunt, quotquot Pelagianismum, vel Semipelagianismum hoc seculo renovarunt.

Status Quæstionis.

II. Ad quæstionis Statum observa 1. Non quæri; *An decretum Electionis sit absolutum consequenter et a mediis:* Fatemur enim meritum Christi, fidem, et opera, esse media ad illius executionem necessaria: Sed, *An sit tale antecedenter, a motivis et conditione præcedanea*, qua moveatur Deus ad hunc potius quam ad illum eligendum; quod negamus.

III. 2. Non quæritur, An ullæ sint istius decreti causæ penes Deum; ut enim sapientissimus est, nihil ἀλόγως facit, et rationes dispensationis suæ habet proculdubio gravissimas, licet illæ nos lateant. Sed, An rationes illæ sint in homine extra Deum; quod negamus.

IV. 3. Non quæritur, An fides sit *conditio*, vel *causa* saltem organica *salutis decretæ* extra Deum, hoc enim nemo nostrum negat: Sed, An sit conditio vel causa ipsius *decreti* in Deo. Unde Quæstio eo redit; An sola Dei Gratia et εὐδοκία ita sit causa Electionis, ut nequaquam suspendatur, vel ex operum, vel ex fidei prævisione, sive ea causa ejus statuatur, sive tantum conditio prærequisita? Adversarii negant; Nos affirmamus.

V. Pontificii hic in varia abeunt. Et ne repetamus Scholasticorum antiquiorum sententias, qui parum concordes inter se deprehenduntur, et quorum plerique aperte ad Pelagium deflectentes, prædestinationem ex prævisione meritorum, et bono liberi arbitrii usu suspendunt: certum est Theologos Pontificios in Concilio Tridentino abiisse in partes; nonnullis gratuitam Dei Electionem cum Augustino asserentibus, aliis vero cum Pelagianis et Semipelagianis eam ex prævisis hominum meritis, et bono liberi arbitrii usu suspendentibus. Quæ contentio continuata fuit, et acriter agitata exinde, inter Dominicanos et Franciscanos; Et nunc fervet adhuc inter Jansenistas et Jesuitas, illis pro gratuita Dei Prædestinatione, istis contra, pro prævisione operum decertantibus. Fatendum tamen Jesuitas ipsos non plane esse concordes; Nam quidam volunt homines ad primam quidem gratiam gratis eligi; sed ad gloriam, non gratis, sed propter prævisa et futura merita, ut *Stapleto.* in Antido. in c. ix. ad Ro., *Becanus* de Prædest. q. 4, n. 8, *Petavius* lib. x. Theol. dogm. c. ii., et alii plures ex eo Sodalitio. Alii vero, homines non solum ad gratiam, sed etiam ad gloriam omnino gratis eligi pertendunt, ut *Bellarminus* præ cæteris, qui fuse et proxime ad mentem nostram totum hoc argumentum exequitur, lib. ii. de Gratia et libero Arbit. c. 6, 7, 10, 11, et seqq., ubi asserit, quod "Prædestinationis divinæ nulla ratio ex parte nostri assignari potest. Dicimus," inquit, "nullam rationem assignari posse, ut excludamus, non solum merita proprie dicta," &c., "sed etiam si non dicatur esse meritum nisi de congruo, et etiamsi non dicatur vera causa, sed tantum conditio sine qua non prædestinaretur qui prædestinatur," Et cap. 11, statuit "quod hæc sententia non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat," quam probat variis argumentis, c. 10, 11, 12, &c.; ut totus noster hic videatur; quanquam alibi ea statuat de libero Arbitrio,

Digitized by Google

Gratia sufficiente, salutis incertitudine, et operum meritis, quæ cum ista doctrina sunt ἀσύστατα. Qualiscunque autem sit ejus sententia, et aliorum qui Augustinum hic sequuntur, et a veritatis stant partibus: Certum est communiorem, tum apud Jesuitas, tum apud plerosque Pontificios sententiam eorum esse, qui Prædestinationem ad vitam seu Electionem suspendunt a prævisione operum, et boni usus liberi Arbitrii; adversus quos hic disputamus.

VI. Lutherani hic etiam inter se scinduntur; Quamvis enim ab initio nulla controversia circa hoc Caput mota fuerit, magno Viro Dei Luthero doctrinam Augustini de gratuita Prædestinatione retinente, ut illam solide asseruit, lib. *de Servo Arbitrio;* Factum tamen est postea, ut dum lis ex lite seritur, alii ab ejus mente paulatim deflectentes durius locuti sint, et Electionem ex fide prævisa suspenderint, ut rationem habeat, vel causæ impulsivæ, vel saltem instrumentalis, quomodo se habet respectu Justificationis, (nec enim inter se hac in parte satis consentiunt *Jacobus Andreæ*, *Hunnius*, *Gherardus*, et alii,) quæ communior est apud ipsos jam sententia; Licet non desint alii qui sanius hic et sentiunt et loquuntur, et inter cæteros Celeb. *Calixtus*.

VII. Arminiani, qui Papismum, et Pelagianismum per posticum revocant, in eundem scopulum impegerunt: Licet enim magno molimine conentur probare, se non facere fidem causam Electionis, ut declinent invidiam Semipelagianismi, qui ipsis merito impingitur, non negant tamen esse causam sine qua non, seu conditionem prærequisitam necessariam in eligendis. Imo non obscure colligi potest, eos ulterius progredi, et causalitatem aliquam fidei tribuere, ut Deus ejus prævisione moveatur ad hunc potius quam illum eligendum; Cur enim alias dicerent toties Electionem niti prævisione fidei, nisi statuerent intuitum fidei aliquid conferre ad electionem unius præ alio? Hinc Collatores Hagi. p. 109, "Absurdum esse," aiunt, "ponere absolutam Dei voluntatem in decreto electionis, pro causa prima, quæ reliquas causas, Christum puta, fidem, aliasque omnes antecedat," et Corvinus adversus Molinæum, p. 351. relinquit in medio, *An fides debeat vocari causa*, *An conditio*. Duplex autem hic faciunt Electionis decretum: Primum *generale*, servandi credentes; Secundum *speciale*, servandi hos et illos nominatim, quos Deus prævidit credituros; Primi nullam aliam causam dari volunt quam puram Dei voluntatem, sed quoad secundum, licet in divina voluntate etiam fundetur, volunt fidei intuitum et respectum supponere, ut Deus ea moveatur ad eligendum potius unum quam alterum. Hic vero non agitur de primo decreto, cujus vanitas alibi demonstrabitur, sed de secundo.

VIII. Ad Reformatos quod attinet, unanimi consensu Ecclesiæ statuunt Electionem esse mere gratuitam, nec ullam dari prævisionem fidei aut operum, et meritorum, vel de congruo, vel de condigno. Nec obstat, quod quidam aliter sentire videantur, dum electionem ad salutem juxta nostrum concipiendi modum posteriorem statuendo electione ad fidem, censent Deum primo decrevisse dare fidem homini, quam illum ad vitam destinarit; atque ita prædestinationem ad gloriam et vitam volunt esse ex fide, tanquam conditione a Deo prævisa in eo qui eligitur, ut Testardus loquitur in Ireni. th. 29, "Nemo negaverit Electionem ad justificationem et glorificationem, si distincte considerentur esse ex fide prævisa, ejusque objectum esse hominem credentem, quatenus credentem." Et Cappellus Thes. de Elect. th. 13. "Destinatio ad vitam æternam et gloriam, sive voluntas Dei de glorificando homine, nititur conditione fidei et pœnitentiæ, sed quam Deus ipse in nobis efficit," &c. Nam licet hæc opinio in causa

Digitized by Google

fidei differat ab Arminianorum placitis, quia tamen in cæteris ad ipsa propius accedit, et a recepta hactenus in Ecclesiis nostris sententia recedit, quæ constanter pro Electione mere gratuita citra prævisionem ullam fidei aut operum pugnarunt, merito tanquam nimis cruda et periculosa rejicitur.

IX. Hæc ergo Ecclesiarum nostrarum est sententia, Electionem tam ad gloriam quam ad gratiam plane gratuitam esse; ita ut nulla causa, vel conditio, vel ratio in homine fuerit, ad cujus intuitum Deus hunc potius quam alium elegerit; Sed hoc a sola ejus εὐδοκίᾳ pependerit, qua, ut certum hominum numerum, aliis nec meliorum nec digniorum, ex massa corrupta selegit, quibus salutem destinaret, ita decrevit pariter ipsis dare fidem tanquam medium ad salutem obtinendam necessarium; vide *Synod. Dordr.* th. 7, 9, 10, de Prædest.

Electio non est ex fide prævisa.

X. Rationes cur hoc statuant sunt istæ potissimum. 1. Quia fides et obedientia est Electionis fructus et effectus. Ergo non potest esse causa, vel conditio prævia; repugnat enim idem esse simul causam et effectum, eligi ex fide, et eligi ad fidem. Fidem autem et obedientiam esse fructum Electionis, loca varia probant, Ro. viii. 29, *Quos prædestinavit, hos et vocavit.* At vocatio est ad fidem, et fides finis ejus, ut vocatio effectus Prædestinationis. Eph. i. 4, *Elegit nos, ut essemus sancti,* Ergo non quia eramus, et v. 5, *Prædestinans nos εἰς υἱοθεσίαν ad adoptionem,* Ergo ad fidem, per quam adoptio illa nobis obtingit, Jo. i. 12; Act. xiii. 48, *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Ergo illi demum credunt, qui sunt electi, et quia sunt electi, non vero electi sunt, quia credunt, unde *Fides Electorum* dicitur, Tit. i. 1, quia ea solis Electis datur. Hinc August. de Prædest. Sanctorum, cap. 17, "Intelligimus vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderunt, ipsi eum prius utique elegerant, credendo in eum, ut eligi mererentur."

XI. Nequicquam hic excipitur, 1. ad locum Rom. viii. 29, non intelligi vocationem ad fidem, sed ad crucem, in qua conformes nos esse deceat Filio Dei, ut simus illi conformes in gloria, et prædestinationem non aliam intelligi quam conditionatam, si nimir. homines velint sequi Deum eligentem. R. Nam vocatio non alia potest intelligi quam ad fidem et obedientiam, licet conditionem crucis annexam habeat, quia agitur de vocatione secundum propositum, id. efficaci, quæ electorum tantum propria est, opposite ad vocationem inefficacem, quæ aliis etiam competit; 2. quia præponitur justificationi, et cum ea inseparabiliter cohæret; 3. quia est immediatum effectum Electionis, quod de cruce dici nequit. Nec si est vocatio ad fidem, sequitur Deum gratos habuisse peccatores antequam crediderint amore complacentiæ, licet Deo placuerit amore benevolentiæ ipsos prosequi, ut ipsis benefaceret. 4. Prædestinatio non alia potest intelligi quam ea quæ certo conjuncta est cum justificatione et glorificatione, et secundum quam omnia cooperantur in bonum Deum diligentibus: quod de absoluta tantum dici potest, non de conditionali quam fingunt Adversarii, quæ non obstat quominus multi deficiant et damnentur.

XII. 2. Ad Eph. i. 4, Perperam regeritur fideles posse etiam eligi ad sanctitatem. R. Quia hoc ipso quod sunt fideles, jam supponuntur sancti, siquidem fides purificat corda: Et cum Apostolus doceat benedictiones omnes spirituales dari nobis in Christo ex Electione, inde necessario sequitur, fidem quæ primaria est ex illis benedictionibus, fluere ex electione: Nec si Apostolus loquitur de electione completa singulorum, sequitur omnes Ephesios, ad quos scribit, debuisse esse electos; quia locutiones

Digitized by Google

istæ sunt synecdochicæ, in quibus denominatio fit a potiori: Adde quod Paulus potuit ita loqui, quia bene sperabat de illis ex judicio charitatis; Sed cum hic certæ electionis notæ ponantur, patet Electionis elogium iis demum vere competere potuisse, qui notas illas habebant. Licet vero fides se habeat antecedenter ad adoptionem, non sequitur se habere pariter ad electionem, quia non est causa adoptionis, nisi quatenus medium est a Deo per electionem ordinatum ad eam conferendam.

XIII. Falso supponunt Adversarii Act. xiii. 48, non agi de Electione æterna, tum quia non dicuntur illi προτεταγμένοι a Deo, sed simpliciter τεταγμένοι, tum quia inde sequeretur revelatum fuisse Paulo et Lucæ omnes illos, qui sermonem vitæ acceperant, electos fuisse ab æterno, quod absurdum. R. Quia verbum simplex τεταγμένοι ponitur pro composito, ut Rom. ix. 22, maxime cum respectu Dei, cui omnia sunt præsentia, non tam sit præordinatio quam ordinatio: Deinde licet non dicantur a Deo ordinati, sensus tamen alius esse non potest, nisi velimus a seipsis ordinatos esse, quod Pelagianum est. 3. Non opus fuit revelari extraordinarie Paulo electionem horum vel illorum; sed sufficiebat, ut Apostolus colligeret ex fide electionem, tanquam causam ex effectu. Non melior est alia ipsorum glossa, qua post Socinum locum istum corrumpere conantur, ordinationem istam referendo ad dispositionem ad fidem, sive aptitudinem, qua quis idoneus efficitur ad credendum, ut sit sensus, *crediderunt quotquot ad vitam æternam erant dispositi.* Nuspiam enim phrasis illa in Scriptura ita sumitur, et pugnat cum textu, ubi ordinatio non habet relationem ad fidem, seu dispositionem in subjecto, sed ad vitam; non dicitur, qui erant *dispositi ad fidem*, sed *ad vitam.* Nec ἄταχτοι opponuntur τοῖς τεταγμένοις, sed ἐνάκτοις, qui ordinem positum rite servant. Locus 1 Cor. xvi. 15, non huc pertinet, quia non notat dispositionem internam, sed ordinationem ad munus, qua illi, de quibus agitur, se addixerant ministerio Sanctorum. Denique supponitur gratis hominem irregenitum, quales erant illi de quibus loquitur Lucas, posse esse dispositum ad vitam æternam, antequam in Christum credat, quod toti Scripturæ repugnat, et rei naturæ adversatur: nam bona illa dispositio, vel esset ab homine ipso, et ita seipsum discerneret, vel a Deo, et sic arcessenda esset a liberrima Dei Electione.

XIV. Tit. i. 1, *Fides Electorum* dicitur, quia non est omnium, 2 Thes. iii. 2, sed tantum eorum qui ad vitam æternam sunt ordinati, quibus eam dat Deus, non aliis, Matt. xiii. 11. Non quod sit in Electis antecedenter, ut sine ejus intuitu nemo eligatur, sed quia est in illis consequenter, ut nullus fidem habere possit nisi ex electione, et dependenter ab ea.

XV. Licet Apostolus 2 Thess. ii. 13, intelligeret tantum electionem temporariam, seu vocationem, quæ fit per Evangelium ad gratiæ participationem, non vero æternam ad salutem, non minus valeret argumentum nostrum, propter utriusque inter se connexionem et analogiam: sed facile contrarium colligitur ex ipsis verbis, quia loquuntur de electione quæ facta est ἀπ' ἀρχῆς, id. jam ab æterno, ex stylo Scripturæ, et quæ perficitur per vocationem, v. 14. Ita Apostolus non hic commemorat causas electionis, sed salutis, et verba *in sanctificatione*, non jungenda sunt cum verbo *elegit*, sed cum voce *salutis*, quasi dicat, elegit ad salutem obtinendam in sanctificatione Spiritus, et per fidem veritatis, ut alibi loquitur, 1 Thess. v. 9.

XVI. Secundo, quia Electio facta est ex solo beneplacito, et non ex operibus ullis; loca sunt expressa, Rom. ix. 11, "Ut propositum secundum Electionem Dei firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante." Unde additur, v. 16, "Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei," sic c. xi. 5, 6, vocatur electio gratiæ. Ita Matth. xi. 25, Christus loquens de

Digitized by Google

revelatione mysteriorum ad salutem, quæ pendet ab Electione, illam soli beneplacito fert acceptam, *Etiam Pater, quia ita placuit tibi;* Nec aliter Paulus, 2 Timoth. i. 9, 10, dicit, "Deum nos salvasse et vocasse, non ex operibus, sed secundum Dei propositum, et gratiam quæ nobis data est in Christo ante tempora secularia."

XVII. Perperam Remonstrantes beneplacitum Dei, de quo Scriptura loquitur in electionis negotio, pertendunt illud esse, quo ex multis conditionibus possibilibus statuit solam fidem eligere, et acceptare in conditionem communicandæ salutis: Licet enim non negemus hoc a Deo constitutum esse, negamus tamen decretum esse electionis, de quo Apostolus loquitur; nam illud decretum est practicum, particulares personas ordinans ad salutem, non res, vel rerum connexionem in ordine ad salutem disponens, et ad ipsas creaturas terminatur, non ad qualitates. *Elegit nos*, inquit Paulus, scilicet homines, Eph. i. 4, *quos prædestinavit*, Ro. viii., nempe homines. At qualitas ipsa fidei hoc sensu non electa dicitur, sed electis præscripta, et donata, et ab æterno præparata.

XVIII. Fides potest consistere cum beneplacito et gratia Dei, quando illi subordinatur, tanquam effectum seu medium ab eodem beneplacito pendens, quod non minus media præparavit quam ipsum finem præstituit; et ita Paulus asserit Rom. iv. 16, *Esse ex fide, ut sit per gratiam*, quia sola fides potest cum gratia consistere in Justificationis negotio, sed ἀντιστρόφως est cum illa, quando consideratur ut causa antecedens, quia qui solam gratiam dicit, causas omnes alias extra Deum excludit.

XIX. Locus Pauli Rom. ix. 11, 12, non potest consistere cum prævisione fidei, aut operum, 1. quia agitur de gemellis qui nihil boni vel mali fecerant, quo inter se distinguerentur; 2. quia expresse dicitur electio esse ex vocante, non ex operibus; 3. quia versu 15, 16, soli Dei misericordiæ hoc totum adscribitur, *Miseretur cujus vult, et non est currentis, et volentis, sed miserentis Dei:* At si ex fide prævisa Deus hominum miseretur, salus potest dici volentis et currentis, non tantum miserentis Dei; 4. Si daretur prævisio, nullus esset locus objectionibus et scrupulis qui moventur ab Apostolo, v. 14, quasi Deus injustus esset, qui hunc præ illo eligeret; nulla enim injustitiæ species est in eo, qui credentes eligit, et incredulos reprobat.

XX. Nequicquam hic obtenditur; Non agi in hoc capite de electione vel reprobatione quorundam, sed de decreto Justificationis, quo Deus justitia et salute donare credentes in Christum constituit, rejectis iis qui justitiam ex Lege sectantur: Nam, præterquam quod Paulus de hoc argumento fusissime egerat in capitibus præcedentibus, ut nihil opus fuerit ad illud redire, scopus Apostoli contrarium satis evincit, qui est ostendere promissiones Dei, et fœdus cum Abrahamo initum non excidisse, etsi magna Judæorum pars resisteret Evangelio; ratum quippe esse semper in filiis promissionis; tales autem qui sint vel non, hoc pendere a divina prædestinatione. Series etiam ipsa orationis satis docet eo deveniendum esse, maxime quæ habentur, v. 11, 15, 16, quæ de justificatione per fidem non possunt exponi, sed ad electionem et vocationem manifeste respiciunt; ubi opera non opponuntur fidei, sed electioni et vocationi Dei; non dicit Paulus, non per opera, sed per fidem, ut dicendum fuisset, sed *ex vocante*, et v. 16. *Non est volentis aut currentis*, non addit, sed credentis, ut addere debuisset, *sed miserentis Dei.* Et sane quum agitur de causa, cur ex duobus in peccato pariter conceptis, et per omnia paribus, hunc illi prætulerit, sola Dei misericordia et electio gratuita consideranda est, non fides, quæ electionem sequitur, non præcedit: Quod vero habetur, v. 30, &c. de jus-

Digitized by Google

titia fidei quam Gentes consecutæ sunt, non evincit Paulum egise hoc capite de Justificatione, sed consectarium est ex præcedentibus elicitum, nempe ex hac electione et vocatione gratuita gentes obtinuisse, ut justitiæ per fidem fierent participes, Judæos vero magna ex parte sectantes opera Legis, justo Dei judicio salute excidisse: Unde elicitur fidem esse medium unicum salutis, sed non causam electionis.

XXI. Licet rejectio et electio, quæ proponitur in persona Esavi et Jacobi, possit quodammodo posteros ipsorum respicere secundario, primario tamen ipsos spectat, ut ostendatur causam discriminis inter filios carnis et promissionis, quæ proponitur, v. 6. 7, non in operibus bonis vel malis præcedentibus et prævisis quærendam esse, sed in æterno Dei proposito, Jacobum ex gratia eligentis, et Esavum reprobantis: Ita ista non proponuntur tantum *typice*, sed etiam *paradigmatice*, quemadmodum exempla priora Israëlis et Isaaci personas singulares respiciunt.

XXII. Tertio, Si Electio est ex fide prævisa, oportet ut illam in nobis præviderit Deus, vel tanquam actum naturæ, qui a nobis proficiscatur, vel ut actum gratiæ, qui a Deo pendeat, vel ut actum communem qui ab utroque conjunctim, partim a Deo, partim ab homine oriatur; Si ut actum Dei, ergo prævidit eam ut donum suum, id est a se decretam ex electione, et sic electionem sequetur, non præcedet; Si ut actum naturæ, ergo nos ipsos discernimus, contra Paulum, 1 Cor. iv. 7, et vicit Pelagius; Si ut actum communem, vel specificatur actus Dei ab actu hominis, et sic homo est architectus suæ salutis, et habet quod sacrificet reti suo, cum conferat ad sui salutem quod præcipuum est, vel specificatur actus hominis ab actu Dei, et sic electio erit causa fidei, non contra: ita vel ascendendum est cum Scriptura ad Deum discriminantem hominem dono suo, vel descendendum cum Pelagio ad hominem se discernentem libero suo arbitrio, nec ullum datur medium.

XXIII. Quarto, Si Electio est ex fide prævisa, Deus non eligeret hominem, sed homo potius eligeret Deum, et sic prædestinatio dicenda potius esset postdestinatio, prima causa fieret secunda, et Deus penderet ab homine, quod falsum esse, et res ipsa clamat, et Christus expresse testatur, Joh. xv. 16. *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*, quod oraculum sæpe ab August. repetitur, præcipue lib. de prædestinatione Sanctorum, c. 19, "Electionem quam significat Dominus dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, nec ipsa fides præcedit: Non enim quia credidimus, sed ut credamus elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur."

XXIV. Quinto, Si Electio est ex fide prævisa, nullus dabitur locus objectionibus quæ circa eam moveri solent, et nihil proclivius erit quam satisfacere quæstioni, cur ille eligatur potius quam iste, et frustra exclamaret Paulus, *ὦ βάθος*, Ro. xi. 33. Frustra idem velut injectis lupatis hominis curiositatem reprimeret increpando, *σὺ τίς εἶ*, et cum luto figuli eum comparando; Nam quamvis admiranda sit œconomia qua servantur credentes, increduli damnantur, adeo tamen clare nobis est revelata in Evangelio, ut nihil supra; Ergo in Prædestinatione aliquid ponendum est admirabilitatis plenum, quod nihil aliud esse potest quam electio aliorum præ aliis non pejoribus, et reprobatio aliorum præ aliis non melioribus; causa enim hujus discriminis, cum in homine nulla sit, nec imaginando fingi possit, necesse est mentes hominum hic hærere, ac veluti sub velo plenum horroris venerandi mysterium adorare: Nec Apostolo confugiendum fuisset ad solum Dei beneplacitum, qui *miseretur cujus vult*, si causa discriminis istius esset in homine ipso; nihil enim facilius fuit quam respondere Deum nullam cuiquam injuriam facere, quia si

Digitized by Google

damnat, damnat incredulos, si eligit, eligit credentes; cum ergo nihil tale efficiat, sed solius beneplaciti mentionem faciat, eo ipso testatur clarissime, se nullam discriminis istius causam agnoscere quam solam ejus εὐδοκίαν, atque adeo electionem non esse ex fide prævisa.

www.libtool.com.cn

Fontes Solutionum.

XXV. Alia ratio est *amoris benevolentiæ et beneficentiæ*, alia *amoris complacentiæ et amicitiæ;* ille quidem antecedit fidem necessario, quia illam dat, hic vero eam supponit; ille ex amantis dignatione, et sola ejus εὐδοκίᾳ pendet, iste ex amati dignitate, seu convenienti dispositione fluit. Quum Paulus ait ad Hebræos, c. xi. 6, *sine fide impossibile esse placere Deo*, non intelligit primum amorem, sed secundum, quia loquitur de fide actuali Patrum, per quam obtinuerunt testimonium justitiæ; hinc ergo recte infertur quales Deo placeant in tempore, non quare elegerit Deus ab æterno ut placerent.

XXVI. Aliud est *hominem placere Deo*, aliud vero *placere Deo hominem eligere;* prius supponit fidem in subjecto existentem, et de hoc loquitur Paulus Hebr. xi. 6, sed non posterius: Nec si Deo placet gratiam homini facere, statim sequitur hominem illum placere Deo; alioqui sequeretur, quia placuit mundum sibi reconciliare, mundum etiam placuisse Deo antequam reconciliatus esset, quod est ἀσύστατον; prius notat complacentiam quæ terminatur in homine, et actum ejus supponit, posterius tantum eam quæ terminatur in ipso decreto, et actum Dei dicit. Quamvis vero sine fide placeat Deo nos eligere ab æterno, non sequitur sine fide pariter nos placere posse Deo in tempore; quia potest placere Deo, ut bene velit creaturæ antecedenter ad fidem, sed non potest Deus sibi complacere in Creatura nisi consequenter ad ipsam.

XXVII. Πρόγνωσις de qua Rom. viii. 29, non *speculative* intelligenda est pro nuda præscientia, quia nihil potest prævidere in homine quod ipse non dederit, sed *practice* pro gratuita ejus electione, ut supra visum; Nec si Paulus ait, Deum quos *præcognovit, prædestinasse* συμμόρφους *imagini Filii sui*, intelligit tales fuisse antecedenter; quia hoc non potuerunt obtinere, nisi ex vocatione quæ sequitur, sed ut essent tales consequenter, ut supplendum sit πρὸς τὸ εἶναι, ut indicentur *prædestinationis effecta et media*, non causæ et motiva: atque hinc patet, non quare hunc præ alio prædestinarit, sed ad quid prædestinet, et quibus mediis, nimirum ad gloriam, et ad conformitatem cum Christo, tum in sanctitate, tum in cruce: ita πρόγνωσις decretum de fine seu destinationem ad salutem, προορισμὸς decretum de mediis ad finem illum consequendum necessariis notat, ut Eph. i. 5.

XXVIII. Quod Jacobus dicit cap. ii. v. 5, *Deum elegisse pauperes hujus mundi divites fide*, innuit quidem ad quid Deus elegerit, nimirum ad fidem, sed non per quid et propter quid eos elegerit, ut verba ista *divites fide*, non *causaliter*, sed *finaliter* sint accipienda per ellipsim infinitivi εἶναι, ut Eph. i. 4. quod patet a pari, quia eo modo elegit divites fide, ut *hæredes regni*, sed hæredes regni electi sunt ut tales redderentur, non quod jam actu tales essent ante sui electionem.

XXIX. Aliud est nolle electionem suspendere a fide et operibus, quod volumus; Aliud statuere salutem nobis esse decretam citra ullum respectum obedientiæ et fidei, quod per calumniam nobis affingitur. Decretum de salute in tali respectu non fundatur, sed tamen ipsa salus decreta ex obedientia fidei pendet, quam Deus in nobis operatur.

XXX. Aliud est electos esse credituros; aliud electos esse *reduplicative*, et *causaliter*, quia vel qua credentes, et crediturus; prius datur, quia neminem servare decrevit, quin quoque decreverit illi fidem dare, ut propositiones istæ sint convertibiles, omnis credens est electus, et omnis

Digitized by Google

electus est credens; sed posterius, de quo hic agitur, negatur. Hinc loca quæ statuunt neminem nisi credentem servari, probant quidem necessitatem fidei ad salutem consequendam in tempore, sed non fidei prævisionem, quæ electione sit prior ab æterno; quia aliud est Deum velle credentes servare, aliud decrevisse eos salvare, quia prævidit eos crediturus.

www.rbook.com.cn

XXXI. Si Deus salvat credentes qua tales, sequitur quidem eum decrevisse eos salvare qua tales, sed non qua tales elegisse ad salutem, quia fides quæ est causa salutis, est tantum effectum et medium electionis: Sic verum est Deum in tempore servare eodem modo quo decrevit servare, et ut servat in tempore per fidem, ita decrevisse ab æterno servare per fidem, id. ut fides sit conditio et medium consequendæ salutis; Sed non valet pariter, si de causa decreti intelligatur; quia fides quæ est causa antecedens salutis quæ nobis decernitur, non potest esse causa decreti, sed tantum medium, quo salus nobis decreta obtinetur. Licet autem nihil fiat in tempore quod non decretum sit ab æterno, non tamen propterea debet eadem esse ratio decreti quæ executionis. Nam decretum incipit a fine, et desinit in mediis; At executio incipit a mediis, et desinit in fine; Deus in eligendo concipitur prius decrevisse servare, deinde intendere dare media ad salutem, scil. fidem et obedientiam; sed in executione prius dat media quam perducat ad finem: Unde quod est causa salutis, non statim debet censeri causa electionis, imo potius effectum: Sic Medicus prius intendit sanationem ægri quam cogitet de remediis, sed in exequendo prius adhibet remedia quam sanet. Licet ergo Deus in exequendo prius det fidem quam salutem, non tamen inde inferri potest Deum in eligendo prius considerare fidem quam salutem.

XXXII. Licet Deus prædestinet homines ad fidem, ut ad medium, per quod ad salutem perveniant; non necesse est ut pariter Deus prædestinet reprobos ad incredulitatem et ad impœnitentiam: quia alia sunt media, quæ Deus invenit in nobis, alia quæ facit; incredulitas et impœnitentia non ponuntur a Deo, sed inveniuntur in nobis; At fides a solo Deo oritur, non a nobis.

XXXIII. Licet reprobatio facta sit ex intuitu peccati, non sequitur electionem pariter factam fuisse ex intuitu fidei et bonorum operum; quia reprobatio est actus justitiæ, quæ supponit necessario peccatum; sed electio est actus misericordiæ, quæ nihil supponit nisi miseriam: Ita homines potuerunt in prædestinatione spectari in *statu miseriæ*, in quam sua culpa inciderunt, sed non in *statu gratiæ*, ad quem per decretum electionis tantum erant traducendi.

XXXIV. Voluntas dandi salutem, ut coronam et præmium fidelibus, præsupponit fidem et perseverantiam in homine qui salvandus est, qui sine illis salvari non posset, sed non in Deo qui servat, quasi voluntas ejus a prævisione talis fidei pendeat, cum hæc ipsa fides ab illo decreto oriatur: Justitia ergo postulat ut præmium non detur nisi post obedientiam, sed non postulat ut destinetur propter obedientiam prævisam, maxime cum merces illa sit mere gratuita, quæ a Deo non modo promittitur ut præmium ad nos excitandos ad officium, sed destinatur etiam ut donum et hæreditas. Sic Deus præparavit regnum cœlorum diligentibus se, 1 Cor. ii. 9, ut dilectio sit conditio præcedens possessionis; sed non propter dilectionem, ut sit causa impulsiva præparationis. Neque hic bene distinxeris inter σχέσιν *Patris*, quæ obtineat in Prædestinatione, et σχέσιν *Judicis*, quæ locum habitura sit in die Judicii, ut collatio salutis non tam sit actus gratiæ, qui pendeat ex electione, quam actus justitiæ, qui retribuat unicuique secundum opera sua. Licet enim justitia fidelitatis in remuneratione gratuita

Digitized by Google

fidelium sese exerere debeat, non ideo negari potest misericordiam Dei Patris ex gratuita electione fluentem hic locum esse habituram; cum vita æterna nobis detur ut hæreditas filiorum ex beneplacito Patris, Luc. xii. 32. *Ne time pusille grex, nam beneplacitum Patris est tibi dare Regnum.* Et Matth. xxv. 34. *Venite benedicti Patris mei, hæredate regnum vobis paratum a jactis mundi fundamentis;* Et Electio in Scriptura non tantum referatur ad media, fidem scilicet et sanctitatem, ut ista hypothesis statuit; Sed etiam ad finem, salutem nimirum ipsam, et vitam æternam, 2 Thess. ii. 13; 2 Tim. i. 9; Rom. vi. 23, et alibi sæpe.

XXXV. Electio quæ fit inter dispares, et secundum inhærentes qualitates, fieri debet ejus quod est melius; sed non eadem est ratio illius quæ fit inter pares, et in eadem miseria constitutos, tunc enim eliguntur non meliores, sed æque mali, ut boni fiant, quæ electionis nostræ est conditio.

XXXVI. Quamvis sanctificatio sit nota a posteriori Electionis, qua et nobis innotescit, et aliis fit manifesta, quo sensu Paulus, 2 Tim. ii. 21, dicit *eum qui se purgaverit, fore vas ad decus*, id. declaratum iri, ut Matt. v. 44, et Joan. viii. 31: non propterea potest censeri causa, vel conditio Electionis.

QUÆSTIO XII.

DE ELECTIONIS CERTITUDINE.

An constans sit et immutabilis certorum hominum ad salutem Electio?
Affir. contra Remonst.

I. Quæstio ista oritur ex præcedentibus, et cum iisdem Adversariis nobis intercedit; Nec mirum eos incertitudinem et mutabilitatem Electionis tueri, qui eam a conditione inconstanti et mutabili suspendunt.

II. Arminiani, ut Apostasiam Sanctorum tueantur, Electionis mutabilitatem statuunt; ideo duplicem eam fingunt: aliam *incompletam* et *non peremptoriam* eorum qui crediturí sunt, quæ revocari possit et irrita fieri, ex inconstantia hominum, qui possunt deficere a fide; aliam vero *completam* et *peremptoriam* in fide perseverantium, et morientium, quæ sit immutabilis.

III. Orthodoxi vero, licet fateantur varios actus in electione assignari posse ratione variorum objectorum, finis scilicet et mediorum; negant tamen Scripturam meminisse vel diversorum graduum, vel specierum Electionis; sed unicam tantum cum ea, completam et peremptoriam agnoscunt; non indefinitam hominum credentium, et perseverantium, sed definitam certorum hominum ex eadem massa corrupta ad salutem per et propter Christum obtinendam destinatorum, quæ ita sit certa et immutabilis, ut revocari nunquam possit, sed finem suum tandem infallibiliter consequatur.

Status Quæstionis.

IV. Ad Statum Quæstionis, observa, 1. Non quæri de *certitudine* Electionis *subjectiva*, quæ est a *parte nostri*, et respectu sensus quem de ea habemus, de qua postea agetur; Sed *de objectiva*, et a *parte rei*. Non, An Electus possit excidere a parte sui, quod nimis verum esse experiretur, si sibi relinqueretur; Sed, An possit excidere a parte decreti, quo ad salutem electus est.

V. Non quæritur, An ita sit certa electio, ut nulla sint amplius necessaria media, et quicquid homo præstiterit necessario salvandus sit? nolu-

Digitized by Google

mus enim finem a mediis separare, quæ inter se Deus conjunxit; Sed, An certa sit, positis mediis a Deo ordinatis? Quæstio ergo eo redit; An decretum electionis ita firmum sit et immutabile, ut electi necessario et infallibiliter ad salutem tandem perduci debeant: Negant Adversarii; Nos affirmamus.

www.libtool.com.cn

Electionis immutabilitas probatur. Ex Heb. vi. 17, &c.

VI. Rationes sunt, Primo quia eadem est ratio decreti Electionis, quæ aliorum Dei decretorum, quæ sunt immutabilia, ut supra visum ex Ps. xxxiii. 11; Num. xxiii. 19; Mal. iii. 6; Jac. i. 17; Is. xlvi. 10. *Consilium meum stabit, et perficiam omne beneplacitum meum*, ubi cum immutabilitate decreti, notatur infallibilitas eventus. Hinc Scriptura Electioni tribuit ἀμετάθετον τῆς βουλῆς *immutabilitatem consilii*, Heb. vi. 17, et *propositum quod firmum manet*, Rom. ix. 11. Et alibi testatur, *Dona et vocationem Dei esse* ἀμεταμέλητα, Rom. xi. 29. Si vero dona et vocatio, quæ ab Electione fluunt, sunt sine pœnitentia, quidni et ipsa Electio, eorum causa, erit ἀμεταμέλητος? Nec dicendum hic Deum quidem non pœnitere donorum suorum, sed hominem posse pœnitere doni accepti, vel retenti. Quia licet homo a parte sui in sensu diviso posset deficere, non potest tamen in sensu composito, et qua electus et vocatus, siquidem hæc ipsa electio et vocatio ἀμεταμέλητος, irresistibiliter in eo operando dat velle et perficere, et facit ut eum doni accepti nunquam pœniteat, producendo pœnitentiam ἀμεταμέλητον, 2 Cor. vii. 10.

VII. Huc pertinet locus illustris Pauli, 2 Tim. ii. 19, *Firmum stat Dei fundamentum, habens hoc sigillum, Deus novit qui sui sunt.* Ubi quot sunt verba, tot sunt rationum pondera. Quia enim Ecclesia domus est Dei vivi, et salutis opus ædificium quod in ea extruitur, ne de ejus firmitate aliqua dubitatio oriretur, *fundamentum* illi tribuit Apost., æternam scil. electionem, in qua salus nostra tota fundatur, sed fundamentum eximium, non hominis, sed *Dei*, tum *originaliter*, quia ab ejus manu sola positum est, Hebr. xi. 10, 1 Petr. ii. 6, tum *subjective*, quia eo velut Rupe Seculorum nititur, Matt. xvi. 18, adeoque non fluxum et mobile, qualia sunt fundamenta terrena et humana, quæ variis casibus tandem concidunt, sed *firmum* et *immotum*, quod everti non potest, et quidem quod ἵστηκεν id. firmum et inconcussum *stat*, perpetua nempe stabilitate, quæ nullas temporis differentias agnoscit, idque *obsignatum* notitia Dei non simplicis inspectionis, sed practica, discernente suos a non suis: Quippe, ut homines sigillo solent confirmare scripta quæ rata et firma esse volunt; Ita Deus decretum Electionis sigillo munire voluit, ne ullus de eo dubitandi esset locus: *Habens sigillum hoc, novit Deus qui sui sunt, et recedat ab iniquitate, qui nominat nomen Christi*, quod duplex velut emblema exhibet ad plenam confirmationem; Unum resp. Dei, alterum resp. nostri: Prius ad Dei amorem et custodiam; posterius ad sanctificationis studium, quod Deus in suis gignit, pertinet, quo utroque Electionis certitudo constat: Nam si posset irrita fieri, vel a parte Dei hoc oriretur, vel a parte nostri; Sed neutrum dici potest: Non prius, quia *Deus novit qui sui sunt*, id. amat et protegit, ne unquam deficiant: Non posterius, quia idem curat, ut quisquis profitetur nomen Christi, et est ex numero suorum, recedat ab *iniquitate*.

VIII. Quid fortius dici potuit ad immutabilitatem Electionis adstruendam? Quid enim excipi potest? An, non agi de Electione, sed tantum de doctrina resurrectionis, de qua egerat in versu præcedenti? R. Sed, præterquam quod doctrina resurrectionis involvit totam salutis rationem, quæ in electione fundatur; Scopus Apostoli contrarium evincit, qui est

Digitized by Google

confirmare fidem verorum fidelium adversus defectionem Hymenæi et Phileti, et aliorum idgenus Apostatarum, ne propterea conturbarentur, quasi actum esset de salute sua, quia diversissima sit ratio fidei istorum πρόσκαίρων, et fidei electorum; illam concuti posse et everti, quia stabili non erat gradu, sed istam nequaquam, utpote quæ rupi seculorum immotæ inniteretur; Licet ergo Hymenæus et Philetus, et alii aberraverint a fide, ὁ μέντοι στερεὸς ἵστηκε Θεοῦ θεμέλιος, *firmum nihilominus manet Dei fundamentum* respectu verorum fidelium, quos Deus pro suis agnoscit et amat. An addent agi de fundamento quod nititur præscientia fidei, quia dicitur habere hoc sigillum, *Deus novit qui sui sunt?* Sed ne sic quidem quicquam promovebunt, tum quia notitia ista non est speculativa, sed practica, quæ objectum non supponit, sed facit; tum quia hic proponitur, non antecedenter ad fundamentum, sed ut sigillum consequens, quodque ideo electionem sequitur non præcedit. An denique dicent proponi quidem recessum ab iniquitate, ut officium hominis, qui hoc debeat facere, sed non statim ut ejus actum, qui hoc reipsa impleat? Sed hic actus hominis ab ejus officio non separatur, quia idem qui jubet Deus, ut recedamus ab impietate, id ipsum operatur in nobis spiritu suo, qui ne recedamus unquam a Deo, facit ut per sanctam apostasiam recedamus a mundo et peccato, mortificando facta corporis, Rom. viii. 13, et crucifigendo carnem cum suis concupiscentiis, Gal. v. 24.

IX. Secundo, Quia Electi seduci non possunt. Matth. xxiv. 24. Christus de Pseudophrophetis loquens, dicit, tot et tanta signa et prodigia facturos, ut *seducerent, si fieri posset,* καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς *ipsos etiam electos,* id. si qua vis valeret adversus electionem; quod dici non posset, nisi revera electos seduci esset impossibile, non respectu cujusvis erroris levioris, in quem non repugnat eos cadere, sed exitialis et finalis: Nec ad eludendam vim istius loci juvat excipere, Primo, electos notare hic tantum præstantes: Quia nuspiam vox ista in N. Test. præcellentiam innuit sine respectu ad decretum, quod loca ab ipsis Adversariis allata, Luc. xxiii. 35, 1 Pet. ii. 4, Act. ix. 15, probant; nec hoc aliter intelligendum hic esse, ex Marc. xiii. 20, constat, ubi describuntur per *electos, quos Deus elegit;* Secundo, εἰ δυνατὸν non absolutam quandam impossibilitatem, sed magnam tantum *difficultatem* indicare, quæ referenda sit, non ad ipsius seductionis eventum, sed ad seducentium consilium et studium; ut sit sensus, quantum in ipsis est, nil intentatum relinquent, quo possint electos seducere, illud autem si ipsorum machinationes non efficiant, nihil obstat tamen, quin seipsos prodant electi, et ex innata labilitate pereant; alias quid opus fuisset monitione ne seducerentur, si impossibile fuit eos seduci? R. Sed scopus Christi contrarium evincit, qui est exaggerare summum discrimen ultimorum temporum, quod imminebat fidelibus a Pseudochristis et Pseudoprophetis, qui talia signa erant edituri, ut non tantum πρόσκαιροι, sed ipsi etiam electi, si possibile esset, subverterentur; quod locum non haberet, si difficultas tantum notaretur, et impossibilitas moralis ex parte seductorum; quasi sensus esset, nil intentatum relinquent Pseudoprophetæ, ut quantum in ipsis est noceant electis; sed quid opus erat hoc prædici, de quo nemo dubitabat, cum hoc sit ingenium, et hæ artes seductorum? Deinde difficultas illa, vel superabilis fuit a Pseudoprophetis talia molientibus, vel non; si potuit superari, nihil novi aut magni hic prædicitur a Christo; si non potuit, obstaculum non est ab eorum impotentia vel ignorantia, sed a superiori causa, quam ipsi frustra oppugnant, nimirum electione; unde non ait εἰ δυνατὸν αὐτοῖς sed εἰ δυνατὸν, quod non simplicem difficultatem, sed eventus impossibilitatem notat, ut Gal. iv.

Digitized by Google

15. Nec si impossibilis est seductio propter electionis immutabilitatem, sequitur frustraneas esse Christi hortationes ad vigilantiam, quia sunt media, quibus Deus constituit consilium suum exequi; alias frustra Christus præmoneret Petrum de lapsu, quia erigendus erat, et Paulus Centurionem de naufragio, Act. xxvii. 31, cum omnes servandi essent.

X. Tertio, Quia datur nexus inseparabilis inter Electionem et gloriam, ut quotquot electi sunt, iidem etiam sint glorificandi: Patet ex catena aurea salutis, quæ ab Apostolo nectitur Rom. viii. 29, 30, ubi initio facto ab æterna Dei electione, per singulas gratias inde manantes, progreditur ad ultimum salutis complementum, ab æterno in æternum, ab æterno respectu prædestinationis, in æternum respectu glorificationis. "Quos Deus prænovit, eos prædestinavit conformandos imagini Filii sui. Quos vero prædestinavit, eos vocavit, quos vocavit, eos etiam justificavit, quos justificavit, eos etiam glorificavit." Ubi Paulus loquitur de glorificatione in præterito, tum respectu inchoationis in gratia et sanctitate, quæ gloria est inchoata, 2 Cor. iii. 18, tum respectu certitudinis, quia æque certa est et infallibilis, ac si reipsa in cœlos jam introducti essent. Si ergo gratiæ istæ arctissime inter se junctæ sese ita comitantur, ut nemo prædestinatus sit, qui non vocetur, nemo vocetur, qui non justificetur, nemo justificetur, qui non glorificetur, ex eo invicte patet Electionem immutabilem esse, quæ infallibiliter eventum suum debet consequi.

XI. Quidam ex Pontificiis, ut *Becanus* et *Tirinus*, ut se ex hoc loco expediant, confugiunt ad hyperbaton, quasi ita legendum foret, *Deus eos prædestinavit, quos scivit fore conformes Christo.* Sed Bellarminus ipse agnoscit hanc esse depravationem Textus, qui contrarium habet. Alii volunt agi de præscientia eorum, quos Deus prænovit *finaliter crediturос.* Sed glossa illa textum ipsum corrumpit, nam Paulus dicit Deum prius prænovisse eos quos prædestinavit, ut conformes essent Filio suo; Ergo non poterant præsciri, ut jam conformes, multo minus ut credentes, et ad finem usque perseverantes. Prægnitio ergo ipsa est practica personarum, non theoretica qualitatum, unde non dicit *quorum fidem* prægnovit, sed *quos* prænovit. Non melius elabuntur, qui ista omnia conditionata esse pertendunt, dummodo Deum amare non desinamus; Apostolum scilicet ostendere, quid ex parte sua facturus sit Deus, nimirum quod credentes et perseverantes sit glorificaturus; sed non dicere, an qui semel credunt et Deum amant, perpetuo in officio suo sint permansuri; alias frustra excitaturus fuisset fideles ad patientiam in cruce. Nam gratis supponunt conditionate ista sumenda esse, cum conditio ipsa, nimirum fides, sub promissionem cadat, utpote vocationis fructus; alioquin vana esset gloriatio Apostoli, et triumphus fidei, quid enim juvaret tutum esse ab hostibus externis, si periculum nobis a propria nostra inconstantia semper immineret?

XII. Id ipsum vero Paulus alibi confirmat clarissime, quum inter destinationem gloriæ, et salutis consecutionem, nexum proponit, Rom. xi. 7, ἡ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν *Electio assecuta est, cæteri occalluerunt;* ubi non dicit simpliciter *Electos* assecutos esse, nimirum justitiam vel salutem, quam Judæi cæteri perperam in Lege quærebant, sed *electionem*, ut notet non modo *subjectum*, id. illos qui salvantur, sed *causam*, cur salutem potius isti quam alii obtineant, nimirum æternam Dei electionem. Ideo v. 2, dixerat Apost. *Deum non abjicere populum quem prænovit*, propter electionis certitudinem.

XIII. Quarto, Quia Electorum nomina scripta sunt in cœlis, in libro vitæ, Phil. iv. 3, Apoc. xiii. 8, Heb. xii. 23, qui lituram nullam patitur:

Digitized by Google

Unde Christus jubet discipulos suos lætari, non quod dæmones ipsis subjicerentur, sed præcipue quod *nomina eorum scripta essent in cœlis*, Luc. x. 20, cujus gaudii nulla esset ratio, si inscriptio illa facile deleri posset, et a tenui tantum voluntatis humanæ mutabilis filo penderet. Verum enim demum gaudium est, quod est solidum et ἀναφαίρετον. Et hoc luculentius patet, sive inscriptio in genere spectetur, qua Scriptura solet firmitatem et infallibilem executionem decretorum Dei designare, tum in ira, ut Isa. lxv. 6, *Ecce scriptum est coram me*, nempe peccatum Israëlitarum, *non tacebo nisi rependero in sinum ipsorum*; tum in gratia, ut Malac. iii. 16, dicitur *Liber memoriæ conscriptus coram Deo timentibus Jehovam*; sive in specie author, et subjectum inscriptionis istius attendatur: Nam quamvis ad multiplicem ritum alludere hac phrasi potuerit Spiritus S., sive ad album amicorum, sive ad militum conscriptionem, sive ad matriculam Civium, qui jure civitatis fruuntur; Certum est hoc libro designari æternum Dei consilium; quo in mente sua inscripsit nomina eorum, quos in numerum fidelium suorum recipit, et quos in Jerusalem cœlestem admittere statuit, cujus invicta potentia, et constantia immota inscriptionem istam indelebilem reddit; Nam *si homo dixit, quod scripsi, scripsi; an Deus quemquam scribit in libro vitæ et delet?* ut loquitur Augusti. Si Regum Persarum decreta erant irrevocabilia, quanto magis Regis Regum, in quem nec cadere potest ignorantia in decernendo, nec impotentia in exequendo. Accedit etiam titulus ipse libri; nam cur vocaretur *Liber Vitæ*, in quo qui scribuntur, *scribuntur ad vitam*, Is. iv. 3, si in æternum perire possunt? Denique loci ipsius conditio hoc evincit; ut enim terra inconstantiæ et fragilitatis sedes est, ita impii, quorum portio est in terra, et qui cum ea perituri sunt, dicuntur *scripti in terra*, Jer. xvii. 13. Sed fideles dicuntur *scripti in cœlis*, non modo quia ipsorum πολίτευμα est in cœlis, Phil. iii. 20, et jus habent ad patriam cœlestem, sed et quia hæreditas incorruptibilis ipsis asservatur in cœlis, 1 Pet. i. 4, a qua excidere nequeunt. Unde alibi Christus promittit victori, Apoc. iii. 5, *Quod non deleturus sit nomen ejus ex libro vitæ*, et Apoc. xxi. 27, Johannes protestatur, quod nemo faciens iniquitatem sit ingressurus in civitatem cœlestem, *si μὴ οἱ γεγραμμένοι ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς, præter inscriptos in libro vitæ.* Ut ergo nemo extra eos potest hoc expectare; Ita quotquot sunt ex eo numero hoc jure sibi polliceri possunt.

XIV. Perperam hic distinguitur *Liber Agni*, et *Liber Vitæ*, quasi in illo inscripta sint nomina perseverantium in fide, adeoque eorum qui salvantur; in isto vero inscripti sint omnes fideles sub conditione perseverantiæ. Quia eundem esse librum Agni, et Vitæ constat ex Apoc. xiii. 8. ubi Liber Agni, simul vocatur *Liber vitæ Agni*. Frustra etiam inscriptio duplex fingitur, alia facta secundum æternam prædestinationem ex prævisione perseverantiæ, quæ sit indelebilis, alia vero temporalis, quæ dicatur fieri secundum præsentem fidei et justitiæ statum, quæ sit delebilis; quia indignum est Majestate et Sapientia Dei fingere Deum ἀλλοπρόσαλλον, cujus decreta suspendantur ex volubili voluntatis humanæ flexu, ut toties nova ineat consilia quoties illa, vel in pejus, vel in melius mutatur.

XV. Sed longe aliter perfectissima Dei natura ratiocinari nos jubet; Nam si Electionis decretum mutaret, vel inde fieret, quod prævidere nesciverit quod eventurum erat ex ignorantia, vel quod exequi non potuerit ex impotentia, vel quod perficere noluerit ex inconstantia. At cum nihil tale cadere possit in Deum sapientissimum, potentissimum, et optimum, ac fidelissimum, consequens est, ut quod semel statuit ratum maneat ac fixum, et eventum suum remotis omnibus impedimentis infallibiliter sortiatur.

Digitized by Google

Fontes Solutionum.

XVI. *Electio* nostra potest *firmari a posteriori*, respectu *sensus* nostri in corde; Et hoc sensu verba Petri intelligenda sunt, 2 Pet. i. 10. quum jubet fideles vocationem suam et electionem βεβαιοῦν, *firmam* reddere, quia per praxim bonorum operum, et sanctificationis studium, veritas electionis magis ac magis nobis innotescit, et in cordibus nostris confirmatur; Sed non inde sequitur eam debere confirmari a priori, et respectu ipsius consilii Dei, quod ut ἀμετάθετον, idem semper manet, nec irritum fieri potest.

XVII. Vox ἀδόκιμος non necessario sumitur participialiter pro eo qui reprobatus est a Deo, et ad æternam mortem prædestinatus, sed *nominaliter* sæpe usurpatur pro inepto, inidoneo, sicut vicissim δόκιμος significat eum qui probæ est notæ, et aptus ac idoneus ad opus ad quod vocatur. Quum ergo Paulus dicit, 1. Cor. ix. 27. *Se contundere corpus suum, ne cum aliis prædicaverit, ipse inveniatur* ἀδόκιμος, non vult supponere se posse ex electo fieri reprobum, sed innuit tantum se corpus suum in servitutem redigere, ne ob vitam licentiosiorem ἀδόκιμος et ad Evangelii prædicationem ineptus redderetur; alludit scilicet ad pugiles, quorum ii qui desidiosi erant et pigri ex nimia saginatione rejiciebantur, tanquam inepti et minus idonei: adde quod sollicitudo Pauli non poterat infringere certitudinem decreti, quæ usum mediorum non excludit, sed includit.

XVIII. Electus potest deficere in *sensu diviso*, qua homo in se consideratus: sed non in *sensu composito* quatenus electus, relate ad decreti divini immutabilitatem, et invictam Dei custodiam.

XIX. *Liber* de quo Moses optat deleri, Exod. xxxii. 32. non est *liber vitæ æternæ*, seu prædestinationis; sed *liber providentiæ*, seu *vitæ præsentis*, ut doceat se tanto erga Dei gloriam zelo, et tanta charitate erga populum ferri, ut interitu suo paratus sit redimere totius populi exitium, et optet potius mori, quam universam illam gentem, in fœdus Dei adscriptam, tot miraculis claram, cum magna, ut videbatur, Nominis divini ignominia in deserto perire: Nec difficile est hoc colligere, tum ex eo quod mentio fit tantum libri Dei, *dele me de libro tuo*, non libri vitæ; tum quod votum Mosis respondere debet pœnæ, quam adversus populum Deus interminatus fuerat, quæ fuit, destructio, et mors corporea, ex v. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam;* Ergo de eodem mortis genere debuit loqui, quod etiam in simili casu intelligit, Num. xi. 15. *Si sic mecum agis, obsecro ut interficias me.* 2. Licet de libro vitæ hoc intelligeretur, non statim inferri inde posset Electionis mutabilitas, quia votum est quod tacitam habet conditionem, si res fieri posset, et faceret ad Dei gloriam. Ita non notatur *facti possibilitas*, sed *orantis ardor*, et *zelus* et charitas summa, qua impellitur, ut proprio exitio, siquidem hoc fieri posset, fratrum suorum salutem redimere vellet: quomodo Christus orat Patrem, ut a se transeat calix passionum, non quod hoc fieri posset, per decretum Dei, sed ut intimum iræ divinæ sibi imminentis, et dirissimæ mortis sensum exprimeret. Eodem pertinet votum Pauli, qui *optat anathema fieri a Christo pro fratribus*, Rom. ix. 3. non ut separaretur a Christo quoad *gratiam et sanctitatem*, quod non modo Deo esset ingratum, sed petenti impium, sed quoad *gloriam et felicitatem*, siquidem hoc per rei naturam, et Dei voluntatem fieri posset.

XX. Aliud est *deleri realiter, et positive* ex libro vitæ, quando expunguntur qui antea scripti fuerant; Aliud *deleri* tantum κατὰ δίκην, et *negative*, quum declaratur aliquem non esse scriptum. Priori sensu nemo deleri potest reipsa ex libro vitæ; Sed posteriori hypocritæ et πρόσκαιροι deleri dicuntur, quum larva ipsis detrahitur, et ex ipso eventu constat

Digitized by Google

nunquam inscriptos fuisse. Sic exponit Aug. in Ps. lxix. " Isti ergo, quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti fuerunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum quia ibi se scriptos putabant; quid est deleantur de libro vitæ? Ut ipsis constet non illos ibi esse, nam versus qui sequitur exponit quod dictum est, *et cum justis non scribantur;*" Ita Apoc. xxii. 19. Deus dicitur " ablaturus partem e libro vitæ illius, qui abstulerit verba istius Prophetiæ," non delendo positive eum qui nunquam scriptus fuit, sed ostendendo eum nunquam scriptum fuisse, quomodo dicitur *pars ejus auferendâ ex sancta Civitate*, non quam habuerit, vel habiturus erat, sed ne ullam habeat.

XXI. Cum certitudo finis non excludat necessitatem mediorum sed eam supponat, perperam doctrina de immutabilitate Electionis tollere dicitur usum monitionum, et comminationum, et securitatem carnalem inducere, quia ista sunt media a Deo instituta ad decreti sui executionem: Hinc iidem Sancti, qui certissime sibi spondent constantiam in via, et fruitionem in patria, non desinunt esse solliciti de salute sua, quia norunt hoc non posse præstari sine intermediis sanctitatis officiis, et oppositorum fuga, 1 Joha. iii. 3. *Qui habet hanc spem se purificat;* vide 1 Cor. ix. 26, Phil. iii. 14.

XXII. Unde patet quam impia sit profanorum ratiocinatio, qui ex Electionis certitudine salutem suam putant esse in tuto quomodocunque vivant. Quia hic dividuntur conjungenda, finis a mediis, salus scilicet a fide et sanctitate, et conjunguntur dividenda, vitium scilicet cum felicitate, malum ethicum cum bono physico: Ita enim ex electionis decreto ad finem prædestinantur fideles, ut non aliter quam per media a Deo instituta ad eundem perducantur. Quamvis ergo verum sit quemlibet electum salvandum esse necessario, falsissimum tamen est quovis modo, aut supposito quovis casu, salvum fore; nam Deo quidem decernente, certa est et firma salus electorum, sed eodem Deo decernente, nonnisi per viam fidei et sanctitatis certa est, *quia absque sanctitate nemo videbit Deum*, Heb. xii. 14. Et quam necessarium est electum salvari, tam necessarium est salvari hac via et ordine. Et contradictio est in adjecto dicere Electum servatum iri, licet impœnitentem, quia non modo electus est ad salutem, sed et ad sanctitatem.

XXIII. Aliud est privari jure regni *demeritorie*, aliud vero *effective;* Fideles quum peccant, excidunt jure regni quoad demeritum, sed non pariter de facto; id est merito suo quidem sunt damnandi, sed firmo tamen Dei proposito sunt absolvendi. Unde istæ duæ propositiones possunt simul consistere; Impossibile est, ut David electus pereat, Impossibile est ut David adulter et in adulterio perseverans servetur. Sed nodum hunc divina misericordia et providentia solvit, curando, ut non moriatur in illo statu, in quo a vita æterna excluderetur, sed ut ante vitæ exitum ad pœnitentiam, tanquam ad salutis viam revocetur. Quamvis ergo in atrocibus peccatis, fideles reatum damnabilem contrahant, et præsentem ad regnum cœlorum aptitudinem amittant, quia tamen actus hominis non possunt actus divinos rescindere; Non propterea vel adoptionis status convellitur, vel jus ad regnum cœlorum aufertur, quod gratuita Dei electione nititur, et merito Christi ipsius partum est; Nec amor specialis quo eos Deus prosequitur, patitur ut in *odium hostile* incurrant, quod cum proposito damnandi conjunctum est, licet non impediat paternam Dei indignationem contra filios rebelles, ut eos a peccatis revocet.

XXIV. Alia est *electio ad salutem*, alia ad *Apostolatum*, illa irrevocabilis est, sed non ista; *Judas* Christi proditor *electus* dicitur ad Apostolatum,

Digitized by Google

Jo. vi. 70. Nec particula *εἰ μὴ*, Jo. xvii. 12, (quum nemo dicitur periisse ex omnibus iis, qui dati sunt Christo, *nisi filius perditionis*) est *exceptiva*, sed *adversativa*, ut sæpe alibi, non ut excipiatur Judas ex illis qui dati sunt Christo, et non perierunt, sed ut illis opponatur; ut pateat non fuisse datum Christo, quia periit ut filius perditionis, id. exitio jam antea devotus.

XXV. *Insitio in oleam*, alia est *externæ vocationis* per professionem, alia est *internæ communionis* per fidem salvificam; ab illa potuerunt rescindi Judæi, qui pro populo Dei habebantur, Ro. xi. 23, sed non ab ista, quæ electis propria est, et est immutabilis. Alia sunt argumenta quæ pro Apostasia Sanctorum afferuntur, quæ loco de *Perseverantia* excutientur.

QUÆSTIO XIII.

An fidelis possit esse certus de Electione sua, certitudine, non tantum conjecturali, et morali, sed infallibili, et fidei? Aff. contr. Pontificios et Remonstr.

I. Asserta *Certitudine objectiva* Electionis, De *subjectiva* dicendum, quam Pontificii et Arminiani pariter impugnant: Quamvis vero plena ejus tractatio ad locum de Justificatione et Perseverantia pertineat, quia tamen circa Electionis doctrinam movetur etiam Quæstio hæc ab Adversariis, de ea paucis est agendum.

Sententia Pontificiorum.

II. Pontificiorum sententia non certius potest colligi, quam ex Concilii Tridentini decreto, Sess. 6. c. 9. et Cano. 13, 14, 15, quod Negat *quemquam scire posse certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consecutum.* Negat oportere, eos qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud se statuere se esse justificatos. Et anathema denunciat *illi qui dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse ex numero prædestinatorum.* Licet vero de sententia decreti Synodici non satis inter se consentiant Adversarii, aliis eam ad certitudinis confirmationem, quam tuebantur, aliis ad ejus oppugnationem trahentibus, singulis sensum Concilii versatilem ad suam vertiginem inflectentibus; Certum tamen plerosque, et Jesuitas inprimis ita illud interpretari, quod fidelis ex conjecturis et signis probabilibus equidem de futura felicitate sua bene sperare, nihil tamen certo concludere, vel certitudine fidei de ea cognoscere possit.

Et Arminianorum.

III. Arminiani negant dari ullum sensum electionis in hac vita nisi conditionatum, et laudabile ac utile esse ducunt dubitare, an ii semper futuri simus, qui nunc sumus, ut loquuntur Collatores Hagi. Verentur sc. ne certitudo talis sit peccatoribus loco pulvinaris, quo seipsos molliter fovere, et suaviter demulcere possint; Unde sufficere arbitrantur eam certitudinem, qua fideles sciunt, se, siquidem in fide perseverent, permansuros in Dei gratia, et vitam æternam consecuturos; id. certitudinem conditionalem, non absolutam, idque de præsenti solummodo, non de futuro. Fons erroris est, falsa de electione opinio, quam demum in articulo mortis compleri aiunt, cum antea incompleta fuerit, ut quandiu quis in vivis est, singulis momentis deficere possit, sicque plane dubitare debeat de electione sua, quod ei non constare possit, an ad finem usque sit perseveraturus.

Digitized by Google

Status Quæstionis.

IV. Hinc Quæstionis Status colligitur. 1. Non quæritur, An Electio a *priori* nobis sit perceptibilis; *Quis enim novit mentem Domini, quis illi fuit a consiliis?* Rom. xi. 34. Sed a *posteriori* tantum; non in cœlum ascendendo, ut in causas Electionis inquiramus, et librum vitæ evolvamus, quod nobis est interdictum; Sed in nos descendendo, ut librum conscientiæ versemus, et fructus electionis in nobis observantes ab effectis ad causam ascendamus. Hoc autem non fit certius quam per *syllogismum practicum*, cujus major est in Verbo, minor in corde legitur. Quisquis vere credit et resipiscit electus est; Atqui ego credo, &c. Ergo electus sum.

V. 2. Non quæritur de extraordinaria revelatione; An aliquis possit esse certus extraordinarie de electione et salute sua; hoc enim non diffitentur Adversarii respectu quorundam, quibus peculiarem hanc gratiam Deum concessisse volunt. Sed de modo ordinario et communi, qui fiat per fidei ἐνέργειαν et πληροφορίαν. Non de certitudine probabili et conjecturali, cui possit subesse falsum, quam agnoscunt; Sed de certitudine fidei. Non de certitudine electionis et salutis alienæ, quæ nonnisi ex judicio charitatis colligi potest, sed de certitudine electionis propriæ.

VI. 3. Non quæritur de omnimoda certitudine, quæ omnem contrarii formidinem excludat, et in eodem gradu semper maneat, qualis erit beatorum in cœlis, qui nullis amplius tentationibus futuri sunt obnoxii. Agnoscimus enim certitudinem illam, innatæ imbecillitatis respectu, concuti sæpius et fluctuare, præsertim in vocationis primordio, vel in Cruce, et lucta, imo ad tempus etiam supprimi, ut in tentationum paroxysmis, quum solatium fidelis sic nonnunquam intercluditur, et lumen divini vultus sic absconditur, ut in excessu mentis fidelis queratur cum Davide, se projectum a facie Dei, Ps. xxxi. 22. Sed quæritur de tali certitudine, quæ in actum aliquando exeat, ut nemo sit fidelium, qui hac persuasione ante mortem aliquando ad solatium suum non imbuatur.

VII. 4. Non quæritur, An certitudo illa possit in actum exire in quolibet hominis statu, etiam extra studium sanctitatis, et usum mediorum; quasi homo perseverans in peccatis, possit et debeat sibi persuadere se ad vitam æternam esse electum, et certo servandum; hæc enim statuimus ἀσύστατα, et inani ac falsissima spe sese lactaret, qui hæc apud se cogitaret. Sed quæritur, An dum fidelis est in via sanctitatis, et utitur mediis a Deo institutis, possit hanc persuasionem habere; quia in ista tantum via ambulantibus Deus promissiones dedit, et ibi sunt vera γνωρίσματα, et indubitata κριτήρια Electionis et Justificationis.

VIII. Quæstio ergo eo redit, An fidelis adultus possit, non quoad actum continuum, et non interruptum, sed quoad fundamentum, et habitum nunquam amissum, non de præsenti tantum, sed et de futuro statu certus esse; An debeat, non ex propriæ dignitatis, sed dignationis divinæ, et potentis custodiæ ejus intuitu, certitudinis actum elicere, non probabilis tantum et conjecturalis, cui falsum subesse possit, sed veræ fidei de electione, et salute sua. Negant Adversarii; Nos affirmamus.

Electi possunt esse certi de Electione sua.

IX. Rationes sunt, 1. Quia fideles possunt scire se esse filios Dei, et se credere; Ergo possunt scire se esse Electos, quia adoptio et fides sunt effectus et fructus infallibiles Electionis. Possunt scire se esse filios Dei, non tantum ex amore filiali, quo feruntur ad invocandum eum ut Patrem, sed etiam ex testimonio Spiritus, qui testatur eos esse filios Dei, Rom. viii. 15, 16. Possunt scire se credere, ex natura fidei, quæ non tantum *actu directo* fertur in rem promissam, sed et *actu reflexo* in propriam apprehensionem; alias si fideles non

Digitized by Google

possunt scire se credere, Apostoli non possent dicere *Novimus, et credidimus*, Joh. vi. 69. Et Pater Lunatici, *Credo Domine, succurre incredulitati meæ*, et Joh. i^ae. ii. 3, *Novimus quod cognovimus ipsum*, &c. Nec posset Paulus dicere, *Novi cui crediderim*, 2 Timot. i. 12, et alios hortari, *Ut se explorent, an sint in fide*, 2 Cor. xiii. 5, nisi hoc sciri posset. Unde Aug. de Trinitate, lib. xiii. c. 1, *Fidem suam quisque qui eam habet, videt in corde suo, et tenet certissima scientia, et clamante conscientia.* Nec obstat, quod varii inani spe se lactare possunt, et per temerariam præsumptionem gloriari de fide, quam non habeant tamen; quia inanis hypocritarum jactantia non tollit veram fidelium fiduciam; Nec si, qui Spiritu isto destituuntur, eum non norunt, bene colligitur eos qui illum possident, hunc ignorare, neque illis κριτηρίοις posse illum dignoscere. Fateor notas istas non semper æqualem claritatis vel certitudinis gradum habere, sed propterea non sunt censendæ fallaces et mere conjecturales. Tam certo enim, ac qui vivit, scit se vivere ex actionibus vitalibus, quas in se persentiscit; Ita, qui vivit vita spirituali filiorum Dei, potest scire se vivere ex Spiritu, qui in ipso operatur.

X. Secundo, idem colligitur ex *Dei ipsius inscriptione*. Quemadmodum enim ab æterno in *libro vitæ* nomina electorum inscripsit; ut in *libro Scripturæ* promissiones perseverantiæ ad confirmationem fidei nostræ consignat; Ita in *libro conscientiæ*, et in tabulis non lapideis, sed carneis cordis, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, 2 Corinth. iii. 3, apographum electionis nostræ exscribit, gratiam et legem insculpendo animis nostris, ut nos de æternitate amoris sui, et cura sua ac custodia perpetua certos reddat, Jerem. xxxi. 33. Atque huc apprime facit ψῆφος λευκή *calculus albus*, quem Christus pollicetur se victori daturum, Apoc. ii. 17. *Cui inscribendum sit novum nomen, quod nemo novit, nisi qui recepit.* Sive enim allusio fiat ad *Judicia* Veterum, in quibus absolutio per calculum album, et condemnatio per nigrum fieri solebat, unde illa ψῆφος σώζουσα, ista vero ἀνάξουσα dicebatur, ut notetur plena fidelis justificatio; sive ad *Comitia* publica, in quibus Magistratus creabantur per suffragia, inscriptis tesserulis seu albis calculis nominibus electorum, unde suffragium vocabatur ψηφοφορία, quo sensu innueretur summa filiorum Dei dignitas, qui Reges et Sacerdotes Deo fiunt, Apo. i. 6; sive ad *Certamina* et ludos gymnicos, in quibus calculus albus symbolum erat victoriæ, ut ita triumphus fidei et felicitas fidelium designetur; Certum est *nomen* illud *novum*, quod isti calculo inscribendum dicitur, non aliud esse quam nomen *Filiorum Dei*, quod quamvis alios lateat, cognitum tamen Deus esse voluit accipienti. At hoc dici neutiquam posset, si nec electio, nec adoptio cuiquam fidelium cognita esse posset. Fateor quidem promissionem istam perfecte impleri demum in cœlis, absoluto stadio et consummata felicitate nostra; sed nihil obstat quominus hic jam inchoetur ad fidelium solatium, quum ὑπερωπλῶντες cœlestis βραβεῖον jam primitias percipiunt.

XI. Tertio, Confirmatur ex testimonio et *obsignatione Spiritus S.*, qui non modo testatur nos esse filios Dei, Rom. viii. 16, sed et *nos obsignat in diem redemptionis*, Eph. iv. 30. Quomodo vero vel testaretur vere nos esse filios Dei, et hæredes regni cœlorum, vel obsignaret nos in diem redemptionis, si nihil certe de eo nobis constaret, et si fieri posset, ut testimonium ejus esset falsum, vel obsignatio fallax? Sed contrarium evincit ipsa vox *sigilli*, quæ immotam rei certitudinem designare solet, quomodo inviolabilia dicuntur, quæ principis sigillo sunt obsignata. Unde Patres sigillum illud vocant ἀκατάλυτον *indissolubile*. Nec si Diabolus nonnunquam se transformat in Angelum lucis, continuo sequitur Spiritus testi-

Digitized by Google

monium, vel sigillum esse fallax et incertum; vel fidelem qui serio illud observat posse semper decipi, ut nunquam de ejus veritate persuadeatur; tanta enim est suavitas et potentia istius operationis, tam admirabilis lucis istius divinæ splendor, et tam invicta ad captivandum cor in obsequium fidei efficacia, tam inenarrabile gaudium et solatium, quo conscientias perfundit, ut fidelem latere nequeat, sed indubitatis argumentis se a temeraria profanorum gloriatione facile secernat. Unde 1 Joha. iii. 24, *In hoc cognoscimus*, inquit, *quod manemus in ipso, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo nobis dedit.*

XII. Nec alio pertinet, quod Paulus ait, 1 Corint. ii. 12. *Nos accepisse non Spiritum mundi, sed Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus nobis est gratificatus.* Nimirum Deo propter gloriam suam, et salutem nostram, non satis est bona nobis largiri, nisi sensum et notitiam eorum animis nostris imprimat, ut et de illis gratias agere possimus, et iis cum gaudio et solatio frui. Nec dicere juvat cum Becano, Apostolum loqui de donis gloriæ, quæ ab æterno nobis præparavit, non de donis gratiæ, de quibus quæritur. Quia de utrisque loquitur Paulus, et de utrisque disputamus, et si certitudo datur per Spiritum donorum gloriæ, quæ sunt futura, quanto magis dabitur donorum gratiæ quæ sunt præsentia? Nec si dicuntur illa in cor hominis non ascendisse respectu naturalis notitiæ, statim sequitur non posse a corde fideli percipi ex supernaturali revelatione.

XIII. Quarto, *Praxis, et Exempla Sanctorum*, qui de Electione et salute sua certi fuerunt, docent non modo possibilem esse, sed necessariam istam certitudinem. Patet in *Abrahamo* Patre credentium, *qui contra spem sub spe credidit, non infirmatus in fide, sed πληροφορηθὶς plenissime persuasus, quod ille qui promiserat potis erat efficere*, Rom. iv. 18, 19. In *Davide*, qui certo sibi persuadet, se non motum iri, Ps. xvi. 8, sed misericordiam Dei eum comitaturam omnibus diebus vitæ suæ, Ps. xxiii. 6, et quod in æternum non debeat confundi, P. xxxi. 1. In *Paulo*, qui expresse testatur se persuasum esse, nihil eum separare posse ab amore Dei, *πέπεισμαι*, inquit, *neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque Potestates, &c. posse me separare ab amore Dei in Christo*, Roman. viii. 38. Quale autem fundamentum esse potest istius insultationis, nisi certitudo electionis, et adoptionis fidelium? propter quam fit, ut in omnibus *ὑπερνικῶμεν*, et securi de hostibus omnibus suis triumphare possunt, v. 31, 32, 33. Neque hic revelatio quædam extraordinaria est obtendenda, quasi hoc peculiari privilegio quibusdam a Deo sit indultum, non vero cæteris; quia Abrahami fides proponitur in exemplum cæteris, Rom. iv. 23. Et Paulus certitudinem suam petit, non ex peculiari revelatione, sed ex fundamentis et motivis generalibus, æterna scilicet Dei electione, Christi morte, et intercessione, amore Dei immutabili; quæ cum sint fidelibus omnibus communia, patet eos, non minus ac Paulum, actum istum certitudinis fiducialem elicere posse, ac debere.

XIV. Quarto, *Effecta fidei* hanc certitudinem postulant, qualia sunt *πεποίθησις*, Eph. iii. 12, *πληροφορία*, Heb. x. 22, *καύχησις*, Rom. v. 2, *χαρὰ ἀνεκλάλητος*, 1 Pet. i. 8, quæ a nobis tolli non potest, Joha. xvi. 22; quomodo enim vel fiduciam, et plenam persuasionem habere possumus, per quam ad thronum gratiæ cum confidentia accedere licet, vel pacem habere apud Deum, et spem quæ non confundit; vel gloriari, et gaudio ineffabili et glorioso exultare, si perpetuo metu et dubitatione agitarentur conscientiæ, et nonnisi conjecturalem et incertam opinationem de amore Dei et salute nostra possemus obtinere?

Digitized by Google

Fontes Solutionum.

XV. Licet certitudo gratiæ Dei ex eventu externo, sive prospero, sive adverso, non possit haberi, quo sensu, Eccles. ix. 1. Sapiens dicit, *hominem nescire odium et amorem*, id. non posse cognoscere ex eventibus externis, qui bonis et malis pariter contingunt, an sit in odio, an in amore Dei: quia, ut statim additur, הכל id est, non ut vitiose reddidit V. V., *omnia in futurum servantur incerta*, sed, *omnia sunt coram facie ipsorum*, vel ut Arias Mont., *omnia ad facies eorum*, id est, bona et mala ex æquo omnibus eveniunt; Non sequitur fidem non posse illam indubitato habere ex Verbo Dei, et Spiritus Sancti testimonio. Nec potest hic totalis et absoluta incertitudo urgeri tam respectu piorum quam impiorum: quia impii scire possunt et debent se odio dignos esse, dum perseverant in peccatis, et fideles possunt nosse ex fide et pietate se esse filios Dei, atque adeo in ejus gratia et amore.

XVI. Aliquid potest esse incertum respectu indispositionis et indignitatis nostræ, quod tamen certum sit respectu fidei cordis regeniti, quæ non nititur virtute sua, sed immutabilitate electionis, et infallibilitate Dei promittentis; incerti sumus respectu nostri, sed certi ex parte Dei; Certitudo nostra non consistit in dispositionis affectu, sed divinæ gratiæ infallibili effectu.

XVII. *Pavor* et *timor*, qui commendantur in Scriptura, Proverb. xxviii. 14; Phil. ii. 12; 1 Pet. i. 17; Securitatem tantum carnalem excutiunt, sed certitudinem Electionis et Justificationis non evertunt, notant solicitudinem de mediis, per quæ ad finem perveniunt, non hæsitantiam de fine, et eventu, qui Dei nititur decreto. Timor est, non servilis, diffidentiæ, et desperationis, qui charitatem expellit, 1 Jo. iv. 18, et fiduciæ adversatur; sed filialis, humilitatis, reverentiæ, et piæ sollicitudinis, qui cum fiducia optime consistit, Ps. ii. 11, Phil. ii. 12, sed præsumptionem temerariam et carnalem destruit.

XVIII. Licet ad tempus in filiis Dei sopiri possit, et supprimi sensus amoris divini, quoad actum secundum, sive in malis culpæ, sive in malis pœnæ, ut ipsi dubitationibus variis vexentur. Nunquam tamen excutitur quoad actum primum, et certo tandem ex illis tentationibus eluctantur, ex Dei eligentis, et erigentis gratia, qua fit, ut reddat illis Deus gaudium salutis suæ, et faciat ut exultent ossa contrita, Ps. li. 8, 12. Nam ut Deus fidelis est, vult quidem tentari fideles, sed non vult eos vinci; patitur labi, sed non permittit dejici; si judicat expedire eos nonnunquam premi, nunquam tamen vult eos opprimi; sed sustinet et erigit labantes, 2 Cor. iv. 8, 9.

XIX. Quamvis Certitudo salutis, quæ oritur ex actu reflexo fidei, et cognitione experimentali, non nitatur immediate Dei Verbo, quod dicat me credere et resipiscere, non desinit tamen in eo fundari mediate, quatenus illud veræ fidei et resipiscentiæ naturam, proprietates, et effecta describit, ex quibus veritatem fidei et resipiscentiæ nostræ facile colligere possumus. Unde non minus censenda est certitudo fidei divinæ, quæ non pendet a principio incerto et dubio rationis humanæ, sed divino et infallibili Verbi et Spiritus testimonio, cujus opera ut fides et resipiscentia in nobis producitur, ita per ejusdem operationem videtur et cognoscitur.

XX. Ut fidelis sciat quid ab æterno de se Deus decreverit, vel quid in æternum ab ipso sperare debeat, non debet temere in arcana Dei irrumpere; Sed ex cognitione status præsentis, facile potest et præteritum et futurum colligere. Cum enim gratia sit vinculum electionis, et glorificationis, ut illius fructus necessarius, et medium ad istam infallibile; quisquis se in

Digitized by Google

gratia Dei esse novit; novit autem quisquis credit et pœnitentia ducitur; is etiam certo statuere potest, se electum esse a Deo, et tandem infallibiliter ab eo glorificandum; atque ita certitudo salutis, quæ tria includit, certitudinem electionis præteritæ, gratiæ præsentis, et gloriæ futuræ, non aliunde potest haberi quam ex sensu gratiæ præsentis.

XXI. Licet vero certitudo gratiæ præsentis supponat ex parte nostra impletionem conditionum quas Deus nobis præscribit, puta fidei et pœnitentiæ: Non propterea censenda est impossibilis; quia etsi incerta sit impletio talium conditionum a parte nostri; non est tamen a parte Dei, qui has ipsas conditiones se nobis daturum promisit; licet certi esse non possimus de impletione perfecta, et omnibus numeris absoluta, possumus tamen auxiliante Spiritu Sancto persuaderi de impletione vera, sincera, et absque hypocrisi; alias nec Apostoli profiteri possent se credere, Johan. vi. 69, nec Eunuchus potuisset respondere Philippo *se credere Christum esse Filium illum Dei*, Act. viii. 37.

XXII. Tantum abest ut doctrina de certitudine gratiæ sit securitatis mater, et obstetrix licentiæ, ut nullum ad veram pietatem sit majus incentivum, quam vividus sensus amoris Dei, et eorum quæ Deus nobis gratificatus est, qui ita potenter rapit et incendit animum, ut totus ardeat reciproco illius amore, a quo tantum beneficium habet, et habet gratis præ aliis in communi perditionis massa relictis.

XXIII. Ut duplex est fidelis *status*, vel *luctæ*, vel *victoriæ*, vel dum pugnat et manus cum hoste conserit, vel dum prostrato hoste triumphat; Ita diversimode se habet in utroque fides, et certitudo quæ ex ea oritur: In illo languida est, in isto vivida; In primo timet et fluctuat, in secundo confidit et lætatur; In primo suspiria et gemitus fundit ex sensu iræ Dei et gravitatis peccatorum, in altero gaudium ineffabile percipit ex gratiæ liberatricis suavitate. Licet ergo fidelis in lucta non possit elicere actum certitudinis; Non obstat quominus superata tentatione, et resumptis per gratiam viribus, fortior et confirmatior emergat.

XXIV. Exempla Sanctorum, qui dubitarunt de amore Dei erga se, probant quidem certitudinis actum non esse perpetuum in ipsis, sed diversimode interrumpi; sed non evincunt ab illis semper abesse, nec in ullo statu eos posse illum elicere. Imo iidem qui aliquando dubitant attoniti, dum gravi tentatione premuntur, alibi exultant et lætantur securi. Idem David qui in excessu mentis queritur se a Deo derelictum Psal. xxii. 1. et a facie ejus projectum, Psal. xxxi. 22, alibi tamen plenus fide et gaudio sibi persuadet se non confusum iri, et nihil sibi nociturum, licet ambulet in valle umbræ mortis, quia Deus illi semper adest, Psal. xxiii. 4. et Psal. cxviii. 5. Idem Paulus qui se carnalem et venundatum sub peccato queritur, et miseriam suam deplorat, *Miser ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore mortis?* Rom. vii. 24, paulo post gratias Deo agit quasi de victoria reportata, ver. 25, et secure omnibus hostibus insultat, *Quis nos separabit a dilectione Dei?* Rom. viii. 35.

XXV. Cum certitudo actualis fidelium non possit in actum exire extra usum mediorum, frustra quæreretur illa cum continuo peccandi proposito, et in gravibus Sanctorum lapsibus. Tantum abest enim, ut in eo statu certi esse possint se esse in gratia Dei, ut contra debeant sibi persuadere se esse in gravissimo reatu, et damnationis statu, in quo certissimum imminet ipsis exitium, nisi per pœnitentiam ad se redeant.

XXVI. Magna ergo cum cautione Doctrina ista salutaris est proponenda; ad solamen conscientiarum afflictarum, non ad fovendam securitatem profanorum, ut sit remedium adversus desperationem, sed non ut sit pul-

Digitized by Google

vinar licentiæ carnis. Ideo nunquam ista Certitudo urgenda, quin illico sanctificationis studium adjiciatur, tanquam conditio necessaria ad eam obtinendam.

XXVII. Quamvis certitudo ista necessaria sit ad fidelis consolationem, tamen ad fidei ipsius veritatem, non opus est ejus actu explicito singulis momentis; nec protinus fide carere dicendus est qui nondum est in hac certitudine confirmatus. Nec si interdum caret illo sensu, debet statim se reprobis accensere, et de divina misericordia dubitare, sed illum ardentibus a Deo votis postulare et exposcere debet, et a parte sua sedulo in id incumbere tenetur, ut per fidei et bonorum operum praxim eum in seipso excitare, et magis ac magis radicare possit. Non ergo ad ultimum usque vitæ halitum homo expectare debet, ut se certo electum pronunciare possit, quod Adversarii vellent, tunc enim non consideratur amplius ut eligendus, sed ut in vitam æternam introducendus, nec ullius posset usus esse fideli Electionis consideratio, si in exitu tantum vitæ de ea certus redderetur; sed totis viribus illi enitendum est, ut in progressu sanctificationis vividiorem in dies ejus sensum ad solatium suum consequatur. Sed de his pluribus dicenda erunt, quum de Certitudine Salutis agetur.

QUÆSTIO XIV.

DE REPROBATIONE.

An absolutum sit Reprobationis Decretum, quod a sola Dei voluntate pendeat; An vero peccatum propria sit ejus causa? Dist.

I. Exposita Electionis doctrina, ad *Reprobationem* veniendum est, quæ hic sumitur, non in tota sua latitudine pro quovis proposito, vel personas, vel res aliquas, vel a certis officiis et beneficiis, vel a certis usibus removendi; quo sensu Scriptura loquitur de *argento reprobo*, Jerem. vi. 30. et de *Christo* lapide electo, impie a Pharisæis, et Sacerdotibus, et aliis ædificatoribus *reprobato*, Act. iv. 11. et 1 Pet. ii. 7. Non pro reprobationis executione, seu ipso *reprobandi actu*, qui fit in tempore; Sed pro ipso *decreto*, quod ab æterno sancitum est, quod describitur, Æternum, immutabile, et liberrimum Dei propositum, quo certorum hominum, in æquali prorsus cum aliis corruptione et reatu jacentium, decrevit non misereri, sed in peccatis relictos propter ea æternum damnare ad demonstrationem gloriosæ suæ justitiæ, libertatis, et potentiæ.

II. Vix opus est quærere, *An detur Reprobatio;* licet enim non defuerint, qui eam sub prætextu extollendæ Dei misericordiæ, negare sustinuerint, ut *Samuel Huberus*, qui superiori seculo universalem omnium hominum in Christo electionem ad salutem, sive illi credant, sive non, asserere non dubitavit; Illam tamen, non modo *Electio* illi opposita necessario evincit, quia non potest dici electio quorumdam sine aliorum prætermissione; et *damnatio* impiorum, quæ fit in tempore, eam supponit, nisi velimus Deum temporalia ex postfacto consilia capere; Sed *Scriptura* ita clare eam adstruit, ut nemo nisi projectæ audaciæ, non dico eam negare, sed neque de ea ipsa dubitare queat.

III. Eo pertinet quod dicit de Dei amore erga Jacobum, et odio erga Esavum, Malach. i. 2, 3, *Nonne frater Jacobus Esavo erat? ait Jehova, At dilexi Jacobum, et Esavum odio habui*, quod a Paulo Electioni et Reprobationi applicatur, Rom. ix. 11, 12, de Deo miserante, et indurante,

Digitized by Google

Misereturcujus vult, et quem vult indurat, v. 18, de *vasis misericordiæ*, quæ Deus præparavit ad gloriam, et de *vasis iræ* quæ parata sunt ad interitum, v. 21, 22, de illis qui sunt positi ad salutem, et illis qui ad iram et ἀπώλειαν, 1 Thess. v. 9, 1 Petr. ii. 8, qui inscripti sunt libro vitæ Agni, Apoc. xiii. 8, et de aliis, qui *præscripti sunt ad judicium*, Jud. 4, de benedictis, qui a Deo in regni possessionem vocantur, et de maledictis, quos ut nunquam novit, procul a facie sua rejicit, Matt. vii. 23, et xxv. 41. Nec propterea periclitatur vel bonitas Dei, vel summa ejus misericordia, qui ita est bonus et misericors, ut sit etiam summe justus; et quemadmodum illam erga electos demonstrat, ita istam in reprobos reos et peccatores juste exerit.

www.rahoi.com.cn

Duplex Reprobationis actus, positivus et negativus.

IV. Ut vero Reprobationis natura, et Quæstionis propositæ Status melius percipiatur, distinctiones quædam hic sunt præmittendæ. Primo distinguendus venit ante omnia *duplex* Reprobationis *actus;* licet enim a parte Dei unico et simplicissimo actu peragatur, solet tamen juxta nostrum concipiendi modum inadæquatum ad faciliorem rei intelligentiam, in duos dispesci a Theologis; quorum prior *negativus* dicitur, posterior vero *affirmativus*, seu *positivus:* Ille refertur ad *præteritionem;* Iste ad *prædamnationem*. Quamvis enim uterque suo sensu sit *positivus a parte Dei*, quia notat actum voluntatis divinæ, per quem non tantum non vult illos liberare, sed vult illos in reatu et miseria sua relinquere; recte tamen prior *negativus* dicitur respectu *terminorum*, qui sunt non misereri, et non dare gratiam, quia consistit in negatione gratiæ; alter vero *positivus*, quia affirmat de illis aliquid positivum, nimirum judicium et pœnam.

V. Distinctio autem ista, non est divisio, aut generis in species, aut totius in partes, aut subjecti in accidentia, sed distinctio unius actus formalis, respectu variorum terminorum et objectorum, quæ ἄρρητα καὶ θεῖα constant; quæ in ipsa Scriptura fundatur, quatenus de reprobatione aliquando loquitur *negative*, dum eam constituit in præteritione quorumdam, tum in destinatione gratiæ, Matt. xi. 25, et xiii. 11, tum in destinatione gloriæ, Matt. vii. 23; Apoc. xx. 15, interdum *positive* in destinatione ad majorem indurationem, Jo. xii. 39, 40; Rom. ix. 18, et ad damnationem, Rom. ix. 11, 12, Jud. 4.

Actus negativus includit præteritionem, et desertionem.

VI. *Actus negativus* duo includit, tum *præteritionem*, per quam in aliorum electione, tum ad gloriam, tum ad gratiam, illos neglexit et insuper habuit, quod patet ex eventu Electionis, tum *desertionem negativam*, qua ipsos in massa corrupta, et sua miseria reliquit; quod ita tamen intelligendum; 1. ut non excipiantur legibus communis providentiæ, sed illis maneant subjecti, nec omni gratia Dei statim priventur, sed tantum salutari et vivifica, quæ electionis est fructus, 2. ut ad illam præteritionem et desertionem sequantur omnis generis peccata actualia; non quidem ex natura præteritionis et desertionis ipsius, et vi ipsius gratiæ negatæ, sed ex natura liberi arbitrii corrupti, et vi corruptionis, quæ in illo est; Ut ille qui non curat morbum in ægroto, non est causa morbi per se, neque illorum quæ ab illo morbo resultant; Ita peccata sunt *consequentia* potius quam *effecta* reprobationis, ut quæ futuritionem eventus necessario inferat, sed malitiam tamen non influat, vel infundat; non removendo quod adest, sed non admovendo quod sustentaret. Nec si Sol non illuminans terram, est causa per accidens tenebrarum; statim Deus deserens hominem, et non curans ejus corruptionem potest dici causa per accidens; quia non illuminationem Solis necessitate naturæ sequuntur tenebræ, sed negationem gratiæ sequuntur peccata voluntarie.

Digitized by Google

VII. Licet Deus per istam desertionem neget homini illud sine quo vitari non potest peccatum, non propterea peccati causalitas illi tribui potest, 1. quia Deus jure illam negat, nec tenetur gratiam illam cuiquam dare; 2. ex illa negatione non sequitur potentia peccandi, quam homo habet a seipso, sed tantum non curatio istius impotentiæ; 3. Deus negat gratiam, quam nolunt ipsi accipere, nec retinere, et quam ultro aspernantur, cum nihil minus cupiant, quam regi a Spiritu S.; 4. non negat illam gratiam ut peccent, sed ut ob peccatum luant.

Actus positivus dicit destinationem ad damnationem et ad indurationem.

VIII. *Actus positivus* est, quo homines præteritos, et in statu suæ corruptionis relictos, vel naturæ, vel Evangelii lumine, quod per communem providentiam ipsis fuit administratum, sua sponte abusos, meritis pœnis statuit afficere, qui dicitur *prædamnatio;* quæ duo includit, destinationem ad damnationem, per quam sunt *vasa ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, coagmentata ad interitum*, tum destinatio ad judicia intermedia, inter quæ præcipuum est excæcatio, et induratio, quæ solis ἀπολλυμένοις contingit. Unde patet reprobationem latius patere damnatione, licet quandoque confundatur per synecdochen integri, quia non est tantum decretum damnandi, sed etiam decretum non miserendi, non dandi Christum Mediatorem, non vocandi efficaciter, &c.

Duplex σχίσις Dei, ut Domini, et ut Judicis.

IX. Secundo, hic accurate etiam distinguenda duplex σχίσις Dei in hoc negotio; quæ respondet duplici actui Reprobationis antea notato; alia est αὐτοκράτορος et *Supremi Domini*, qui de suo potest facere quod vult, alia *Judicis* qui pœnam debitam peccatori irrogare juste statuit; prior se exerit in *actu negativo*, seu præteritione, in qua, ut liberrimus bonorum suorum dispensator, gratiam indebitam, quam uni largitur, alteri negat, de qua agit Christus, Matth. xi. 25, 26, et xx. 15, et Paulus Rom. ix. 11, 18; posterior vero in actu positivo seu prædamnatione; per quam, ut justus Judex, reos pœnis debitis ex ordine justitiæ addicit, de qua agitur Prov. xvi. 4, Matt. xxv. 41, Rom. ix. 21, 22, 1 Thess. v. 9. Utraque Dei reprobantis majestatem et gloriam demonstrat, reprobatorum audaciam compescit, quippe qui nec cum Deo jure expostulare possunt, quod liber sit, vel quod utraque ista proprietate circa hæc vel illa individua utatur.

Reprobatio spectatur, vel absolute vel comparate.

X. Tertio, *Reprobatio*, non minus ac *Electio*, vel *absolute* consideratur respectu unius, vel *comparate* et relate respectu plurium: priori sensu quæri potest, quare hunc reprobarit, vel elegerit; posteriori quare hunc potius quam illum elegerit, et illum potius quam hunc reprobarit; diversimode enim ad utrumque responderi potest juxta diversum reprobationis actum, et reprobantis σχίσιν, ut statim dicetur.

XI. Quum agitur de *Absoluto Reprobationis Decreto*, Non quæritur, An sit *absolutum*, Vel a *causa finali;* Nemo enim dubitat, quin Deus in omnibus decretis, et in isto potissimum, finem optimum et sapientissimum sibi proposuerit: Vel *a causa προηγουμένη* et *interna*, qua movetur Deus ab intrinseco ad agendum; Certum quippe, eam Deo sapientissimo etiam non defuisse: Vel a *conditione et qualitate* præcedanea in objecto; Nam cum objectum Prædestinationis antea evicerimus esse hominem consideratum ut lapsum, peccatum necessario debet supponi tanquam conditio in eo qui reprobatur, non minus ac in eo qui eligitur: Sed, An sit absolutum a *causa proprie dicta*, *procatarctica* et externa, qua Deus extra se impulsus sit ad hominem reprobandum?

XII. Non quæritur, An reprobatio quoad *actum positivum*, seu *præ-*

Digitized by Google

damnationem, pendeat a sola Dei ἐυδοκίᾳ. Nam ut est actus Dei Judicis debitam pœnam peccatori decernentis, certum est peccati considerationem hic intercessisse. Nec enim potest dari in Deo voluntas puniendi, nisi peccatorem, nec pœnæ inflictio vel destinatio justa esse potest sine culpa. Sed non est par ratio *actus negativi*, *seu præteritionis*: quæ ab eo, ut supremo Domino pro jure suo autocratorico oritur; illius enim causa, præter ejus ἐυδοκίαν, nulla proprie dari potest.

XIII. Interim, ut *absolute* vel *comparate* spectatur, diversimode de ea respondendum est; Nam si *absolute* consideratur, recte adscribitur corruptioni hominis nativæ, quæ eum effecit juste reprobabilem: si vero *comparate*, ad solum Dei beneplacitum est referenda, pro liberrima sua potestate, quos vult eligentis, et cæteros prætereuntis. Quum ergo quæritur, Cur hic vel ille reprobatus sit, bene respondetur hoc ideo factum, quia propter peccatum dignus fuit qui reprobaretur: Non quod peccatum sit proprie causa reprobationis, alias omnes reprobati fuissent, qui erant pariter peccatores; sed quia est conditio et qualitas in objecto præcedanea, ex qua oritur in homine reprobabilitas, vel *causa sine qua non*, quia nisi homo peccator esset, a Deo non reprobaretur, licet non reprobetur statim omnis qui peccator est. At quum quæritur, Cur hunc potius quam illum reprobarit, cum ambo essent ex æquo peccatores, ideoque reprobabiles, hic peccatum allegari non potest, quia est commune utrique, at communia non faciunt discrimen: Et causa nulla reddi potest præter solum Dei beneplacitum, quia ita illi libuit. Quo respicit Paulus in exemplis Esavi et Jacobi, Rom. ix. 11, qui licet inter se pares, discreti tamen sunt ab invicem per odium et amorem Dei, nihil quippe in Jacobo boni fuit præ Esavo, propter quod præ illo eligeretur, nihil in Esavo præ Jacobo, propter quod præ illo reprobaretur. Unde soli Dei beneplacito hoc est adscribendum. Atque hic se prodit actus Dei αὐτοκρατορος, et supremi Domini, qui ut liberrimus bonorum suorum est dispensator, potest de suo facere quod vult, hunc eligendo, alterum prætereundo, huic dando gratiam, alteri denegando, absque cujusque injuria.

XIV. Quæstio ergo eo redit, An Decretum Dei æternum Reprobationis, non tam affirmativæ, quam negativæ, non tam absolutæ, quam comparatæ, sit absolutum, non a mediis consequentibus, vel causa finali, vel conditione seu qualitate præcedanea, sed a causa procatarctica externa, ut a sola ἐυδοκίᾳ Dei pendeat? An vero prævisum peccatum, et infidelitatem tanquam causam meritoriam reprobationis unius præ alio semper supponat. Posterius affirmant Adversarii; Nos prius tuemur.

XV. Arminiani, ut Decretum Electionis ex prævisa fide suspendunt; Ita decretum Reprobationis prævisam incredulitatem supponere pertendunt, ut nemo mera Dei voluntate sit præteritus, sed reprobatio omnis singularum personarum facta sit secundum considerationem antecedaneæ infidelitatis, et in eadem perseverantiæ finalis; atque ita objectum Reprobationis statuunt, non tantum hominem peccatorem; sed finaliter incredulum et impœnitentem, ut mentem suam explicant in *Actis Synodalibus*.

XVI. Nos vero, licet objectum Reprobationis non minus ac Electionis statuamus hominem peccatorem, ut supra visum, ut ea non facta sit sine intuitu peccati; Negamus tamen prævisum peccatum, vel infidelitatem posse censeri causam, Cur unus præ alio reprobetur; et non aliam qualitatem, vel conditionem in præterito præsupponi dicimus, quam quæ in electo reperta est, et quæ toti massæ corruptæ est communis, adeo ut sola Dei ἐυδοκία inter electos et reprobos discrimen constituat, non vero ulla, vel

Digitized by Google

bona, vel mala qualitas, quæ in ipsis prævideatur; quo sensu recte *absolutum* posse dici censemus *Reprobationis decretum.*

Reprobationis absolutum decretum probatur.

XVII. Rationes sunt, 1. Quia Reprobatio, non minus ac Electio, facta est ex beneplacito; Ergo non ex prævisa infidelitate: patet ex Rom. ix. 18, *Indurat quem vult;* si voluntas est causa indurationis, ergo etiam reprobationis, quia quod est causa causæ, est etiam causa causati; At induratio est causa damnationis, ergo quod illius causa est, est etiam hujus; hoc vero probat Paulus, 1. ex exemplo gemellorum, quorum unus electus est, alter reprobatus, antequam boni vel mali quicquam fecissent, v. 11, ergo ex solo beneplacito Dei, vel vocantis, vel rejicientes, non vero ex operibus; 2. ex *similitudine figuli;* nam si figulus hanc potestatem habet in lutum, ut possit ex eadem massa adornare vas ad decus, vel ad dedecus, quidni etiam Deus tantam habeat potestatem in Creaturas, ut unam possit reprobare, alteram eligere; Accedit discriminis ratio; ut ut enim magna sit figuli potestas in lutum, finita tamen est et limitata, Dei vero potestas in hominem infinita. Deinde homo est Creatura Dei, At massa non est figuli; Unde fortius exurgit argumentum; si figulus in lutum, ut ut non opus suum, tantam habet potestatem, quidni Deus majorem habeat in hominem Creaturam suam?

XVIII. Nec juvat excipere, Decretum revera præcedere omnes conditiones *præstitas*, sed non *præscitas;* opera omnia, sed non prævisionem operum. Nam hoc Pelagianorum κενοφώνιον verba ipsa Pauli præcludunt, (ut *August.* ep. 105, ad Sixtum, fuse docet,) quæ nullam rationem discriminis inter duos istos fratres æquales afferunt, quam πρόθεσιν κατ' ἐκλογήν, quæ inde asseritur esse ex vocante tantum, non vero ex operibus, vel præstitis vel prævisis, quia infantes possunt reprobari, quorum opera nunquam præstanda non possunt esse prævisa. Et hoc confirmatur ulterius ex iis, quæ in persona Judæorum Apostolus sibi immediate objicit, nimirum, si propositum Dei tantum facit inter pares discrimen, injustitiam videri fore apud Deum, v. 14. Quid vero Paulus? An hic recurrit ad fidem vel infidelitatem, ut causam istius discriminis reddat, quod facile ora Judæis obstruere poterat? Nihil minus; sed ad solius Dei beneplacitum assurgit, *Absit,* inquit, Deus ipse pro se respondeat, et liberrimam suam potestatem asserat, Exod. xxxiii. "Miserebor cujus misertus fuero," v. 15, unde infert, "Non est ergo volentis nec currentis, sed miserentis Dei." Et ne quis diceret, hoc electionem absolutam facere, sed non reprobationem, addit statim, *Itaque miseretur cujus vult, et quem vult indurat.*

XIX. Frustra etiam additur, "Oraculum de Jacobo diligendo, et Esavo odio habendo, non posse referri ad absolutam aliquam electionem aut rejectionem a salute, sed ad collationem, vel negationem externæ prærogativæ primogenituræ, et huic annexæ promissionis terræ Canaan, non tam de personis ipsis, quam de eorum posteris esse intelligendum," ut Malac. i. 2, exponitur, "alias omnes posteri Jacobi essent electi, et omnes posteri Esavi reprobi." R. Nam licet Oraculum istud ad posteros etiam extendatur, Gen. xxv. 23, et Mala. i. 3, et in sensu historico referatur ad beneficium vel judicium externum dominii, vel servitutis: Non obstat tamen quominus in sensu mystico referatur proprie ad electionem et reprobationem respectu ipsorum Patrum, qui hic non excluduntur sed includuntur, et respiciuntur primario a Spiritu Sancto. Quod Paulus διάπνοστος probe intelligens ad scopum suum rite applicat; nimirum ut doceat non excidisse promissionem Abrahæ factam, licet major pars Judæorum rejiceretur, quia non omnes sint genuini filii ejus, sed alii *filii carnis,*

Digitized by Google

ad quos non spectet promissio, alii *filii promissionis*, in quibus rata est; quod declarat exemplo gemino *Isaaci* et *Ismaëlis*, *Jacobi* et *Esavi*; Et quia in hoc erat paritas summa inter fratres ex uno Patre et Matre, et uno conceptu genitos, causam exponit discriminis inter ipsos, non in operibus bonis vel malis utriusque prævisis, sed in solo Dei proposito, hunc amantis et eligentis, illum vero odio habentis et reprobantis: Unde non sequitur idem locum habere posse respectu omnium posterorum, quasi vel posteri Jacobi omnes eligi, vel posteri Esavi omnes reprobari debuerint; quia non est par ratio eorum quæ in Oraculis, historice, et quæ mystice enunciantur. Ita Esavus historice jugum servitutis, nec subiit, nec excussit, sed mystice subiit, et nunquam excussit, ut firmum maneret Dei propositum.

XX. Secundo, Quia reprobatio temporalis, quæ est actus transiens extra Deum, est a solo beneplacito, ergo multo magis æterna, quæ est actus immanens in Deo; patet ex Matt. xi. 25, ubi Christus causam revelationis, et occultationis mysteriorum refert ad solam εὐδοκίαν, *Etiam Pater, quia placuit tibi.* Nec dici potest, Vel hoc ad *eventum* tantum, non ad Dei consilium pertinere; nam verba ipsa nimis clara sunt quam ut ulla sophistica possint eludi: Vel revelari *parvulis*, id. iis qui *dociles* sunt, probi et humiles, et occultari *sapientibus*, id. qui propriæ sapientiæ opinione turgidi pertinacia sua fiunt indociles et incurabiles; Nam gratis supponitur *parvulos* hic humiles, et bene dispositos notare. 1. quia gratia humiles facit, non invenit, 2. agitur hic de initio, non de incremento fidei, 3. mirum non esset Deum se docilibus, potius quam superbis revelare, cujus ratio patet, nec opus fuisset recurrere ad Dei εὐδοκίαν. Interim, ut reprobatio temporaria, vel posita est in præteritione et negatione gratiæ, quæ aliis conceditur, vel in substractione gratiæ oblatæ, sed rejectæ et contemptæ; sic ista bene dicitur fieri ob peccatum, quia est actus justitiæ punientis, sed illa, de qua hic agitur, est actus domini, qui de suo facit quod vult.

XXI. Tertio, Quia infidelitas est consequens Reprobationis: Ergo non potest eam præcedere; *Propterea vos non auditis, quia non estis ex Deo*, inquit Christus, Jo. viii. 47, ad Pharisæos, et x. 26, *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, id est, non estis ex numero electorum, et c. xii. 39, 40, *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias, excæcavit oculos ipsorum*, &c.; hinc Petrus dicit *reprobos positos esse ad ἀπείθειαν* 1ª, c. ii. 8. Nec ullius est ponderis quod excipitur, Jo. viii. 47, et x. 26, nihil haberi de reprobatione, sed tantum doceri eos, qui non sunt dociles, et discendi cupidi, sed contrariis affectibus et vitiis aguntur, contra omnem rectam rationem, non posse audire sermonem Christi, nec ei credere, quæ causa sit, cur non sint ex Deo, sed ex Diabolo. Nam præterquam quod falso supponitur dari in homine aliquam dispositionem ad fidem antequam credat, sic invertitur Christi oratio, qui non dicit, eos non esse ex Deo, et oves Christi, quia non credunt, sed non credere, quia non sunt oves Christi et ex Deo, nim. quia a Deo sunt præteriti, in electione eorum qui dati sunt Christo, ut sint ejus oves. Falso etiam volunt, Jo. xii. 39, nihil aliud indicari, quam populum illum commeritum esse, ut in sua cæcitate et stupore relinqueretur, et hanc actionem pœnalem fuisse, propter peccata præcedentia, non ex solo beneplacito. R. Sed qualiscunque fuerit conditio populi, manet semper verum, contumaciam ejus secutam fuisse ejus excæcationem, atque adeo non antecedenter se habuisse ad ejus reprobationem. Denique quoad locum, 1 Pet. ii. 8, perperam volunt eos positos dici ad pœnam ἀπειθείας, non vero ad ipsam ἀπείθειαν, quia alias desineret esse inobedientia, utpote quæ nequit esse actus divinæ destinationis. Nam verba ipsa contrarium evincunt, *qui offendunt ad sermonem ἀπειθοῦντες, εἰς ὃ καὶ*

Digitized by Google

ἀπείθειαν, id est *immorigeri, et contumaces, ad quod etiam positi sunt*, utique, a Deo, et judicio ipsius, ut alibi Scriptura testatur, 1 Thess. v. 9; Jud. 4; non ut infunderet ipsis infidelitatem, sed quia constituerat illis non dare fidem, et rebelles ipsos adversus Evangelium gravius excæcare, et tandem æternum damnare. Unde ἀπείθεια non desinit esse inobedientia, quia positio ad eam, quæ fit a Dei decreto, non fit ad eam efficiendam, sed ad hominem in ea deserendum, et ipsam justo judicio aggravandam.

XXII. Quarto, Si Reprobatio fieret ex prævisa infidelitate, non esset mysterium inscrutabile, nec Apostolus ad arcanum Dei judicium et ἀνεξιχνίαστον ascendere debuisset ad homini os obturandum in objectionibus, quas caro hic movere solet, si tam facilis suppetebat responsio, petita ex ipsis hominibus, et eorum infidelitate; quod cum faciat non semel, Ro. ix. 14, et xi. 33, 34, Deuter. xxix. 29, eo ipso testatur non aliam causam ab eo agnosci istius discretionis, quam solum Dei beneplacitum.

Fontes Solutionum.

XXIII. Quamvis doctrina ista sancta, tanquam dura, et crudelis, adeoque consolationi, pietati ac Religioni omni inimica impie traduci soleat ab Adversariis, qui reproborum adversus Deum suscepta causa, ipsum injustitiæ, simulationis, crudelitatis, prosopolepsias, immani blasphemia insimulare solent; facile tamen est Deum ab istis hominum criminationibus falsissimis liberare, et rationem humanam tumultuantem et insanientem compescere.

XXIV. Nam posito absoluto reprobationis decreto; Non laborat Dei *Justitia*, vel hominem ad mortem destinando, quia neminem nisi peccatorem damnat, vel æqualibus inæqualia dando, alios eligendo, et alios prætereundo; Quia tunc non agit ut Judex, sed ut Dominus, qui potest sine cujusquam injuria æqualibus inæqualia tribuere, quando agitur de re indebita, qualis est gratia. Ita electi habent quidem de quo gratias agant Deo ob collationem gratiæ, quam meriti non sunt, sed reprobi non habent de quo querantur; tum quia Deus nulli tenetur benefacere, nec ulla promissione se obstrinxit reprobis ad conferendam eandem gratiam quam electis largitur; tum quia si seipsos excutiunt, justissimum et præteritionis et punitionis suæ fundamentum in peccato suo deprehendunt.

XXV. Non laborat *Veritas* ejus, dum vocat ad salutem, quos tamen absoluto decreto a salute exclusit; Quia vocatio illa externa non declarat ullam volitionem, vel intentionem Dei, qua velit illos salvare, sed tantum propositionem officii, et declarationem modi vel medii, per quod salus potest contingere, cum promissione illius iis qui conditionem præscriptam habuerint: Ut ergo oblatio salutis quæ illis fit, non est absoluta, sed conditionata, non potest dici Deus cum illis simulate agere, quum eos vocat, licet ab æterno eos præterire et damnare decreverit: Sane si aliam salutis viam monstraret ipsis in Evangelio, quam eam quæ ad salutem ducit, vel si ex corde credentes et resipiscentes a salute excluderet propter decretum reprobationis, posset dici minus sincere cum illis agere; Sed hic nulla potest esse hypocrisis, vel respectu Dei, quia sincere ostendit unicam et infallibilem viam ad salutem, serio hortatur ad illam sequendam, et promittit verissime salutem iis omnibus qui illam secuti fuerint, credentibus nimirum et pœnitentibus; Vel quoad homines, quia oblatio non fit illis absolute, sed sub conditione, quam illi sua sponte et propria culpa aspernantur.

XXVI. Non laborat ejus φιλανθρωπία et *Misericordia*, quod majorem hominum partem in peccato suo relinquere, et propter illud damnare decreverit; Nam quamvis summa sit, propterea universalis esse non debet ad omnes salvandos; imo ut libera est et indebita, potest Deus eam pro

Digitized by Google

libitu exercere, vel non exercere erga creaturam peccatricem, nec tenetur in omnes illam diffundere; sed ut illam patefacere in quorundam electione voluit; Ita statuit etiam justitiam suam in aliorum reprobatione ostendere.

XXVII. Non laborat ejus *Sanctitas*, quasi peccati causalitas illi possit adscribi, quia peccandi necessitas conjuncta est cum denegatione gratiæ, et indurandi decretum videtur homines prædestinare ad peccatum. Nam præterquam quod Deus in homine reprobo peccatum non facit, sed invenit, vel prævidet futurum ex permissione sua: Necessitas peccandi quæ reprobationem sequitur, non potest peccati causalitatem Deo impingere, tum quia ἐπισταστὸς est, et voluntaria in homine peccante; tum quia sequitur ad reprobationem, ut *consequens* tantum, sed non ut *effectum*. Effectum præsupponit causam, sed consequens tantum antecedens: inter antecedens autem et consequens non intercedit causalitas. Ut Sol non potest dici tenebrarum causa, quia ad ejus absentiam sequuntur tenebræ, sic succedit reprobationi peccatum, sed non causatur a reprobatione. *Nec consequens est*, (ut bene olim Aug. in lib. de arti. falso impositis, ad artic. 15.) *Deum quibus pœnitentiam non dat, resipiscentiam auferre, et quos non levaverit allidere:* hinc tantum bene colligas, hominem necessario ruere, nisi Deus illum sustentet; sed nequaquam Deum peccare, quia homini non dat, quod non debet. Licet vero Deus possit dici prædestinasse homines ad indurationem tanquam pœnam, quo sensu immorigeri dicuntur positi εἰς ἀπειθεῖαν, 1 Pet. ii. 8. et impii præscripti ad judicium, Jud. 4; Non sequitur prædestinasse ad eam, qua est ἀνομία, et si quis id affirmarit, anathema dicere illi non dubitamus cum Synodo Arausicana: Nec necesse est ut destinet eo modo ad media, quomodo ad finem; nam pro mediorum natura diversimode circa ea versatur in destinatione eorum, vel ut alia efficiat, vel ut alia permittat tantum, et dirigat; quo sensu potest dici prædestinare ad peccatum et indurationem, non effective, sed permissive et directive, quatenus illam permittere et ordinare decrevit.

XXVIII. Qui ideo aliquem punit, vel punire decernit, eo quod ea non fecit quæ facere nullo modo potuit, vel per substractionem virium injuste factam, vel per impedimentum actionum externarum, manente nihilominus inclinatione ad illas, Is potest dici inique agere: Sed absit, ut tale quid statuamus in Deo; dicimus Deum in tempore punire, et ab æterno constituisse punire peccatores, quod non fecerunt quæ facere debuerunt, ac initio etiam potuerunt, sed postea sua culpa, nec potuerunt amplius nec voluerunt. Nec si Deus deserit hominem in reatu, quem proprio suo vitio in se attraxit, et denegat gratiam necessariam ad ejus erectionem, potest iniquitatis incusari, quia ut liberrimæ potestatis Dominus est, nullo jure tenetur vires ad faciendum quod debet restituere ei, qui vires illas propria voluntate perdidit, ut justissime potest ab homine quod debet semper repetere, et propter ejus omissionem illum punire, licet vires ad illud exequendum amiserit; cum debitum non magis esset post amissionem virium, quam debitum pecuniarium cessat post dilapidationem bonorum.

XXIX. Cum προσωπολημψία proprie cadat in Judicem, qui, neglecto legitimo juris fundamento, respicit in judicio ad qualitates, vel conditiones externas, quæ nihil faciunt ad causam: perperam in Prædestinatione incusatur Deus tanquam προσωπολήπτης, dum unum præ alio elegit, quia non agit tunc Judicem, sed Dominum et Principem, qui potest indebitam gratiam huic dare et illi negare sine cujusquam injuria, quia potest facere de suo quod libet, nec ullam in salute destinanda respexit conditionem. Quod August. epist. 105, ad Sixtum, bene explicat; "Quod Personarum acceptorem Deum se credere existimant; si credant quod sine ullis præcedentibus

Digitized by Google

meritis, cujus vult miseretur, et quos dignatur vocat, parum attendunt, quod debita roddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur, atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis et offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret; si autem gratia, utique nullis meritis debita, sed gratuita bonitate donata. Sed injustum est, inquiunt, in una eademque mala causa hunc liberari, illum puniri: Nempe ergo justum est utrumque puniri. Quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum agnoscimus." Et postea. "Cur illum potius quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest Judiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium: Nunquid enim est iniquitas apud Deum? Absit," &c.

XXX. Quamvis Deus dicatur velle omnium salutem, 1 Tim. ii. 4, et non delectari morte peccatoris, Ezech. xviii.; Non propterea sequitur eum neminem reprobasse, quia eadem Scriptura testatur alibi, Deum non misereri quorumdam, et præscribere illos ad Judicium. Aliud ergo est velle salutem hominum voluntate εὐαρεστίας, id est, ea delectari; Aliud eam velle voluntate εὐδοκίας, id est, eam intendere. Aliud velle omnium salutem indiscriminatim; Aliud omnium et singulorum universaliter: posterius cum Reprobatione ἀνύστατον, sed non prius.

XXXI. Cum Deus nemini in hac vita velit reprobationem suam certo constare, sed possit etiam perditissimos peccatores ultima hora ad se vocare; Non potest doctrina reprobationis bene intellecta in desperationem homines adigere, sed potius ad vigilantiam et solicitudinem eos excitare debet, ut cognoscendo severitatem Dei, non efferantur superbia, sed timeant, et recedentes a via peccati, quæ eos in hoc præcipitium abduceret, ambulent constanter in via sanctitatis, quæ, ut Electionis fructus, ad vitam infallibiliter eos perductura est.

XXXII. Quamvis nemo damnetur nisi propter peccatum, non sequitur pariter neminem reprobari nisi propter illud, quia reprobatio latius patet damnatione; nec est tantum actus justitiæ, in prædamnatione, quæ revera fit ex intuitu peccati, sed etiam actus dominii in præteritione comparate spectata, quæ a liberrima Dei potestate proficiscitur, quæque non potest σχέσιν habere ad peccatum, quod tam electis quam reprobis commune est.

XXXIII. Licet ad decretum reprobationis sequatur necessario hominis exitium; Non tamen Deo potest transcribi ejus causa, sed homini soli, juxta illud Oseæ xiii. 9, *Ex Te perditio tua, Israël*, quia non reprobat quemquam nisi peccatorem, adeoque merito reprobabilem; Unde exitii ratio est justissima, tum a peccato originali, quod in homine reprobando supponitur, tum actuali, quod etsi denegationem fidei non possit non sequi, atque ita sit necessarium, est tamen spontaneum et voluntarium, et non coactum.

XXXIV. Si porro Caro tumultuari pergat, et obstrepere adversus inscrutabile hoc Mysterium, meminerimus Apostoli doctrinam iisdem telis fuisse oppugnatam, Rom. ix. 14, 19, quod invictum est conformitatis doctrinæ nostræ cum doctrina Pauli argumentum: Ideo iisdem etiam cum ipso armis utamur, ad tela ista ignita Diaboli extinguenda, "O homo tu quis es, qui ex adverso responsas Deo?" &c. Et cum ipso severitatem, et benignitatem Dei attendentes, Rom. xi. 33, 34, exclamemus, "O altitudo divitiarum, sapientiæ, et cognitionis ejus, quam inscrutabilia sunt ejus judicia, et impervestigabiles ejus viæ? Quis enim novit mentem Domini, aut quis fuit illi a consiliis? Aut quis prior dedit ei, et reddetur ei? Nam ex eo, et per eum, et in ipsum sunt omnia. Illi sit gloria in secula." Amen.

Digitized by Google

QUÆSTIO XV.

An infidelitas, vel incredulitas, adversus Evangelium, præsupponatur ut causa in Reprobatione? Neg. contra Remonstr.

www.libtool.com.cn

I. Quæstio hæc pendet a præcedenti, et licet ex iis quæ dicta sunt facile solvi possit, quædam tamen majoris illustrationis ergo addenda sunt.

Incredulitas duplex, naturalis et acquisita.

II. *Infidelitas*, vel *incredulitas*, alia est *naturalis*, alia *acquisita*. Illa est naturalis cæcitas et corruptio hominis peccatoris, qua non capit, nec capere potest ea quæ sunt Dei, 1 Cor. ii. 14, 2 Cor. iii. 5, ista est voluntaria contumacia adversus Evangelium, quæ illud, vel non suscipit, vel susceptum rejicit: Prior rursus spectari potest, vel quoad *originem* et habitum, quatenus est communis omnibus hominibus, qui natura sunt filii iræ, Eph. ii. 3, et sic antecedit Prædestinationem, quia supponitur ut conditio in prædestinando; vel quoad *actum et exercitium*, quod est in reprobis non vocatis, qui deseruntur in illa corruptione, et ita consequens est reprobationis. Posterior est propria reproborum vocatorum, qui non tantum *negative* sunt increduli, quia propter corruptionem insitam, fidem nec habent ex se, nec habere possunt, sed etiam *positive*, quatenus positiva incredulitate Christum rejiciunt, vel ab ejus fide deficiunt.

Negativa, et positiva.

Status Quæstionis.

III. Non quæritur de infidelitate naturali, et negativa quoad originem, An præsupponatur Reprobationi, hoc enim ultro fatemur: Sed de infidelitate acquisita, et positiva, quæ fit per actualem incredulitatem contra Evangelium, quam Arminiani volunt semper hic præcedere, ut nemo reprobetur, nisi qui prævidetur a Deo ut incredulus, et quidem perseveranter et finaliter; Sic Remonstrantes loquuntur in declaratione sententiæ suæ circa 1. Arti. th. 8, "Reprobatio a vita æterna facta est, secundum considerationem antecedaneæ infidelitatis, et perseverantiæ in ea."

IV. Non quæritur, An ab omni æternitate Deus præsciverit præteritos morituros in sua infidelitate, hoc enim Deum omniscium latere non potest; Sed An prævisa illa infidelitas fuerit causa non electionis, seu præteritionis; quod negamus, quia nemo prævidetur in infidelitate certo moriturus, nisi quem Deus in destinatione gratiæ efficacis decreto antecedaneo præterivit. Quæstio ergo est, An prævisio incredulitatis, non naturalis et originalis, sed actualis, et acquisitæ, non negativæ, sed positivæ, Reprobationem præcedat, et sit ejus causa, An vero sequatur. Remonstrantes volunt præcedere: Nos vero sequi.

Incredulitas non est causa Reprobationis.

V. Rationes sunt, 1. Quia incredulitas ista sequitur Reprobationem, Ergo non potest eam præcedere; patet ex locis ante allatis et vindicatis, Jo. viii. 47, et xii. 39, Matt. xi. 25, et xiii. 11, 1 Pet. ii. 8. Nam si ex præteritione Dei sequitur hominum induratio et contumacia adversus Evangelium, perperam dicetur ejus causa.

VI. 2. Quia Reprobatio versatur circa homines pares, et æqualiter corruptos cum electis, quum ex eadem massa peccati, alii fiunt vasa ad decus, alii ad dedecus, vel destinantur ad vitam, vel destinantur ad mortem, quod dici non posset, si fieret ex prævisa incredulitate, quæ præteritis est propria.

VII. 3. Quia sic sequeretur nullos reprobari, nisi infideles et contumaces adversus Evangelium, id est nullos posse damnari nisi vocatos per

Digitized by Google

Evangelium. Atque ita nec Gentiles, Turcas, et alios, qui nec vocati sunt unquam per Evangelium, nec de Christo quicquam audiverunt, reprobari posse. Sic nulla peccata forent damnabilia, nisi quæ committuntur adversus Evangelium; Sic nec peccati originalis reatus sufficiens ad condemnationem esset, propter quod tamen nascimur iræ filii, Eph. ii. 3, et dicimur in Adamo mori, 1 Cor. xv. 22. Nec peccata actualia adversus Legem naturæ et Mosis, vera causa essent damnationis, contra loca expressa Scripturæ, quæ damnationi subjicit, tam Gentiles, qui adversus solum naturæ lumen sine Lege Mosis peccarunt, Act. xiv. 16, Rom. ii. 12, et iii. 19, et v. 12, quam Judæos, qui cum Lege peccarunt. Frustra hic excipitur, Eos quibus prædicatum non fuit Evangelium, nihilominus damnatum iri propter ejus contemptum, quia se per Legem naturæ ad Evangelium audiendum non disposuerunt. Nam supponitur gratis id quod est in quæstione, nimirum eos contempsisse Evangelium, quibus nunquam innotuit. Sed si ex Apostolo sine Lege peribunt, qui sine Lege peccarunt, quidni etiam dici debet eos sine Evangelio perire, qui Evangelium non audiverunt: Nam quod additur, eos reos peragi Evangelii contempti, quia non se disposuerunt per legem naturæ ad illud audiendum, reponit crambem Pelagianam de dispositionibus naturalibus ad bonum, quas Paulus toties rejicit; et statuit perperam, hominem teneri se disponere ad id recipiendum, de quo nihil unquam audivit, nec auditurus est. Non felicius se expediunt ex hac difficultate, qui vocationem ad gratiam quærunt in revelatione naturali, quia hoc est confundere τὸ γνωστὸν, et τὸ πιστὸν, naturam, et gratiam, et male Paulus diceret Deum reliquisse gentes ire viis suis, Act xiv. 16, et eas esse procul a fœderibus, et sine Deo in mundo, Eph. ii. 12, si præconium Evangelii per Creaturas potuit quocunque modo illis innotescere.

Fontes Solutionum.

VIII. Quum Paulus ait Rom. ii. 16, *Deum judicaturum homines secundum Evangelium suum*, non proponit Evangelium quod prædicabat, ut normam judicii universalis, quod fieri debet de omnibus et singulis hominibus, cum expresse dixisset v. 12, *Eos qui peccarunt sine Lege, perituros sine Lege, et qui cum Lege peccarunt, ex Lege judicandos esse;* sed arcessit futuritionem certam judicii, et ejus authoris ab infallibili ejus declaratione, quæ facta est in Evangelio, cujus erat Minister. Ita innuitur, non *secundum quid*, sed *per quem* sit judicaturus Deus, nempe per Mediatorem tanquam Judicem viventium et mortuorum, quod non in Lege, sed in Evangelio docetur, Jo. v. 22, 27, Act. xvii. 31.

IX. Licet Evangelium neminem addicat damnationi ob solum peccatum originale; Non sequitur nec Deum quemquam ob illud reprobare posse; hoc enim non ideo fit, quasi nemo damnetur propter peccatum originale, sed quia aliud est officium Evangelii, Jo. iii. 36, et aliud Legis, Rom. iii. 18, 19, et ii. 12.

X. Quamvis omnes vocati qui resistunt vocationi, et gratiam per Evangelium oblatam respuunt, propter incredulitatem condemnentur, quo sensu verba Christi sunt intelligenda, Jo. iii. 18, 36, non infert hoc tamen, neminem reprobari nisi qua incredulum; Quia alia est ratio reprobationis, alia damnationis; alia vocatorum per Evangelium, alia non vocatorum, qui non possunt damnari propter rejectionem Christi de quo nihil unquam audiverunt. Nec si incredüli dicuntur condemnandi, ponitur statim solos, et non alios, esse condemnandos; Nuspiam enim Evangelium habet aut ponit exclusivam.

XI. Licet doctrina Electionis ex solo Evangelio petenda sit, quia tota

Digitized by Google

est gratuita, Rom. xi. 5; Non eadem est ratio Reprobationis, quæ tam ex Lege, quam ex Evangelio colligitur. Nec si sola fides est medium salutis, sola incredulitas esse debet causa meritoria damnationis: quia salus vi fœderis gratiæ tantum potest haberi, quod nullam conditionem nisi fidem exigit, opposite ad Legem quæ opera postulabat: Sed damnatio oritur, non modo ex violatione fœderis gratiæ, sed etiam ex violatione fœderis operum, et peccatis contra Legem admissis, tam originali, quam actualibus. Dicere, Deum novum fœdus in Adamo cum toto Genere humano inivisse, et cum Noacho renovasse, ut nemo damnetur propter peccata contra vetus fœdus, est gratis supponere, quod probandum fuit, quodque non modo in Scriptura fundamentum non habet, sed illi aperte adversatur, dum fœdus istud particulare, non universale esse asserit, ut suo loco demonstrabitur.

QUÆSTIO XVI.

An voluntas Dei servandi perseveranter credentes, et damnandi incredulos, sit totum Decretum Prædestinationis? Neg. contra Remonstrantes.

I. Inter varios Errores, quibus Remonstrantes doctrinam de Prædestinatione corruperunt, præcipuus est ille, quo pertendunt voluntatem Dei servandi credentes et perseverantes, et damnandi finaliter incredulos esse totum Prædestinationis Decretum, ut illi loquuntur in *Actis Synod.* circa i. Arti. p. 48, "Voluntas Dei peremptoria de salute et exitio hominum in Evangelio patefacta, est totum et integrum Prædestinationis Decretum. Perseverantes, vel morientes in fide velle salvare; super incredulis vero et impœnitentibus iram velle relinquere, est voluntas Dei de salute et exitio hominum in Evangelio patefacta." Ergo, Quia vero sub verbis ambiguis male sanæ doctrinæ suæ venenum occultare solent, expedit paucis eorum mentem aperire, ut constet quantum a veritate in Verbo Dei tradita, hac etiam in parte discedant.

Status Quæstionis.

II. Hoc vero non difficile est intelligere, si spectemus quem in finem Decretum istud generale et indefinitum statuant; Nimirum ut doceant, non quid de personis singularibus decreverit Deus, sed quid circa *qualitates salvandorum*, et *damnandorum* constituerit, fidem ex omnibus conditionibus possibilibus eligendo in conditionem salutis. Licet vero non negemus hunc ordinem a Deo constitutum esse, ut fides sit medium salutis; Negamus tamen in eo positam esse Prædestinationem, multo minus ut totum et integrum ejus decretum hac constitutione includatur.

III. Rationes sunt, 1. Quia Prædestinatio ex usu Scripturæ semper respicit personas singulares, separans illas in communi massa peccati, et illas ad vitam, istas ad mortem destinans, *Multi vocati, pauci electi*, Matt. xx. 16. *Quos præcognovit, eos prædestinavit*, &c., Rom. viii. 29, 30, et ix. 16, 18; Act. xiii. 48, *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam*, nec uspiam refertur tantum ad qualitates. At voluntas ista occupatur circa qualitates, circa personas nonnisi contingenter et eventualiter, idque propter qualitates citra distinctionem aut separationem singularium; Notat quidem *quales* Deus servare statuerit, sed non *quos* in singulari salvare vel damnare decreverit. Quippe decretum hoc indefinitum neminem in particulari prædestinat et segregat, neminem libro vitæ inscribit; et illo stante fieri potuisset, ut vel nullus damnaretur, vel

Digitized by Google

nullus salvaretur, et sic Servator fuisset sine servandis, et Caput sine Membris.

IV. 2. Prædestinatio qualis in Scriptura nobis proponitur, est voluntas Dei efficax, quæ media Electionis efficaciter operatur in Electis, et finem etiam, id. salutem infallibiliter confert. Et in mediis Reprobationis alia permittit, alia justo judicio efficit, et damnationem reprobis certissime infligit, Rom. viii. 29, 30, et ix. 11, 18, 22, 23, et xi. 7; Eph. i. 4, 5. At voluntas illa est ἄεργος et otiosa, utpote quæ suspendatur ab arbitrio humano mutabili, incertissimo eventu.

V. 3. Prædestinatio, ut supra probatum, præcedit fidem et perseverantiam, ut causa suum effectum, et incredulitatem, ut antecedens suum consequens. At *credentes*, et *increduli*, qui dicuntur servandi, vel damnandi ista voluntate, intelliguntur tales *antecedenter* ab Adversariis, non *consequenter*, quod nihil aliud est, quam pervertere seriem causarum salutis, et ex Prædestinatione facere Postdestinationem.

Fontes Solutionum.

VI. Christus et Apostoli totam Dei voluntatem de hominum salute annunciarunt, quantum ejus scire nostra refert, Act. xx. 27, dum modum obtinendæ per Christum salutis, et conditiones ejus nobis plenissime revelarunt. At quos eligere voluerit ab æterno, et quibus velit dare fidem, ut pertinet ad arcanum Dei consilium, non ad voluntatem ejus revelatam, quæ est objectum prædicationis Evangelicæ, non mirum si occultum manet penes Deum, et ex eventu demum nobis manifestatur. Licet vero nominatim non declaretur in Evangelio quinam sint salvandi, satis tamen prospectum voluit fidelium consolationi Deus, characteres et signa veræ electionis in Verbo nobis dando, ex quibus possunt certitudinem habere suæ electionis.

VII. Decretum absolutum de salute personarum singularium, non obstat quominus sapienter præscribantur hominibus ejus obtinendæ conditiones; quia Deus decrevit quidem salutem absolute et antecedenter sine intuitu ullius causæ præcedaneæ, sed non consequenter absque mediis, verum per media obtinendam. Nec magis absurdum est, posita voluntate peremptoria de salvando aliquo, aliquid illi præcipere ad eam obtinendam, etiam sub comminatione mali contrarii, quam absurdum erat Ezechiæ præscribere ciborum usum, licet prolongatio vitæ a Deo decreta fuisset, et Paulum vetare, Act. xxvii. 31, egressum eorum qui erant in navi sub periculo naufragii, licet revelatione divina certus esset de omnium conservatione. Nam certitudo finis non excludit necessitatem et usum mediorum.

VIII. Nulla est contradictio inter Decretum absolutum Electionis, quod paucos respicit, et Voluntatem revelatam, quæ salutem indiscriminatim omnibus offert per fidem in Christum: Quia oblatio salutis quæ fit per Evangelium, non fit absolute, sed conditionate, sub conditione fidei et pœnitentiæ; Licet autem duo ista sint inter se diversa, offerre salutem omnibus indiscriminatim sub conditione fidei, et decernere absolute salutem, et fidem paucis: non possunt tamen censeri contradictoria, quia non ad idem respiciunt, nec eodem respectu sunt intelligenda; illud ad voluntatem revelatam approbationis pertinet, istud vero ad voluntatem arcanam decernentem.

IX. Quamvis promissio hypothetica de danda salute omnibus credentibus, indiscriminatim omnibus vocatis proponatur, non sequitur eam fluere a decreto generali de servandis omnibus credentibus, et de fide ex omnibus conditionibus possibilibus eligenda in conditionem communicandæ salutis, quod præcedat decretum speciale de personis singularibus servandis, ut

Digitized by Google

pertendunt Adversarii: Quia ut est decretum de mediis salutis, debet necessario subordinari decreto de salute, quæ habet rationem finis: ut Deus non concipiatur cogitasse prius de fide in medium salutis constituenda, quam cogitaverit de illis, quibus dare volebat salutem, quam ut ipsis conferret, media ad id necessaria selegit, et inter alia fidem. Quia vero connexio ista inter fidem et salutem, est immutabilis veritatis, hinc fit ut indiscriminatim proponatur omnibus vocatis, licet ex Dei consilio quoad eventum impleatur in solis electis, quibus constituit dare fidem.

QUÆSTIO XVII.

An Deo tribui debeat Voluntas aliqua conditionalis, seu propositum universale miserendi totius Generis humani in peccatum prolapsi, omnibus et singulis Christum Mediatorem destinandi, et eos omnes ad salutarem beneficiorum illius communionem vocandi? Neg.

I. Quæstio hæc ex superiori oritur, et cum variis nobis intercedit, qui, licet non per omnia inter se consentiant, omnes tamen a recepta hactenus in Ecclesiis nostris doctrina recedunt.

II. *Lutheranorum* sententia communior huc redit: Prædestinationem esse voluntatem, seu consilium, et beneplacitum Dei æternum de hominibus per Christum fide apprehendendum salvandis, quæ *Voluntas* distinguatur in *antecedentem*, et *consequentem:* Illam esse volunt consilium et decretum Dei æternum de omnibus in universum hominibus peccato perditis per Christum fide apprehendendum salvandis, quæ tribus fundamentis nitatur, *universali Dei misericordia*, *universali Christi merito*, et *universali Verbi ministerio*, seu *vocatione;* Istam esse consilium Dei æternum de salvandis credentibus, et damnandis incredulis, et causam istius particularitatis non oriri ex Deo, qui serio, constanter, et ardenter vult ut omnes homines credant, et per fidem in Christum serventur; sed ex hominibus ipsis, qui benigno Dei et universali beneplacito non obsequuntur nec credunt, quæ verba sunt *Haffenrefferi*, in Locis comm. lib. iii. sta. 3, cui adstipulantur *Eckardus*, Fascicu. Controv. c. xv. q. 2, *Hutterus*, *Hunnius*, *Gherardus*, de Elect. et Reprob. c. 4, &c., et alii.

III. *Arminiani* cum Lutheranis hic faciunt, et ulterius etiam ipsis progrediuntur: quatuor quippe decreta hic sibi subordinata statuunt, 1um de dando Christo in Mediatorem toti Generi humano; 2um de salute in Christo fidelibus conferenda, et de damnandis infidelibus; 3um de administrandis mediis sufficientibus ad salutem omnibus et singulis; 4um de personis singularibus credituris servandis, et non credituris damnandis. Tribus prioribus decretis fundamenti instar substernunt *Gratiam universalem*, sive affectum et misericordiam Dei erga totum genus humanum, qua impulsus Christum in Mediatorem omnibus destinarit, et omnibus media sufficientia ad salutem largiri constituerit, ut mentem suam in *Collatione Hagiensi*, *Actis Synodalibus*, et scriptis aliis ab Arminio, Corvino, Grevinchovio, Episcopio et cæteris, adornatis exponunt.

IV. Non dissimulandum etiam, non idem per omnia hic sentire ipsos Theologos Reformatos, et nonnullos esse, qui licet nobiscum conveniant in centro Controversiæ Pelagianæ de Electione mere gratuita, et de decreto particulari de danda fide his, non illis, ut et de Vocatione efficaci, et irresistibili, quique hac in parte ab Arminianis dissentiunt; tamen pio quo-

Digitized by Google

dam, ut videtur, pacis Ecclesiasticæ promovendæ consilio, et fortius cum Remonstrantibus disputandi studio, quamvis successu minus felici, hypotheses quasdam ipsorum adoptarunt, peripheriam gratiæ latiorem ducendo, et Misericordiæ, Redemptionis, et Vocationis universalitatem tuendo, dum pertendunt Deum φιλανθρωπίᾳ sua et generis humani misericordia impulsum, decrevisse ab æterno Filium suum in mundum mittere, qui præstita pro peccatis satisfactione, remissionem peccatorum, et salutem æternam ea lege omnibus acquireret, si ipsum per fidem amplecterentur, nec dedignarentur tantæ salutis esse compotes. Ita statuunt Deum aliquo modo voluisse, et homines pariter potuisse servari omnes, modo crederent; Sed addunt, Deum non amplius sua φιλανθρωπίᾳ communi, sed singulari quodam amoris et misericordiæ genere permotum, nonnullos ex universitate hominum elegisse, quibus fidem indulgeret, eo animo ut eos ad salutem certissime perduceret, adeo ut non amplius eos voluerit servare, modo credant, sed statuerit eos ad fidem adducere ut serventur. Duo itaque præcipue hic Decreta spectanda esse pertendunt. Aliud *Generale* de servandis per Christum credentibus, quo Deus statuit omnium et singulorum misereri, et Christum omnibus Mediatorem dare, et omnes ad salutem vocare. Aliud *Speciale*, quo decrevit quosdam efficaciter vocare, et illis fidem præ cæteris largiri: Quoad prius cum Remonstrantibus conveniunt, quoad posterius ab iis dissident. Vide *Amyrald. Diss. de Gra. Uni.* et *Testar. in Ireni.*

V. Recepta vero apud Reformatos sententia, aliud longe statuit; Deum scilicet non omnium, sed quorundam tantum ex humano genere in peccatum et mortem prolapso misereri voluisse, quos propterea ex lapsu erigere, et ad salutem deducere constituerit, cæteris in nativa sua corruptione relictis: quia vero non poterat misericordiam suam erga ipsos exerere, nisi satisfieret prius Justitiæ suæ; Ideo destinasse ipsis Christum Mediatorem, qui tanquam Vas pro ipsis satisfaceret et salutem impetraret, et ut Caput per Spiritus efficaciam, fidem operando, salutem acquisitam iis applicaret. Ita concipitur primo Deus cogitasse de fine, id. de salute quibusdam danda, postmodum de mediis, et primo de medio acquisitionis, deinde de medio applicationis; sed ita ut unum decretum non sit latius altero, nec aliis destinasse statuatur salutem, vel Christum, quam quibus destinavit Spiritum, et fidem. Nam, ut tres partes præcipuæ gratiæ salutaris ad tres Personas S. S. Trinitatis referuntur per appropriationem, *Electio* ad Patrem, *Redemptio* ad Filium et *Sanctificatio* ad Spiritum Sanctum; Ita æqualem peripheriam et amplitudinem obtinere debent, ut nemo electus sit a Patre, qui a Filio non fuerit redimendus, et a Spiritu sanctificandus, et nemo vicissim redimi debuerit a Christo, qui a Patre electus ab æterno non fuerit, et per Spiritum suo tempore sanctificandus.

Status Quæstionis.

VI. Hinc facile colligi potest verus Quæstionis istius Status. 1. Non quæritur, An omnes et singuli homines, sive credant, sive non credant, ad salutem sint prædestinati; Nam hoc *Samuelis Huberi* Ecclesiarum Helveticarum quondam turbonis commentum, pridem explosum, et nigro theta notatum.

VII. 2. Non quæritur, An Deus amore, et φιλανθρωπίᾳ generali feratur in homines, tanquam creaturas suas, et varia etiam beneficia temporalia circa τα βιωτικὰ illis largiatur: Non diffitemur enim hac in parte Deum nunquam se relinquere ἀμάρτυρον, Act. xiv. 17. Et facile damus neminem esse, qui aliquam gratiam Deo non debeat, et qui quicquid est, aut potest, gratiæ Creatoris sui acceptum ferre non teneatur. Sed agitur de *Amore speciali* et *salutari*, qui tendat ad beneficia spiritualia, et quo ipsorum ad

Digitized by Google

salutem misereri voluerit, quem particularem esse solis electis, non universalem et communem omnibus, censemus.

VIII. 3. Non quæritur, An detur in Deo voluntas aliqua præcipiens et approbans fidem et salutem hominum; seu, An Deus mandet in Evangelio ut homines credant et resipiscant, si salvari velint; et An illi gratum esset homines credere et servari. Nemo enim negat Deum delectari potius conversione et vita peccatoris, quam ejus morte, et subscribimus libenter Synodo Dordracenæ, quæ in C. 4, th. 8, statuit, "Deum serio et verissime ostendere Verbo suo, quid sibi gratum sit, nimirum ut vocati ad se veniant." Sed quæritur; An ex tali voluntate approbante et præcipiente hominibus quid sui sit officii ad salutem obtinendam possit colligi voluntas aliqua, seu consilium Dei, quo intenderit salutem omnium et singulorum sub conditione fidei, et pro illis Christum in mundum mittere decreverit. Unde patet aberrare eos a Quæstionis vero ordine, qui pertendunt agi hic tantum de voluntate *εὐαρεστίας*, non vero *εὐδοκίας*, quia patet agi, non de eo quod Deus vult a nobis fieri, sed quod vult ipse facere ad salutem hominum, et de decreto mittendi Christum pro ipsis, quod pertinere ad voluntatem *εὐδοκίας*, non vero *εὐαρεστίας*, nemo non videt.

IX. 4. Non quæritur, An Decreto quodam absoluto omnium et singulorum salutem intenderit, hoc enim absurdum esse nobiscum fatentur illi cum quibus nunc agimus, quia si hoc foret, omnes infallibiliter servarentur; cum contra *multi sint vocati, et pauci electi*. Sed, An decreto quodam conditionato, et voluntate maxime seria, Deus omnibus et singulis constituerit dare salutem sub conditione fidei. Licet enim nonnunquam negent Viri Fratres se *decretum* ullum *conditionatum* statuere, sed tantum voluntatem conditionatam, ut declinent sententiam latam in Synodis Gallicanis, adversus eos qui ita loqui voluerint: Non possunt tamen diffiteri Primarios ex ipsis a *decreti conditionati* voce non abhorruisse, et eam subinde occurrere in Scriptis Celeber. Virorum *Amyraldi*, *Testardi*, *Placæi*, *Capelli*, et aliorum. Et res ipsa quam statuunt hoc postulat; cum enim nullus detur actus propriæ et intrinsecæ volitionis in Deo de rei alicujus eventu, qui decretum non importet, quisquis voluntatem conditionatam in Deo agnoscit, is pariter decretum conditionatum in eo admittat oportet.

X. 5. Non quæritur de Universalitate Redemptionis, vel Vocationis, de his enim Deo dante suo loco agendum erit, sed de *Universalitate misericordiæ*, et *gratiæ*, quoad intentionem salutis. Ut Quæstio redigatur ad hos terminos; An detur in Deo decretum aliquod generale, sive consilium et propositum dicatur, sive voluntas conditionata, qua vere et serio Deus omnium et singulorum misereri ad salutem intenderit, non fidem dando, sed pro omnibus et singulis Christum mittendo, et omnes ac singulos ad salutem vocando sub conditione fidei et pœnitentiæ? Quod Gratiæ universalis Patroni statuunt; Nos negamus.

XI. Quia vero Quæstio ista tanquam minus necessaria, et intempestiva quibusdam videtur, eo quod in ea agatur tantum de *Methodo* quadam diversa, circa quam nemini lis sit movenda, non vero de ullo doctrinæ capite; In antecessum observandum, quod si de sola Methodo ageretur, quæ rei ipsius diversitatem post se non traheret, facile hic Controversia carere possemus: Nec enim de solo *τρόπῳ παιδείας* cum quoquam litigandum censemus, modo sana doctrina sit in tuto: Verum si res ipsa paulo attentius expendatur, facile patebit, non agi tantum de methodo, sed sub prætextu novæ Methodi, novam doctrinam invehi. Quis enim dixerit ad simplicem Methodum pertinere dogmata quæ hic proponuntur de Misericordia, Redemptione, et Vocatione universali? An est methodus tantum, docere

Digitized by Google

Deum aliquid serio et ardenter velle, quod scit nec futurum unquam, nec fieri posse, et ad quod media necessaria homini largiri non vult, qui solus potest? An est Methodus, docere Mediatorem illis destinari, quibus nunquam innotuit, et homines vocari sufficienter ad salutem, si non immediate, saltem mediate, ex contemplatione cœli et terræ; impetrationem salutis latius patere ejus applicatione, et Christum proprie nobis non meritum esse fidem, &c. Sane qui hæc et similia accurate perpenderit facile deprehendet, non tantum de methodo, sed de momentoso dogmate agi, ut illi cum quibus agimus non possunt diffiteri.

XII. Interim, quæcunque hic deprehendatur inter Nostros sententiarum discrepantia, salvum utrobique manet hactenus per Dei gratiam fidei fundamentum, dum utrinque asseritur, 1. *Universalis* omnium et singulorum hominum *Corruptio*, et *universalis* ac invicta ex ea emergendi, cujuscunque illa generis sit, *impotentia* sine efficaci Dei gratia. 2. *Electio* ex ista miseria ad salutem *particularis*, et plurimorum præteritio immota, quos Deus in sua miseria, liberrimo quidem, sed justissimo tamen judicio, qui omnes relinquere poterat, relinquere voluit. 3. *Gratia efficax*, quæ sola fidem istam operari potest, et sine qua haberi nequit, ut donum particulare solis a Deo electis destinatum ab æterno, illis etiam solis concessum in tempore, sine quo tamen nemo salutem consequi potest. 4. *Solum Evangelium*, ut *ministerium Spiritus*, et instrumentum unicum ingenerandæ fidei in Christum, cæteris omnibus revelationibus ad salutem omnino insufficientibus, si non objective, saltem subjective, propter innatam hominis corruptionem; Quæ capitalia sunt fidei dogmata, quæ adversus Pelagianos et Semipelagianos constanter omnes tuemur.

XIII. Ut ut vero conveniamus omnes in exitialibus Pelagianorum, et qui eorum castra sequuntur, erroribus oppugnandis; nihilominus nova ista, quæ a Viris magnis excogitata est, methodus, quamvis ad auram popularem, et placita hominum magis videatur accommodata, et venditari soleat tanquam commodior ad justitiam Dei adversus reprobos tuendam, et causam totam exitii hominum in ipsos transferendam, non desinit variis absurdis, et difficultatibus inextricabilibus urgeri; quæ ideo, ut Deo minus conveniens, parum sibi constans, ab ἐκστατέρω saniorum sermonum recedens, et propter multiplices, quas post se trahit consequentias, periculosa, ab Ecclesiis nostris jampridem damnata est, et rejecta: Quod non sine gravi causa factum esse, salva dissentientium pace, paucis jam probandum, et quidem circa primum Caput, de quo nunc agitur, voluntatem scilicet, seu propositum universale omnium miserendi ad salutem.

Nullam dari misericordiam universalem probatur.

XIV. Talem nullam dari voluntatem, vel propositum in Deo probamus, 1. Ex *Electionis et Reprobationis decreto*. Quia Scriptura propositum miserendi particulare facit, non universale, quum testatur Deum quorumdam tantum misereri, alios amare, et libro vitæ inscribere, alios vero odisse, indurare, ad iram ponere, et ad damnationem præscribere. Rom. ix. 11, 12, 13, 18, 22; 1 Thess. v. 9; 1 Pet. ii. 8; quis enim dixerit Deum misereri velle ad salutem illorum, quos ab æterno reprobavit, et maxime serio intendisse illis finem sub conditione, quos eodem voluntatis actu a medio ad illum unquam perveniendi exclusit? et quis non videt destrui consilium conditionatum de danda salute innumeris, per consilium absolutum de non danda illis fide?

XV. Frustra hic excipitur, 1. Decretum particulare miserendi quorumdam, non evertere universale, quia κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο de Deo dicuntur; particulare decretum esse κατ' ἐκλογήν, sed universale non item; Nec adver-

Digitized by Google

sari sibi invicem duos istos actus, ut primo Deus voluerit omnium et singulorum salutem, si credant, et secundo quibusdam dare voluerit fidem, ut certo serventur. R. Gratis enim supponitur dari duplex illud miserendi propositum, cum Scriptura omne Dei propositum miserendi, ab æterna illius electione arcessat, imo in eo ipsammet Electionem constituat, Rom. viii. 28, 29, et ix. 11; Ephes. i. 11; 2 Tim. i. 9. Et res ipsa docet non posse sine absurditate concipi, ut Deus, in quo non potest dari prius et posterius, et qui unico et simplicissimo voluntatis actu omnia decernit, eodem actu voluerit maxime serio aliquibus salutem sub aliqua conditione intendere, et simul conditionem istam sine qua haberi nequit salus, illis negare constituerit, qui solus dare potest; quid hoc aliud esset, quam velle misereri, et non velle simul? Fateor unicum voluntatis divinæ actum in varios posse dividi, qui concipiantur per prius et posterius, sed hoc tantum intelligendum de illis, qui in se non arietant, et seipsos non destruunt; Jam dicere Deum omnibus salutem intendisse, et simul decrevisse alios eligere et amare, alios vero odisse et reprobare, sunt ἀσύστατα, nec simul apud Deum stare possunt, nequidem successive, nisi voluntas ejus obnoxia mutationi statuatur, quod de Deo cogitare blasphemum.

XVI. Secundo, non felicius distinguitur hic *Amor* Dei in *comparatum*, et *absolutum*, et statuitur Paulum, quum locutus est de amore Jacobi, et odio Esavi, voluisse tantum innuere Deum illum magis amasse, et huic prætulisse, quomodo *τὸ odisse*, non semel in Scriptura ponitur pro *minus amare*, Gen. xxix. 31; Ita etsi quosdam peculiari amore complexus dicatur Deus, ut illis fidem daret, non sequi, quod alios salvare noluerit; varios enim gradus in amore Dei erga homines non minus concipi posse, quam erga Creaturas. R. Licet enim demus facile, nonnunquam odium poni pro amore diminuto inter homines, negamus tamen apud Paulum odium Dei erga Esavum sic posse intelligi, quia opponitur amori Jacobi, qui dicitur esse, κατ' ἐκλογὴν; ut ergo amor iste necessario includit propositum miserendi Jacobi, et illum servandi, ita odium illud negat, et notat propositum reprobationis, quo a Deo libere præteritus est, et a salute exclusus, ut hactenus Theologi Reformati hoc constanter tenuerunt. Nec si in effectibus *amoris* Dei *generalis*, et *communis providentiæ*, quo fertur in omnes Creaturas suas pro varietate subjectorum, quæ majori vel minori naturæ præstantia pollent, sunt gradus, statim sequitur dari gradus affective in *Amore Dei speciali* et *salutari;* cum enim amor ejus non possit esse inanis et inefficax, quos amat ad salutem, debet amare plene, et usque ad finem, Joh. xiii. 1.

XVII. 2. Qui vult alicui serio finem, is etiam vult et confert, quantum in se est, media ad eum obtinendum necessaria, maxime si ea omnia in manu sua habet, et si ab eo solo pendent. Si ergo Deus vult voluntate generali omnium et singulorum salutem, debet velle etiam media ad salutem ducentia; qualia sunt Verbi præconium, fides, pœnitentia, sine quibus salus non potest haberi: Sed ea nec vult, nec confert quantum in se est innumeris, quibus nec indulget Verbi præconium, nec fidei donum; Ergo, Nec hic dici debet, hoc valere de eo, qui velit finem *absoluta* et *plena voluntate*, non vero *voluntate diminuta* et *conditionata*. Quia probandum est, non supponendum, dari talem ullam voluntatem in Deo diminutam et conditionatam, cujus contrarium antea evicimus: In Creaturis quidem locum habere posse non diffitemur, quæ impotentes sunt, et omnia sub arbitrio suo non habent; sed Deo omnipotenti, qui omnia in manu sua habet, talis voluntas, sine gravi absurditate tribui nequit. Vide supra Lo. III. Q. 16.

XVIII. Frustra etiam additur Deum posse dici velle media, non qui-

Digitized by Google

dem ut efficiat reipsa, ut omnes mediis ad salutem obtinendam necessariis actu utantur, sed ut ea omnibus offerat, ita ut illi quibus offeruntur, possint iis uti si volunt; nam nec Princeps subditos, vel Parens liberos ideo negabuntur voluisse bene et sapienter vivere, quod non effecerunt, ut iis mediis, quæ ad istum finem consequendum ipsis offerebant, in rem suam uterentur. R. Nam qui vult serio alicui finem, debet ei quantum in se est, non aliqua tantum, sed omnia ad finem assequendum media necessaria, non tantum offerre, sed etiam conferre et suppeditare, si hoc penes ipsum solum est. Atque hinc patet, quam parum huc faciant similia Principis et Patres, quæ afferuntur: Nam licet Princeps et Pater optent subditos et liberos bene vivere, et id procurent omnibus modis qui penes ipsos sunt; non possunt tamen hoc reapse efficere, alias si possent, nec facerent tamen, signum esset certissimum eos hoc serio non voluisse; At Deo nihil impossibile et invium. Itaque si non confert media omnia necessaria omnibus ad salutem, quæ ab ipso solo pendent, argumentum est eum hoc reipsa noluisse.

XIX. Tertio, Si Deus voluntatem universalem habet omnes servandi, vel est absoluta, vel conditionata; Si absoluta, omnes actu servabuntur; Si conditionata, vel conditionem ad salutem necessariam vult in hominibus efficere, vel exigere tantum; Si tantum exigere, talium salutem non vult et intendit, exigendo ab iis actum, quem novit homini impossibilem. Rursus, conditio illa vel erit certo futura, vel certo non futura; Si illud, omnes et singuli certo servabuntur; Si hoc, statuetur Deus vehementer id velle, quod tamen probe novit nunquam extiturum, utpote pendens ex tali conditione, quæ nunquam sit futura hoc respectu, quia ipse non vult eam efficere, qui solus id potest. At si in Virum Sapientem non cadit, aliquid velle sub conditione quam novit impossibilem; quanto minus Deo sapientissimo hoc tribui poterit?

XX. Nec solvitur nodus, si dicamus, Deum sæpe in Scriptura testari se velle salutem eorum, in quibus tamen non vult conditionem fidei efficere, sed exigere tantum: Nam licet hoc concedatur de voluntate approbationis, quæ ad præcipientem refertur, non potest pariter dici de voluntate decernente, alias Deus fine suo excideret, et posset id intendere, quod certo novit se nunquam assecuturum. Nec plus proficiet qui addiderit, Deum non teneri dare fidem homini, ideo neminem conquerendi de eo ansam habere, si illam exigit tantum a reprobis, non vero efficit. Quia licet nihil a parte hominis illum ad dandam fidem ulli obliget, tamen, supposito quod serio velit salutem hominibus, videtur inde colligi, quod ipse teneatur illam ipsis dare, ut salutem quam ipsis intendit consequi possint. Sane si vires homini ad credendum suppeterent, vel si gratia objectiva sufficiens poneretur, non posset dici Deus hoc velle sub conditione impossibili. Et hac in parte placita Arminianorum melius cohærent et sibi constant, quæ gratiam istam sufficientem statuunt, et liberi arbitrii ἀδιαφορίαν; sed quandiu impotentia statuetur esse in homine invicta et insuperabilis, cujuscunque sit generis, vel moralis, vel naturalis, de hoc enim nunc non quærimus, ut asserunt Viri Fratres cum quibus agimus; hinc bene adversus ipsos concludetur Deum ex illa hypothesi maxime serio aliquid velle sub conditione impossibili, et quam Deus novit nunquam futuram, quia ipse eam implere non vult.

XXI. Quarto, Si Deus vult omnes et singulos servari; Vel omnes de facto servari debent, quod falsum; Vel voluntas quædam Dei manet irrita et inefficax, quod absurdum. Neque satisfaceret qui dixerit, non semper fieri quicquid Deus vult, cum nec fiant, quæcunque illi grata sunt et placent, et multa fiant, quæ non placent ipsi, et quæ non vult; Quicquid Deus

Digitized by Google

vult facere, id proculdubio fieri, sed non statim fieri, quæ ipse non vult efficere, sed ab aliis præstari. R. Quia aliud est loqui de voluntate approbativa et præcipiente, quo sensu certum est multa fieri quæ non vult, et multa non fieri quæ vult, id. approbat et præcipit; ut vult homines Legem implere et illi obsequi, quod non fit tamen; Aliud vero de voluntate decernente, quæ consilium et intentionem Dei importat, quo sensu nihil potest velle et intendere, quod non reipsa fiat; Imo ea ipsa quæ non vult voluntate præcipiente, et fiunt tamen, non fiunt nisi ea velit voluntate decernente, ut ita non fiat *præter voluntatem ejus*, quod fit *contra ejus voluntatem*, ut olim loquebatur Augustinus. At hic, ut antea dictum, non agitur de voluntate duntaxat approbante, qua gratam habet salutem hominum, sed de decernente, qua intendit mittere Christum in mundum ad salutem omnibus acquirendam si credant; quam irritam et frustraneam esse oportet ex hac hypothesi.

XXII. Dices aliquem frustra posse dici aliquid velle duobus modis; vel ut id temere nullaque ratione eum velle significetur; vel ut id quod vult minime factum intelligatur; Absurdum esse Deum aliquid frustra velle priori sensu, nec locum hic habere, siquidem quod eos qui pereunt salvos fieri voluit, non temere factum, sed ex bonitatis suæ ratione voluit: Sed secundo non esse absurdum Deum aliquid frustra velle, quod reipsa non fit. R. Sed hoc non solvit nodum; Nam illud frustra esse dicitur, quod finem intentum non assequitur, quod hic fieri nemo negare potest; Nam voluntas ista, vel pro fine habuit salutem, vel non; Si non, non potest dici Deus voluisse eos servari; Si habuit, et non obtinuit, sequitur Deum fine suo excidisse. Regeres voluntatem istam posse dici *efficacem* et *inefficacem* variis modis; *efficacem* ratione multorum actuum quos illa exerit, cujusmodi sunt Decretum de mittendo et morti tradendo Filio suo ad Justitiæ satisfactionem, de conservando mundo, et de salutaris cognitionis luce, qua homines vocantur diversimode ac pro variis temporibus dispensanda; *inefficacem* vero, si ad hominum animos eorumque actus referatur, quod minime efficiat, ut quod vult eos facere, id est credere et resipiscere, id reipsa faciant. R. Sed ne sic quidem tollitur difficultas; Nam quacunque demum ratione efficax dicatur, inefficax semper manebit respectu finis a Deo intenti, scilicet salutis hominum. Deinde concipi non potest, qui factum, ut Deus, qui voluerit efficaciter respectu singulorum id quod longe majus est, nimirum dationem Filii, non voluerit efficaciter id quod longe minus est, nempe ut homines crederent et resipiscerent, cum alias satis intelligeret, absque eo cætera frustra fore, nec cuiquam profutura.

XXIII. Quinto, Illos non vult salvari Deus, quos nequidem Verbo suo vult vocare ad fidem et salutem. Nam cui denegantur media, illis etiam denegari censetur finis. At innumeris denegavit Verbi præconium, quod solum est medium ad fidem et salutem, ut sub V. T. omnibus gentibus, sub N. vero variis adhuc Populis, quibus nunquam affulsit lux Evangelii, et qui in tenebris densissimis Paganismi adhuc jacent. An vero credibile, si Deus propensissimam illam voluntatem miserendi omnium et singulorum ad salutem habuisset, et illis Christum Mediatorem mittere decrevisset; illum per quatuor circiter millia annorum omnes Gentes, excepto uno populo Israëlitico, permissurum fuisse ire viis suis, et nihil illis de Mediatore, qui pro ipsis venturus erat in mundum dicturum fuisse, et exclusurum eas fuisse a Verbi sui præconio, quod unicum est ad fidem et salutem medium; Rom. x. 17? Ubi tum bona illa voluntas se exeruit, quam dicitur Deus habuisse in gratiam ipsarum? Et cui bono Christus illis destinatus est,

Digitized by Google

quibus nunquam revelatur? Sane vel hæc sola Dei erga Gentes alienas a fœderibus dispensatio, satis superque, si nullum aliud suppeteret argumentum, evincit absurdam esse, et nullo solido fundamento subnixam, de voluntate et misericordia Dei universali ad salutem, hypothesim.

XXIV. Scio afferri ad ejus confirmationem loca Act. xiv. 16, 17, ubi Deus dicitur non "se reliquisse ἀμάρτυρον erga homines benefaciendo illis, mittendo pluvias et tempestates frugiferas, et corda implendo cibo et lætitia," &c. xvii. 26, 27, ubi Paulus testatur, "Deum non procul esse ab unoquoque nostrum, et determinasse statuta tempora, ut homines quærant Dominum, si forte palpando eum possent invenire." R. Sed neuter locus favet isti sententiæ. Non prior, quia licet Deus dicatur non se reliquisse ἀμάρτυρον per varia beneficia temporalia, quæ Gentibus indulsit, ibidem tamen testatur eum *sivisse gentes ire viis suis*, quoad revelationem salutis, quod non refertur ad solam derelictionem internam, sive privationem Spiritus, sed etiam ad derelictionem externam, seu defectum vocationis externæ, quia non dedit illis statuta sua et Leges ut Jacobo, Ps. cxlvii. 19, 20. Non posterior, quia statim addit Paulus, *Deum dissimulasse tempora ignorantiæ, et nunc*, id. sub Evangelio, *denunciare ubique omnibus ut pœnitentiam agant*, quod antithesim expressam instituit inter tempus V. T. et N. relate ad vocationem externam ad pœnitentiam; nam si dissimulabat olim tempora ignorantiæ, et nunc demum denunciat hominibus ut pœnitentiam agant, argumento est Deum hoc non denunciasse olim hominibus, adeoque vocationem externam ad salutem ipsis defuisse. Quicquid ergo ipsis revelatum fuit, pertinet ad revelationem Dei Creatoris et Conservatoris Mundi, non vero Redemptoris, et ad Sapientiam, quæ in operibus Providentiæ generalis elucet, non vero eam quæ abscondita est in Mysterio, et quæ in operibus gratiæ, et Evangelio solo revelatur, 1 Corint. ii. 5. Nec alio pertinet τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ apud Paulum Rom. i. 19, ut probatum fuit supra Loc. I. Q. 4.

XXV. Sexto, Id ipsum confirmatur ex prima promissione Evangelica, Gen. iii. 15, quæ non ad omnes et singulos pertinuit, sed ad solos fideles, qui per *Semen mulieris* sub Christo Capite suo designantur, contradistincte ad reprobos, qui per *Semen serpentis* notantur: Nam licet Dæmones etiam sub Semine serpentis possint contineri; non obstat quominus et ipsi reprobi, qui vocantur *progenies viperarum*, Matt. iii. 7, υἱοὶ πονηροῦ, Matt. xiii. 38, Joa. viii. 44, eo nomine etiam veniant, eo vel magis, quod quæcunque de *semine serpentis* dicuntur, in ipsos optime quadrent, quippe ut in illis est venenum Serpentis, malitia scilicet et ingenium ejus per illius imitationem, in quibus caput exerit et vivit serpens, et per quos agit; ita illis intercedit inimicitia perpetua cum Semine mulieris, illi observant ejus calcaneum, et ipsum lædunt, nec in iis aut ab iis Caput Satanæ unquam contritum est, vel conterendum; Imo eorum caput conteritur a Semine mulieris. Unde liquet promissum hoc haudquaquam esse universale toti Generi humano, sed particulare Christo et fidelibus, qui nomine Seminis mulieris exprimuntur: Ille quidem primario et ἐξόχως; Isti vero secundario, et dependenter a Christo, pro quibus et in quibus solis Christus Caput Satanæ conterit, id. Satanæ imperium et potentiam destruit, Rom. xvi. 20, et quibus perpetua inimicitia intercedit cum Diabolo et Mundo.

XXVI. Nec obstare potest, quod Reprobi etiam *semen mulieris* dici possunt ratione ortus, quatenus ex muliere prognati sunt: Quia *semen mulieris* hic intelligitur, non *sensu physico* duntaxat, alias Christus nullam hic prærogativam haberet supra impios, qui per semen serpentis designantur; Sed præcipue *sensu morali*, tum respectu Christi, qui semen futurum erat

Digitized by Google

extraordinarium, a Spiritu Sancto conceptum, tum respectu fidelium, qui sub Capite suo debebant in statu gratiæ esse Semen illius mulieris, cui Deus promissionem gratiæ proposuit, et quam erectam voluit a lapsu, non tam physice per generationem, quam ethice per imitationem ex Spiritus virtute, qua fiunt non filii carnis, sed promissionis: Ita, licet Semen mulieris absolute positum non designet homines qua fideles; at quum ponitur comparate et contradistincte ad Semen serpentis, recte de illis prædicatur: quamvis enim semen hoc *individualiter*, et ἀντονομαστίκως ad Christum referatur, qui propria virtute magnum hoc opus erat executurus, secundario tamen, et sumptum *collective*, bene extenditur ad solos fideles, *qui sunt Christi*, et membra Corporis ejus mystici, in quibus Christus etiam debuit Caput serpentis conterere, non tantum *merito* suo per *satisfactionem*, sed etiam *efficacia* per *sanctificationem*, sine qua prior contritio vana fuisset et frustranea.

XXVII. Hujus autem particularitatis non obscura dare voluit argumenta Deus in promissionis complemento, quod in Fœdere gratiæ postea exhibuit, tum in Adami familia per distinctionem factam inter Caïnum et Abelem, in familia Noachi inter Semum et Chamum, in familia Abrahami inter Ismaëlem et Isaacum, in familia Isaaci inter Esavum et Jacobum: Quorsum enim Deus tam sollicite discretionem facere voluit in familiis Patriarcharum, alios sumendo, et alios relinquendo, nisi ut testaretur, gratiam istam salutarem universalem non esse, sed particularem illis, quos peculiari privilegio a cæteris seligere voluit?

XXVIII. Denique, ut alia multa nunc mittamus, Cum ex hac hypothesi velleitates, et vehementia desideria, sed vana et irrita, Deo tribuantur, quibus statuitur id intendere et serio velle quod volens novit tamen, nec futurum unquam, nec fieri posse; proclive est cuivis colligere, An summi Numinis Majestatem ista deceant; annon repugnent ejus Sapientiæ et Potentiæ? Annon sub prætextu extollendæ Gratiæ et bonitatis divinæ, non parum obscuretur et imminuatur, dum vana et inefficax statuitur, et quæ non alium eventum sortitur, quam augere hominis reatum, et eum reddere ἀναπολόγητον? Nec hoc absurdum tolli potest, si dixeris, Scripturam desideria et velleitates istiusmodi videri Deo affingere, ut Psal. lxxxi. 13, Is. xlviii. 18, quia liquet locutiones esse anthropopathicas, quæ διαιρετῶς debent intelligi, et quæ referendæ sunt ad voluntatem præcipientem, ut doceatur quid Deo gratum sit, et quodnam sit hominis officium, non ad voluntatem decernentem, ut notetur quid intenderit, et quid circa hominem fieri voluerit, ut supra ostensum L. III. Q. 16, p. 207.

Fontes Solutionum.

XXIX. *Dilectio* de qua agitur, Joan. iii. 16, quum Deus dicitur, *ita dilexisse Mundum, ut Filium suum dederit*, &c., non potest esse universalis erga omnes et singulos, sed specialis erga paucos, 1. quia agitur de summo et intenso Dei amore, quo major nec datur, nec concipi potest erga eos, pro quibus suum Unigenitum dedit; quod patet, tum ex particula ἐπιτατικῇ, οὕτως, *sic*, quæ magnum hic pondus habet, tum ex reipsa, quia ut majorem charitatem nemo habere potest, quam ut ponat animam suam pro amicis, Joan. xv. 13; ita nulla major inveniri potest dilectio, ea, qua Deus, cum homines adhuc essent inimici, Filium suum morti tradidit pro ipsis. Et ut Abrahamus non potuit evidentius Deo suam probare pietatem, quam offerendo Filium in sacrificium, sic Deus hominibus illustrius non potuit demonstrare amorem suum, quam Filium suum illis indulgendo in victimam ἱλαστικὴν; 2. quia amor Dei quo Filium dedit, omnia reliqua ad salutem necessaria post se trahit; nam *qui proprio Filio non pepercit, sed tradidit*

Digitized by Google

eum pro nobis, quomodo cum eo omnia non gratificabitur nobis? Rom. viii. 32. Sed non omnibus et singulis, sed solis electis omnia cum Christo largitur; Ergo, 3. quia finis amoris istius quem Deus intendit, est salus eorum quos tali amore prosequitur; unde v. 17, addit, *Nam Deus non misit Filium suum in mundum, ut damnaret mundum, sed ut Mundus servetur per ipsum;* Si ergo in eum finem misit Deus Christum, ut mundus servaretur per ipsum: vel fine suo exciderit oportet, vel necesse est ut mundus de facto servetur. At certum est non totum mundum, sed tantum electos ex mundo servari; Ergo ad eos proprie amor iste respexit. Nec concipi potest, si dilectio universalis hic intelligitur, qui talis ac tantus amor, qui longe maximi et præstantissimi boni causa est, puta missionis Christi, possit consistere cum odio innumerorum, quos præterire voluit, et ad damnationem præscribere, quibus vel Filium suum nunquam revelavit, vel fidem, sine qua frustra proponitur, largiri noluit; Vel quomodo tantopere hic commendetur ista Dei dilectio, quæ tamen manet vana et inefficax propter defectum gratiæ subjectivæ, quam Deus denegare constituit.

XXX. *Mundi* nomen non evincit dilectionem istam esse universalem, quia licet *in communi* et *indefinite* sumatur pro *Genere Humano*, ut Calvinus noster, Belgæ Interpretes, et alii interpretantur; Non sequitur ad omnes et singulos amorem illum referri, sed tantum peculiare privilegium Generi humano respectu alicujus partis collatum fuisse, ne tota species penitus interiret; et quidem opposite, 1. ad *Societatem Angelorum*, quibus in simili peccato, similem non fecit gratiam. Unde φιλάνθρωπος quidem dicitur, sed non φιλάγγελος. Ut si Princeps ex duabus civitatibus rebellibus, alteram quidem funditus deleat, nemini parcendo; alteri vero eatenus parcat, ut quosdam ex communi supplicio cæteris destinato eruat, omnino istam præ illa dilexisse dicetur, licet non omnia illius membra ex æquo dilexerit, quia bonum partis redundat ad totum, et a potiori fit denominatio; 2. ad *œconomiam Vet. Test.*, ubi non mundo, sed soli Genti Judaïcæ salus proponebatur, ut innuat non pro Judæis tantum, sed et pro Gentibus indiscriminatim mitti; quod imprimis faciebat ad scopum Christi, ut Nicodemo eriperet vanam gloriationem, qua jactare se solebant Judæi, et qua proculdubio et ipse fascinatus erat, quasi Messias suæ duntaxat Genti promissus esset et mittendus, et Gentes cæterse vel subigendæ essent, vel exscindendæ; ut ergo inolitæ istius gentis opinioni obviam iret, et mysterium vocationis Gentium jam aperiret, dixit Deum dilexisse *Mundum*, non unam tantum gentem, aut populum. Hoc sensu vocatur a Samaritanis Joan. c. iv. 42, *Salvator mundi*, id. non tantum Judæorum, ut sub Vet. Test., quum salus erat tantum Judæorum, teste Christo v. 22; Sed etiam Gentium, ita ut cultus Dei non amplius ad Templum Jerosolymitanum ut antea restringeretur, sed veri adoratores possint ubivis eum adorare in Spiritu et veritate. Nec aliter Christus a Joh. Baptista vocatur, *Agnus Dei qui tollit peccata mundi*, Joh. i. 29, et ab Evangelista 1ª c. ii. 2, *Propitiatio pro peccatis non solum nostris*, id. Judæorum, sed et *totius mundi*, id. cæterarum gentium, ut toti Ecclesiæ commune bonum hoc faciat, et designet eos, qui simul crediturí erant, et qui per varias mundi plagas dispersi erant, ut Calvinus exponit. Nec novum et insolitum, ut *Mundus*, non in tota sua latitudine semper sumatur, sed ad quosdam ex mundo restringatur, ut quum ponitur pro Gentibus opposite ad Judæos, Rom. xi. 12, *Si eorum rejectio divitiæ mundi, &c.;* pro Mundo impiorum, de quo Christus ait, Joan. xvii. 9. *Se pro mundo non orare*, et Joan. 1ª. c. v. 19, *mundum totum in malo jacere;* pro Mundo fidelium, quum Christus ait, *se daturum carnem pro Mundi vita*, Joan. vi. 51, non

Digitized by Google

sane mundi reproborum, qui manent semper in morte, sed electorum, qui per Christum vivificantur, et 2 Cor. v. 19, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, et non imputans ipsis peccata ipsorum;* de solis enim electis verum est, quod Deo actu reconcilientur, et quod peccata ipsorum illis non imputentur. Quidni ergo hic *Mundus* non universaliter pro singulis, sed indefinite pro quibusvis tam Judæis quam Gentibus sumatur, sine discrimine gentis, linguæ, et conditionis, ut dicatur dilexisse Genus humanum, quatenus noluit illud totum deleri, sed quosdam ex illo servare decrevit, non tantum ex uno populo ut antea, sed ex omnibus indiscriminatim, licet dilectionis illius effecta non extendantur ad singula individua, sed ad quædam tantum, electos scil. ex mundo? Et nihil usitatius est in communi sermone, quam ut aliquid Communitati alicui tribuatur respectu quorundam individuorum, non omnium.

XXXI. Verba quæ sequuntur, *ut quicunque credit*, &c., non sunt *exceptiva*, vel *restrictiva objecti*, quasi ex illo mundo a Deo dilecto soli credentes statuantur esse reipsa servandi, sed sunt *exegetica* seu *designativa medii* et *conditionis*, cujus interventu salus promittitur et conferri debet, ut innuatur neminem nisi per fidem tanti beneficii participem esse posse; atque ideo ad omnes et solos credentes pertinere non *eventualiter*, sed *definite*, quotquot scilicet ex Dei decreto crediturі erant. Sic Christus uno versu totam salutis compagem complectitur; *causam προηγουμένην* Dei amorem, *objectum* Mundum, *medium* acquirens *Christum*, applicans *fidem*, et finem *salutem* et vitam æternam. Nec potest dici distribui mundus quem dilexisse dicitur Deus, et ad quem servandum Christus venit, in credentes, et non credentes, v. 18, sed tantum confirmatur necessitas fidei, ceu medii unici, sine quo Christo frui non possumus; postquam enim dixit se non *venisse in mundum*, id. in orbem, *ut damnaret mundum*, *sed ut servaretur per ipsum*, (quia finis adventus Christi non est hominum exitium, sed salus, nihil enim opus erat Christum venire in mundum ad perdendos homines, qui sua culpa satis peribant;) Ne quis putaret ad omnes et singulos adventum ejus pertinere, sive crederent sive non, confirmat quod prius dixerat de necessitate fidei, ut significet destinari tantum credentibus, aliis omnibus exclusis: *qui credit in eum non condemnabitur; At qui non credit, jam condemnatus est*, v. 18.

XXXII. *Particulæ universales* quæ hic sæpe occurrunt, non semper in tota sua latitudine usurpantur, sed modo latius, modo strictius pro subjecta materia. Aliquando per eas notatur *Universitas Gentium*, ad discrimen *œconomiæ V. T.*, ubi salus erat tantum Judæorum; et sic exponendus locus Pauli, Rom. xi. 32, quum ait *Deum conclusisse omnia sub peccatum, ut omnium misereretur*, quod non debet ad omnes et singulos homines referri, sed tantum ad populos de quibus agebat, ut doceat tam Judæos quam Gentiles sub peccatum conclusos, ut misericordia Dei erga utrosque distributive tam Judæos quam Gentes exerceretur, quod patet ex ipsa serie sermonis, v. 30, 31. Sic intellige ejus verba, c. x. 11, 12. "Quisquis credit," inquit, "non pudefiet, quia non est distinctio Judæi et Græci, idem enim est Dominus omnium." Eodem pertinet locus, Act. x. 34, 35. "Certe deprehendo quod Deus non accipit personam, sed in quavis gente, quisquis eum timet illi gratus est." 2. Aliquando designatur *universalitas conditionum* et statuum, opposite ad *politias mundanas*, in quibus discrimina ponuntur inter servos et liberos, pauperes et divites, viros et fœminas, nobiles et ignobiles, &c. sed in gratiæ dispensatione nihil tale Deus attendit, nec personam accipit, sed indiscriminatim omnes cujuscunque status et conditionis ac sexus ad communionem suam vocat. Sic intellige

Digitized by Google

locum Tit. ii. 11, 12, ubi dicitur *gratia salutaris apparuisse omnibus hominibus*, id. quibusvis, cujuscunque sint conditionis, sive Domini, sive servi, de his enim loquebatur v. præcedenti, et postquam hortatus erat Dominos, ne servos inclementius haberent, illico subjicit, Gratia enim salutaris apparuit omnibus, id. tam illis quam vobis. Ita Coloss. iii. 11. "In Christo neque circumcisio, neque præputium, neque servus, neque liber, nec Scytha, nec Barbarus, sed Christus omnia in omnibus," non in omnibus et singulis, sed in omnibus indiscriminatim, cujuscunque ordinis, sexus, gentis, et conditionis. 3. Aliquando *universitas credentium et mundus electorum*, oppositus *mundo reproborum et incredulorum*. Sic 1 Cor. xv. 22. Omnes dicuntur "in Christo vivere, quemadmodum in Adamo omnes moriuntur," non quod eadem sit latitudo viventium, quæ morientium, multo enim plures moriuntur in Adamo, quam servantur in Christo; sed ratione universitatis fidelium; quia ut quotquot pereunt et moriuntur, moriuntur in Adamo; Ita quotquot vivificantur, vivificantur in Christo: conferuntur enim ista duo Capita inter se, non quoad *amplitudinem objecti* sed quoad *analogiam modi communicationis*. Quia ut Adamus omnibus suis posteris peccatum, et per peccatum mortem communicat; ita Christus omnibus membris suis justitiam, et per justitiam vitam largitur. Ita explicandus est locus, Rom. v. 18, 19, ubi collatio fit Adami et Christi, non quoad extensionem, sed quoad similitudinem operationis. Ita Mundus pro universitate electorum et fidelium sumitur, 2 Cor. v. 19, quo sensu August. Tr. 87. in Johan. duos mundos in mundo ponit; "Totus mundus," ait, "Ecclesia est, et totus mundus odit Ecclesiam: Mundus igitur Mundum odit, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum," &c. sic et Prosper li. i. de Voc. Genti. c. 3.

XXXIII. Licet Deus, Ezech. xxxiii. 11, protestetur *se nolle mortem peccatoris, sed ejus conversionem et vitam*, non sequitur eum ab æterno voluisse et intendisse sub aliqua conditione omnium et singulorum conversionem et vitam; Nam præterquam quod conversio non potest intendi sub ulla conditione, quia est ipsa conditio; certum est hic agi de *voluntate εὐαρεστίας*, et *complacentiæ*, non de *voluntate εὐδοκίας*, quod evincit verbum חפץ quod passim *delectari*, et gratum habere significat, ut innuatur Deum delectari conversione et vita peccatoris, tanquam re sibi grata, et naturæ suæ summe misericordi conveniente, potius quam interitu ejus, atque ideo eam exigere ab homine tanquam officium debitum, ut se convertat si vivere cupiat. Sed quamvis nolit, id. non delectetur morte peccatoris, prout notat creaturæ destructionem, non desinit tamen eam velle et intendere ut exercitium justitiæ suæ, et ut occasionem manifestandæ gloriæ, Prov. i. 26, 1 Sam. ii. 34; ut pius Magistratus, qui non delectatur morte reorum, non desinit tamen eorum pœnam ex Legibus juste decernere. Nec, si Deus non intendit proprie eorum resipiscentiam et salutem, frustra dicitur improbis qui invitantur ad pœnitentiam, *quare moriemini?* quia recte ipsis ostenditur his verbis quid debeant facere ad mortem declinandam, et quod sua impœnitentia voluntaria, soli sint sui interitus causa, non Deus; licet enim per decretum reprobationis eos præterierit, et constituerit non dare ipsis fidem, non minus tamen voluntarie peccant, atque adeo suum sibi exitium contumacia sua accersunt.

XXXIV. Quum Paulus ait, 1 Tim. ii. 4, *Deum velle omnes homines servari, et ad agnitionem veritatis venire*, non favet Gratiæ universalitati; Sive τὸ *velle* referamus ad voluntatem εὐαρεστίας cum quibusdam, ut docetur Deum gratam habere salutem et conversionem hominum, et ad eam invitare ipsos per Verbi præconium; quo pertinere volunt, quod dicitur

Digitized by Google

Deus velle σωθῆναι id. *servari*, sed non σῴζειν id. *servare*, quia a voluntate revelata approbationis, ad voluntatem arcanam beneplaciti non valet consequentia: Sive intelligamus voluntatem beneplaciti et decreti cum *Calvino*, et aliis; quod convenientius videtur, quia particula *omnes*, non *distributive* pro *singulis generum* hic sumitur, sed *collective* pro *generibus singulorum*, id., ut *Beza* vertit, pro *quibusvis* ex omni gente, conditione, ætate, ac sexu, ut sensus sit, Deum velle non omnes sigillatim homines, sed ex quibusvis hominum generibus, sive ordinibus, aliquos salvos fieri, et ut exponit *August. Enchi. ad Laur.* c. 103, "Omne genus humanum per quascunque differentias distributum, reges, primates, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, &c. in linguis omnibus, in moribus omnibus, in ætatibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum et conscientiarum varietate innumerabili constitutis, et si quid aliud differentiarum est in hominibus," &c. Et hæc expositio primo confirmatur ex eo quod frequentissime in Scriptura syncategorema istud eo sensu usurpatur, ut quum "omne animal" dicitur "fuisse in Arca, Pharisæos omne olus decimasse, Christum sanasse omnem morbum in populo, omnem Jerosolymam et Judæam exivisse ad Johannem, omnem carnem visuram salutem Dei, omnia quadrupedia fuisse in linteo Petri, Deum effusurum Spiritum suum in omnem carnem," et sim., quæ non ad singula generum, sed ad genera singulorum pertinere nemo non videt. 2. A pari, quia Spiritus S. hunc sensum alibi nobis suppeditat, Apoc. v. 9, ubi fideles gratias agunt Christo, quod redemerit *ipsos ex omni tribu, lingua, et populo, ac natione*, id. non omnes et singulos, sed indiscriminatim ex omnibus conditionibus et populis. 3. Scopus Pauli hoc postulat, qui est ostendere Magistratus etiam Ethnicos sub objecto precum contineri, et Deum pro illis orandum esse, quamvis tunc essent hostes Ecclesiæ, quod multis scrupulum movere poterat, quem removet Paulus, quum ait Deum velle omnes salvos fieri, id. ex omni ordine hominum, atque adeo posse etiam ex Regibus et Imperatoribus aliquos assumere; cum vero nos lateat, quinam illi sint, nostrum esse pro omnibus orare. 4. Circumstantiæ loci hoc confirmant; Apost. vult ut oremus in *omni loco*, v. 8, non in omnibus et singulis, in quibus esse non possumus, sed indiscriminatim in quovis, ad discrimen V. T., ubi cultus adstringebatur ad Templum Jerosolymitanum; vult ut *pro omnibus* precemur, non quod debeamus pro singulis orare, cum non sit orandum pro iis qui peccant ad mortem, 1 Johann. v. 16, sed indiscriminatim pro quibusvis, ut nullum hominum ordinem et statum excludamus a precibus nostris, cum ex quolibet statu possit suos electos colligere. 5. Eo modo vult omnes salvari, quomodo *vult ad cognitionem veritatis venire*, quod nec factum esse respectu innumerorum, nec fieri hodieque patet. Imo si Deus hoc vult, qui fit quod non fiat, cum voluntas proprie dicta sit semper efficax, ut operetur quod vult, nec quidquam illi resistere possit? Rursus, vel absolute Deus vult eos omnes ad agnitionem veritatis venire, et sic omnes ad eam venirent, quod falsum, vel sub conditione: At quænam illa potest esse? An si eam audiant? At innumeris eam prædicari non curat; An si credant? At credere est jam pervenisse ad cognitionem veritatis. 6. Eos omnes Deus vult servari pro quibus se Christus dedit ἀντίλυτρον, ut hoc statim additur ab Apostolo, v. 6, scilicet ut Mediator ipsorum, seipsum eorum loco substituendo, et pœnas ipsis debitas illorum vice luendo. At hoc de omnibus et singulis dici non posset, quin eo ipso omnes et singuli actu servandi essent, quod nemo dixerit.

XXXV. Quamvis dicamus vocem *omnes* ad *genera singulorum* referendam esse, non ad *singula generum*, non sequitur preces concipi debere pro

Digitized by Google

generibus tantum, seu *pro ideis*, non vero pro individuis: Nam distinguendi sunt *singulares* a *singulis*; Voluntas Dei non terminatur quidem ad genera, sed ad singularia ex illis collecta, sed non ideo ferri debet ad singula; sic quum orandum dicimus pro quibusvis, non volumus orare pro statibus et conditionibus hominum, sed pro singularibus individuis in unoquoque genere, non definite pro singulis, sed indefinite pro quibusvis, non tam positive, quasi omnes et singulos precibus nostris includamus, quam negative, quia neminem præcise a precibus nostris excludimus. Nec enim hoc intelligendum præcise et sensu Philosophico, quasi nullum absolute sit genus hominum, vel nulla natio, ex qua quovis tempore non salventur aliqui; sed sensu populari, quia nulla est gens, nulla conditio hominum, quæ exclusa sit a salute, et ex qua Deus non possit aliquos ad communionem salutis vocare quando libuerit, licet hoc nec in omni tempore, nec in omni loco fieri soleat. Licet vero homo sit species specialissima *in genere entis*, non tamen *in genere moris*, quum homines in varios ordines vel ratione originis, vel ratione conditionum vel vitæ generis, distribui possint.

XXXVI. Licet Apostolus jubeat *precari pro omnibus*, non statim vult ut preces concipiantur pro omnibus et singulis, cum quidam dentur pro quibus non est orandum; sed tantum ut sine discrimine pro hominibus oremus, cujuscunque sint ordinis, et religionis, etiam pro Imperatoribus, quamvis Ethnicis, et Christi hostibus. Nec si orandum esset pro omnibus et singulis, sequeretur Deum velle omnes et singulos servari, quia preces nostræ non nituntur decreto Dei de salute hominum, quod nobis absconditum est; sed tum *mandato* Dei, qui hoc nobis præcipit, tanquam charitatis officium, cui tenemur erga proximum; tum *œconomia gratiæ*, in qua scimus Deum indiscriminatim velle homines vocare ex quavis gente et ordine: Cum enim nostrum sit de omnibus bene sperare, nec quid apud se de singulorum salute vel exitio decreverit Deus sciri a nobis possit, neminem nominatim excludere possumus, quasi jam infallibiliter perditum, nisi constet nobis eum pecasse ad mortem; et recte pro omnibus ita precamur, ut si qui sunt ex electione Dei, ad salutem adducantur. Ita recte procedet argumentum Apostoli, orandum esse pro Nerone, non quia Deus vult servandos servari, sed quia etiam ex ordine Imperatorum et Regum, nonnullos potest ad salutem elegisse, et quia potest habere inter illos quos servare vult, quibus ideo precum nostrarum auxilium denegare non debemus, ut si forte aliqui ex illis, quos precibus nostris Deo commendamus, ex illo numero fuerint, possit salus ipsorum votis nostris promoveri.

XXXVII. Quia novæ istius Methodi Authores solent subinde ad Calvinum provocare, quasi nihil doceant nisi quod ab ipso traditum jam olim fuerit; juvat hic verba summi illius Viri in h. l. referre, in quo ut palmario præcipuum causæ suæ præsidium collocant, quæ quam alienus fuerit ab eorum sententia satis probant. Tantum enim abest ut faveat ipsis, ut diserte neget Apostolum hic de singulis hominibus agere, et doceat simpliciter intelligere " nullum mundi vel populum vel ordinem a salute excludi, quum omnibus sine exceptione Evangelium proponi Deus velit," &c. Et postea, " At de hominum generibus, non de singulis personis sermo est; nihil enim aliud intendit, quam Principes et extraneos populos in hoc mundo includere." Quod confirmat Concione 13, in 1 Tim. ubi fuse probat non de singulis generum, sed de generibus singulorum agi, et eo devenit, ut pro Turbonibus et pertinacibus habeat, qui aliter sentiunt. " Quomodo potest consistere dictum istorum Turbonum, Deus vult omnes

Digitized by Google

homines servari, id. singulos? Si hoc vult hodie, et voluit semper; si voluit semper, quid fiet de eo quod addit Apostolus, quod vult ut omnes veniant ad cognitionem veritatis?" Ita Tract. de Prædesti. Editionis in 8, anni 1552, quæ præfert nomen, "Consensus Ecclesiæ Genevensis," p. 95. "Eo modo vult salvos fieri, quomodo vult ad cognitionem veritatis venire, utrumque enim copulat Paulus: Nunc quæro, An eadem voluntas ab initio Deo constiterit, necne? Nam si omnibus notam voluit esse suam veritatem, cur Legem suam non publicavit et gentibus? cur inclusam in angustiis Judææ tenuit vitæ lucem?" Idipsum Calvinus confirmat sæpius in eodem Tractu, ut p. 95. "Nunc jactet Pighius, Deum velle omnes salvos fieri, cum ne externa quidem doctrinæ prædicatio, quæ tamen Spiritus illuminatione longe inferior est, omnibus sit communis." Et paulo post. "Hoc extorsi Pighio, ut nemo nisi sensu ac judicio privatus credat arcano Dei consilio statutam esse omnibus salutem." Idem antea, p. 17. "Quomodo humilis erit, qui nec pristinam miseriam a qua liberatus est, audire sustinet, Deique beneficentiam promiscue ad omnes extendens, quantum in se est extenuat? Certe multum abest, quin Dei gratiam pro merito illustrent, qui eam prædicant omnibus esse communem," &c.

Et pag. 156, quum Georgius decantatum locum, 1 Tim. ii. objicit, "At Paulus docet Deum velle omnes salvos fieri," statim respondet, "Ergo aut Deum fateatur non esse votorum compotem, aut omnes sine exceptione salvos fore." Et ibid. "Si respondent velle Deum omnes salvos fieri quantum in se est, &c. Cur non ergo omnibus indifferenter Evangelium ab initio mundi prædicari voluit? Cur tot seculis tam multas gentes in mortis tenebris errare passus est?"

Insti. lib. iii. cap. 22, s. 11. "Si omnes vellet salvos, custodem illis præficeret Filium, et omnes in ejus Corpus sacro fidei vinculo insereret: nunc constat fidem esse singulare paterni amoris pignus, filiis quos adoptavit reconditum." Et c. 24, s. 15, "Qui fit, si Deus vult omnes salvos fieri, ut miseris qui ad gratiam paratiores essent, januam pœnitentiæ non aperiat?"

Et Respons. ad Artic. i. Castalionis. "Quomodo Deus vult omnes salvos fieri, non anxie dubitandum, quia hæc duo inter se cohærent, salus et cognitio veritatis: Nunc responde; si voluit Deus suam veritatem omnibus innotescere, Cur ad tot gentes, ex quo promulgari cœpit Evangelium, nunquam pervenerit pura ejus Veritas? Deinde, cur non omnium oculos perseque aperuerit, quando interior Spiritus illuminatio, qua nonnisi paucos dignatur ad fidem necessaria est? Hic etiam tibi solvendus erit nodus; Cum nemo nisi arcano Spiritus instinctu tractus, ad Deum accedat, Cur non promiscue trahat omnes, si omnes vult salvos fieri?"

XXXVIII. Licet Deus possit dici velle homines servari, qui non servantur tamen, quando agitur de voluntate *signatâ*, quæ præcipit homini officium, et quid Deo gratum sit declarat: Non potest tamen id pariter dici de voluntate decreti; Nam quotquot Deus vult servari, illos etiam vult servare, et de facto servat tempore præstituto, ne irrita sit et frustranea ejus voluntas. At in hac quæstione, ut jam dictum, non agitur simpliciter de eo quod gratum habet, vel quod vult ab hominibus fieri, sed de eo quod erga homines vult ipse facere, salutem ipsis destinando sub conditione fidei, et statuendo mittere Christum in eum finem ut ipsis eam acquireret. Frustra ergo sunt qui latibulum captant in ista distinctione, quasi in hoc negotio quæreretur tantum, *An Deus velit omnes homines servari*, non vero, *An velit illos servare;* cum duæ istæ propositiones eodem recidant intellectæ de voluntate *absolutâ*, de qua probavimus antea quæstio-

Digitized by Google

nem nostram institui, et neminem hoc sensu velit servari Deus, quem etiam non velit servare.

XXXIX. Cum Petrus, c. iii. 2do v. 9, testatur *Deum esse patientem erga nos et nolle quemquam perire, sed ut omnes veniant ad pœnitentiam*, nihil habet quod causam Universalismi juvet; Nam vel hoc refertur ad voluntatem prsecepti, et ἀνεφευρετίας, per quam invitantur homines ad pœnitentiam præconio Evangelii, et per pœnitentiam ad vitam, quam male traxeris ad decretum et intentionem Dei; Vel si referas ad decretum, quod aliis placuit, et latius videtur, non ulterius ea extendenda erit, quam ad electos et fideles, in quorum gratiam Deus differt consummationem seculi, donec completus fuerit eorum numerus; et quibus colligendis ex quatuor mundi plagis Evangelium toto orbe prædicari debet. Eo autem spectare Apostolum patet, tum ex pronomine *Nos* quod prœcessit, quod satis aperte electos et fideles, ut alibi non semel designat, et ad cujus exegesim addit, *nolens quenquam perire*, id. *ex nobis;* ut pronomen repetendum sit ἀπὸ κοινοῦ, ut sæpe solet, tum ex eo quod Petrus rationem reddere vult illius patientiæ, per quam Deus differt consummationem seculi, quæ non potest arcessi ab ejus prœcepto, sed ab ejus sapienti consilio in gratiam electorum, quo, ut propter electos solos mundum conservat, ita differt promissionem adventus, usque dum omnes et singuli ad salutem sint perducti, Apocal. vi. 11. Nec mirum, si propter electos, quorum neminem Deus vult perire, differatur finis mundi; cum pariter Christus observet, Matth. xxiv. 22, *quod nisi decurtati fuissent dies illi mali* toti Judææ obventuri, *periret omnis caro; sed propter electos*, inquit, *decurtabuntur dies illi.* Ut ergo hic abbreviari debuerunt dies mali propter electos ex Judæis, ne sub onere calamitatum fatiscerent; Ita differtur dies ultimus propter electos Christo adducendos, donec completus sit eorum numerus. Denique de illis loquitur, quos Deus vult venire ad pœnitentiam, non tantum ad eam invitando prœceptis et promissis Verbi, sed eam operando efficacia Spiritus, cum loquatur de illis, in quibus promissio Dei debet impleri, v. 9, 13, qui non alii sunt quam electi. Nec si Deus potest dici μακρόθυμος erga impios per dilationem pœnarum, statim sequitur eandem esse μακροθυμίαν de qua Petrus loquitur, qua differt sua judicia in mundum propter electos, et expectat tempus quo completus eorum sit numerus. Nec inutile fuit Christianos de eo monere, licet hoc sit mysterium indubitatæ veritatis, quia maxime faciebat ad consolationem fidelium, et ad confirmandos eorum animos adversus tentationes, quæ ex dilatione complementi promissionum Dei oriebantur.

XL. Ut Deus φιλάνθρωπος dicatur, non necesse est, ut omnes et singulos homines ad salutem amet; sufficit ut aliquos tantum eo sensu diligat, quemadmodum φιλέλλην ille dicitur, qui Græcam nationem amat, licet non statim omnia ejus individua: Ita bene dicetur φιλάνθρωπος, non φιλάγγελος, quia cum neminem ex Angelis lapsis dilexerit, quosdam ex hominibus amavit: Nec aliter exponi potest locus epistolæ ad Tit. iii. 4, ubi φιλανθρωπίας semel mentio fit, cum certum sit ibi agi de illis, qui de facto et reipsa servantur per justificationem et regenerationem, quod ad solos electos pertinet.

XLI. Eos vult salvos fieri Deus, quos vult credere et resipiscere, eo modo quo vult eos credere: si vult decretive et effective eos credere, ut respectu electorum, vult etiam eos servari hoc respectu, et ita revera servantur; si vult tantum prœceptive et approbative, ut respectu reproborum, quibus prœcipit fidem et resipiscentiam, eodem modo etiam vult eos servari, id. ut salutem eorum approbet et ea delectetur: sed non statim ut

Digitized by Google

eam destinet ipsis, vel intendat sive absolute, sive conditionate; quia alia ratio est voluntatis decernentis, alia præcipientis et approbantis: Deus quidem necessario velle debet quod jubet, sed eo modo quo jubet, id. ut *velit* ejus *præceptionem*, sed non semper quoad *executionem*, et eventum. Nec statim quod præcipitur intenditur, cum multa præcipiantur, quæ nequaquam intenduntur. Sic Deus Pharaonem jussit dimittere populum, nec tamen potest dici intendisse de facto, vel absolute, vel conditionate ejus dimissionem, cum contra indurationem Pharaonis et retentionem populi intenderet. Jussit Abrahamum offerre filium, nec tamen intendit ejus immolationem; Jubet omnes Legem implere, quod tamen non intendit. Ut ergo ex mandato Legis implendæ, male colligas Deum intendere omnimodam sanctitatem hominum, et ex ea eorum justificationem et vitam; Ita ex mandato credendi et resipiscendi, nonnisi perperam inferas Deum eo ipso intendere fidem et resipiscentiam, adeoque salutem eorum omnium, ad quos tale mandatum externe promulgatur. Licet vero finis mandati *in actu signato* et *ex parte rei* possit dici, ut illi credant et resipiscant, tamen statui nequit hunc esse finem intentum a *parte Dei* et *in actu exercito*, quia si hoc intenderet, media necessaria procuraret et efficeret quibus hoc assequeretur. Præceptum ergo significat Deum revera id velle nobis præcipere, sed non statim Deum revera velle seu intendere, ut id quod mandatur eveniat. Nec huc pertinet exemplum Legislatorum, qui volunt et intendunt, quantum in se est, ea quæ civibus suis præcipiunt; quia in illis non potest distingui ut in Deo, voluntas decreti et præcepti, nec si maxime vellent rem præstari, continuo id possent effectum dare, ut Deus.

XLII. *Fides et pœnitentia* possunt considerari, vel ut *præstitæ et impletæ* in homine, id. in esse suo formali et absoluto, et prout Deus eas operatur per Spiritum suum in eo, vel ut *præceptæ et mandatæ* tantum, et in esse suo materiali et intentionali, id. in quantum præcipiuntur sub promisso vitæ æternæ. Priori sensu bene dicuntur *media ad salutem*, quia per eas salus certissime obtinetur; sed posteriori non item; Imo salus tunc proprie non habet rationem finis, quem intendat ille qui præcipit, sed potius medii et motivi ad excitandam obedientiam, qui finis est proprius præcepti, qua præceptum est: Ita Deus vult præceptive reproborum respectu, media ad salutem in suo materiali, sed non vult ea effective in suo formali; Vult ea præcipere reprobis, quæ præstita sunt media ad salutem, sed non vult illa efficere, ut præstita sint illis media indubitata salutis consequendæ.

XLIII. *Salus*, quæ proponitur in promissione Evangelica, potest spectari bifariam; vel ut *finis directe intentus* ab agente, et ut *bonum reipsa conferendum;* vel ut *bonum tantum offerendum*, et ut *motivum* additum præcepto ad excitandam obedientiam: priori sensu revera cadit sub decretum effectivum Dei, quia non posset haberi nisi a Deo daretur: sed posteriori nequaquam; sufficit ut cadat sub decretum proponendi non efficiendi. Rursus, *salus* potest pertinere ad *voluntatem præcepti* bifariam, vel *proprie* et *directe*, vel *indirecte*, et *reductive:* primo sensu non potest cadere sub præceptum, quia præceptio et promissio differunt, illa est officii, ista beneficii; sed secundo nihil obstat quominus dicatur reduci ad præceptum, quatenus illi per modum stimuli additur ad obedientiam excitandam in eo cui proponitur.

XLIV. A *Promissione* ad *Decretum* non valet consequentia; nec si promittit Deus aliquid conditionate, continuo decrevit conditionate illud dare; sufficit ut volitum sit conditionatum, non requiritur ut volitio ipsa

Digitized by Google

sit conditionata; id. vult quidem ut salus detur sub conditione, sed non sub conditione vult salutem dari; intendit absolute promittere salutem sub conditione fidei, non ut decretum conditionatum notetur, sed ut connexio inter fidem et salutem indicetur. Fundamentum ergo veritatis promissionis Evangelicæ non arcessendum est a decreto Dei de personis, sed ab ejus sapienti rerum ordinatione, et connexione inseparabili mediorum et finis, fidei et pœnitentiæ cum salute; non ut doceatur proprie quid Deus actu conferre huic vel illi decreverit, sed quænam sit via, et quodnam medium ac conditio ad salutem obtinendam necessaria, et quid illam conditionem habentes maneat. Ut ergo promissio tantum fit conditionem habenti, non habenti vero nihil promittitur; Ita nihil dare decrevit, nisi illi qui conditionem præscriptam habuerit; nec modo nihil dare vult aliis, sed etiam pœnam illis infligere decrevit; unde cum promissione comminatio semper jungitur Jo. iii. 36, et ut Deus vult serio omnem credentem et pœnitentem servari; Ita vult etiam omnem incredulum et impœnitentem damnari. Dices, Si reprobus crederet ex vi promissionis Evangelicæ servaretur, sed non posset servari, nisi supponatur promissio ista extendi ad omnes. R. Sed quis non videt perperam hic argumentum duci a *conditionato* ad *absolutum*? Nec enim, si promissio ad eum pertinere deberet, si crederet, continuo sequitur ad eum jam pertinere antecedenter ad ejus fidem; Nam cum solis credentibus a Deo destinata sit, nemo potest illam sibi vindicare nisi actu credat, quod nullus facit qui non sit electus. Et frustra talis hypothesis fingitur, quæ statuit oppositum in apposito; nam si reprobus crederet, eo ipso non esset amplius reprobus, sed electus, ac per consequens promissionis Evangelicæ verum objectum.

XLV. Quamvis Deus non velit, id. non intendat, efficere salutem reproborum qui vocantur, non potest dici *Vocatio* ista *externa* propterea *fallax* et illusoria, in qua Deus minus sincere agat, dum promittit serio, quod tamen non vult dare. 1. Quia promissio, ut jam dictum, non est absoluta, sed conditionata, quæ nihil promittit nisi posita conditione, quæ in solis electis impletur. 2. Vocatio ista non eo respicit, ut patefaciat arcanum Dei consilium de hujus vel illius salute; sed tantum, ut in genere officium homini præscribat, et proponat infallibilem salutis viam, quam qui secuti fuerint, necessario salvandi sunt. At in utroque maxime serio Deus agit, nam et verissime homini præscribit officium suum, et viam unicam salutis docet, et sincerissime officium facienti promittit beneficium, nihil ergo promittit quod non velit dare; nam ut promittit tantum conditionem habenti; Ita vult etiam et intendit tantum salutem dare credenti, et non credenti pœnam denunciat. 3. Ille serio non vocat, qui vocatum non *vult*, id. *non præcipit* et *gratum habet*, venire quo vocat; Sed non desinit serio vocare, qui non *vult*, id. non *intendit* et *decernit* effective, vocatum venire quo vocat; quia ad seriam vocationem non requiritur ut sit constans intentio eos adducendi reipsa qui vocantur, sed tantum ut sit voluntas constans præcipiendi officium, et facientibus promittendi beneficium. Sic Deus serio vult, id. præcipit homini implere Legem ut vivat, juxta clausulam fœderis operum, *Hoc fac et vives*, nec tamen propterea potest dici velle, id. intendere, ut homo impleat Legem, et eam implendo per eam vivat. 4. Eodem incommodo longe fortius urgetur sententia quam oppugnamus; Nam ex hac hypothesi statuitur Deus maxime serio cupere et intendere salutem hominum, modo habeant fidem, quam scit tamen eos non habere, nec habere posse ex seipsis, et quam decrevit ipse jam ab æterno irrevocabili consilio non dare, qui solus potest; quod, an cum sinceritate Dei consistere possit facile est judicare; eo ipso enim Deus inducitur testans se velle sa-

Digitized by Google

lutem eorum, et non velle simul, quia non vult id sine quo obtineri nequit; ac si quis diceret, se velle ut homo vivat, sed nolle tamen ut respiret.

XLVI. Licet Vocatio externa objiciatur tam reprobis quam electis, non objicitur tamen eodem modo; Nam ad istos quidem respicit *primario*, *directe*, et *principaliter*, quia eorum fidem et salutem intendit, et propter eos ministerium instituit, et Evangelium prædicari curat, ut filii Dei dispersi congregentur, Joh. xi. 52, et colligatur ac ædificetur Ecclesia, Ephes. iv. 11, 12, quod non fieret si nulli electi essent in mundo: unde non eos vocat tantum *imperative*, sed et *operative*, conditionem ipsam per Spiritum in iis operando. Sed ad illos spectat tantum *secundario* et *indirecte*, quia mixti sunt cum electis, quos Deus per Verbum ex mundo ad salutem perducere intendit; non ut salus ipsis a Deo destinata dicatur conditionate, sed tantum ut ipsis officium præscribatur, et via salutis ostendatur. Non desinit ergo multiplex finis esse istius vocationis illorum respectu, licet non decreverit aut intendat Deus, ut veniant et salventur. Nam qua *Legislator* vult officium illis suum præscribere, qua *Dominus* vult viam salutis illis benigne patefacere, qua *Judex* vult eos contumaces et rebelles convincere et ἀναπολογήτους reddere.

XLVII. Quamvis intentio Pastorum in Vocatione ista conveniat cum intentione Dei, tum in eo quod nihil faciant nisi ex ordine Dei, sive agatur de mandanda fide, sive de promittenda salute; quo sensu dicuntur esse Os Dei, et nomine Christi nos hortari, 2 Cor. v. 19, 20; tum in eo quod utrique proprie salutem solorum electorum intendunt, non vero reproborum; non per omnia tamen conveniunt; Nam quia Ministri nesciunt distinguere inter electos et reprobos, nec norunt eos nominatim, qui crediturі sunt, vel non crediturі, promiscue omnes alloquuntur, et nonnisi indistincte possunt servire saluti electorum, quia ipsis sunt ignoti, et optarent proculdubio ex officio charitatis omnes salvari, nec de cujusquam salute absolute desperare debent, nisi constiterit eum peccasse ad mortem, et reipsa esse reprobum, cum Deus possit ultima hora homines vocare: Itaque tenentur sedulo officio suo defungi erga omnes peccatores, et magno se reatu implicarent coram Deo, si in ullo pereunte neglecti officii possent accusari, quamdiu spes aliqua superest emendationis. Et eo pertinet, quod Paulus ait, Col. i. 28, "Se omnem hominem hortari, ut reddat omnem hominem perfectum in Christo," ut doceat se facere quod sibi incumbebat, ut prodesset quorumvis saluti, sive Judæorum, sive Gentilium, eventum Deo committendo: alias ipse, cognita πωρώσει et rejectione Judæorum, excussis vestibus eos relinquit, et ad gentes se convertit, Act. xviii. 6, et xiii. 46. Sed Deus qui novit qui sui sunt, et eos, quorum solorum saluti et conversioni destinavit vocationem, distincte etiam et formaliter eorum salutem intendit per eam, non vero aliorum, quos novit a se reprobatos ab æterno, et aut non vere obsequi, aut nunquam obsecuturos, quorumque ideo salutem non potest intendere, sed potius detectionem malitiæ cordis ipsorum, Luc. ii. 35, et eorum inexcusabilitatem, supposita eorum contumacia, Rom. i. 20; Jo. xv. 22; ut eventus ipse satis ostendit. Nec hic dicendum quæri de *vocantis animo, et voluntate*, non de *vocationis eventu*: Nam ipse eventus qui pendet ex liberrima et sapientissima Dei dispensatione, satis indicat qualis fuerit vocantis animus et voluntas, cum nihil præter illius intentionem contingere queat.

XLVIII. Licet Christus non magis destinatus sit ad salutem reproborum quam Dæmonum, et hac in parte similes sint, quod utrorumque damnatio sit irrevocabilis; Non ideo par est in omnibus utrorumque ratio. Primo, quia, ut Christus non assumpsit Angelos, sed Semen Abrahæ,

Digitized by Google

Heb. ii. 16, et missus est non pro dæmonibus, sed pro hominibus: Ita solis hominibus recte proponitur, non vero diabolis, quibus sublata omnis spes salutis. Secundo, quia dæmones cum damnatis extra viam constituti, jam sunt in statu pœnali, ubi pœnas pendunt suorum criminum; nec possunt amplius etiam imperative vocari; Sed quoad reprobos, quia sunt adhuc in via, quandiu in terris versantur, ubi magna patientia a Deo tolerantur, dum differtur adhuc eorum pœna, nec eorum reprobatio adhuc nobis nota est, Nihil obstat eos vocari, ut quid sui sit officii intelligant, et ne ignorantiam impœnitentiæ suæ prætexere possint.

QUÆSTIO XVIII.

DE ORDINE DECRETORUM DEI IN PRÆDESTINATIONE.

An aliquis Ordo in Decretis Divinis admittendus sit, et quis ille sit?

I. Quamvis Christiana pietas ista Quæstione facile carere potuisset, si homines revelatis contenti, sapere voluissent ad sobrietatem, nec in arcana Dei irrumpere unquam sategissent, ad consilia ejus *ἀνιχνίαστα* temere scrutanda, et decreta ejus minutim partienda, quasi Deus humano metiendus esset pede: Necessariam eam tamen quodammodo reddidit Adversariorum pertinacia, qui sub novo et præpostero Decretorum Dei ordine, novam et periculosam contra Dei Gratiam pro libero hominis arbitrio doctrinam invexerunt; quibus ut occurratur, pauca de Decretorum ordine dicenda, ut constet, An ordo aliquis in illis sit admittendus, et quis verus sit et genuinus ex Verbo Dei, quis vero falsus?

An Ordo in Decretis Dei sit admittendus.

II. Licet in Decretis *formaliter*, et a *parte Dei* spectatis, non attendi possit proprie ordo, quia non sunt plures, et divisi actus, sed unicus et simplicissimus, quo omnia ab æterno decrevit: Nihil obstat quominus in illis ordo aliquis statuatur, quatenus *objective*, et a *parte nostri* considerantur, ratione modi nostri concipiendi, quia cum res decretæ multiplices sint et diversissimæ, quæque dependentiam et subordinationem ad se invicem habere possunt, necessario in illis aliquis ordo concipiendus est, secundum quem aliæ aliis vel priores, vel posteriores dicantur, et a nobis distincte percipiantur.

III. Cum vero duo præcipua sint Dei Opera, quæ a Decreto ejus proficisci debuerunt, Unum *Creationis* et naturæ, Alterum *Redemptionis* et gratiæ, duo præ cæteris hic Decreta concipienda sunt, primum de Opere Creationis, alterum de Opere Redemptionis, inter quæ veluti medium intercedit decretum de permittendo Generis humani lapsu. Rursus, ut Opus Redemptionis varias partes habet, quarum aliæ habent rationem finis, aliæ mediorum; aliæ ad missionem Christi pertinent, aliæ ad vocationem, aliæ ad glorificationem: Ita diversa possunt concipi decreta pro earum diversitate. Quo vero ordine, quum inter se conferuntur, collocanda sint, non una est omnium sententia.

Prima Sententia, Supralapsariorum de ordine Decretorum.

IV. Nam qui supra Lapsum, vel Creationem ascendunt, ad Constituendum Prædestinationis Objectum, ita censent disponenda esse varia, quæ a nobis circa hominis statum concipiuntur Decreta; Ut Decretum Prædestinationis statuatur prius Decreto Creationis, et permissionis lapsus, et concipiatur Deus primo cogitasse de manifestanda gloria sua in exercitio Misericordiæ et Justitiæ quoad salutem vel damnationem hominum, quam cogitaverit de

Digitized by Google

creando homine, vel permittendo ejus lapsu, ita ut Creatio et Permissio lapsus habeant rationem medii ad patefactionem misericordiæ et justitiæ suæ tanquam finem. Ita primum Decretum secundum ipsos est de manifestatione gloriæ Dei in exercitio misericordiæ et justitiæ per salutem et damnationem hominum; Secundum de Creatione; Tertium de Permissione lapsus; Quartum de Missione Christi pro salute eorum quos salvare decreverat.

V. Verum licet nihil habeat iste Ordo, quod fundamento salutis et analogiæ fidei absolute repugnet, et Viris magnis et de Ecclesia bene meritis placuerit; varia tamen obstant quominus recipi possit, ut fuse probatum est supra, Quæst. IX., quibus et hæc addimus, duriorem et minus commodum videri hunc ordinem, 1. quia ex hac hypothesi primus actus voluntatis Dei erga nonnullas ex Creaturis statuitur esse actus odii, quatenus justitiam suam in earum damnatione demonstrare voluit, et quidem antequam consideratæ sint in peccato, ac per consequens antequam essent odio dignæ, imo dum considerabantur ut innocentes, atque adeo objectum potius amoris, quod non satis videtur convenire ineffabili ejus bonitati. 2. Durum etiam est, quod juxta hunc ordinem Deus censetur amoris effecta longe maxima illis impertiri ex odii principio, dum statuitur eas creare in statu integritatis in eum finem, ut in earum damnatione justitiam suam illustret, quod nec summe bonum, nec summe sapientem et justum videtur dicere. 3. Perperam supponitur Deum actum misericordiæ et justitiæ exerere erga Creaturas in destinatione salutis et exitii, quæ nec sunt miseræ, nec reæ, imo quæ nequidem concipiuntur adhuc existere: At cum virtutes istæ sint respectivæ, objectum suum præsupponunt, non faciunt. 4. Gratis etiam asseritur Creationem et Lapsum esse media Electionis et Reprobationis, cum antecedenter ad illas se habeant, alias peccatum esset propter damnationem, cum contra damnatio sit propter peccatum, et Deus creasse diceretur homines quos perderet.

Secunda Sententia, quæ est Arminianorum.

VI. *Arminiani* in aliud extremum, sed longe periculosius delapsi, dogmata Pelagiana novi ordinis obtentu obtrudunt, et ita ordinem Decretorum disponunt, ut quatuor sibi subordinata decreta stabiliant in salutis negotio. *Primum* est quo decrevit Filium suum Jesum Christum Ponere in Mediatorem et Salvatorem Generis humani lapsi, qui peccatum morte sua aboleret, amissam salutem obedientia sua recuperaret, et virtute sua communicaret. *Secundum*, quo decrevit resipiscentes et credentes in gratiam recipere, eosque perseverantes in finem usque per et propter Christum salvos facere: Contra impœnitentes et infideles in peccato relinquere et æternum damnare. *Tertium*, quo decrevit media ad resipiscentiam et fidem necessaria sufficienter et efficaciter omnibus administrare. *Quartum*, quo decrevit certas quasdam et singulares personas nominatim salvare vel damnare, quas ab æterno prævidit credituras, vel non credituras. Quæ quatuor decreta ita sibi subordinari censent; ut Primum sit (I.) Destinatio Christi in Mediatorem, qui acquireret peccatoribus jus salutis. II. Ordinatio fidei et perseverantiæ in conditionem communicandæ salutis. III. Ordinatio mediorum ad fidem: quorum beneficio peccatores possint credere et perseverare. IV. Ordinatio ipsius salutis, personis singularibus qua credentibus et perseverantibus facta; cui ordinatio damnationis adversus finaliter impœnitentes et incredulos respondet. *Tria priora* decreta *generalia* sunt, quæ totum Genus humanum indefinite spectant, citra respectum personarum singularium, et quibus fundamenti instar substernitur *Gratia Universalis*, sive benevolus Dei affectus erga totum Genus humanum, quo Christum in Mediatorem,

Digitized by Google

fidem in conditionem salutis, media quoque ad fidem omnibus et singulis peccatoribus indiscriminatim ordinavit. *Postremum* est *particulare*, quo statuit de singulorum salute vel exitio, prout eos credituros, vel non credituros prævidit; atque ita nexus ejus cum prioribus non est necessarius, sed contingens et eventualis, quatenus fieri potuit, ut, dato Christo in Mediatorem, et posita lege fidei et mediis ad eam administratis, nullus crederet et servaretur, sed damnarentur universi; quia gratia quæ illis confertur, resistibilis semper supponitur, id. quam homo pro libitu potest vel recipere vel rejicere. Sic *Remonstrantes* exponunt Sententiam suam de Ordine Decretorum in *Actis Synod.* p. 18, 19.

VII. Sed Ordo iste multifariam impingit in veritatem, et sanorum sermonum formam, et gravissimos errores post se trahit. 1. In genere capitale est, quod in eo Prædestinationis gratuitæ doctrina corrumpitur, et ad Pelagianorum mentem traditur, dum ab homine et viribus liberi Arbitrii suspenditur, quatenus electio fieri supponitur ex fide prævisa, et ex bono usu liberi arbitrii. 2. Ex illa hypothesi Electio et Reprobatio sunt actus justitiæ, qui pendent a Deo ut Judice, qui eligere dicitur credentes, et reprobare incredulos, ubi proinde nullus datur amplius locus objectionibus, quæ a Paulo moventur, Rom. ix., cur hunc non illum elegerit aut reprobarit: Cum tamen Scriptura constanter asserat, eas a sola Dei εὐδοκίᾳ pendere, et esse actus meri beneplaciti Dei, tanquam supremi Domini, qui potest de suo facere quod libet. 3. Ex ista sententia Deus prævidet tantum fidem, sed non facit, siquidem gratia sufficiens quæ conferri dicitur, cum sit communis omnibus, non potest homines alios ab aliis discernere, atque ita discretio ista erit opus naturæ, et liberi arbitrii, non gratiæ et Spiritus Sancti, contra expressa Scripturæ verba quæ fidem donum Dei vocat, et causam discretionis hominum, non hominibus, sed soli gratiæ acceptam ferre solet, 1 Cor iv. 7; Eph. ii. 8. 4. Ex ista hypothesi nulla datur Electio ad fidem, sed tantum ad salutem, cum tamen Deus non possit eligere ad salutem, ut finem, quin elegat etiam ad fidem tanquam medium, Ps. lxv. 4; Act. xiii. 48; Rom. viii. 30. 5. Non tam salvandorum et damnandorum discretio ponitur, quam mera conditionis, sub qua homines damnandi, vel salvandi sunt, præstitutio. 6. Si penitius finis totius istius doctrinæ attenditur, non alius esse deprehenditur, quam Pelagianismum, et Papismum novo tectorio incrustatum instaurare, liberi arbitrii idolum in arce reponere, et gratiam Christi, subtiliore quidem ratione, sed tanto periculosiore quam antea, extenuare, quæ ex singulorum examine facile colligi possunt.

VIII. Nam hoc omnia hæc Decreta vitio laborant, quod Electionis veram naturam ne verbo quidem attingant. Scriptura enim docet Electionis decretum esse æternum, immutabile, absolutum, adeoque practicum et efficax seu ἐνεργητικὸν, Matt. xi. 25, et xiii. 11; Act. xiii. 48; Rom. viii. 28, 29. Unde quoties fere loquitur περὶ τῆς εὐδοκίας in hoc mysterio, continuo τῆς ἐνεργείας mentionem adhibet, qua Deus omnia in omnibus operatur, Eph. i. 11, Phil. ii. 13, ut non esse Dei contemplationem otiose prospectantis, sed esse Dei summum et efficacissimum amorem infallibiliter operantis, doceret. Sed hic omnia varia, revocabilia, conditionata, et ab hominum fide suspensa, nihil nisi mere speculativum et anceps quoad eventum Deo tribuitur, Electionis efficacis et irrevocabilis mentio nulla: Nam duo illa decreta, quæ præcipue nomine Prædestinationis illis veniunt, secundum scilicet et quartum, non possunt pertinere ad Electionem, nec sunt proprie actiones Dei, nec secundum illa quicquam operatur. Quippe secundo, quo statuit credentes servare, et incredulos damnare, eligitur tantum fides in conditionem salutis, non vero mortalium ullus: Quartum

Digitized by Google

vero quo decrevit nominatim servare quos prævidit crediturus, nihil novi decernit, sed præscit tantum quinam secundum regulam secundi decreti ad salutem sint perventuri, vel non. 2. Prædestinatio qualis in Verbo traditur, semper refertur ad personas singulares, et in iis determinatur, prout vel fiunt vasa gratiæ, vel vasa iræ, vel ad vitam destinantur, vel ad exitium, Rom. viii. 29, 30; Rom. ix. 11, 16; Ephes. i. 4, 5; Johan. x. 26, et xiii. 18, et xvii. 6, 12. At longe aliter se habent decreta Arminiana; nam *primum* et *tertium* decretum indefinite occupantur circa genus humanum. Secundum versatur tantum circa qualitates salvandorum, vel damnandorum, citra distinctionem personarum. Quartum vero circa personas singulares versatur quidem, sed contingenter et eventualiter, id. propter illas qualitates, quæ adesse et abesse possunt a subjecto cui insunt, nec tam respicit personas, quam fidem in personis, prout prævidetur in homine futura ex bono usu gratiæ et liberi arbitrii. 3. Gratia prædestinationis ex Scriptura est particularis quibusdam, non communis omnibus, Matt. xi. 25, 26; Rom. viii. 29, et ix. 11, 16, 18; Eph. i. 4, 5; Sed Gratia quæ tribus primis decretis adstruitur, est omnibus et singulis communis, utpote quæ sita est in Misericordia universali, Redemptione universali, et Vocatione universali.

IX. 4. Prædestinatio ad vitam includit necessario decretum fidei, et perseverantiæ a Deo donandæ, Act. xiii. 48; Rom. viii. 29, 30. Et promissio de danda fide electis, non minus pertinet ad Evangelici fœderis ambitum, Heb. viii. 10, Eph. ii. 8, Phil. i. 29, quam promissio de danda salute fidelibus. Sed nihil in quatuor illis decretis habetur de dono fidei; Nec in primo, quod est de missione Christi; Nec in secundo, quod fidem sancit in conditionem salutis, sed nihil de ejus donatione respectu certarum personarum constituit; Nec in tertio, quod est de Vocatione ad fidem, et mediorum ad eam administratione, quia cum gratia illa sufficiens non sit irresistibilis, pendet ab hominis arbitrio ea uti, vel non; Nec in quarto, quod nititur fidei prævisione, quodque eam præsupponit ex communi tantum gratia quoad Deum, ex speciali autem ipsius credentis et perseverantis determinatione, tanquam propria et proxima causa utriusque.

X. 5. Scriptura unius tantum Electionis meminit, quæ fit definita et completa, particularis, et absoluta, æterna, et irrevocabilis; Sed schola Arminii duplicem fingit, unam generalem, indefinitam, incompletam, conditionatam, et revocabilem; aliam completam, peremptoriam, definitam et irrevocabilem, quæ in fine demum vitæ, et post mortem obtinere potest, quia suspenditur a perseverantia finali. Denique ex hac hypothesi objectum Prædestinationis sunt soli credentes, vel increduli vocati, quibus gratia in tempore oblata est, atque ita infantes omnes, et plerique Gentiles, qui vocationis participes nunquam fuerunt, ab ea perperam excluduntur. Vid. sup. Qu. XV.

XI. Si vero ulterius in examen Decretorum istorum descendimus, multiplicem eorum repugnantiam cum genuina Prædestinationis doctrina in Scriptura tradita, non difficile erit deprehendere. Nam ut de primo dicamus, quod spectat missionem Christi, 1. Scriptura testatur Christum ordinatum esse, et datum in mortem nominatim pro datis sibi a Patre, Joh. xvii. 2, 6, 9, pro ovibus suis, Johan. x. 11, 26, 29, pro populo suo, Matth. i. 21. et pro Ecclesia, Eph. v. 25. At dum primo illo decreto destinatur pro genere humano universaliter, ordinatio illa facta supponitur in incertum, antequam quicquam apud se statuisset Deus de quoquam nominatim servando. 2. Christus ex decreto Patris non potuit frustra mori, sed efficaciter debuit redimere et salvare eos pro quibus est mortuus, Tit. ii. 14;

Digitized by Google

Galat. ii. 21; Eph. v. 25. Sed posito illo primo decreto, fieri potuit, ut Christus esset mortuus, et nemo tamen servaretur, si nimirum nulli conditionis fœderis observarent, atque ita Servator esset sine Servatis, Caput sine Membris, et Rex sine populo. 3. Christus ex consilio Patris missus est ad acquirendam nobis salutem, et obtinendam actu pro suis remissionem peccatorum, Spiritus Sancti donum, et vitam æternam; Nec enim alias vel Salvator noster posset dici, vel Sponsor tam a parte Dei, quam hominum, vel author et Princeps salutis, dux et consummator fidei nostræ. Sed ex primo isto decreto non nobis, sed Patri suo acquisivit possibilitatem sive jus denuo agendi cum homine peccatore, et novas conditiones salutis, addita gratiæ et remissionis peccatorum promissione, illi præscribendi. Et ita censetur acquisivisse, non tam salutem, quam *possibilitatem salutis;* removendo obstaculum justitiæ quod obstabat quominus Deus nobiscum novum fœdus pangere posset, quod quid aliud est quam enervare Christi crucem, et meritum ejus perfectissimum exinanire?

XII. In *Secundo* non minor est repugnantia, dum statuitur totum et integrum Prædestinationis decretum, quod nequidem ad illud pertinet. 1. Quia per Prædestinationem Deus decrevit, quid de nobis ipse velit facere, non vero quid nos facere jubeat. Sed hoc decretum, quo credentes servare, et incredulos damnare statuit, respicit tantum vocationem externam, quæ præscribit hominibus officium, et eo tantum tendit, ut eligantur conditiones et qualitates salvandorum, non vero personæ; *quales* salvandi sint, non *quinam*. 2. Electio est actus beneplaciti certus et definitus, quo nonnullorum præ aliis misereri voluit ad salutem, et decrevit ipsis dare Christum, et fidem; Sed decretum istud indefinitum et vagum, quod neminem nominatim respicit, et quod fidem non dat, sed supponit. In *Tertio* quod versatur circa mediorum dispensationem, præter jam dicta, hæc etiam notamus ἀντίγραφα, tum respectu *objecti*, tum respectu *modi*. 1. Quod media ad fidem et salutem omnibus et singulis sufficienter et efficaciter statuantur administrari, ut nemo damnetur, nisi qui media illa libero suo arbitrio repudiarit, cum tamen Scriptura non uno loco testetur, non omnibus et singulis, sed quibusdam tantum ex Dei εὐδοκίᾳ administrari, Psal. cxlvii. 19, Matt. xi. 25, et xiii. 11, et Rom. viii. 28, 29, tam in Veteri quam in N. Testamento. 2. Media illa dispensari supponuntur *modo resistibili* et communi, ita ut, posita quacunque operatione gratiæ istius, voluntati sua semper relinquatur ἀδιαφορία et libertas, vel eam admittendi, vel repudiandi; Cum Scriptura gratiam istam irresistibilem, et invictam esse passim doceat, quæ non tantum vires ad credendum, sed actum ipsum fidei largiatur, et cui nullum resistere possit hominis arbitrium. Denique, quoad *Quartum* de servandis creditutis, præterquam quod in secundo jam continetur, et cum eo coincidit, nec proprie decretum est quod novi aliquid sanciat, sed decreti præcedentis applicatio; prævisio Pelagiana hic reponitur, quæ Deum ab homine, et gratiam a libero arbitrio suspendit, et talem electionem statuit, quæ pro objecto habeat hominem nonnisi in exitu vitæ consideratum, et cujus nullus sensus aut fructus a quoquam in hac vita percipi possit nisi conditionatus. Quæ omnia cum sint non modo periculosa, sed et ἀντίγραφα, et εἰδώλοτα, quæ gratuitam Dei Electionem penitus convellunt, et liberi arbitrii idolum denuo erigunt, merito ab Orthodoxis constanter hactenus rejecta sunt.

Tertia Sententia, eorum qui Gratiam universalem tuentur.

XIII. Tertia Sententia circa Decretorum ordinem, eorum est ex Reformatis, qui Gratiam Universalem tuentur, quique propterea ita Decreta divina partiuntur, ut in variis ad Remonstrantium hypotheses accedant, in aliis

Digitized by Google

vero ab iis recedant. Quatuor enim et ipsi statuunt Decreta, duo generalia; et duo particularia. *Primum generale de dando Christo* in Mediatorem Generi humano, qui satisfactione sua obstaculum justitiæ divinæ removeret, et omnibus et singulis viam salutis aperiret. *Alterum de Vocatione universali*, quo statuit Deus, posita satisfactione Christi, omnes et singulos ad salutem vocare, et gratiam in Christo partam sufficientibus in se mediis offerre, quod utrumque nitatur φιλανθρωπίᾳ Dei et misericordia universali, qua Generis humani misertus, Christum tanquam remedium universale dare voluerit, ut quicunque credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, et eundem offerri curet omnibus et singulis sub conditione fidei, et pœnitentiæ. Quia vero prævidit neminem crediturum propter innatam hominis pravitatem, et Christi Evangelium ab omnibus rejiciendum, pertendunt Deum decreto speciali elegisse tunc demum nonnullos, quos Christo daret, fide donaret, quos postmodum servare constituerit, aliis in incredulitate et impœnitentia sua voluntaria relictis; ut hic Decretum *duplex speciale* attendendum sit, alterum de *danda fide* quibusdam, alterum de *danda* illis *salute*, quod oriatur ex speciali amore, quo Deus electos suos prosequitur. Decretum generale Genus humanum promiscue respicit, et nihil de personis in singulari statuit. Speciale vero circa eas nominatim versatur, alias ab aliis secernendo. Generale versatur circa *Gratiam objectivam*, quæ omnibus et singulis datur. Speciale circa *subjectivam*, ejusque vel dationem, vel denegationem. Generale tendit ad tollendum *impedimentum externum* salutis, positum in ἀδυναμίᾳ satisfaciendi justitiæ Dei pro peccatis. Speciale vero occupatur in removendo *interno*, posito in ἀδυναμίᾳ credendi. Generale nititur *velleitate* salutis, seu voluntate serio quidem cupiente salutem hominum, et propterea destinante Christum ad eam acquirendam, sed non explicante omnipotentiam ad eam conferendam; Sed speciale pendet a voluntate potenter *efficaci*, seu effectiva. In Generali datur Christus omnibus, sed non fides, et promittitur salus, sed sub conditione; In speciali promittitur ipsa conditio, et datur fides. Generale dicitur esse *Dei* qua *Legislatoris*, qui fidem in Christum hominibus præscribit, ut conditionem et officium necessarium, si servari cupiunt, juxta formulam Fœderis Evangelici, *Crede et servaberis*. Speciale vero ab eodem, ut *Oeconomo*, et *eventuum dispensatore*, pendet, sub qua σχέσει determinat, non tantum quid homo facere debeat, sed quid reipsa facturus sit, vel non facturus, et quid Deus ipse in eo operare decreverit.

XIV. Quamvis vero Ordo hic in præcipuo Capite differat ab ordine Arminianorum supraposito, nimir. in *Decreto speciali*, quod nolunt isti agnoscere, ut facilius liberi arbitrii ἀδιαφορίαν, et Gratiæ resistibilitatem tueantur, atque ita, qui in ea sunt sententia, conveniant hac in parte cum illis qui Gratiæ particularitatem urgent: In cæteris tamen Decretis, quæ generalia sunt, ad Remonstrantium ordinem accedere, et iisdem ferme argumentis confirmari, negari non potest. Atque hinc jam satis colligi possunt rationes, propter quas nova illa Methodus, licet μετὰ πολλῆς φαντασίας obtrudatur tanquam commodissima ad explicanda loca Scripturæ, et retundenda tela Adversariorum, ab Ecclesiis nostris recipi non potuerit. Quod ulterius etiam ex incommodis, quæ ordinem hic positum in decretis Divinis sequuntur, patere poterit. Nam, ut non repetamus quæ antea in Decretis generalibus Arminianorum carpenda diximus, quæ adversus ista non minus militant; Quis non videt in duobus istis decretis, generali scilicet, et speciali, ea connecti quæ facile conciliari nequeant, multo minus ut unico et simplicissimo voluntatis actu, quo omnia decernuntur a Deo, per-

Digitized by Google

agi potuerint; cum successionem prioris et posterioris necessario postulent? Quippe decreto generali omnium salutem vult, et speciali tantum paucorum: Illo amat impense, quos isto odit et aversatur: Illo Christum dare, et vocare ad fidem et pœnitentiam statuit, antequam reprobet; Isto vero reprobat eos, quos rebelles prævidit vocationi futuros, atque adeo consequenter tantum ad decretum Vocationis; eoque magis, quod ex ista hypothesi statuitur nullam fore sinceritatem in Vocatione, nisi decretum vocationis præcedat decretum reprobationis: Imo eo ipso quo decretum generale præmittendum dicitur necessario speciali, non obscure colligitur, ista non tantum non posse concipi simul et semel a nobis, sed ne quidem in Deo esse posse nisi successive. Frustra vero dicitur, nos etiam prius et posterius in Deo ponere, quum decretum de fine præmittimus decreto de mediis, decretum electionis ad salutem, decreto de mittendo Christo, et de danda fide: Quia longe dissimilia conferuntur: Nam licet propter infirmitatem mentis nostræ, non possimus simul concipere decretum de fine et de mediis, sed cogamur illud partiri in duos conceptus inadæquatos: Certum tamen nihil obstare quominus unico et simplicissimo actu in Deo includantur, quia sunt subordinata et inter se arctissime connexa; Sed quis dixerit eandem rationem esse decreti istius generalis, et specialis, quæ res diversissimas ponunt respectu ejusdem, amorem et odium, voluntatem salvandi et damnandi, decretum vocandi, et decretum hominem vocatum et rebellem reprobandi?

XV. Secundo, Ex hac hypothesi statuitur Deus primo cogitasse de mediis quam de fine, puta de Christo, qui fuit potissimum exequendæ Electionis medium, quam de salute Electorum; quod rectæ rationi repugnare nemo non videt. Nam in omni decreto sapiens prius natura finem intendit, antequam cogitet de mediis: Jam destinatio Mediatoris non est finis salutis hominum, sed contra salus hominum est finis destinationis Mediatoris; Nec Deus hominibus intendit salutem, ut mittat Mediatorem, sed intendit Mediatorem, ut suis salutem procuret. Unde constanter hactenus inter nos creditum, Christum esse primarium Electionis medium, et decretum de eo mittendo subordinandum esse Decreto Electionis, vel potius coordinandum, ut unicum decretum, quia eo ipso decreto, quo statuit homines servare, statuit servare per Christum, adeoque simul et finem hunc illis voluit, et per hoc medium. 2. Confirmatur ex eo quod finis missionis Christi fuit salvare populum suum a peccatis suis, Matth. i. 21, et Ecclesiam sibi colligere ex mundo, quam sibi uniret ut Corpus suum mysticum; Unde in decreto de mittendo Christo, populus ejus jam ut talis considerari debuit, quod non potest esse nisi ab electione Dei. 3. Mediator, et illi quorum Christus debuit esse Mediator, Redemptor et redimendi, sunt ἐκ των πρὸς τι, adeoque simul natura, nec ille potuit considerari ut Mediator, nisi illi simul considerati fuerint, quorum debuit esse Mediator; maxime cum officium istud importet necessario, ut sit Vas et Caput eorum pro quibus mittebatur, ut se eorum loco substituendo pœnas ipsis debitas in se reciperet, et omnia bona ipsis acquireret et communicaret. Qui vero potuit concipi decretum de Christo mittendo, quin antecedenter, vel saltem simul concipiatur electio illorum, pro quibus se debuit offerre, et quorum Vas et Caput futurus erat? Cum enim ista sint σχετικά, simul esse debent, et eo ipso decreto, quo statuitur Christum mitti in mundum ad salutem peccatorum obtinendam, debuit etiam numerus salvandorum decerni a Deo, et illi pro quibus vadimonium obire debebat designari, ut daretur illis solis, qui illi a Patre dati erant per electionem, Johan. xvii. 2, 6, 9.

XVI. Dices, Christum spectandum quidem esse ut medium, sed non

Digitized by Google

Electionis, cujus potius sit fundamentum, sed φιλανθρωπίας Dei et misericordiæ generalis, qua totum Genus humanum prosequitur, ad removendum obstaculum justitiæ divinæ per satisfactionem, ut nihil amplius obstare possit, quominus serventur homines, præter ipsorum incredulitatem. R. Sed, præterquam quod antea probavimus non posse dici fundamentum Electionis, accedit et hoc, quod supponitur gratis missus ex φιλανθρωπίας generali, quæ indefinite omnes, sed neminem nominatim respicit, quod repugnat Scripturæ et missioni Christi, quæ necessario versatur circa personas singulares, pro quibus venire debuit. 2. Si in eum tantum finem Christus missus est, ut obstaculum justitiæ divinæ removeret, sequeretur Christum *possibilitatem* tantum *salutis* nobis acquisivisse, non *salutem* ipsam, et proprie aliquid Deo acquisivisse, non nobis, nimirum potestatem nobis salutem dandi sub hac vel illa conditione; quæ quam aliena sint a merito mortis Christi, et Scripturæ doctrina, nemo non videt, quæ vim et efficaciam mortis Christi nobis describit, non tantum ut Pater possit aliquid nobis dare, sed ut det actu salutem, non ut sit *reconciliabilis* simpliciter, sed ut sit actu *reconciliatus*; unde dicitur *Princeps salutis*, qui dat *ovibus suis vitam æternam*, Joh. x. 28, qui *acquisivit* nobis non possibilitatem salutis, sed *redemptionem æternam*, Heb. ix. 12, qui actu *reconciliavit* nos Deo *pace per sanguinem facta*, Col. i. 20, et sic innumeris in locis. Addes forte, Christum non hunc finem generalem sibi proposuisse tantum, sed alium etiam specialem habuisse moriendi nominatim pro electis et credituris. Sed sic fingitur gratis, et in Deo mittente Christum, et in Christo moriente, duplex intentio, alia generalis se offerendi pro omnibus sub conditione, alia specialis se dandi efficaciter pro quibusdam; quasi in uno Sponsore duo quærendi essent, unus qui spondeat ex parte pro omnibus, alter vero qui spondeat ex asse pro aliquibus; unus impetrans omnibus salutem, sed sub ejusmodi conditione, quæ impetrationem illam vanam et inutilem reddit, alter vero qui absolute impetret, et applicet simul quibusdam; unus qui omnium *bono* moriatur, alter qui paucorum tantum *loco*; cum Scriptura ubi de morte Christi loquitur pro hominibus, duplicem hanc intentionem nusquam exprimat, sed unicam tantum se *loco* peccatorum substituendi, et peccatorum expiationem, et omnia salutis beneficia istis acquirendi. Deinde si Christus aliquos specialiter respexit, ut sibi datos a Patre, eorum electio necessario concipienda est antecedenter ad decretum missionis Christi; Cum enim primarius scopus ejus missionis fuerit omnino eorum salus, prius supponendi sunt electi pro quibus veniebat, quam de missione cogitatum sit: Christus enim non missus est ut illi seligerentur, sed contra venit ut pro illis se sisteret; alias debebunt electi Mundo, quod Christus Redemptor pro ipsis missus fuerit, non Mundus electis, cum tamen beneficia omnia, quibus alii homines omnes potiuntur, electis accepta ferre debeant, quorum causa cœlum et terra perseverant, corruitura simul ubi eorum numerus consummatus fuerit, quorum pariter causa Christus apparuit, et Evangelium prædicatur: Unde patet non potuisse decerni missionem Christi, quin simul designarentur illi, pro quibus solis venturus erat, et in quorum gratiam electus fuit et præordinatus Mediator et Caput ab æterno.

XVII. Tertio, hic ordo supponit Christum non meruisse suis fidem, quia satisfactio pro omnibus præcedere concipitur decretum de quibusdam fide donandis, et sic sunt qui excluduntur a fide in Christum consequenda, qui tamen non excluduntur ab illius redemptione et merito: Nec diffitentur illi cum quibus agimus, qui eam arcessunt a libero Dei decreto, et volunt propterea dici potius *donum Patris*, quam *donum filii*: Cum tamen Scriptura passim, hanc Christo non minus quam cætera omnia bona spiritualia

Digitized by Google

acceptam ferat, Eph. i. 3, Phil. i. 29, Heb. xii. 2, et vel sola consideratio fœderis gratiæ, cujus factus est Christus Mediator et Sponsor, hoc necessario importet; cum in eo nobis propter Christum promittantur, cum ipsa salute, conditiones et media omnia salutis, inter quæ primarium est proculdubio Spiritus Sanctus, et fidei donum, Jer. xxxi. 33, et xxxii. 40; Luc. xxiv. 49. Et si gratia ista ab eo ut Capite dimanat in omnia membra efficacia sua, quidni ab eo ut Vade dicetur pendere, quatenus illam nobis impetravit merito suo?

XVIII. Quarto, minus recte in prædicto ordine præponitur Vocatio Electioni; cum certum sit Vocationem Electionis executioni destinari; Nec hoc tantum respectu *Vocationis internæ*, quæ fit per Spiritum, locum habere debet, sed etiam *externæ*, quæ fit per Verbum; cum Scriptura passim testetur, et res ipsa clamet, non alia potiori de causa Deum Ministerium instituisse, et Evangelium prædicari curare in mundo, quam ad Ecclesiam colligendam, et Electos in communionem Christi, et per Christum ad salutem adducendos; Unde necesse est, ut primo Deo obversati sint illi quibus proprie Evangelium destinabatur. Licet vero Vocatio ista latius pateat Electione, et multo plures vocati sint hac ratione, quam electi, Matt. xx. 16, quia secundario etiam ad reprobos extenditur, qui mixti sunt cum Electis, ad officium suum illis præscribendum, et viam salutis declarandam, ut antea dictum; Non desinit tamen esse medium proprie dictum ad salutem Electorum, in quibus per fidem recipitur et efficaciter operatur, et eo respectu non ulterius extenditur quam finis ipse, nimirum salus electorum. Nec si Christus, Matt. xx. 16, illam præponit Electioni, quum *multos vocatos esse* ait, et *paucos electos*, continuo sequitur illam antecedere debere in decreto, quia alia est ratio *ordinis executionis*, de quo Christus loquitur, alia vero *ordinis intentionis*. Quamvis enim certum sit Deum eo ordine exequi sua consilia, quo ea exequi decrevit, non inde tamen potest inferri eundem ordinem intentionis esse, qui est executionis. In illo finis præcedit ut *intentus*, et media sequuntur; In isto media præcedunt, finis sequitur ut *obtentus*. Ut sapiens primo intendit finem, postmodum media, adhibet tamen primo media antequam assequatur finem; Ita Deus in executione a Vocatione incipit, ut ad salutem electione destinatam adducat; sed in intentione contra, primo de fine seu salute per electionem destinanda cogitat, deinde de vocatione, ut de medio ad finem illum obtinendum necessario.

XIX. Quinto, Distinctio *Dei legislatoris*, et *Patris*, seu *Oeconomi*, et *eventuum Dispensatoris*, qua nititur tota series istorum Decretorum, non potest huc facere. Quamvis enim suum locum habere possit, et recte adhibeatur a Theologis, quum agitur de collatione Fœderis Legalis et Evangelici, quia in illo se habet ad modum Legislatoris tantum, per Legis propositionem, et officii exactionem; in isto vero agit Patrem, qui non tantum imperat, sed et operatur, non modo præcipit officium, sed dat vires illud præstandi; Et ita bene dicitur omnium Legislator, sed paucorum Pater: Non potest tamen nisi perperam ad Fœdus Evangelicum referri, quasi Deus in eo, modo Legislatorem tantum ageret, modo Patrem; cum constet Fœdus hoc, a Legali toto genere diversum, esse Patris, non Legislatoris tantum, cujus essentia non consistit tantum in præscriptione officii ad salutem obtinendam, sed præcipue in promissione absoluta salutis in Christo, et mediorum omnium ad eam obtinendam necessariorum: Ideo nomine *promissionis* κατ' ἐξοχὴν et *Testamenti* solet exprimi, ut designetur totum pendere a Dei Patris gratia in Christo. Alias dicendum esset, vel pactum Evangelicum non minus ἀσθενὲς esse, ac ipsam Legem, Rom. viii. 3,

Digitized by Google

et posse abrogari, quod Apostolus constanter negat, Heb. viii.; vel duplex esse, aliud *universale* cum omnibus, in quo promittatur salus sub conditione fidei, quæ præscribatur, sed non detur, quodque adeo maneat irritum et inefficax; aliud vero *particulare* cum solis electis, in quo promittatur non modo salus sub conditione fidei, sed et ipsa fides, quodque reipsa sit ἐνεργητικὸν, et effectum suum infallibiliter in omnibus fœderatis sortiatur; quod inauditum est in Scriptura, et in sana Theologia. Rursus, cum in destinatione et missione Christi, Deus summam, et qua major dari nequit, charitatem nobis exhibuerit, ut passim testatur Scriptura, Joh. iii. 16, et xv. 13; Rom. v. 8; 1 Joh. iv. 9; et magnum et præstantissimum donum, quo nullum concipi potest majus, nobis largitus sit, quod cætera omnia post se trahit, Rom. viii. 32; quis dixerit hoc proficisci a Deo Legislatore, et non a Deo Patre? Legislatoris est officium creaturæ præscribere; Sed dare Servatorem, qui opus Redemptionis exequatur, et se loco nostro substituat ad expianda peccata nostra, et aequirendam salutem, non est Legislatoris, sed Patris: Et Scriptura nos eo ducit, quum Christum ut novi Fœderis Sponsorem et Mediatorem a Deo nobis datum asserit, ut pace per sanguinem facta Deum hominibus, et homines Deo reconciliaret, atque ita fundamentum esset et causa omnigenarum benedictionum, quæ vel in gratia, vel in gloria conferendæ nobis sunt, Eph. i. 3, 4, Col. i. 20, Heb. ix. 15; quæ sane dici non possent, si Christi missio non esset proprium beneficium Patris, ad salutem suorum omnimode procurandam, sed opus tantum Legislatoris, qui obstaculum hoc pacto voluerit removere justitiæ suæ, ut fundaret Legem Evangelicam fidei in Christum, et viam sibi aperiret ad hoc officium creaturæ præscribendum. Nec, si in dispensatione Evangelii vocatio externa ad reprobos directa rationem habet jussionis tantum legalis, quia non ulterius extenditur, quam ad præceptionem officii; sequitur donum Filii, sive consilium missionis ejus, esse a Deo ut Legislatore, cum constet proprium Dei finem in eo non alium esse, quam Electorum, qui ipsi dati sunt redimendi a Patre, salutem procurare.

XX. Cum ergo ex his liqueat ordinem istum Decretorum non parum recedere ab hypotyposi sanorum sermonum, et varia absurda post se trahere, mirum videri non debet, si ab Ecclesiis nostris recipi non potuerit. Nec obtendi debet commodiorem videri, 1. Ad *extollendam Dei bonitatem;* Quia non extollitur, sed obscuratur potius et minuitur, quando vana et inefficax statuitur. 2. Ad *salvandam veritatem invitationis* omnium hominum ad salutem; Quia ex ante dictis patet suam illi constare sinceritatem sine gratia universali, nec eam fundari in universalitate gratiæ, sed in œconomia fœderis novi, qua, sublata omni populorum externa distinctione, Filius sibi ascivit gentes omnes in hæreditatem, id. erga quaslibet gentes et populos communiter pro arbitrio gratiam prædicationis aperit et defert, ut ex illis Ecclesiam colligat. 3. Ad *tuendam justitiam Dei adversus reprobos;* Quia inculpata semper deprehenditur, sive homines damnet propter peccata in Legem admissa, sive reos illos peragat incredulitatis adversus Evangelium, cum utrobique voluntarie peccando, sua sint sibi interitus causa, non Deus. 4. Ad *conciliandα loca Scripturæ*, quæ modo latius, modo strictius de gratia Dei, et missione Christi loquuntur; Quia conciliatio illa aliunde facile instituitur, ex diversa fœderis istius dispensatione, et ex varia fœderatorum σχέσει.

Quarta Sententia, quæ communis est Reformatorum.

XXI. Missa ergo tertia ista sententia, Quartam amplectimur, quæ communis est inter Reformatos, quæque duplex Decretum hic pro ratione duplicis ordinis operum Dei statuit; alterum *Providentiæ*, alterum *Prædestinationis*.

Digitized by Google

In illo Deus concipitur primo cogitasse de manifestanda gloria sua per hominis Creationem, deinde per lapsus permissionem; In isto concipitur primo cogitasse de manifestanda gloria sua in exercitio misericordiæ et justitiæ, per nonnullorum electionem, et aliorum reprobationem; postmodum de mediis ad finem istum obtinendum necessariis. Ut autem *salus* potest considerari sub triplici σχέσει, vel ratione *destinationis*, vel *acquisitionis*, vel *applicationis;* Ita triplex concipitur circa eam decretum; Primum, quo destinatur per *Electionem;* Secundum, quo acquisitio ejus procuratur per *Redemptionem;* Et tertium, quo applicatio ejus ordinatur per *Vocationem.* Ita concipitur Deus, qui motus φιλανθρωπίᾳ et bonitate sua, misertus sit Generis humani lapsi, ut licet posset justissime universum perdere propter peccatum, noluerit tamen funditus interire; sed certum et definitum hominum numerum, in communi corruptionis massa cum cæteris jacentium, selegerit præ aliis ad salutem; Quia vero non poterat eorum misereri salva justitia sua, nisi prius satisfactum esset ipsi pro peccato; Ideo Christum in Mediatorem, Vadem, et Caput ipsis destinarit, qui plenissima satisfactione præstita pro ipsis, salutem, et media omnia salutis, puta Spiritum, fidem, et sanctificationem ipsis acquireret; Denique, quia frustra acquisita fuisset salus electis, nisi ipsis applicaretur; Idcirco ad Christum ipsos efficaciter vocare constituerit per Evangelii prædicationem, et Spiritus Sancti gratiam, qui fidem in ipsis potenter operando salutem acquisitam merito Christi, efficacia sua infallibiliter applicaret et conferret.

XXII. Juxta hunc ordinem, *Primum* Decretum nobis est de creando homine. *Secundum*, de permittendo ejus lapsu, quo secum pertraxit in ruinam et exitium totam suam posteritatem. *Tertium*, de quibusdam ex humano genere lapso ad salutem eligendis, et aliis, in nativa sua corruptione et miseria relinquendis. *Quartum*, de Christo in mundum mittendo, ut Mediatore et Vade Electorum, qui placata per obedientiam suam perfectissimam Dei justitia, solis ipsis plenam salutem impetraret. *Quintum*, de illis efficaciter per Evangelii præconium, et Spiritus S. gratiam vocandis, fide donandis, justificandis, sanctificandis, et tandem glorificandis.

XXIII. Hunc vero ordinem commodissimum esse tria præcipue evincunt. 1. *Scriptura:* quæ Missionem Christi, et Redemptionem ejus Electioni subordinat, Eph. i. 3, 4, 7, Rom. viii. 29, 30; Johan. iii. 16, et xvii. 2, 6; 1 Thessal. v. 9; 1 Pet. i. 2; Et dona omnia salutaria Spiritus, fidem scilicet et pœnitentiam a Christi merito arcessit, Joh. xvi. 7; Rom. viii. 32; Eph. i. 3, 4, 5; Philip. i. 29; Heb. ix. 14, 15. 2. *Rei natura*, quia in legitimo rerum ordine finis intentio præcedere debet intentionem mediorum, ut in executione primo media adhibentur, antequam ad finem perveniatur. Hic autem finis a Deo intentus in fœdere gratiæ, est Electorum salus, media vero ad eam procurandam sunt Christus, et Vocatio ad ipsum per Verbum et Spiritum: Nam nec Christus in mundum unquam missus fuisset, nisi Electi redimendi fuissent; Nec Evangelium prædicatum fuisset, nisi iidem colligendi fuissent in Corpus Christi mysticum: Unde Paulus εὐδοκίαν Dei fuisse ait in præconio Evangelii, *servare credentes per stultitiam prædicationis*, 1 Cor. i. 21; et Eph. iv. 12, finem ministerii, et donorum a Christo collatorum non alium esse docet, quam *coagmentationem Sanctorum et ædificationem Corporis Christi.* Idcirco necesse est, ut Electi qui soli salvandi sunt, et ædificandi in Corpore Christi, considerentur antecedenter ad missionem Christi, et Evangelii prædicationem, quæ in eorum gratiam instituta est; atque ita vocationis objectum sunt electi, non electionis vocati. 3. *Personarum S. S. Triadis* in opere Salutis *operatio œconomica;* Ut enim singulæ ad illud concurrunt

Digitized by Google

juxta peculiarem et sibi proprium operandi modum, Pater eligendo, Filius redimendo, et Spiritus S. regenerando; Ita debent convenire in objecto circa quod versantur, ut eadem sit περιφρεία Electionis Patris, Redemptionis Filii, et Regenerationis Spiritus Sancti, ut quotquot eliguntur a Patre, redimantur a Filio, regenerentur a Spiritu, et nemo Filio detur redimendus, qui a Patre electus non fuerit, et a Spiritu non sit sanctificandus.

www.indoo.com.ch

XXIV. Quamvis vero ita disponi posse censeamus Decreta Dei, tenendum tamen est semper hoc dici tantum respectu modi nostri concipiendi, qui cogimur in varios conceptus inadæquatos ea partiri, quæ non possumus unico capere; sed non a parte ipsius Dei, qui ista omnia unico et simplicissimo actu penes se decrevit, tam ea quæ ad finem, quam quæ ad media spectant; quo sensu recte dicitur esse tantum in Deo unicum Decretum, complectens simul finem et media, quo constituit nonnullorum præ cæteris misereri ad salutem, et eos per et propter Christum servare. In qua simplicitate et sobrietate acquiescendum nobis putamus; ut solliciti potius simus de salutari ista doctrina ad praxim revocanda per pietatis et sanctificationis studium, et de confirmanda Electione et Vocatione nostra per bona opera, quam de excutiendis vanis et ἀπεράντοις quæstionibus, quas hominum temeritas profana movere hic solet, quæ curiositatem inanem pascunt, sed fidem non ædificant.

XXV. Atque hic est dexter et salutaris usus doctrinæ Prædestinationis, ne ullam, vel *desperationi* hominum, vel profanæ eorum *licentiæ* occasionem præbeat, qui duo sunt infames scopuli, in quos impii perperam ea abutentes, impingere solent: dum alii ex reprobationis immutabilitate damnationis suæ certitudinem, et salutis ἀδυναμίαν, quicquid facere possint, eliciunt; alii vero ex Electionis certitudine, salutis suæ infallibilitatem, quomodocunque vivant, colligunt. Sed turpiter eos hallucinari constat, cum nulla sit doctrina, quæ majorem fidelibus consolationem, et potentiora ad pietatem et sanctimoniam incentiva præbeat, si quis eam dextre intelligat, nec separet temere quæ Deus conjunxit, vel conjungat perperam quæ separavit, qui præcipuus est fons erroris impiorum; Profani quippe *media a fine* separant, dum salutem sibi pollicentur sine sanctitatis studio, alii vero *finem a mediis*, dum de salute desperant, licet sanctitati operam darent. Quisquis vero ista inter se a Deo connexa arcte semper conjunxerit, nec ad desperationem, nec ad licentiam doctrina ista salutari unquam abutetur.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS QUINTUS.—DE CREATIONE.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS QUINTUS.—DE CREATIONE.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Creatio?

Opera Dei sunt

I. Hactenus de *Actionibus Dei immanentibus ad extra*, quæ vulgo *Decreta* dicuntur, actum. Nunc de *Actionibus transeuntibus* et *externis* dicendum, quæ *Opera Dei* vocantur, quibus Decretorum suorum executionem extra se molitur. Quia vero alia exequitur operatione generali et communi in natura, alia vero actione particulari et propria in Ecclesia, Hinc distingui solent in *Opera Naturæ*, et *Gratiæ*. Illa ita dicuntur, non quod ea Deus natura operetur, siquidem extra se non naturæ necessitate, sed voluntatis suæ libertate agit, Ps. cxv. 3; Eph. i. 11; Sed quia ad omnes creaturas, et earum fines naturales pertinent, cum *Opera Gratiæ* ad homines tantum, et eorum finem supernaturalem spectent.

Naturæ et Gratiæ.

Opera naturæ sunt Creatio et Conservatio.

II. *Opera Naturæ* iterum duplicia sunt, Alia *Creationis*, quæ Deus prima creatione produxit; Alia *Conservationis*, et *Providentiæ*, quibus res creatæ in esse suo conservantur et in operationibus suis gubernantur et diriguntur.

III. Primum opus naturæ est *Creatio*, qua totum hunc Mundum, et quicquid in eo est, ex nihilo quoad totum esse suum produxit; unde vocatur *initium viarum Dei*, Prov. viii. 22, quia per eam ex abdito æternæ Majestatis suæ sacrario egressus, se ad extra communicare, et hominibus conspiciendum præbere voluit.

Creatio vel late sumitur.

IV. *Creatio* vero hic non sumitur *late* et *improprie* quomodo in Scriptura usurpatur, vel de qualicunque rerum productione, etiam per generationem, Ps. civ. 30. *Emittis Spiritum tuum et creantur, et renovas faciem terræ;* et Isa. xlv. 7. *Facio pacem, et creo malum;* vel de eventuum quorundam extraordinariorum ordinatione, Jerem. xxxi. 22. *Deus creavit rem novam, fœmina circumdat virum;* vel de *regeneratione*, quæ secunda quasi creatio est, tum in gratia, ut Ps. li. 10. *Crea in me cor mundum;* tum in gloria, *Ecce creo novos cœlos et novam terram*, Isa. lxv. 17; Apoc. xxi. 1. Sed *stricte* pro productione rerum ex nihilo, quæ propria est et primaria verbi

Vel stricte, et dicit productionem ex nihilo.

ברא apud Heb. et κτίζειν apud Græcos, et *creandi* apud Latinos, significatio, quæ in Scholis Theologicis obtinuit.

V. Dicitur *Productio rerum ex nihilo*, quia cum omnia creata sint, necesse est ut ex nihilo educta sint, quia quicquid præexistere supponeretur, in rerum omnium universitate contineri debet: Et eo pertinet, quod Deus dicitur *vocare* τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, *ea quæ non sunt ac si essent*, Rom. iv. 17, quia vocando dat esse. Et quod dicitur alibi, *dixisse ut ex tenebris lux splendesceret*, 2 Cor. iv. 6, non tanquam ex materia, sed tanquam ex termino.

Digitized by Google

Quum ergo omnia dicuntur esse *ex nihilo*, præpositio *ex* non dicit σχέσιν ad materiam, vel ad efficientem, sed ad terminum, ut notetur, non subjectum quod præextiterit creationi, sed tantum *terminus a quo* omnia producta sunt, vel ordo Creationis, quæ facta est non tam *ex nihilo*, quam *post nihilum*.

www.libtool.com.cn

VI. Ut autem Creatio alia est *prima* et *immediata*, quæ est simpliciter ex nihilo; alia *secundaria* et *mediata*, quæ fit quidem ex materia aliqua, sed plane inhabili et indisposita, nec ulla causarum secundarum vi disponibilis, si ita loqui licet, ad termini productionem, et in qua sola datur *potentia obedientialis*, seu *non repugnantiæ*, in ordine ad causam primam infinita virtute agentem; Ita *nihilum* dicitur, vel absolute et simpliciter, tam respectu *sui*, quam respectu *subjecti*, tam materialiter quam formaliter, ex quo prima Creatio facta est, vel *secundum quid* et *formaliter* tale respectu *sui*, si non respectu subjecti, ex quo secunda esse dicitur.

VII. *Nihil ex nihilo fit*, 1. *naturaliter* per potentiam finitam et creatam, 2. tanquam ex *subjecto*, ceu principio et materia intrinsece constitutiva, 3. per viam *generationis:* Sed bene omnia dicuntur esse ex nihilo *supernaturaliter*, per potentiam infinitam, tanquam *ex termino* a quo, et per viam *creationis*.

VIII. Aliud est res visibiles factas esse ex *non apparentibus positive*, id. ex rebus quibusdam invisibilibus; Aliud vero factas esse ex *non apparentibus negative*, id. ex nulla re præexistente. Apostolus, Heb. xi. 3, prius non dicit, sed tantum posterius, ideo non ait εἰς τὸ ἐκ μὴ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, quasi illa non apparentia habuerint rationem subjecti alicujus præexistentis, sed εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, ut neget quicquam rerum productioni præextitisse; ut idem sit cum eo quod, 2 Macçab. vii. 28, Deus fecisse omnia dicitur οὐκ ἐξ ὄντων, *non ex rebus existentibus*.

IX. Res talis dicitur esse in genesi, qualis est in analysi, non respectu termini creationis, sed respectu principiorum generationis: Hinc male inferas, nulla res resolvitur in nihilum, Ergo nulla res producta est ex nihilo.

X. Quamvis Creatio *generatio* nonnunquam dicatur, ut Genes. ii. 4, et liber *Genesis* inde nomen sumpserit, hoc non *physice*, sed *metaphysice* est intelligendum pro rerum *origine*. Creatio quippe a generatione plurimum differt; Ista exigit et supponit semper subjectum, et terminum a quo, scil. negationem formæ in subjecto apto, rem corpoream, ut terminum ad quem, motum, tempus, et locum, et fit a causa particulari successive. Sed Creatio, saltem prima, objectum suum facit, non supponit, ad res immateriales extenditur, et a causa universali eaque sola fit in instanti. Hinc fit ut proprie loquendo nullum detur Creationis subjectum quod illi supponatur, licet Terminus Creationis possit etiam quodam sensu dici ejus subjectum, quia actio ad illud terminatur, et in eo quodammodo subjectatur.

Creatio activa, et passiva.

XI. Creatio potest bifariam considerari, Vel *active* quatenus competit Deo, et sic non est quidem volitio Dei practica formaliter, quia ab ea tanquam ab immediato suo principio oritur; sed est actio transiens Dei, per quam rebus creatis confert esse; Vel *passive*, quatenus convenit creaturæ a non esse ad esse transeunti, non per mutationem proprie dictam, quæ est transitus subjecti præexistentis ab uno termino in alium, sed per mutationem communem et generalem, quæ infert qualemcunque rei inceptionem. Unde oritur *relatio*, quæ intercedit inter Deum et Creaturam, quæ licet nihil de novo addat Deo, sed dicat tantum habitudinem extrinsecam ad creaturam, recte tamen vocatur *realis*, tum quia versatur inter extrema realia:

quæ fundamentum est relationis inter Deum et Creaturas.

Digitized by Google

quæ bene dicitur realis.

tum quia ratio fundandi utrinque occurrit a parte rei, etiam nemine cogitante; posita enim creatura Deus semper habet ad eam σχέσιν Creatoris, et ipsa vicissim pendet ab eo et ad eum refertur ut Creatura, etiamsi nullus de eo cogitaret.

Nec tamen ullam mutationem Deo infert.

XII. Quamvis autem Creatio non sit formaliter volitio divina, non tamen propterea ulla mutatio, vel perfectio de novo Deo per eam accessit: quia est *actio externa* et *transiens*, quæ est *a Deo*, sed non *in Deo*, quæ fit absque ullo motu, et nova determinatione; nulla enim nova voluntas ipsum subiit, sed novum duntaxat opus externum, ab ejus æterna voluntate efficaci et omnipotente prodiit, nec ulla perfectio illi accedere propterea debuit, quia distinguendi sunt *actus interni*, qui perficiunt operantem, ab *externis*, qui perficiunt opus, ad quorum genus pertinet creatio. Unde si quæ mutatio facta est per creationem, facta est in Creaturis a non esse ad esse transeuntibus, non vero in Deo ipso creante, qui per eandem volitionem practicam, quam ab æterno habuit creandi mundum in tempore, eum reipsa in temporis principio produxit.

QUÆSTIO II.

An Potentia creandi sit communicabilis ulli creaturæ, vel principaliter, vel instrumentaliter? Neg.

Occasio Quæstionis.

I. Quæstio hæc movetur a Scholasticis, et acriter inter eos agitatur, aliis affirmativam, aliis negativam tuentibus.

Scholastici varii vim creativam communicabilem statuunt.

Durandus ad 2. Dist. i. q. 4, statuit creaturam posse produci a Deo, cui nativa virtute conveniat creare; *Magister* in 4. Dist. v. c. ult. censet Creaturam posse esse instrumentum Creationis, voluntarie scilicet a Deo assumptum, quod operaretur non propria virtute, sed mendicata; quam sententiam *Suarez* defendit, et non pauci ex Pontificiis, teste Vasquesio Disp. 176, c. 1., in eum potissimum finem, ut Transubstantiationis portentosum dogma, juxta quod Sacrificuli dicuntur impie *Creatores Creatoris sui*, ut habet *Biel* in Canone Missæ, facilius propugnent. Alii tamen plerique Scholastici cordatiores contrarium statuunt, non posse scilicet vim creatricem alteri quam Deo competere, quod fuse probat *Thomas* c. Gentes, lib. ii. c. 21, et i. q. 45, art. 5, cum quo faciunt *Occamus*, *Bonaventura*, *Caietanus*, *Bannes*, et alii plures.

Ut et Remonstrantes et Sociniani.

II. *Remonstrantes* cum *Socinianis* hoc etiam commentum adoptarunt, sive illud ex commentis Judæorum hauserint, qui volunt Deum adhibuisse Angelos, ut συνεργοὺς in Creatione, sive ex Philosophorum lacunis, qui docuerunt Deum supremum Mundum hunc inferiorem per dæmonas seu genios condidisse: Scopus est, palmarium quod petimus ex operibus Creationis pro Divinitate Christi argumentum, convellere et enervare.

Negant Orthodoxi.

Nos vero dogma hoc, ut temerarium et blasphemum rejicimus, et Potentiam creandi soli Deo propriam esse, et aliis omnibus incommunicabilem censemus.

III. 1. Quia Deus Creationem sibi soli tribuit Isa. xliv. 7, 24, "Ego sum Jehova qui feci omnia, qui extendi cœlos solus," exclusive ad ullam Creaturam, "et expandi terram per me ipsum," et per consequens per nulla alia instrumenta, et xlv. 12, "Ego feci terram, et hominem super

Digitized by Google

illa creavi ego, manus meæ extenderunt cœlum, et omnem exercitum illorum imperavi," et 18, "sic ait Jehova, Creator cœlorum, is est Deus, qui formavit terram, et fecit illam: Ego sum Jehova, et nemo est, præter me," ubi probat neminem præter se esse Jehovam, ex eo quod solus sit Creator, et cap. xl. 12, 13, "Quis mensus est pugillo suo aquas, et cœlum spithama aptavit? et mensuravit trientali pulverem terræ, et appendit in libella montes, et colles in bilance?" et v. 28, "Annon audivisti, Deus seculi est Jehova, Creator finium terræ non defatigabitur;" Job. ix. 8, "Qui extendit cœlum solus, et calcat celsa maris;" et passim alibi: Unde *Creatoris* nomen illi singulariter dari solet, tanquam proprium et incommunicabile, quod dici non posset, si vis creativa aliis posset communicari.

IV. 2. Quia hoc charactere Deus ab idolis, et falsis Diis Gentium distinguitur, Jer. x. 11, 12, "Dii illi, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant de terra, At Jehova Deus veritas, qui fecit terram viribus suis, et intelligentia sua extendit cœlum," &c. Et Psal. xcvi. 5, "Omnes Dii gentium sunt res nihili, sed Dominus fecit cœlum." Sic Isa. xxxvii. 16. Ezechias Deum verum a falsis Diis omnibus hac nota secernit, quod *fecerit Cœlum et Terram*. Nec tantum falsis Diis hoc denegatur, sed et omnibus creaturis, dum soli Deo tribuitur.

V. 3. Quia Creatio est opus infinitæ virtutis, quod proinde non potest peragi ab Ente finito, nequidem per modum Organi physici, (quod debet proportionatæ esse efficaciæ ad effectum suum producendum,) sed causam omnipotentem postulat. Esse autem infinitæ virtutis patet, tum ex eo quod solo nutu et verbo peragitur, tum ex eo quod per eam tolli debet distantia infinita inter Ens et nihil: Cum enim Ens et nihil immediate et contradictorie opponantur, et ea distantia ab invicem removeantur, qua major nec esse, nec concipi potest, debent distare in infinitum; non quidem *distantia perfectionis*, quomodo Deus distat in infinitum a Creaturis, et Ens infinitum longe magis distat a nihilo, quam finitum, quod pauciores habet perfectiones; Sed *distantia negativa* et *contradictionis*, juxta quam Ens finitum æque distat a nihilo, ac infinitum, quia Ens finitum æque est nonnihil seu aliquid, ac infinitum. Quod vero Deus non sit ex nihilo, nec possit relabi in nihilum, ut Creatura, id non pendet ex distantia negationis inter Ens et nihil, sed ex distantia infinita perfectionis inter Deum et Creaturas. Licet vero Creatura omnis sit finita; Non sequitur virtutem finitam posse sufficere ad eam producendam; Quia distinguenda est *res ipsa* a *modo producendi;* substantia producta debet esse finita, quia nihil infinitum produci potest, sed modus producendi non desinit esse infinitæ virtutis, quia omnipotentia requiritur ad Creaturam ex nihilo educendam.

VI. 4. Quia omnis Creatura agit dependenter a subjecto, et subjectum requirit circa quod operetur. At hic nullum datur subjectum præexistens, cum creatio illud faciat et ponat, non supponat. 5. Causa omnis tam principalis quam instrumentalis debet opus ipsum attingere, et propriam ac peculiarem vim habere, qua agat saltem dispositive ad effectum producendum: At nulla Creatura potest eo elevari, ut capax sit operis virtutis infinitæ sive principaliter, sive instrumentaliter, et ea effectione, quæ opus ipsum attingat, tum quia est actio instantanea, adeoque præparationis non indiga, tum quia subjectum nullum habet, in quo ejus opera occupari queat.

VII. Licet Creaturæ possint concurrere ad patrationem Miraculorum; Non sequitur pariter concurrere posse ad Creationem; 1. quia in miraculis supponitur semper subjectum, circa quod instrumentum versari potuit, sed

Digitized by Google

non in Creatione. 2. In miraculis patrandis homines se habuerunt tantum *moraliter*, ut instrumenta moralia, ad quorum præsentiam Deus operabatur, sed non *physice*, ita ut reali aliqua actione opus miraculosum attingerent; unde Apostoli negant se propria virtute miracula edere, sed virtute Christi tantum, Act. iii. 12, quamvis enim effectus physici non possit esse causa moralis tantum, potest tamen esse aliqua causa moralis instrumentalis simul cum physica. Sed in creatione quæ fit momento, et in qua nullum supponitur subjectum, nulla potest dari causa instrumentalis, nec physica, nec moralis.

VIII. Deus creavit omnia per *Verbum*, non tanquam per modum instrumenti et causæ ministerialis, sed efficienter et principaliter per *Verbum personale*, Filium Dei æternum, ejusdem cum Patre essentiæ, qui ideo cum Patre et Spiritu S. unicam causam totalem creationis constituit; cujus ut eadem est natura, ita eadem est causalitas, et vis ἐνεργητική, servato tamen ordine agendi, qui illis competit. Nec si Joh. i. 3, omnia dicuntur facta διὰ λόγου, hoc magis causam instrumentalem notat, quam cum omnia dicuntur esse δι' αὐτοῦ *per ipsum*, scil. Deum, Rom. xi. 36.

IX. Quamvis Deus non valeat communicare vim creativam creaturæ, non sequitur hoc impotentiam in Deo arguere, quia hoc non fit ex defectu virtutis, sed ex ejus perfectione, quæ non potest extendi ad contradictoria; Talis autem communicatio implicat, tum a parte Dei, qui gloriam suam alteri daret, tum a parte Creaturæ, quia sic esset Ens infinitum et omnipotens, id. non Creatura.

X. Ejusdem est virtutis creare, et recreare; Et si virtus infinita requiritur ad creandum, non minor exigitur ad recreandum. Unde toties conversio nomine creationis exprimitur, et invicta Dei potentia in ea celebratur, Eph. i. 19, 20, et iii. 16, 20. Nec si Deus per ministerium hominum, et præconium Verbi istam operatur, hoc fit per eos ut per causam physicam, sed tantum moralem; cum Spiritus S. efficacia sola hoc possit opus peragere.

QUÆSTIO III.

An Mundus fuerit ab æterno, vel esse saltem potuerit? Neg.

1. Quæstio de actuali æternitate mundi, contra Philosophos.

I. Duæ sunt Quæstionis partes. Altera, de *actuali Mundi æternitate*, An fuerit reipsa ab æterno: Altera de *possibili*, An potuerit saltem esse. Prima intercedit nobis cum veteribus Philosophis, qui mundi æternitatem asseruerunt, vel *materialiter* tantum, ut *Plato*, ratione materiæ, quam statuebat coæternam Deo; a quo figmento alieni non fuerunt Stoïci, duo principia rerum ponentes, νοῦν καὶ ὕλην, *mentem* et *materiam*. Vel etiam *formaliter*, ut *Aristoteles*, qui mundum etiam formaliter æternum asseruit, et ab æterno fuisse vices mutationum in generatione et corruptione pertendit, prout hodie cernuntur, lib. viii. Physic. Licet vero *Thomas* nimio Præceptoris amore conetur eum excusare, quasi non simpliciter senserit Mundum esse æternum, sed tantum negarit, aut materiam primam, aut cœlum fuisse per generationem producta, facile tamen ostendi potest, rationes quas affert eo tendere, ut contra Platonem Mundum initium nunquam habuisse probet: Ad eos accedunt hodie Pseudo-Christiani et Athei, qui Mundi, vel saltem Materiæ, æternitatem adhuc tuentur.

Digitized by Google

2. Quæstio de possibili æternitate Mundi, contra Scholasticos.

II. Altera Quæstio agitatur inter *Scholasticos*, quorum plerique pugnant pro possibili æternitate mundi, ut *Thomas*, 1. q. 46, artic. 1., *Caietanus*, *Durandus*, *Occamus*, *Biel*, *Capreolus*, *Pererius*, et alii, quorum quidam rursus hoc referunt ad sola Entia incorruptibilia, alii vero ad omnes omnino Creaturas extendunt; Licet non pauci sint pro negativa, ut *Bonaventura*, *Albertus Magnus*, *Toletus*, *Gandavensis*, et alii, qui novitatem Mundi esse de ratione creationis asserunt, atque adeo Mundum ab æterno produci potuisse negant: quos sequuntur hic Orthodoxi, qui et actualem et possibilem Mundi æternitatem negant, et Mundum in temporis principio tantum a Deo creatum pertendunt.

www.libook.com.cn

Mundum non fuisse ab æterno probatur.

III. Rationes sunt, 1. Contra actualem æternitatem Mundi *Scripturæ vox*, quæ *Deum in principio cœlum et terram creasse* statuit, Gen. i. 1; quod vero in principio factum, non potest dici fuisse ab æterno; Neque hic opponi debet Targum Hierosolymitanum, quod vertit בראשית per בחוכמא in *Sapientia*, quia Deus, Proverb. iii. 19. *In Sapientia*, dicitur *fundasse terram*. Vel ut innuatur Filius Sapientia Patris, ut Creationis author, quod non paucis placuit, teste *Hiero*. Quæstion. Hebraic. in Genesim. Nam licet hoc verum sit; non potest tamen convenire huic loco, nec vox ראשית hoc interpretamentum potest ferre, quæ non ad aliud commode quam ad *principium temporis* et *rerum creatarum* potest referri, ut exponit Johan. cap. i. 1, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος et Paulus Heb. i. 10, κατ' ἀρχὰς *fundasti terram*, et 2 Pet. iii. 4, ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, unde Onkelos reddit בקדמת *in initiis*, et R.D.K. בראשית vertit per בתחלתו *in initio*, et Magistri Judæorum interpretantur apud Salom. Jarch. בראשית חכמ *in principio universi*. Dicitur autem creatio facta in *principio* non *præexistente*, quasi principium temporis jam ante esset; sed *coëxistente*, quia cum prima creatura, ejusdem etiam duratio, seu tempus concreatum fuit, quod Aug. in Gen. cont. Manich. lib. i. c. 3, recte exponit, "Etsi in principio temporis Deum fecisse cœlum et terram credamus, debemus utique intelligere, quod ante principium temporis non erat tempus; Deus enim fecit et tempora. Et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora," &c. "Et si tempus cum cœlo et terra esse cœpit, non potest inveniri tempus, quo nondum fecerat cœlum et terram."

IV. Eo pertinent loca illa varia Scripturæ, quæ Mundi productionem asserunt, Ps. xxxiii. 6, Jo. i. 3, Heb. i. 10, Jer. x. 11, 12, &c.; et quæ Dei existentiam æternam, ut et Decreti ejus prædicant, ex eo quod ante cœli et terræ fundationem fuisse dicuntur, Ps. xc. 2; Prov. viii. 22, 23; Eph. i. 4; Matt. xxv. 34; 2 Tim. i. 9. Cum enim omnis productio rerum ad extra inferat novitatem essendi, quia quicquid producitur, prius non esse debuit antequam fieret; Et quod æternum est, nihil habeat se prius: Hinc necessario evincitur, mundum non esse æternum, sed in tempore demum factum. Sed quia, qui pro Mundi æternitate pugnant, Scripturam non agnoscunt, consulenda est etiam ipsa *Natura*, et sana ratio, quæ Mundi novitatem pluribus argumentis adstruit.

V. Primo, Ex *causarum subordinatione*, in quibus non potest dari progressus in infinitum, sed necessario ad primam deveniendum, quæ cæteris initium dederit, ut ante evictum est, L. III. Q. 1. th. 6. 2. Ex *novitate motus et temporis:* Nam cum nec motus, nec tempus ab æterno esse potuerint, sed necessario sui quoddam initium habeant, hinc patet Mundum, qui est in perpetuo motu, et cujus duratio tempore mensuratur, ab æterno esse non potuisse, sed aliquod initium habere. Tempus autem et motum æternum esse non posse, et jam supra probatum variis rationibus loco citato,

Digitized by Google

Loco III. Et exinde etiam colligitur certissime, quod utrumque successionem prioris et posterioris necessario postulat, quod in æternitate locum habere non potest. Rursus si motus, qui in Sole datur, fuit ab æterno, Sol debuit esse ab æterno, vel in aliquo Zodiaci signo, vel in omnibus simul; Sed neutrum dici potest; Non prius, quia sequeretur per totam æternitatem unum tantum aut alterum signum, id. spatium finitum, quod unico mense percurrit, infinita duratione peragrasse; quod est ἀσύστατον; Non posterius, quia necesse foret, Solem esse simul in omnibus Zodiaci signis, alias fuisset in uno prius quam in alio, quod æternitati repugnat. Sed implicat Solem per Zodiacum moveri, id. ab uno signo ad aliud transire, et esse tamen in omnibus signis. Idem de mutationibus variis dici potest, quæ in terra, et rebus omnibus sublunaribus, adeoque hominibus ipsis observantur, quæ non possunt dici æternæ, sed principium aliquod necessario postulant.

VI. Tertio, Ex *novitate Historiarum et Scientiarum ac Artium*. Nam profanæ historiæ vetustissimæ non altius ferme ascendunt quam ad bellum Trojanum, id. ad ter mille circiter annos, quia a diruta Troja ad fundatam Romam fluxerunt 730; a Roma fundata usque ad Christum 750; et a Christo ad nos 1678. Historia vero sacra a Mose conscripta, non ascendit adhuc ad sex millia annorum; At si homines ab æterno fuissent, non fit verisimile nullas futuras fuisse historias, nisi a quinque aut sex mille annis: Cur enim altum illud silentium a retroacto tempore? aut cur potius tunc cœpta fuit historia, quam ante? Hoc movit *Lucretium* licet Epicureum et Dei contemptorem, ut novitatem Mundi agnosceret, lib. v.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum et Cœli, semperque æterna fuere,
Cur supra bellum Thebanum, et funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ?
Quo tot facta virum toties cecidere, nec usque
Æternis famæ monimentis insita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem summa, recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia cœpit,
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augescunt, &c.

Et *Macrobius* his attente consideratis, *Quis dubitet*, inquit, *quin mundus recens ac novus sit, cum Historia Græca bis mille annorum historiam vix contineat.* Si qui vero Populi Annales suos ulterius extendunt, vel meræ sunt fabulæ, et mentientis famæ ludibria, vel anni menstrui, vel quadrimestres, non vero Solares intelliguntur. Hoc *Diodorus*, libro i., observat de Chaldæis, qui authore Cicerone puerorum geneses se observasse gloriantur 43,000 ante Alexandrum annis, annos Lunares scilicet intelligere, id. menses. *Porphyrius* ipse, testis in hac causa omni exceptione major, qui viderat observationes illas Chaldæorum, quas Alexandri tempore Callisthenes ex Babylone in Græciam miserat, mille tantum et nongentorum annorum fuisse scribit. Idem de *Artibus* et *Scientiis* dici debet; Nam constat earum primordia non protendi ultra aliquot annorum ad summum millia, ut ex eorum inventoribus patet, quorum seriem Plinius, æternitatis tamen mundi assertor, parum sibi constans, refert, lib. vii. et viii. Quis vero crediderit homines ab æterno fuisse, et nihil tale excogitasse, vel si excogitarunt ad posteros non transmisisse? vel si transmittere voluerunt, ita tamen intercidisse, ut nihil ad eos penitus transierit?

VII. Quarto, a *Consensu Gentium* et *Sapientum mundi*, quibus saltem ple-

Digitized by Google

risque non ignota fuit mundi productio. Licet autem non potuerint eo assurgere, ut Creationem ex nihilo per Verbum agnoscerent, quod Paulus testatur demum fide percipi, Hebr. xi. 3. "Fide credimus compacta esse secula Verbo Dei, ut quæ videntur non sint ex apparentibus facta;" Et si quæ eo pertinentia leguntur apud Platonem, Mercurium Trismeg., et alios saniores, ea non ex lumine naturæ simpliciter habuerunt, sed ex testimoniis Chaldæorum et Ægyptiorum, qui ea a Mose et Israëlitis acceperant: Constat tamen apud ipsos pro certo traditum Mundum aliquod initium habuisse. Testimonia *Mercurii Trismeg.*, *Orphei*, *Pythagoræ*, *Platonis*, *Procli*, *Homeri*, *Hesiodi*, et aliorum, quæ brevitatis studio omittimus, videri possunt apud *Plessæ.* de verit. Relig. Christ. c. 9, et *Zanch.* lib. i. c. 3.

Mundum æternum esse non potuisse probatur.

VIII. Ut autem Mundus æternus non fuit; Ita nec esse potuit, quicquid Scholastici garriant. Impossibilitas se tenet tum ex parte *Dei*, *tum* ex parte *Creationis*, tum ex parte *Creaturæ*. Primo, ex *parte Dei;* Quia Deus non potest producere aliquid sibi cœternum, alias duo essent æterna, et sic æternitas attributum incommunicabile Dei ex Scriptura, communicaretur creaturæ. 2. Quia causa debet esse prior suo effectu; nec effectum potest esse cœvum causæ suæ. Frustra hic obtenditur, Vel *generatio æterna Filii*, quæ non obstat quominus sit cœternus Patri; quia longissime differt creatio ab ista generatione; Hæc actio est Dei ad intra quæ reddit Filium ὁμοούσιον Patri per communicationem ejusdem numero essentiæ; Illa vero est actio transiens extra Deum in Creaturam, quæ diversissimam naturam in ipsa producit: Vel *emanatio radiorum Solis*, qui sunt cœvi Soli; Quia alia est ratio *agentium* per *emanationem*, alia *agentium per transmutationem;* alia *agentium naturalium*, alia *liberorum;* in illis effectus possunt esse cœvi causæ, sed non in istis; Solis radii emanant naturaliter a Sole, et sunt ejusdem cum eo naturæ; Sed creaturæ libere a Deo producuntur et sunt diversissimæ ab ipso.

IX. Secundo, repugnat a *parte Creationis*, quia cum creatio sit ex nihilo, in qua res transit a non esse ad esse, necessario infert novitatem essendi, quia res debet concipi non fuisse, priusquam producta fuerit, atque ita æterna esse non potuit. Nec juvat dicere per τὸ *ex nihilo* notari tantum *negationem materiæ*, seu independentiam a subjecto, cum notet etiam *nihilum termini*, ut res creata aliquando non fuerit, et postea esse cœperit.

X. Tertio, impossibilitas illa se tenet a *parte Creaturæ*, 1. quia quod habet esse, et durationem successivam et finitam, illi repugnat æternitas. At omnis Creatura qua talis habet esse, et durationem successivam et finitam, nec potest concipi aliter; Ergo, 2. Si Creatura æterna esset, deberet existere, vel Dei, vel sua propria æternitate; Si posterius, duo essent æterna, duo infinita, Deique et creaturæ duratio esset æqualis, et erit æternitas extra Deum, cui coëxistet. Si prius, creaturarum existentia erit existentia Dei; cum æternitas Dei non differat ab ejus existentia; Atque ita Dei æternitas et infinitas erit communis creaturæ, quod ἀσύστατον. Imo creata æternitas dicit contradictionem in adjecto, ut finita infinitudo. Denique de ratione formali creaturæ est ut dependeat essentialiter a Deo, et ut principium habeat suæ existentiæ. At quod dependet ab alio, id posterius ipso est, et sic æternum esse nequit; *ubi quid principium statuis habere sui esse, negas esse eo ipso æternum*, ut ait *Lactan.* Instit. lib. vii. c. 1.

Fontes Solutionum.

XI. Agens æternum quod agit extra se in aliud, requirit patiens cœternum; sed Deus non est agens æternum hoc sensu, quia demum in tempore cœpit extra se agere. Nec si dicitur *purus actus*, quia fuit semper actuosus in se, et ex-

Digitized by Google

pers omnis potentiæ passivæ, quæ est radix mutationis, sequitur extra se semper egisse.

XII. Aliud est esse causam sufficientem *actu*, Aliud vero *in actu:* Deus fuit causa sufficiens actu ab æterno, quia semper fuit et semper voluit creare mundum, sed non fuit ab æterno in actu, quia non voluit creare ab æterno, sed tantum in tempore.

XIII. Licet Deus ab æterno non crearit, non propterea mutatus est a potentia ad actum, et ab otio ad negotium; quia alia est ratio agentium, quæ sola volitione agunt, et eorum in quibus præter volitionem requiritur operosa molitio. Ista quum opus producunt, transeunt revera a potentia ad actum, a volitione ad effectionem: sed aliter se res habet in illis, quæ mera agunt volitione, ut Deus, qui ut voluit existentiam mundi in tempore, sic eam voluit ab æterno. Atque ita mutatio quædam facta est in mundo, qui transit a non esse ad esse, sed non in Deo, qui idem in se manens per volitionem suam practicam rem extra se produxit ex nihilo.

XIV. Ut Deus nunquam fuit sine sua omnipotentia; Ita nunquam fuit sine potentia creandi mundum; sed non potuit ab æterno exercere actum illius potentiæ, sed tantum in tempore, non ex defectu potentiæ in Deo, sed ex incompossibilitate Creaturæ cum æternitate. Ita nunquam fuit Deus quin potuerit creare mundum, sed eo demum tempore, quo creari potuit, non vero ante.

XV. Alia est possibilitas quæ se tenet ex parte potentiæ passivæ, quæ est in re producenda; Alia vero quæ se tenet ex parte potentiæ activæ agentis; Mundus fuit possibilis ab æterno, non secundum *potentiam passivam* subjecti, sed secundum *potentiam activam Dei:* Nam possibilitas ista non fundatur in potentia aliqua, quæ sit a parte rei producendæ; sed a parte Dei, in virtute producentis, quia Deus potuit illum producere in certo tempore.

XVI. Posita actione secundum se totam, ponitur statim effectus; sed Creatio posita non fuit ab æterno secundum se totam; licet fuerit quoad principium, non fuit tamen quoad terminum; licet fuerit actio interna et immanens in Deo, non fuit actio externa transiens in Creaturam.

XVII. Cum ante principium temporis, quo mundus creatus est, nihil aliud sit quam æternitas, proprie non potest dici, quod Deus potuerit citius mundum creare quam creavit, quia τὸ *citius*, vel *serius*, sunt notæ temporis, quæ in æternitate non dantur; Interim si citius vel serius referatur ad ipsam mundi durationem, potuit ille in æternitatis puncto, quod omnes temporum differentias etiam possibiles complectitur, citius vel serius creari: Ita ut duratio mundi esset plurium multo seculorum, ac de facto fuit: ut a principio mundi ad præsentem nostram ætatem fluxissent, non quinque modo, aut sex millia annorum, sed septem vel novem; Nec tamen inde bene colligas, potuisse ergo mundum ab æterno creari: Quia non valet consequentia a longiori duratione finita et limitata, in qua concipimus Deum potuisse creare mundum, ad durationem æternam et infinitam, quæ est ἀσύστατος respectu mundi.

XVIII. Quod est ingenitum, nunquam incepit esse per generationem, sed potest incepisse per Creationem. Materia talis est, quæ non est genita, sed creata.

XIX. Quum dicimus mundum factum *in tempore*, hoc non intelligimus ἀκριβῶς, quasi proprie dictum tempus fuerit ante mundum, in quo creatus esset; sed phrasis ista populariter est intelligenda ut æternitati opponatur, et nihil aliud innuatur, quam mundum non esse æternum, sed princi-

Digitized by Google

pium durationis accepisse; ita ut ante illud momentum, nihil aliud concipiatur fuisse quam æternitas.

XX. Licet melius sit nunc mundum existere, quam non existere, non tamen melius fuit ab æterno illum existere, quia de eo quod melius est, vel pejus, non determinandum est ex rationis nostræ lumine, sed ex voluntate Dei nobis in verbo revelata, juxta quam constat non modo non melius esse, id. convenientius, mundum esse ab æterno, quia sic creatura æquaretur Creatori; Sed ne quidem possibile fuisse propter multiplicem rei repugnantiam.

QUÆSTIO IV.

Qua Anni tempestate Mundus conditus sit? An Vere, An Autumno?

I. Licet Quæstio ista magis Chronologica sit quam Theologica, atque adeo inter Problematicas recte referatur, quia tamen suum etiam usum habet in sacris, hic non est omittenda.

II. In confesso apud omnes Solem a Deo fuisse creatum in aliqua parte fixa et stata Zodiaci, id est, vel in uno Æquinoctiorum, seu Verno, seu Autumnali, vel in uno Solstitiorum, seu Hyberno, seu Æstivo: Quamvis enim in circulo, et motibus Planetarum circularibus, nullum sit proprie principium, nec finis, nec medium, nec quidquam statum aut fixum; tamen relatione ad certas terræ partes et incolas, prædictæ Zodiaci partes recte notantur ut statæ et fixæ ad varios usus in vita humana.

III. Hinc factum, ut diversæ fuerint de Anni tempestate, qua Mundus creatus est Doctorum sententiæ; Aliis ad Solstitium æstivum, Aliis vero ad Æquinoctia creationem Mundi referentibus. Pro Solstitio æstivo pugnat *Gherardus Mercator*, et pauci cum ipso: Sed tota natio Chronologorum stat pro Equinoctiis, si non pro punctis, saltem pro tempestatibus; multi pro Vere; sed plures et potiores pro Autumno, ut *Scaliger*, *Calvisius*, *Usserius*, *Torniellus*, *Petavius*, et alii, quos nos sequimur, his potissimum nixi argumentis.

Mundum Autumno conditum esse probatur.

IV. 1. Quia extra dubium videtur Mundum creatum esse eo anni tempore, quo Israëlitæ annum suum civilem incipiebant, dum essent in Ægypto; eam enim proculdubio temporum rationem secuti sunt, quam a Patribus suis acceperant, et hi a suis majoribus Semo, Noacho, aliisque Patriarchis usque ad Adamum edocti sunt. At ipsos inchoasse non a Vere, sed ab Autumno colligitur, tum ex Exod. xxiii. 16, ubi festum collectionis omnium frugum ex agris dicitur celebrari תצאת השנה *in exitu anni*, et c. xxxiv. 22, ubi festum Tabernaculorum vocatur solemnitas, quæ debet celebrari septimo mense בקצת השנה in *revolutione anni*, seu anno vertente, ut mensis ille Tisri, qui respondet Septembri vel Octobri nostro, dicatur annum claudere et aperire. Nec obstat quod vocetur *mensis septimus*, quia constat hoc dici relate ad *annum sacrum*, non *civilem*: Nam duplicem apud Judæos computum anni fuisse certum, alium qui rebus civilibus, alium qui rebus sacris destinaretur; Tisri qui primus fuit anni civilis mensis, factus est demum septimus anni sacri, ex quo Deus in memoriam liberationis Ægyptiacæ, voluit mensem *Nisan*, qui et Hebraïce *Abib*, qui Martio et Aprili nostro respondet, esse principium mensium anni scilicet sacri, ut colligitur ex Exod. xii. 2, *Hic mensis erit vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*, quod intelligendum tantum respectu anni sacri, et eorum omnium

Digitized by Google

quæ ad rem divinam pertinent; Nam quoad res civiles et politicas, mensis Tisri mansit semper primus, et ab eo anni initium computabatur, quod *Josephus* lib. i. Antiq. c. 4. explicat, "Moses," inquit, "Nisan, qui est Xanthicus, mensem primum in suis fastis ordinavit, quod per hunc Hebræos ex Ægypto eduxisset; eundem etiam omnium quæ ad rem divinam pertinent, exordium fecit: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innovavit."

V. 2. Confirmatur ex Tempore immissi Diluvii, quod dicitur contigisse secundo mense, Gen. vii. 11. Cum enim verisimillimum omnino sit illud immissum esse ea tempestate, quæ idonea erat inundationibus, potius quam ea, quæ commoda erat siccandæ terræ, et arcendis imbribus, ad ineuntem hyemem referri debet potius, quam ad tempus Vernum, ut secundus mensis ab Æquinoctio autumnali sit computandus, et ad Novembrem referatur, non vero a Verno, juxta quod diluvium incepisset circa Vernum, auctum fuisset æstate, et finitum media hyeme.

VI. 3. Ea anni tempestate Mundus creari debuit, qua anni Sabbathici et Jubilæi Judæorum inceperunt, quæ fuit autumnalis. Nam et anni Sabbathici, qui septimo quoque anno, et Jubilæi qui quinquagesimi erant post septies septenos, Autumno post collectas fruges inchoabantur; unde Levi. xxv. 9, clangor tubæ Jubilæi institutus est die decimo mensis Tisri. Eo pertinet, quod Festum Tubarum cum pluribus aliis hoc mense celebraretur; quod non alia de causa factum videtur, quam quia tunc recolebant memoriam Creationis, quæ in id tempus inciderat.

VII. 4. Ejus sententiæ supersunt adhuc vestigia in Synagogis Judæorum vetustissimi instituti; Nam in Sabbatho quod postremum est in mense Tisri, incipit Lectionarium Judaïcum, cujus Caput primum quod בראשית vocant, est initium Libri Geneseos, tum quod ex eo tempore ipsis annus inciperet, tum quod ipsi crederent, mundum ea tempestate creatum. Hinc Chaldæus Paraph. in 1 Reg. viii. 2, dum loquitur de Encæniis Templi a Solomone ædificati, quæ festo tabernaculorum celebravit in mense Ethanim, sic ait, *In mense Ethanim, qui antiquitus ante Mosem dicebatur primus, nunc autem septimus.* Huc facit quod Ægyptii, Persæ, et alii Orientales, annum suum etiamnum hodie ab Autumno inchoant.

VIII. 5. Conveniens fuit Mundum condi ea anni tempestate, qua potuit maxime utilis esse homini propter quem condebatur, suppeditando illi et cæteris animantibus, quæ necessaria erant ad victum et sustentationem; nulla vero ad id commodior fuit autumnali, qua arbores onerantur fructibus, et plantæ seminibus suis sunt gravidæ, quæ alias generare possint. Unde licet Ver amœnitate cæteris anni tempestatibus præstet, Autumnus utilitate illud superat. Rursus ut Deus hominem et cætera animalia in statu perfecto creare voluit, idem etiam fecisse censendus est respectu plantarum et arborum, quod Autumno potius convenire, quam Veri nemo non videt.

Fontes Solutionum.

IX. Quum Mundum Autumno conditum dicimus, hoc non intelligendum est de qualibet orbis parte, fieri enim non potest, ut ubique terrarum uno eodemque tempore fuerit Ver, aut Autumnus, Æstas, aut Hyems, quia tempestates aliter se habent, pro ratione hemisphæriorum et climatum, ut quando in Antarcticis regionibus Æstas est, in Arcticis est Hyems, et ubi Sol incipit se elongare ab Antarcticis plagis, et appropinquare Arcticis, in illis Autumnum, in istis Ver facit. Sed hoc accipiendum est de illa orbis parte, in qua Adam formatus est, vel pro ratione hemisphærii nostri, in quo Moses de-

Digitized by Google

scripsit Creationis historiam; quippe Sol debuit cursum suum incipere ab aliquo ex duodecim Signis Zodiaci, vel ab Ariete Vere, vel a Libra Autumno.

X. Licet Ver habeat imaginem nascentis Mundi, et ejus referat infantiam; non inde bene colligitur Vere conditum fuisse, quia ut Dei opera sunt perfecta, creari debuit in statu perfecto, atque adeo non modo ut nascens, sed ut partibus suis omnibus absolutus; potest ergo dici imago nascentis mundi in natura constituta, et in via ordinaria generationis, sed non in via extraordinaria Creationis, et in natura constituenda.

XI. Quod Deus jubet Terram germinare herbas et gramina, non evincit necessario hoc Vere factum esse; nam et arbores fructiferæ jussæ sunt fructus ferre secundum speciem suam, quod commodius fieri non potuit quam Autumno; Et si absurdum est Terram germinare in Autumno, quod tamen sæpe fit; absurdius est arbores quaslibet fructus ferre, quos Autumno demum debuerunt producere.

XII. Non negandum est plerosque Veterum retulisse originem Mundi ad Vernum tempus, quo respiciunt illa *Virgilii* ii. Georgic.

Non alios primâ nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim; Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis, et Hybernis parcebant flatibus Euri.

Ita Astrologi communiter cœlestium motuum initia a primo Arietis puncto inchoarunt. Scaliger ipse fatetur (præfat. in Euseb.) Veteres magnum honorem habuisse diei 25 Aprilis, in quo Mundum conditum, Christum conceptum et passum, putabant. Ideoque diem hunc πρωτίστιστον ἡμέραν vocabant, quod ab ea crederent incepisse primum Æquinoctium: Sed si expendantur fundamenta quibus nituntur, patebit hanc opinionem multitudine Authorum potius se commendare, quam rationum pondere.

QUÆSTIO V.

An Mundus unico momento creatus sit, An vero sex diebus? Et An opera singula cujusque hexaëmeri absque motu et successione temporis creata sint, An vero uniuscujusque productioni integrum diem Deus impenderit?

Mundus non unico momento est creatus.

I. Creationem, non sex dierum intervallo, sed unico momento factam esse censuit *Augustinus* super Genes. l. i. c. 15, et li. xi. de C. D. c. 9, et cum eo varii ex Veteribus, quos *Caietanus* sequitur, ut quæ Moses de sex diebus refert, allegorice sint intelligenda de cognitionibus Angelicis; quasi omnia idcirco creata dicantur sex diebus, quia totidem notitiis intellectui Angelorum fuerunt repræsentata, ita ut unaquæque cognitio Angelica dies appelletur, et habere dicatur mane et vespere, unde orta videtur distinctio *cognitionis* Angelicæ in *matutinam* et *vespertinam*.

Sed sex diebus.

II. Sed huic sententiæ obstat, 1. narratio Mosis simplex et historica, quæ sex dies memorat, et singulis diebus proprium opus adscribit. 2. quod terra dicitur fuisse inanis et vacua, et tenebræ super superficiem abyssi, quod dici non potuisset, si omnia uno momento consummata fuissent. 3. quod in quarto præcepto, ad sanctificationem diei septimi commendandam, dicitur Deus creasse sex diebus, et sep-

Digitized by Google

timo quievisse, ut eo exemplo populus ad quietem septimo die agendam moveretur, quæ ratio nullius esset momenti, si Deus omnia unico momento creasset. 4. quod nulla ratio posset reddi ordinis quem secutus est Moses in narratione sua, si successive non facta sunt omnia.

III. Quum Syracides, c. xviii. 1, Deum omnia creasse κοινῇ dicit, non de simultate temporis loquitur, quasi omnia *simul* crearit, quod perperam Vulgatus ita exposuit, sed de collectione omnium creaturarum intelligendus est, quæ pariter et communiter a Deo conditæ sunt; ut nihil sit quod a Deo creatum non sit.

IV. Quamvis autem Deus potuisset omnia momento creare, voluit tamen aliquod in operibus suis perficiendis spatium interponere, 1. ut libertatem suam testaretur. 2. ut sapientiam, potentiam, et bonitatem suam in magnifico hoc opere per partes distinctius explicaret, et rerum connexionem, dependentiam, et ordinem inter se clarius indicaret. 3. ut nos ad distinctam contemplationem operum divinorum excitaret. 4. ut hominem exemplo suo doceret, sex diebus illi laborandum esse, et septimo quiescendum, et cultui divino vacandum in Creationis memoriam.

Opus cujusque diei momento factum.

V. Licet vero plures dies insumere voluerit in opere Creationis, Non inde tamen potest inferri, quod quidam vellent, in operibus singulorum dierum, Deum integrum diem impendisse, atque adeo ea successive produxisse. Quia Scriptura testatur ad Dei nutum et imperium res illico extitisse, nec ullam moram temporis intercessisse inter mandatum et executionem, quia nihil illi resistere potuit, Deusque non magis indiguit tempore ad res producendas, quam ad præcipiendum illis ut existerent; *Dixit et facta sunt*, Psalm. xxxiii. 9. Unde *Ambrosi.* hexaemeri, lib. i. c. 12, ad illa verba Fiat Lux, "Non ideo dixit ut sequeretur operatio, sed dicto absolvit negotium, unde pulchre Davidicum illud, Dixit et facta sunt, quia dictum implevit effectus."

VI. 2. Si Resurrectio fit momento, ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, 1 Cor. xv. 52, quidni et Creatio? Si Satan potuit omnia mundi regna ἐν στιγμῇ χρόνου, Luc. iv. 5, Christo ostendere, quidni et illa Deus creare? Si miracula varia momento facta sunt, cur non et Creatio? Et tam facile Deus potuit momento creare Lucem, Solem, Sidera, et plantas, ac Angelos et animam Adami, solo nempe suo jussu et imperio; Nec aliter fieri potuit, quia eo momento quo nihil desiit, aliquid incipit esse, et quo Lux extitit, tenebræ evanuerunt.

Fontes Solutionum.

VII. Aliud est dicere tempus in quo res producuntur esse successivum, Aliud ipsam productionem esse successivam; productionis modus potuit esse momentaneus, sed non modus existentiæ in tempore.

VIII. Licet singulis diebus suum opus distinctum assignetur, non sequitur totam diem cuique operi expoliendo fuisse impendendam; aut Deum eo temporis intervallo indiguisse ad hoc peragendum; sed quod singulis illis diebus distinctis nihil præterea Deus produxerit; alias, si totum primum diem impendisset creationi lucis, absolvisset demum illam sub initium noctis sequentis, quod est absurdum.

IX. Quum Deus dicatur septimo die absoluta creatione quievisse, quia cessavit a creanda omni nova specie, non potuit dici hoc sensu quievisse ulla die hexaemeri, cum earum qualibet aliquid operatus sit et crearit, quod pertinebat ad complementum Universi.

X. Licet varia opera sextæ diei commemorentur, quæ non potuerunt simul fieri; non obstat quominus unumquodque momento fuerit absolu-

Digitized by Google

tum: Sic Adami corpus momento Deus creavit ex pulvere terræ, momento altero animam ei inspiravit, momento somnum illi indidit, et costam illi revulsit, ex qua, momento altero, Evam formavit. Ipsæ quoque bestiæ momento acceperunt impetum veniendi ad Adamum, licet ex illo impetu successive ad eum processerint.

XI. Ad aquarum separationem non opus fuit magno temporis intervallo: nam ut Deus momento effecit, ut terra sive arida, aquis quibus cingebatur undique supereminereret, ita eodem momento indidit motum aquis, per quem cœperunt confluere et moveri ad cavernas et meatus subterraneos, qui parati erant ad eas excipiendas, qui licet successivus fuerit, momento tamen a Deo illis impressus est jussu et imperio suo.

XII. Quum res momento creatæ dicuntur, non tam intelligitur *momentum mathematicum*, quam *physicum*, id. brevissimum quod dari potest tempus.

XIII. Si Creatio immediata operum primæ diei est momentanea, talis debet esse mediata operum cujusque diei productio; quia non potest concipi minus ductile fuisse in manu Dei nihil secundum quid, et materiam inhabilem, quam nihil absolutum, ut ex isto potuerit creari momento, et sine mora, materia, ex illo vero nihil potuerit fieri, nisi cum mora et successione temporis.

QUÆSTIO VI.

Quo ordine Opera Creationis in Hexaëmero a Deo producta sint?

Opera Creationis vel collective, vel distributive spectantur.

I. Opera Creationis, vel in genere et *collective* ac *aggregative* spectari possunt, et per *Mundum* seu τὸ πᾶν *Universum*, solent exprimi; vel *in specie* et *distributive*, ratione productionis variarum ejus partium in sextiduo Creationis, in qua primum earum *creatio*, deinde *distinctio*, postremo *ornatus*, proponitur.

II. In iis vero omnibus Deus *Potentiam* suam in productione rerum omnium, tam magnarum quam parvarum ex nihilo per solum verbum; *Sapientiam* in varietate, ordine, ac usu earum; *Bonitatem* in sui communicatione, per quam omnia fecit valde bona, luculenter demonstravit: Ut adhibuit *jussionem*, et mandatum, quod potenter res efficeret, *approbationem* quæ rei productæ per bonitatem benediceret, *ordinationem* quæ sapienter omnia dirigeret, et usum suum singulis assignaret, et *sanctionem* quæ constanter legibus semel positis illa subjiceret.

Opera primi diei, Cœlum, Terra, Lux.

III. Opera primi diei recensentur tria, *Cœlum*, *Terra*, et *Lux*, juxta illa prima Genesis verba, *In principio creavit Deus Cœlum, et Terram;* Licet enim quidam hæc velint proleptice dici per propositionem generalem, quæ universæ Creationis compendium et summarium ob oculos ponat, quam postea sigillatim et distincte per singulos dies explicet, quam sententiam sequitur *Chrysostomus*, et post eum non pauci: Satius tamen videtur, et Mosaïcæ narrationi convenientius, ut describatur hoc primo versu initium Creationis per productionem duarum partium generalium Mundi, Cœli scilicet et Terræ, quam sequitur postea descriptio particularium, quæ cœlo et terra continentur, et quæ in sequentibus diebus distincte a Deo productæ sunt. Et hoc non obscure colligitur ex versu 2, ubi additur, *Et terra erat inanis et vacua*, quod dici non potuisset, nisi terra jam creata supponeretur, v. 1, alias, vel

Digitized by Google

ea a Deo ante hexaemeron creata statuetur, vel increata et cœterna Deo fingetur: Quo videntur inclinare non obscure Sociniani, dum creationis ipsius materiæ in hexaemero Mosis nullam mentionem fieri pertendunt, ut hac ratione eo facilius argumentum, quod petimus ad asserendam Divinitatem Christi ex existentia ejus ante creationem mundi, enervent. Unde *Volkeli.* lib. iv. c. 4, expresse dicit "de Terræ et Aquæ creatione nihil dixisse Mosem, nec sacras Literas alibi, nec male facere eos, qui sententiam hac de re suam vel suspendunt, non audentes definire id quod Scripturæ non definierunt, vel id quod rationi maxime consentaneum videtur ita sequuntur, ut aliis ambigendi, vel dissentiendi relinquant libertatem." Quæ non alio spectare, quam ad infirmandam Creationem mundi ex nihilo, judicare cuivis proclive est.

Quid per Cœlum notetur?

IV. Rectius ergo per *Cœlum* et *Terram* intelligitur universa Mundi hujus machina, sed ornatu suo, splendore, et perfectione adhuc destituta, quam recipere postea debuit in particularium operum distincta creatione per sextidui spatium facta. Et per *Cœlum* quidem non modo *Cœlum æthereum* notatur, astris adhuc destitutum, sed præcipue *Cœlum supremum*, Empyræum dictum, quod alias *Cœlum Cœlorum*, 1 Reg. viii. 27, et *tertium cœlum*, 2 Cor. xii. 2, et metaphorice *Paradisus*, Luc. xxiii. 43, vocatur, cujus Deus dicitur τηχύτης καὶ δημιουργὸς, Hebr. xi. 10, quod est quoad *substantiam* subtilissimum, quoad *qualitatem* lucidissimum, quoad *durationem* indefectibile ab intrinseco, quoad *situm*, supra omnes cœlos aspectabiles constitutum, 1 Tim. vi. 16; Apoc. xxi. 10; Johan. xiv. 3; Eph. iv. 10. Unde Deus habitans in cœlo dicitur habitare in excelsis, altissime, Deuter. iv. 39, Ps. cii. 19, Luc. ii. 14, et xxiv. 49, Jacob. i. 17; et Christus ascendens in cœlum dicitur in altum et sublime supra omnes cœlos ascendisse, Ps. lxviii. 18; Eph. iv. 8, 10; Heb. vii. 26. Quod opponendum Lutheranis, qui cœlum istud volunt esse increatum, et illocale et incorporeum fingunt, et quod sit ubique, ut argumentum ab ascensione Christi in cœlum petitum adversus Ubiquitatem Corporis Christi, elevent.

Tum æthereum, tum supremum.

Sub quo Angeli continentur.

V. Sub Cœlo isto supremo *Angelos* ejus incolas comprehendi censemus, quorum Creationem, licet Moses sensibilium et visibilium descriptioni magis inhærens, non commemoret expresse, ab eo satis tamen innuitur sub *exercitu Cœlorum*, de quo agitur, Gen. ii. 1, et sub ipso cœlo, quod debuit esse illorum domicilium, Jud. 6; Luc. ii. 13; Matt. xxiv. 36. Unde dicuntur applausisse Deo, ut jam creati, cum fundaret terram, Job. xxxviii. 6, 7, quod factum die primo; et Psal. cxlviii. 2, recensentur primo loco inter Creaturas, ante Solem, Lunam, et Stellas.

2. Terra.

VI. Alterum primi diei opus est *Terra*, quo nomine et aquæ comprehendi solent, quam Moses per תהו ובהו id. *inanitatem* et *vastitatem* describit, non modo quia terra habitantibus et incolis fuit destituta, sed etiam, quia herbis, floribus, arboribus, et omni luce, ornatu, et decore, quod postea ipsi accessit, fuit denudata; quæ ibidem exponitur per *abyssum* tenebris opertam; Atque ita innuitur massa illa informis ex aqua et terra simul concreta, unde Poëtæ suum *Chaos* desumpserunt, quod *Ovidius* non ineleganter expressit his verbis lib. i. Metam.

Ante mare et terras, et quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles;
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

Digitized by Google

Materia vero informis dicitur, non *absolute* et *simpliciter*, quod omnis formæ expers esset, siquidem quicquid existit, per suam formam existit; sed *secundum* quid et *comparate*, quia forma eleganti et exacta, quam postea adepta est, adhuc careret: illa vero quoad *substantiam*, partim terrea, partim aquea fuit, quoad *quantitatem* ingens, et ceu sine fundo moles, quæ inde vocatur *abyssus*, quoad *qualitatem* deformis, et tenebricosa, quoad *effectum* inanis et inefficax, quæ fuit materia unde omnia corpora sublunaria desumpta sunt; Quo pertinet quod statim additur de *Spiritu qui ferebatur super superficie aquarum*, v. 2, quod, nec aëri aut vento competere potest, qui nondum creatus erat, et qui non fovet, sed dissipat potius; nec Angelo creato, ad quem hoc opus non pertinet; nec vi et efficaciæ Dei in genere, quæ per verbum *incubandi* potius exprimitur, a qua distinguitur Spiritus S. qui ejus principium erat; Sed soli *Spiritui Dei* convenit, qui et ipse Deus, qui massam illam informem virtute sua, et calore vitali fovebat et fœcundabat, πρὸς ζωογονίαν συνέθαλπε, metaphora sumpta ab avibus ovis suis, vel pullis incubantibus, ut de aquila dicitur Deut. xxxii. 11, quæ alarum motitatione, et dilatatione vel ova fovent et calefaciunt ad pullos producendos, vel eos jam productos sustentant, quæ vis est verbi רחף Jer. xxiii. 9.

3. Lux. VII. Tertium primi diei opus *Lux* fuit primigenia, a qua post cœli et terræ creationem, particularium creaturarum productionem convenientissime Deus inchoavit; non modo, quia creatura fuit simplicissima et præstantissima, sed etiam quia necessaria fuit ad cœli ornatum, et terræ fœcundationem, quæ et diem efficeret, opera Dei manifestaret, et esset velut communis quædam rerum naturalium obstetrix, quæ calore suo innato educendis et fovendis seminibus inserviret; in quo secundæ creationis typum etiam dare voluit, quam Deus a luce cognitionis Verbi etiam orditur, "Deus enim qui dixit, ut lux e tenebris splenderet, is est qui luxit in cordibus nostris ad radiationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi," 2 Cor. iv. 6.

VIII. Lux autem ista, Nec fuit Accidens sine subjecto, ut nugantur Pontificii; Nec elementum Ignis, ut alii pertendunt, Ignis enim, nec dies unquam vocatur, nec diem efficit; Nec nubecula lucida, quæ suo motu circulari ab Oriente in Occidentem, diem noctemque confecerit, quod alii sentiunt, nam primo die nulla dum nubes creata fuit: Sed corpus lucidum in uno Cœli ætherei hemisphærio accensum, quod sui circumrotatione diem noctemque primo triduo distingueret, donec lux illa postea quarto die in corpus Solis et Stellarum collecta et distributa fuit.

Opera secundi diei. 1. Expansum. IX. Secundi diei opera fuere, 1. *Expansum*, seu ingens illud intervallum, et spatium vastissimum, quod a terrestris globi superficie ad extremum usque cœli aspectabilis terminum extensum est, quod *cœlum* vocatur v. 8, non quidem *æthereum*, quod primo die creatum diximus, et a terra distinctum, et quarto demum sideribus exornatum; sed *aëreum*, quod antea confusum et permixtum latuerat in massa illa informi concreta ex aqua et terra, quod sæpius in Scriptura *Cœli* nomine venit, unde *volucres Cœli* postea dicuntur v. 20. Hebraïce רקיע vocatur, ab *expansione*, vel extensione, qualis est in Aulæo, vel Cortina, quo pertinent ista Psal. civ. 2, ubi Deus dicitur *extendere cœlum instar Cortinæ*. Nec obstat quod *Expansum* v. 14, 15, 17, etiam cœlo æthereo tribuitur, in quo astra posita sunt, quia diversimode de eo loquitur Scriptura, vel in tota latitudine sua, quomodo complectitur quod in cœli aspectabilis nomine venit, id est Cœlum æthereum, et aëreum, vel respectu partis superioris, ut loco citato, vel respectu inferioris v. 20, quo pacto aquas superiores ab inferioribus dividit, v. 6, 7. Quo sensu ordina-

Digitized by Google

tio Expansi fit secundo hoc die, et adaptatio ejus ad separandas aquas ab aquis, superas ab inferis. "Et dixit Deus, sit Expansum in medio aquarum, Et faciat distinctionem inter aquas et aquas," v. 6.

2. Divisio aquarum.

X. Alterum opus istius diei fuit, *Divisio aquarum* superiorum ab inferioribus, id. nubium extantium supra infimam expansi partem, ab aquis, quæ infra Expansum terræ permixtæ, et velut circumfusæ, indistinctæ usque ad tertium diem fuere. *Aquas* enim *superiores* non alio quam *ad nubes* commode referri posse, quæ sunt in media aëris regione, Scriptura clare innuit, variis illis locis, quæ aquas de nubibus interpretantur, Ps. civ. 3, "Contabulans aquis Cœnacula sua, ponens nubes in vehiculum suum," Et Job. xxvi. 8, "Constringit aquas in nubibus suis, ita ut non scindatur nubes sub ipsis;" Jer. x. 13, "Ad vocem dat multitudinem aquæ in cœlis, et ascendere facit vapores a fine terræ." Confirmatur ex ipsa nubium natura, quæ nihil aliud sunt, quam aquæ vi caloris diuturni evaporatæ, et frigore aëris rursus concretæ, quas Plin. lib. iii. c. 1, *aquas in cœlo stantes* vocat. Denique Moses aquas tantum duplices facit, superiores, et inferiores: Nubes autem, quæ sunt aquæ, non possunt esse inferiores; Ergo necesse est ut ad superiores referantur: Licet enim inferiores possint dici *originaliter*, et *terminative*, quia ex loco inferiori eductæ sunt, non sunt tamen *subjective*, et ratione situs, quando sursum evectæ sunt.

Aquæ superiores sunt nubes.

Non aquæ supercœlestes.

XI. Perperam ergo Lutherani, post plerosque Scholasticos, finxerunt *aquas supercœlestes*, ut difficiliorem ascensionem Christi et fidelium in cœlum reddant; Cum tales aquæ nulli usui esse possint, nec ad refrigerandum cœlorum et siderum ardorem, qui nullus est in ipsis, nec ad comprimendum cœlos, ne violentia ventorum agitati vacillent, sic enim a Deo firmati sunt orbes cœlestes, ut nulla ventorum vi queant luxari, imo ut nulla ad eos usque pertingat. Nec si *aquæ* quædam dicuntur *supra cœlum*, Ps. cxlviii. 4, statim sunt supra cœlum æthereum, sed supra aëreum, quod passim cœlum etiam vocatur. Nec si nubes esse non possunt in cœlo, nisi per Solis attractionem in *natura constituta;* sequitur non potuisse elevari extraordinarie a Deo sine Sole in *natura constituenda.* Licet autem dicantur *supra Expansum*, non statim debent fuisse supra totam latitudinem Expansi, sed supra partem ejus: Imo non tam dicuntur fuisse *supra Expansum*, על רקיע quam *desuper Expanso* מעל לרקיע, ut innuatur non evectas fuisse aquas supra totum Expansum, ut totum esset aquis inferius, sed fuissse evectas sursum, ut una cum Expanso essent supra et desuper, potius respectu nostri, quam respectu totius Expansi. Denique *cataractæ Cœlorum*, Gen. vii. 11, quæ perruptis claustris maximam illam aquarum vim profuderunt in diluvio, quibus prior mundus obrutus periit; non aliud notant, quam copiosissimos imbres metaphorice, qui ex nubibus densis defluxerunt.

Opera tertii Diei.

1. Collectio Aquarum.

XII. Tertii diei opera sunt. 1. *Collectio aquarum* inferiorum in certos alveos, adeoque earum a terra separatio, ut terra ab iis liberata, aptum ac conveniens animantibus, ac præsertim hominibus, quos creaturus erat, domicilium esset, quam a proprietate ipsius characteristica *aridam* vocavit, relictis tamen dispositisque partim occultis et subterraneis meatibus veluti tubis, per quos perennes fontium scatebræ, et magna flumina irrigandis terris ex vastissimo illo collectarum aquarum conceptaculo, quod mare vocatur, erumpant. Nec facile admitti potest, quod quibusdam placuit, opus istud ad secundum diem pertinere, ut per hysterosim hic apponatur, reddique de-

Digitized by Google

beat ויאמר, non ut alibi passim, *Et dixit*, sed *dixerat autem ;* nulla enim ratio est, cur illud ויאמר, v. 9, exponatur per plusquam perfectum, cum in aliis omnibus locis hujus capitis, v. 3, 6, 11, 14, 20, 24, 26, ubi occurrit idem verbum, constanter reddi debeat per *Et dixit :* Nec Moses addere debuisset post separationem aquarum superiorum ab inferioribus, ut in fine cujusque die, *Et fuit vespera, et fuit mane, dies secundus*, si quod sequitur, vers. 9, 10, adhuc pertinuisset ad secundum diem. Nec necessitas videtur ulla fingendi talem hysterosim ; nam quæ petitur ex eo quod alias dies secundus caruisset solita benedictione, non potest hoc evincere ; cum sufficiens ratio hujus reddi possit, quod cœpta quidem et adfecta hoc die fuerit sublevatio terræ ab ingenti illa aquarum mole, qua circundabatar, sed sequenti die demum perfecta fuerit, quo facta est aquarum inferiorum collectio, et arida apparuit.

2. Germinatio terræ.

XIII. Alterum opus istius diei, fuit *Germinatio terræ*, et plantarum, fruticum, et arborum seminiferarum productio, vers. 9, 10, 11, ut individuis extinctis servarentur rerum species. Quamvis vero tunc indita sit terræ vis quædam et fœcunditas, qua postea ex herbarum omnegenus semine easdem producere, et ex ubere suo alere et nutrire posset, tamen ad primam illam plantarum germinationem, quæ facta est in instanti, passive tantum et materialiter, non active se habuit.

Quarti diei opus, Creatio Luminarium.

XIV. Quarti diei opus fuit *Creatio Luminarium* in Expanso, vers. 14, id. in ea expansi parte, quam æthera, sive cœlum æthereum vocamus, quibus ornare voluit cœlum, ut antea terram herbis et arboribus exornaverat : *Usus* triplex notatur, primus in distinctione lucis a tenebris, id. diei artificialis a nocte, *sint luminaria in expanso cœlorum, ut distinguant inter diem, et inter noctem*, vers. 14. Secundus in notandis ac disterminandis vicibus, ac tempestatibus anni. Tertius in communicatione virium suarum, quibus hæc inferiora ab ipsis imbuta varie afficiantur, dum luce, calore, et motu suo in sublunaria influunt, ut *cœli exaudiant terram, et terra exaudiat frumentum et mustum et oleum* in usum hominum, Ose. ii. 21, a quibus tamen excipiendi sunt animi hominum, qui in suis operationibus Luminarium influxui minime subsunt.

Quinti diei opus, aquatilium ex aqua, volatilium ex terra productio.

XV. Quinti diei opus fuit *Aquatilium* seu piscium ex aquis, vers. 20, 21, *Volatilium* et avium ex terra *productio*, ut expresse docetur, c. ii. 19, adeoque mundi sublunaris exornatio per Creaturas sensu et motu præditas ; gradatione conveniente observata, et processu instituto a structura domus, ad productionem incolarum ejus, eorumque imperfectiorum primo, postea vero perfectiorum.

Opus sexti diei, Animalium et Hominis productio.

XVI. Sexto die colophonem imposuit operibus suis, per creationem, tum *Animalium* terrestrium, quorum tria genera recensentur, mansuetum, reptile, et ferum, ad quæ alia omnia revocari debent, sive perfecta, sive imperfecta, quorum species sunt innumeræ : Tum *Hominis*, qui Mundi conditi foret incola, ad Dei imaginem productio, ut ad reliquas creaturas, quæ vel gradum *essendi* tantum habent, vel gradum *vitæ*, vel gradum *sensus* et *motus*, accederet etiam illa, quæ perfectissimum vitæ gradum nimir. *rationem* obtinet, quamque ideo, ut præstantissimum opus, et quoddam universitatis compendium, non modo postremo loco reservavit Deus, sed peculiari præ esteris ratione, et quasi consultabundus confidit, *faciamus hominem*, &c. non in indicium deliberationis in operante, vel difficultatis in opere, sed dignitatis ipsius operis, ut ostendat διὰ τῆς τῶν λέξεων παχύτητος τὴν τιμὴν ὡς τὸν μέλλοντα δημιουργεῖσθαι, ut ait Chrysost. in h. l.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

An ex usu Luminarium a Mose posito, Astrologia judiciaria extrui possit?
N. c. Astrologos, et Planetarios.

www.libtool.com.cn

Quid sit Astrologia judiciaria.

I. Per *Astrologiam*, de qua Quæstio hic movetur, non intelligitur *naturalis*, seu scientia de ordine ac motu naturali Corporum cœlestium, quæ merito in pretio habetur, et magnum in vita humana usum habet; Sed *judiciaria*, quæ Ars est curiositatis temerariæ, et superstitionis plena, qua ex Astris et eorum constellationibus fit judicium de homine, ejus inclinationibus, actionibus, studiis, eventibus, fortuna omni, adeoque de vita et morte; Item de conversionibus Imperiorum, et Rerumpublicarum, et similium, quæ accidunt in societate civili, et quæ ex ea ut futura certo et indubitate prædicuntur.

II. Affirmativam tenuerunt olim *Priscillianistæ*, impia *Gnosticorum* propago, qui inter alia errorum portenta, fatalibus stellis alligabant homines, et ipsum hominis corpus secundum duodecim Cœli signa compositum esse docebant, teste *Augustino*. Quos secuti sunt *Planetarii*, *Astrologi*, et *Genethliaci*, qui juxta tempus generationis aut nativitatis, explorant constellationes, id. positus, aspectus, et influxus Astrorum, et ex iis nascentium naturam et fortunam prænunciant. Orthodoxi vero negativam constanter sequuntur.

Status Quæstionis.

III. Non quæritur, An Corpora Cœlestia in hæc sublunaria, et elementaria, imo et in ipsum corpus humanum magnam vim habeant, et pro vario motu, et positu, atque influxu lucis, et caloris, diversimode corpora afficiant, ut crescant, vel decrescant, alterentur, et varie mutentur, quod non modo Scriptura, sed experientia universalis comprobat. Sed quæritur, An vim hanc exerceant pariter in animos hominum, qui naturæ sunt spiritualis, ut exinde de inclinationibus, actionibus, et eventibus futuris certum judicium fieri queat; quod negamus.

IV. Non quæritur, An Luminaria possint dici *Signa naturalia* tempestatum, frigoris, æstus, variarum cœli vicissitudinum, defectuum Solis et Lunæ, et aliorum effectuum naturalium, qui ex diverso motu et positura siderum oriuntur, vel *Signa civilia*, et œconomica, quæ a naturalibus pendent, ut temporis arandi, navigandi, serendi, &c., vel *Signa moralia*, partim *perfectionis Creatoris*, quæ in istis mirandis operibus cernitur, partim *officii creaturarum*, quæ tantum Opificem tenentur suspicere et colere; vel *Signa mystica* variorum eventuum, vel in ira, vel in gratia; ut quum Sol stetit in Gibeon, Jos. x. 12, quum retrocessit decem gradibus diebus Ezechiæ, 2 Reg. xx. 11, et quum Deus dicitur daturus *signa in cœlo, et in terra*, Joël ii. 30, quorum significatio ut extraordinaria est, et non naturalis, ita ex peculiari revelatione pendere debet. Sed quæritur, An sint *Signa necessaria*, et naturalia, eventuum futurorum: non tantum naturalium et necessariorum, sed etiam voluntariorum, et contingentium, adeoque vitæ et mortis hominum, ut, quo quisque fato natus sit, et quid cuique sit eventurum, ex Astris certo prænoscatur; quod negamus.

Non dari Astrologiam judiciariam probatur.

V. Rationes sunt, 1. Quia Deus talem Astrologiam in Verbo suo severe prohibet, et damnat, Levitic. xix. 31. *Ne convertite vos ad Pythones et Ariolos;* Imo præcipit, ut anima quæ se convertit ad ipsos exscindatur e medio populi sui, Levit. xx. 27, *Viri aut mulieres, si erit ex iis Pytho aut Ariolus, omnino morte afficiuntor, lapidibus obruuntor, cædis causa est in eis.* Alibi Deus confusio-

Digitized by Google

nem, stultitiam, furorem interminatur istiusmodi Astrologis, Isa. xliv. 25, Et cap. xlvii. 12, 13, vanitatem et artis, et artificum et illorum qui ab illis deluduntur credulitatem perstringit, "Sta jam cum incantatoribus tuis, et cum multitudine præstigiarum tuarum in quibus laborasti a pueritia tua," &c. "Stent jam Astrologi, qui contemplantur stellas, qui notas faciunt in menses prædictiones suas, et servent te ab iis quæ superventura sunt tibi. Ecce sunt tanquam stipula," &c. Eo pertinet, quod Deus edicit Israëlitis, ne discant viam gentium, et ne a signis cœli metuant, quæ metuunt gentes, Jer. x. 2, "Juxta viam gentium ne assuescatis, et ob signa cœlorum ne consternemini, quia consternantur gentes ob ea," Et ca. xxvii. 9, "Vos autem ne auscultetis Prophetis vestris, et conjectoribus vestris, et somniis vestris, et auguribus vestris, et Magis vestris, qui dicunt ad vos, Non servietis Regi Babel."

VI. 2. Quia Scriptura futurorum cognitionem amolitur ab homine, et Deo soli transcribit tanquam κριτήριον veri Dei dignoscendi ab idolis, Isa. xli. 21, 22, "Producite causam vestram, ait Jehova, admovete firmamenta vestra, ait Rex Jacobi, Proponant et annuncient vobis ea quæ obventura sunt," &c. Et Dan. ii. 28. "Est Deus in cœlo revelans arcana, qui notum facit Regi, id quod futurum est consequentibus temporibus." At si ex astris ista cognosci possunt, et prædici ab hominibus, cur Chaldæi Astrologi id non potuerunt assequi, sed Daniel hoc tanquam soli Deo proprium tribuit?

VII. 3. Quia mores et actiones hominum sunt voluntariæ et liberæ, quæ proinde non possunt a causa naturali, qualis est constellatio, deduci. Alias fatum plusquam adamantinum, et fatalis rerum omnium respectu causarum etiam secundarum necessitas in natura constituetur. 4. Si mores et eventus pendent ex Astris, similes erunt mores, et simile fatum eorum omnium quorum idem est horoscopus, et nativitatis punctum. Quod tamen falsum esse experientia evincit; cum multi uno eodemque temporis momento edantur in lucem, qui tamen moribus et natura sunt maxime dissimiles, et diversissimis urgentur fatis, ut vel uno exemplo Esavi et Jacobi gemellorum patet. Ita maris et fœminæ ex eodem utero circa idem tempus natorum diversa sunt studia, diversæ vires, diversi eventus et casus. Multi etiam, quorum diversissimus fuit horoscopus, eodem mortis genere pereunt, ut qui eodem prælio cadunt, quos eadem involvit strages, vel ruina domus, vel terræ motus, vel morbus epidemicus, vel publica aliqua calamitas. An v. g. Ægyptiorum primogenitis ab Angelo Domini percussis similiter, vel Ægyptiis in mari Erythræo submersis, vel Cananæis simul cæsis, vel infantibus Betlehemi simul jugulatis, sidera eodem positu in nativitate illuxere? Rursus, An non illorum etiam ingenia, et fata sæpe conformia, qui diversissimo siderum positu nati?

VIII. 5. Quia tempus conceptionis et nativitatis hominis, ex quibus horoscopi duci solent secundum horarum observationes, incertum est. Conceptionis quidem, quia sæpe ipsos generantes latet; Nativitatis vero, quia vel potest anteverti, vel produci propter parientium infirmitatem. Adde quod punctum nativitatis nullus mortalium accurate unquam subducere possit; cum ea, quæ cum motu conjuncta esse solet, momento non absolvatur. Quis nescit vero facilem esse aberrationem in paucis horæ momentis, quibus tamen magna fieri solet Solis et stellarum propter rapidissimum quo moventur motum, inclinatio? Unde mutata constellatione, aliud in eodem homine fatum circa diversa membra deprehendetur. Rursus cum hominum fortunæ, et vita, non ex unius, sed ex diversorum hominum voluntate et studiis pendeant, quomodo ex unius hominis horoscopo prædici possunt? Et quod majus est, non solum hujus vel illius hominis, sed

Digitized by Google

totius alicujus urbis, regionis, et regni fata, quæ ex tot rerum et consiliorum συμπλοκῇ oriuntur, quomodo ex sideribus deduci possunt?

IX. 6. Si Eventus naturales plurimi nonnisi probabiliter ex Astris prædici possunt, quanto minus casualia, fortuita, voluntaria et libera cognosci et prænunciari poterunt? Non poterit Astrologus prædicere, vel æstum, vel imbrem, An agricola serenitatem, vel tempestatem nunc sperare debeat, et timere; Et poterit compertum habere, quem quisque vitæ exitum sit habiturus, vel quid consilii homines in hoc vel illo casu sint capturi, vel quo mortis genere sint obituri? vel quod longe difficilius, quam quisque gratiam ad sui conversionem homo sit consecuturus, quod ex sola Spiritus S. gratia, et liberrimo ac arcano Dei decreto pendet?

X. Denique, ut alia multa nunc mittamus, temeraria et impia non potest non esse Ars illa præstigiatrix, quæ in arcana Dei irrumpere satagit, et nefando ausu futura soli Deo nota definire præsumit; Quæ Astris atque adeo ipsi Astrorum Creatori peccatorum et scelerum causas transcribit, ut homines desinant seipsos excutere, et causam malorum omnium, quæ faciunt, vel patiuntur, non sibi, ut tenentur, sed Astris, vel Deo adscribant; Quæ hominem magis ad astrorum contemplationem, quam ad Creatoris astrorum venerationem et cultum alligat; Quæ vel inanibus minis homines torquet, vel vana spe credulorum animos implet, et fibulam laxat securitati, et projectæ ad omne scelus audaciæ apud illos, quibus vitam longævam pollicetur Astrologorum temeritas; Quæ et Scripturæ, et rectæ rationi adversatur, et veræ pietati, ac publicæ tranquillitati intercedit. Unde non semel legibus humanis Imperatorum proscripta fuit; Augustus Astrologos Urbe, Tiberius et Claudius Italia, Vitellius Orbe et vita, ejecit, tanquam hominum genus potentibus infidum, sperantibus fallax. Sic, Tit. xviii. l. 9, Codicis, qui agit de crimine maleficii, *Mathematici* cum maleficis et Magis conjunguntur, et subjiciuntur Legis Corneliæ pœnæ, et ibid, ss. 2 et 5, *talis ars damnabilis et interdicta omnino* dicitur. Patres passim invehuntur adversus illam, et Planetariorum fraudes et imposturas execrantur: Unde in Concilio Bracarensi I. et Toletano I., Priscillianistarum sectatores damnati, et sub anathematis pœna proscripti; vide Aug. li. v. de C. D. c. 1, 2, 3, &c.

Fontes Solutionum.

XI. Aliud est, esse *Signa naturalia Tempestatum, dierum, et Annorum;* quod de Luminaribus dicitur, Gen. i. 14. Aliud est esse *Signa prognostica* eventuum futurorum, non modo necessariorum et naturalium, sed etiam contingentium et liberorum, quod de illis non asseritur.

XII. Quum Judic. v. 20, stellæ dicuntur *e cælo in Siseram pugnasse*, Vel innuere voluit Spiritus Sanctus simpliciter, victoriam illam cœlestem fuisse, non humana fortitudine partam, sed solius Dei auspiciis, ut ostendatur omnia favisse Israëlitis ad victoriam, et ipsa velut astra pro illis pugnasse dicantur exaggeratione poëtica; Vel dicuntur pugnasse non *influxu naturali*, sed *directione supernaturali*, non actione ordinaria, sed extraordinaria, effective potius, quam formaliter, quatenus Deus sideribus extra ordinem uti potuit ad meteora varia producenda, tonitrua, fulmina, grandinem, a quibus Sisera cum suo exercitu ingentem cladem passus sit.

XIII. *Stella* quæ Magis nativitatem Christi indicavit, Matth. ii. 2, non potest favere Genethliacis. 1. Quia exemplum est singulare, ex quo perperam colligitur regula generalis: nam si hoc Christo contigit ob ὑπεροχὴν ejus singularem; Non sequitur et ad alios posse pariter trahi. 2. Quia stella illa fuit extraordinaria, cujus ortus non naturalis, sed supernaturalis fuit. 3. Quia stellæ isti addita fuit, tum interna tum externa revelatio ad

Digitized by Google

ejus significationem declarandam. 4. Licet per eam Christi nativitas sit designata, nemo tamen inde inferat punctum nativitatis ejus in ea indicatum fuisse, vel ex ea collectum, multo minus vitam, mores, et exitum Christi a stellæ istius influxu pependisse, ut cavillabatur olim Faustus Manichæus, cui bene Aug. lib. ii. contra Faustum respondet de Stella loquens, "non dominabatur Christo ad decretum, sed famulabatur ad testimonium, nec subjiciebat imperio, sed indicabat obsequio."

XIV. Aliud est ex facie cœli cognoscere imbrem, vel æstum futurum, et ea quæ naturalia sunt, et a causis naturalibus pendent; Aliud vero cognoscere rerum futurarum eventus, et liberos motus voluntatis humanæ; Prius dicitur Luc. xii. 54, 55; Non posterius. Astrologorum προγνώσεις possunt quidem locum habere intra sphæram suam, quandiu intra artis suæ terminos se continent, alias proscribendæ sunt, ut temerariæ et fallaces.

XV. Licet Cœli habeant suas δυνάμεις, ex Matt. xxiv. 29, quibus in hæc inferiora agunt, luce, motu et influxu suo; non sequitur agere pariter in omnia, etiam voluntates et consilia hominum. Et quum ibidem addit Christus signa fore in cœlo, quæ diem adventus sui postremi prænuncient, non agit de illa siderum affectione, quæ ex naturæ stato et ordinato cursu eveniat; sed de eventu quodam extraordinario, cujus prorsus nihil simile est et cum illo conveniens, de signis puta et portentis, quæ Deus proprie et peculiariter ad adventum Christi accommodaturus est, ad fideles de eo commonefaciendos, et infideles magis magisque convictos et inexcusabiles reddendos, quæ proinde ex motibus et aspectu astrorum intelligi non poterunt, utpote quæ motum et ordinem illum communem, in quo Astrologi præcipuum artis suæ firmamentum collocare solent, immutatura sint.

XVI. Aliud est Corpora cœlestia et sublunaria inter se colligari, et dari varias impressiones illorum in corpora nostra, et varias alterationes illas consequentes, per quas motione indirecta humoribus mutatis diversimode afficitur animus humanus; quod concedimus; Aliud vero Astra agere in voluntatem et actiones humanas, *motione*, vel *directa*, vel *necessaria*; quod negamus: cum illa sit potentia inorganica et immaterialis, istæ vero a causis partialibus et proximis pendeant, diversimode specificantibus influxum causæ communis.

XVII. Josephus, et Moses in Ægyptiorum, Daniel in Chaldæorum sapientia instituti leguntur, Act. vii. 22, Dan. i. 17. Sed non propterea vanis istis et impiis divinationibus indulsisse dicuntur: Sapientia eorum versari potuit circa literas hieroglyphicas, Artes liberales, Numeros, Geometriam, Astrologiam etiam naturalem, sed sobriam, et solidis principiis innitentem, non vanam et impiam ἀστρομαντικὴν, a qua semper alienissimi fuerunt. Et si quæ vaticinia edebant, vel interpretabantur, ea non ex Astris, sed ex Dei revelatione habebant, cui ea accepta ferebant.

XVIII. Ad Experimenta, quæ afferri solent, varia reponi possunt. 1. Pleraque ex iis esse sublestæ fidei, et dubiæ authoritatis, quæ vel vanos Scriptores habent, vel superstitiosos. 2. Pleraque sententiis lubricis et ancipitibus, et in utrumque versatilibus niti, qualia erant Oracula Apollinis Λοξίου, ut quomodocunque res cadat, rem acu tetigisse videantur. 3. Si quædam prædictiones eventu sunt comprobatæ, non sequitur scientiam illam certam esse, et veris fundamentis nixam, quia innumeræ sunt aliæ, quarum vanitatem elusit et proscripsit eventus. 4. Eventuum veritas, non vanæ isti arti tribuenda est, sed, Vel vaticinantium solertiæ, quia ubi est ipsis compertus genius, inclinatio, mores, studia, et consilia eorum, apud quos vates agunt, facile est ipsis astrorum obtentu multa præ-

Digitized by Google

sagire, quæ nec ex Astris habent, nec habere possunt; Vel consulentium credulitati, fortuitos casus sæpe in rei prædictæ complementum vertenti; Vel Dæmonis operæ, ex cujus inspiratione multa antecapiunt, quæ ille vel præsagit et conjicit probabiliter, vel comperta habet, sive per revelationem divinam, sive per cognitionem experimentalem tot millium annorum, sive per summam pernicitatem, cujus beneficio potest in remotissimis locis facta, alibi statim renunciare, et omnem cursorum celeritatem antevertere; Vel denique occulto et justissimo Dei Judicio, qui isto ludibrio vanas hominum mentes sæpe castigat, efficaciam erroris mittendo illis qui credunt mendacio, ut magis decipiantur, qui illis artibus credunt et student. 5. Prædictionum veritas non statim artem legitimam et probandam esse evincit, vel consulendos esse eos, qui eam profitentur: Nam vera etiam quandoque prædixit Diabolus, (ut Spiritus ille Samuelis speciem mentitus, quem Pythonissa in gratiam Saulis ex inferis evocavit, 1 Sam. xxviii. 15, 16,) quem propterea consulendum nemo dixerit. Imo Deus diserte vetat Deut. xiii. 1, audire falsum Prophetam etiam vera prædicentem, si velit nos ad cultum alienorum Deorum abducere; ut doceat, quamvis veri speciem eæ res habeant, quæ sunt Deo, ejusque Verbo contrariæ, non esse sequendas, sed sedulo ab iis esse abstinendum. Cum ergo constet Artem hanc ex meris præstigiis, et imposturis esse contextam, in Dei Providentiam, hominum libertatem, Rerumpublicarum et Imperiorum tranquillitatem, conscientiarum quietem, injuriam, et Scripturæ, Rationi, et Experientiæ contrariam, merito explodendam eam, et proscribendam esse dicimus.

QUÆSTIO VIII.

An Adamus primus mortalium fuerit, An vero homines extiterint ante Adamum, et Epocha conditi Orbis, et rerum ab hominibus gestarum, multo altius quam ab Adamo sit repetenda? Prius Affirm., Poster. Neg., contra Præadamitas.

I. Quamvis commentum Præadamiticum, ita per se absurdum sit, et ab omni ratione, non minus ac Scripturæ ipsius revelatione alienum, ut contemptum, et indignationem fidelium mereatur potius, quam operosam refutationem; Quia tamen novissimo hoc seculo, tot periculosarum novitatum feraci, inventus est non ita pridem, qui figmentum hoc, seu fabulam mundo obtrudere non erubuit, et variis argumentis illam confirmare conatus est, in *Exercitatione*, et *Systemate Theologico*, quod in eum finem concinnavit, paucis Quæstio ista attingenda est, ut commenti istius non modo vanitas, et falsitas, sed et impietas clarius pateat.

Status Quæstionis.

II. Quæstio ergo huc redit; An Adam primus homo fuerit a Deo conditus: An vero plurimi ante ipsum jam creati fuerint. Is enim cum quo nunc agimus, fingit Adamum, cujus creatio refertur Gen. ii. fuisse patrem tantum Judæorum, non vero omnium hominum, et diversam fuisse ejus formationem a creatione hominis, quæ narratur c. i., a qua vult Gentiles ortum ducere, ita ut jam ante Adamum, multæ myriades hominum terram incolerent, et interstitium sit multorum seculorum inter Adamum, et cæteros illos homines. Sed constans fuit hactenus, non modo apud Christianos, sed etiam apud Judæos, imo et ipsos Muhammedanos sententia, Adamum in principio mundi conditum esse, et primum hominem fuisse, patrem non modo Ju-

Digitized by Google

dæorum, sed et omnium omnino hominum. Cujus Assertionis plura sunt fundamenta invicta.

Non dari Præadamitas probatur.

III. Primum est ipsius *Scripturæ Vox*, quæ non semel Adamum proponit nobis, ut primum mortalium, ante quem nemo fuerit, et a quo omnes sint oriundi, sic 1 Cor. xv. 45, *Factus est primus homo in animam viventem*, et v. 47, *Primus homo e terra terrenus*. Unde Sap. vii. 1, vocatur πρωτόπλαστος πατὴρ κόσμου. Et Eva hoc nomen ea de causa sortita est, quia fuit *mater omnium viventium*, Genes. iii. 20, quod perperam diceretur, si sola gens Judaïca ab ea prodiit, innumeris aliis populis stirpem aliam, eamque longe antiquiorem agnoscentibus. Huc pertinet, quod Scriptura in genealogiis recensendis, ut ab Adamo orditur descendendo, ita in eo ascendendo desinit, Genes. v., Luc. iii.; Et quod Paulus Act. xvii. 26, asserit *Deum totum genus humanum fecisse ex uno sanguine, ut habitaret super universa superficie terræ.* Qui vero πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων ex uno sanguine oriundum est, si Judæi et Gentiles diversam habent originem, nec eundem sanguinem, eundemque parentem habent?

IV. Frustra excipitur, Adamum *primum* posse vocari hominum, relate ad Christum, licet non sit primus omnium, ut Christus *secundus* Adamus vocatur, et ἔσχατος *novissimus*, 1 Cor. xv. 47, licet nec secundus sit ab Adamo, nec ultimus. Nam Adamus vocatur primus, non tantum relate ad Christum, quia illum præcessit, sed etiam ad cæteros homines, qui imaginem ipsius ferre debent, qualis enim terrenus est, tales etiam debent esse terreni, v. 48, ubi manifeste alluditur ad primam hominis productionem ex pulvere terræ. 2. Christus vocatur *secundus*, non quod fuerit secundum individuum Generis humani, sed ratione *communicationis* et *originis*, quia fuit secunda radix, et stirps hominum; fit enim oppositio inter Adamum et Christum, tanquam inter duo Capita, quorum prius suis vitam animalem, et cum ea peccatum et mortem communicat, Posterius vero suis vitam spiritualem et æternam cum justitia sua impertitur, quod Apostolus, v. 22, notat, quum ait, *ut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificantur*, id. quotquot vivificantur. *Novissimus* vero bene dicitur, non quod ultimus debuerit nasci, sed tum quia Adamo successit, tum quia post eum nemo eandem Capitis rationem sustinere potest. Nec melius elabitur Præadamita, dum ait Adamum primum dici, et patrem omnium hominum, quatenus homines omnes in illo peccaverunt, et quatenus primus, et pater omnium peccatorum est; Nam Apostoli verba innuunt, non tantum in ordine peccandi primum dici, licet et hoc verum sit, sed et in ordine essendi, quatenus ab eo, et τὸ χοϊκὸν, et τὸ ψυχικὸν homines hauriunt, id. esse terrenum et animale.

V. 2. Mas et fœmina, qui dicuntur creati sexto die, cap. i., non alii sunt, quam Adamus et Eva, de quibus agitur, cap. ii., ubi distinctius repetitur et explicatur, quod brevius capite primo de hominis productione dictum fuerat. Patet 1. ex vers. 1, 2, 3, cap. ii., ubi præmittitur recapitulatio primævæ creationis cœli et terræ, de qua actum fuit c. i. Ergo quod in sequentibus subjicitur de creatione maris et fœminæ, eodem pertinet. 2. Utrobique origo ejusdem *Adami* describitur, quia idem nomen utrobique occurrit, et eadem nominis ratio, puta ex terra productio, quod dici non posset, si hoc de duobus diversis esset intelligendum. 3. Si duo Adami intelligendi essent, vel de secundo non constabit, quod sit factus ad Imaginem Dei, quia nihil de eo dicitur, cap. ii., vel de primo non liquebit præditum esse anima rationali, quia nihil traditur de insufflatione animæ in nares ejus, quod demum cap. ii. traditur. 4. Sequetur primis hominibus

Digitized by Google

quibus dictum est, *crescite et multiplicamini*, nullam tamen conjugii legem esse positam, quæ demum cap. ii. legitur, contra expressa Christi verba Matt. xix. 4, 5, qui ab initio Deum marem et fœminam creasse asserit, illisque hanc statuisse legem, ut *propterea relinquat homo patrem et matrem, ut adhæreat suæ conjugi*, quo duo sint *in una carne;* quibus aperte innuitur primam maris et fœminæ creationem factam ab initio, fuisse Adami et Evæ productionem, quibus ista Lex est posita, adeoque Adamum et Evam esse marem et fœminam, de quibus Genes. i. 27, quos Deus fecit ἀπ' ἀρχῆς id. est, ab illo principio quo creavit cœlum et terram. 5. Primis hominibus datum est imperium in animantia cap. i. 28, quod confirmatur, c. ii. 19, quum omnia animalia Adamo sistuntur, ut singulis nomina sua imponeret, et dominium istud solemni quasi investitura acciperet. 6. Ut dantur ipsis in cibum, herbæ, olera, fructus arborum, c. i. v. 29, ita eadem lex repetitur c. ii. 16, et agnoscitur ab Eva c. iii. 2, sola arbore scientiæ boni et mali excepta, in qua Deus eorum fidem et obedientiam explorare voluit. 7. Quum cap. ii. 5, 7, Deus dicitur formasse Adamum de luto terræ, *nullus dum dicitur fuisse homo ad colendam terram.*

VI. Nec audiendus Præadamita, dum vult creationem capitis primi differre ab ea quæ recensetur, cap. ii., in variis: Quod in illa Deus uno actu marem et fœminam simul crearit, at in ista non potuerit Adami et Evæ productio nisi successive fieri; tum quia Deus plasten egit Adami, formando eum ex pulvere terræ, quod sine mora fieri non potuit; tum quia debuit intervallum aliquod intercedere, quo animalia adducerentur ad Adamum, ut illis nomen imponeret; et, quia nullum adjutorium simile Adamo reperiri in illis poterat, ut sopor profundus immitteretur Adamo, quo costa ejus revelleretur ad Evæ formationem. Nam hic duæ falsæ hypotheses supponuntur; Prima, maris et fœminæ creationem, de qua primo capite agitur, factam fuisse simul et unico actu: cum duo supposita manifeste innuantur v. 27, *marem et fœminam creavit eos*, et quidem cum dependentia ab invicem ex Spiritus Sancti declaratione, qui tradit *Adamum primum* esse formatum, 1 Timot. ii. 13, et 1 Cor. xi. 8, 9. *Virum non esse ex muliere, sed mulierem ex viro.* Secunda, non potuisse eodem die fieri quæcunque recensentur cap. ii. de Adami et Evæ formatione. Cum enim sex diebus absoluta fuerit creatio, et Deus quievisse dicatur ab omni opere suo, productio maris et fœminæ debuit sexto die absolvi. Nec quæ afferuntur contrarium evincunt: licet enim ex illis pateat Adamum et Evam non simul et semel creatos esse, sed successive, perperam tamen inde colligas diversis diebus productos fuisse; Quidni enim Deus uno momento Adamum de pulvere terræ plasmare potuerit, altero soporem illi immittere, et tertio costam ex eo revellere, et Evam ex illa formare potuerit?

VII. Tertio, Ille primus homo merito censetur, a quo peccatum et mors in omnes homines transiit. At ab Adamo peccatum et mors in omnes derivatur, *Per unum hominem peccatum introiit in mundum, et per peccatum mors, et sic mors transiit in omnes*, Rom. v. 12. Unus autem ille homo, non alius est quam Adamus, *in quo omnes mori* dicuntur, 1 Cor. xv. 22. Frustra Præadamita distinguit hic *transgressionem, et mortem, naturalem, et legalem*, ut hæc per Adamum introducta sit, ista vero ejus natalia multis seculis præcesserit in gentilibus Præadamitis, qui obnoxii fuerint peccato et morti naturali, ex innata sibi natura corruptibili et mortali; *System. Theol.* lib. i. cap. 1 et 3. R. Nam nec *peccatum* potest dici *naturale*, quin impingatur in Deum ipsum authorem naturæ, Nec *mors naturalis* dici debet, quasi homo moriturus necessario fuerit, etsi

Digitized by Google

non peccasset, quod commentum fuit Pelagii et Socini, a Præadamita adoptatum, contra expressa Pauli verba, qui mortem per peccatum ingressam esse asserit, Rom. v. 12, et opsonia peccati esse mortem, Rom. vi. 23. Perperam etiam fingitur dari aliquod peccatum, quod non sit contra Legem, cum nihil aliud sit quam *ἀνομία*; et mortem dari quæ non sit legalis, cum non aliunde, quam ex vi Legis, ejusque sanctione constitutum sit hominibus semel mori.

VIII. Quarto, Homines vocantur בני אדם *filii Adami*, Psal. xlix. 2 et lxii. 9, et alibi passim. Ergo Adamus primus parens fuit omnium. Nec dici potest Judæos solos *filios Adami* dici in singulari, Gentiles vero Præadamitas dici *filios hominum* in plurali, eo quod originem suam ducant, non ab uno homine, sed a pluribus primæ creationis hominibus; Quia appellatio ista filiorum Adam promiscue tribuitur et Judæis et Gentibus, et si quando filii hominum vocantur in plurali, non alia fit de causa, quam quia respicitur ad causas intermedias, et generationes sequentes, non vero ad primam stirpem tantum generis humani.

IX. Quinto, Si innumeri homines ante Adamum conditi fuissent, non opus fuisset iterata homines ex pulvere creatione, cum ordinaria generatio abunde sufficere potuisset; Nec dici potuisset, non inventum fuisse homini adjutorium simile ipsi, si myriades mulierum jam extitissent; Nec homo fuisset solus, ut dicitur ii. 18. Nec tum demum Adamus nomina bestiis imponere debuit, quia Præadamitæ, quibus jam multis ante seculis commissum fuisset in bestias imperium, eas proculdubio jam nomine aliquo insignivissent.

X. Denique, Si ante Adamum innumeri homines extiterunt; Ergo novus Mundus, et nova Ecclesia, et nova salutis adipiscendæ ratio, pro novis istis hominibus excogitanda erit, cum tota salutis humanæ œconomia ad Adami posteros, non ad gentem Præadamitarum pertineat. Cum ergo, et Mosis historia, et universa Scriptura, et recta ratio figmento huic refragentur; ut et Gentium prope omnium consensus, apud quas hominis primi memoria, licet varie corrupta, et fabulis multis obscurata sit, non tamen prorsus obliterata et delcta fuit; Nemo non videt piis omnibus tanquam falsissimum et impium, quod non alio tendit, quam ad Historiæ Mosaïcæ veritatem, et Verbi divini *αὐθεντίαν* convellendam, et Religionem nostram ludibrio exponendam, merito rejiciendum esse.

Fontes Solutionum.

XI. Vestes et tunicæ pelliceæ, quas Adamus et Eva post peccatum gestarunt, non evincunt datos fuisse jam tum coriarios et pelliones: quia Deus dicitur ipsis fecisse immediate tunicas illas ex pellibus animalium, Gen. iii. 21. Et si jam tum temporis moris fuit pellibus indui, Cur Adamus et Eva nudi remanserunt? Et quid opus fuit, postquam nuditatem suam cognoverunt, ficulnea consuere folia, quibus eam tegerent, cum facile vestes aliunde sibi potuissent comparare?

XII. Si Adamus bona filiis suis adultis divisit, dum terras arandas dedit Caïno, et Abeli oves pascendas, dividendo *jus fecit*, non *invenit*, et bona divisit tantum inter filios, non hos ab aliis allophylis, qui tum viverent, separavit. Unde liquet primos eos fuisse post Adamum, qui ex ejus lumbis egressi, mundum incolere et excolere cœperunt, cum ante Adamum nullus dicatur homo extitisse qui coleret terram, Gen. ii. 5.

XIII. Licet extra dubium sit agriculturam primum vitæ genus fuisse, quod sectatus sit Adamus cum filiis, et in ea potissimum se exercuerit in georgica, et bucolica, quia prima hominum cura debuit spectare prima et maxime necessaria hujus vitæ adminicula, quæ præcipue ex hac utraque petuntur; Non propterea supponendum varios ante Adamum fuisse arti-

Digitized by Google

fices, qui instrumenta pararent necessaria ad utriusque exercitium. Tum quia longe facilius et felicius poterat exerceri quam hodie, tum quia ex familia ipsa Adami, quæ divina benedictione mirum in modum multiplicabatur, multi oriri potuerunt, qui hisce operibus sese applicarent, ut dicitur postea de Tubalcaino tertio a Caïno, Gen. iv. 22, quod autor fuerit eorum qui æs et ferrum acuunt; Nec si Abel custodire debuit oves, ideo fingendi sunt inter Præadamitas fures, quos arceret, quia poterant jam esse ex fratribus et nepotibus, a quibus sibi metuere potuit, ne dicam feras, adversus quas oves custodire debuit.

XIV. Quum Caïn factus exul et profugus a facie Dei, dicitur timuisse, ne *omnis qui inveniret ipsum, eum occideret*, Genes. iv. 14, non opus est Præadamitas fingere, quos metueret, multi enim alii Adami liberi erant, multi quoque filii et nepotes ipsius Abelis jam centenario majoris quum obiit, quos tanquam fraterni et paterni sanguinis vindices tum metuere poterat: Quid quod verba ista proprie turbatam conscientiam notant, quæ omnia tuta timere solet, et justam iræ divinæ pœnam, ministerio vel hominum, vel bestiarum infligendam expectat.

XV. Licet Mosis mens fuerit specialem Gentis suæ originem, et historiam pertexere, et Ecclesiæ primordia describere; noluit tamen in eo sistere, sed Mundi ipsius originem tradere voluit, ut rem ab ovo repeteret, et Ecclesiæ primordia, et suorum Genealogiam ab ipsis mundi incunabulis arcesseret; Et hoc vel ex eo confirmatur luculenter, quod ex tribus Noachi filiis ab Adamo oriundis, omnes Gentes toto terrarum orbe derivatæ sint, ut constat ex Genes. x. 32, quod Celeb. *Bochartus* in suo *Phaleg* abunde demonstravit; Quod dici non posset, si præter Adamum, unde Noachus oriundus fuit, alii longe plures homines jam conditi fuissent. Unde etiam patet absurdissime Judæos solos Adamitas dici, cum Gentes aliæ a Judæis alienissimæ, ab Adamo et Noacho originem duxerint.

XVI. Quod Eva dicit in Sethi nativitate, Gen. iv. 25. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abele, quem occidit Cainus*, non significat absolute nullos tunc alios fuisse Evæ filios, sed tantum nullos extitisse pietate et virtute similes Abeli recens tum cæso, quem in Setho pia mater quadantenus revicturum sperabat et optabat. Nec, si Moses nomina reticet filiarum ab Adamo et Eva progenitarum; quia Genealogiam voluit texere hominum, quæ a maribus vulgo, non a fœminis ducitur, sequitur nullas fuisse illis natas, cum expresse, Gen. v. Patriarchæ dicantur *genuisse filios et filias*.

XVII. Quamvis Paulus dicat, Rom. v. 13. *Peccatum fuisse in mundo usque ad Legem*, non sequitur extitisse homines peccatores ante Adamum. Quia falso et gratis supponitur per *Legem* hic ab Apostolo intelligi *Adamicam*, scilicet quæ lata est Adamo circa arborem scientiæ boni et mali; cum non alia quam *Lex Mosaïca* intelligenda veniat, quod patet, 1. ex eo quod Paulo ista duo æquipollent, *usque ad Mosem*, et *usque ad Legem;* nam ut dicit peccatum fuisse *in mundo usque ad Legem;* ita dicit mortem *regnasse ab Adamo usque ad Mosem.* 2. Quia non aliam Legem potest intelligere, ab ea, de qua in tota epistola loquitur, ut ostendat neminem per Legem justificari, quicquid Judæi pertenderent; quod non ad aliam quam ad Mosaïcam refertur. 3. De ea Lege loqnitur, quæ sequuta est transgressionem Adami, non quæ eam præcessit, quia dicit *Legem subintrasse, ut abundaret peccatum*, v. 20. Licet vero Lex Adamo lata fuerit prima omnium Legum, non propterea κατ' ἐξοχὴν Lex simpliciter dici debet; cum fuerit mere positiva et symbolica: Unde Scriptura nuspiam eam Legis nomine insignit, quod de Lege Mosaïca passim dicitur. Non negandum quidem jam ante Legem Mosis, fuisse Legem naturalem, ex cujus transgressione ortum est

Digitized by Google

peccatum, et ex peccato mors; quia alias, ut Apostolus ait, Rom. iv. 15. *Ubi non est Lex, ibi nec est transgressio*, nec mors quæ ex illa oritur. Sed non propterea quis nisi perperam inferat, Legem, ante quam peccatum non imputabatur, fuisse Adamicam. Quod vero additur de iis *qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami*, c. v. 14, non potest extendi ad Præadamitas, sed ad *infantes* referri debet, qui non peccarunt actualiter ad instar Adami, sed labe tantum originali sunt infecti, quæ eos condemnationi et morti subjicit. Unde licet peccatores similiter cum Adamo bene dicantur, non tamen pariter dici possunt peccasse actualiter, ad ejus similitudenem, non modo *specifice*, quo sensu nemo etiam adultorum peccare potest ad similitudinem peccati Adami, quod illi proprium fuit, sed etiam *generice*, quo pacto omnia peccata actualia illi sunt similia.

QUÆSTIO IX.

DE HOMINIS CREATIONE.

An Homo in puris naturalibus conditus fuerit, vel condi saltem potuerit? Neg. contra Pelagianos, et Scholasticos.

I. Ut Quæstio ista, quæ nobis cum Pelagianis veteribus, et recentioribus intercedit, melius intelligatur; Quid per *puræ naturæ Statum*, vel per *pura naturalia* hic designetur ante omnia tenendum est.

Naturale quot modis dicatur.

II. *Naturale* trifariam sumi potest, vel pro eo quod *naturam constituit*, et ejus est pars essentialis, vel integralis; vel pro eo quod *naturam constitutam* immediate et necessario *consequitur*, ut ejus proprietas; vel pro eo quod *naturæ* est *congenitum*, et *consentaneum*, quodque eam ornat et perficit, qualis est habitus nobis congenitus. Hic vero non agitur de naturalibus tertio sensu, sed primo, et secundo, id. vel constitutivis, vel consecutivis, quæ *pura* dicuntur opposite ad accidentia, seu qualitates separabiles; Atque ita homo in puris naturalibus dicitur, qui constat partibus suis, et proprietatibus essentialibus, absque dono justitiæ originalis, et sine ullis qualitatibus vel habitibus superadditis, bonis vel malis.

Quid sint pura naturalia.

Et status puræ naturæ.

Et *status puræ naturæ* vocatur, *puritate negativa*, non *positiva*, qua scilicet naturæ superadditum bonum vel malum nihil habeat.

III. Non quæritur, An concipere possimus hominem in puris naturalibus, cogitando de ejus essentia et proprietatibus essentialibus, non cogitando de ejus bonitate, vel malitia, quod utrinque est in confesso: Sed, An homo, qualis e manu Dei prodiit, in tali statu conditus sit, vel condi saltem potuerit? Quod negamus.

IV. Res nobis hic est cum Pelagianis veteribus, et novis; quorum illi, ut peccatum originale destruerent, et liberum arbitrium stabilirent, finxerunt statum puræ naturæ, in quo homo conditus fuerit ab initio, et quotidie etiam nascatur. Quo pertinent illa Pelagii apud *Aug.* de Peccat. orig. c. 13, "Omne bonum ac malum, quo vel laudabiles, vel illaudabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur a nobis. Capaces enim utriusque rei, non pleni nascimur, et ut sine virtute, ita et sine vitio procreamur, atque ante actionem propriæ voluntatis, id solum in homine est quod Deus condidit:" Isti vero illis in eo adstipulantur, ut facilius tueantur Justitiam originalem fuisse donum supernaturale, superadditum naturæ, tanquam aureum præ-

Digitized by Google

num, et remedium languori et morbo naturæ, qui ex conditione materiæ oriebatur; unde naturam puram, et lapsam, non aliter differre volunt, quam *nudum* a *spoliato*, ut *Bellar.* loquitur de Gratia primi hominis c. 5, qui non aliter inter se discrepant, nisi quod hic amiserit, quod alter nondum habuit, ut proinde *pura natura* se habeat instar negationis, *lapsa* vero instar privationis, atque ita volunt Adamum creatum fuisse in puris naturalibus. Verum est, non omnes in ea esse sententia, et nonnullos esse, teste *Medina* in i. 2. q. 18, art. 2, qui "per hominem constitutum in puris naturalibus, intelligunt hominem constitutum in natura integra, cum dono et vigore sanante naturam, adeo ut in bono et officio virtutum posset permanere, et perseverare si vellet, quæ sententia sine dubio videtur esse Augustini." Quod *Jansenius* in suo *Augustino* fuse ostendit tribus libris de statu puræ naturæ; Sed plerique sic sentiunt, ut *Alensis*, *Bonaventura*, et *Jesuitæ*. Ad quos hic accedunt Sociniani et Remonstrantes, Pelagii vestigia sequentes.

Homo non est conditus in puris naturalibus.

V. Nos vero Hominem nunquam in puris naturalibus seu in statu puræ naturæ ita intellectæ, conditum pertendimus, nec vero condi posse putamus. Rationes sunt, 1. Quia homo conditus est ad Imaginem Dei, Genes. i. 26, atque adeo bonus et rectus moraliter, Eccles. vii. 29. Cum enim Imago ista, ut postea dicetur, in Justitia originali potissimum sita sit, non potest dici creatus in puris naturalibus, qui ea ornatus a principio fuit. 2. Quia conditus est ad gloriam et cultum Dei Prov. xvi. 4, Rom. xi. 36, quo officio non potuisset defungi, nisi dotibus necessariis instructus fuisset; sapientia scilicet et sanctitate.

VI. 3. Quia ubi duo sunt immediate opposita, quæ subjecto alicui competunt, eorum alterutrum necesse est illi inesse. At justitia et peccatum de homine prædicantur, tanquam subjecto eorum δικτικῷ, et sibi ἀμέσως opponuntur. Ergo necesse est alterutrum illi inesse, nec potest dari homo, quin sit vel justus, vel peccator. Frustra affertur exemplum infantium, qui nec justi possunt dici, quia juste non agunt, nec peccatores, quia peccare non possunt. Nam quamvis infans non possit dici justus, aut peccator, justitia, aut peccato actuali; potest tamen habituali, et congenito, ut recte dicitur rationalis, quia rationem habet in actu primo, licet actu nondum ratiocinetur, nec ratiocinari possit.

VII. 4. Quia status iste puræ naturæ, merum est figmentum, quod nec fuit unquam, nec esse potuit: Non in statu integro, quia in eo integer et innocens esse debuit; Non in statu peccati, quia nascitur filius iræ; Non in statu gratiæ, quia renascitur filius Dei; Non in statu gloriæ, quia tunc consummabitur ejus sanctitas et felicitas.

Fontes Solutionum.

VIII. *Status naturæ puræ*, non dicitur opposite ad *impurum*, sic enim non repugnat statum integritatis vocari, quia pura tunc et integra fuit natura, sed opposite ad *dona, et habitus spirituales* justitiæ et sanctitatis, quos Pontificii volunt esse supernaturales, patrocinaturi liberi arbitrii integritati, et ut concupiscentiam faciant naturalem in primo homine.

IX. Deus poterat quidem hominem non creare, sed posito quod voluerit creare, non poterat illum creare exlegem, et homini creato non ponere Legem, quia ut dependentia physica essentialis Creaturæ a Creatore datur semper in genere entis, ita et ethica dari debet in genere moris; imo quamvis Deus nullam legem externam illi posuisset, conscientia et rectæ rationis dictamen illi esset instar Legis, quod Apostolus vocat *opus Legis*, Rom. ii. 15.

Digitized by Google

X. Cum ipsa carentia justitiæ originalis sit peccatum, non potest concipi homo destitutus justitia originali, quin eo ipso concipiatur peccator, maxime cum ille defectus non sit mera negatio, sed privatio rectitudinis debitæ inesse.

www.libtool.com.cn

XI. Homo potest dari, qui non sit justus, vel qui non sit peccator; Sed non potest dari, qui non sit, vel justus, vel peccator; prius negat alterutrum de subjecto, quod sæpe occurrit; sed posterius utrumque, quod nunquam.

QUÆSTIO X.

In quo sita sit Imago Dei, ad quam Homo conditus est?

I. Ut *Imago Dei* præcipua est hominis gloria, qua cæteris Animantibus longe supereminet, et ad Deum propius accedit; plurimum nostra refert cognoscere, in quo potissimum constituenda sit, quod diversimode a Theologis explicatur. Nos primo κατ' ἄφαιρ. et negative ostendemus, in quo non sita sit: Secundo κατὰ θέσιν et affirmative videbimus, in quo sit statuenda.

II. Observandum vero in antecessum, Scripturam quadruplicis Imaginis Dei mentionem facere. Prima est *Filii Dei*, qui vocatur εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου, Col. i. 15, *Imago Dei invisibilis:* Secunda *Adami*, qui factus est ad Imaginem Dei: Tertia *Renati*, qui dicitur *renovari in cognitione ad imaginem Creatoris sui*, Col. iii. 10: Quarta *Viri* qui peculiari ratione dicitur *imago Dei* supra mulierem, quæ est *imago Viri*, 1 Cor. xi. 7. *Filius Dei* est *imago essentialis*, æqualitatis perfectissimæ, eandem numero naturam obtinens cum Patre. Adam est *imago accidentalis, et analogica*, similitudinis inadæquatæ et imperfectæ, quoad naturam, dona, et statum. Renati sunt *imago spiritualis*, quoad dona supernaturalia. Vir comparate ad uxorem, est *imago authoritatis*, quoad potestatem quam habet in uxorem.

III. Rursus Imago, vel significat ipsum ἀρχέτυπον, ad cujus exemplar aliquid fit, seu res illas in Deo, ad quarum similitudinem conditus est homo: Vel significat ipsum ectypon, quod fit ad exemplar alterius, seu similitudinem ipsam, quæ est in homine, et relationem ad ipsum Deum; priori sensu homo dicitur esse factus ad imaginem Dei, posteriori vero ipsa Dei imago.

Imago Dei non consistit in participatione Essentiæ Divinæ.

IV. Imago autem ista, Primo κατ' ἄφαιρ., Non posita est in *participatione Essentiæ Divinæ*, quasi hominis natura esset ἀποσπασμάτιον divinæ, et divinæ auræ quædam particula, ut Gentiles loquebantur. Hac enim ratione solus Filius Dei est *Imago Dei invisibilis*, Col. i. 15, essentialis, et naturalis, et nullus mortalium potest eo assurgere, quia infinitum non potest participari a finito: Et si *participes* dicimur per gratiam *divinæ naturæ*, 2 Pet i. 4, hoc non intelligitur de *participatione essentiali, formali*, et *intrinseca*, sed *analogica, accidentali*, et *extrinseca*, ratione effectorum analogorum virtutibus divinis, quæ in nobis per Spiritum ad imaginem Dei producuntur.

2. Nec in corporis figura.

V. 2. Nec in *Corporis aliqua figura*, aut habitu externo, quo homo Deum referat, quod fuit olim Anthropomorphitarum delirium. Nam licet non putemus omnem rationem imaginis istius a corpore esse plane removendam, et aliquos ejus radios fulgere in ipso censeamus, sive immortalitatem hominis spectemus,

Digitized by Google

cujus corpus etiam suo modo particeps fuisset, sive majestatem illam quam præ se ferebat, et quam Ovid. eleganter sic exprimit:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus;

www.libtool.com.cn

sive admirabilem Corporis organici, et omnium membrorum compagem, symmetriam, et usum attendamus; Certum tamen est, non tam formaliter, quam consequenter et effective, fulsisse in corpore istam imaginem, quatenus et figura ipsius hominis, et majestas ab illa resultans, testatur de hominis potestate in reliquas creaturas, et quod habeat animam contemplationi et cognitioni idoneam; atque adeo propria Imaginis Divinæ sedem, non in corpore, sed in anima fuisse. Nec si membra humana Deo tribuuntur in Scriptura, propterea sequitur imaginis rationem in istis proprie esse collocandam; cum ἀνθρωποπαθῶς tantum illi tribuantur, et intelligenda sint ὑποτυπῶς, non formaliter et proprie, sed figurate et analogice.

VI. Secundo, κατὰ δίοιν, Imago ista consistebat in bonis homini per creationem collatis, iisque non essentialibus tantum, nec solum accidentalibus, sed utrisque simul, tam internis, quam externis, quibus in eo naturæ, perfectionis, et authoritatis gradu erat collocatus, ut nulla visibilis creatura Deo vel esset similior, vel conjunctior. In tribus vero potissimum posita erat, 1. In natura, 2. In rectitudine naturæ, 3. In statu beato, qui in utraque fundatur, *antecedenter* in natura, quoad spiritualitatem, et immortalitatem animæ, *formaliter* in rectitudine, seu Justitia originali; *Consequenter*, In hominis totius dominio et immortalitate, qui fuit imaginis istius splendentis fulgor, et radii undique micantes, qui hominem totum collustrabant.

Sed 1. In natura, 2. rectitudine, 3. dominio ac immortalitate.

1. In animæ substantia.

VII. Prima ergo pars Imaginis pertinet ad *Animæ substantiam*, eamque spiritualem, et incorruptibilem, seu immortalem ab intrinseco, et ad ejus facultates, intellectum puta et voluntatem, et quæ ex utraque exurgit libertatem, quæ omnia Deo eminenter et perfectissime competunt. Unde homo etiam post peccatum dicitur ad imaginem Dei factus, Jac. iii. 9; et Gen. ix. 6, cædes hominis, imaginis Dei destructio vocatur, dum vetatur homicidium hominis, qui ad imaginem Dei factus est, quod dici non posset, nisi quædam pars imaginis divinæ, etiam in ipsa animæ natura sita esset. Nec si Scriptura sæpius refert imaginem Dei ad justitiam et sanctitatem, quia est ejus pars potissima, propterea exclusive loquitur, et negat ad animam ipsam etiam pertinere; Nec ἀδιάστατον est, ut Imago partim dicatur amissa, et partim conservata, et ut in eodem subjecto sit imago Dei et Diaboli κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο; Illa quidem in animæ essentia, et dotibus post lapsum residuis; Ista vero in vitiositate et macula: unde peccatores similes in ea dicuntur diabolo patri suo, ejus opera patrando, qui tamen non desinunt referre Authorem suum ratione spiritualitatis et incorruptibilitatis. Nec propterea revocatur error Flaccii, qui non fuit in eo, quod constitueret imaginem in animæ essentia, sed quod arbitraretur peccatum læsisse ipsam animæ substantiam, quod falsum est.

2. In Justitia originali.

VIII. 2. Ad eam pertinet rectitudo, et integritas, seu dotes homini collatæ, quæ nomine *Justitiæ originalis* exprimi solent, quia fuit homini concreata, et ab origine illi collata est, quæ complectitur, tum sapientiam in mente, sanctitatem in voluntate, et rectitudinem et σύταξίαν in affectibus, et talem harmoniam

Digitized by Google

inter omnes ejus facultates dicit, ut membra affectibus, affectus voluntati, voluntas rationi, ratio Legi divinæ obsequerentur, et sic homo rectus et integer absque peccato existeret, sed tamen in statu semper mutabili; cui accessit *libertas* quadruplex, 1. a coactione, 2. a necessitate physica, 3. a peccato, 4. a miseria; de quibus postea.

Contra Socinianos probatur Justitiam originalem datum fuisse Adamo.

IX. Reclamant hic *Sociniani*, qui, ut facilius peccati originalis veritatem et naturam evertant, non modo nolunt agnoscere Justitiam hanc pertinere ad Dei imaginem, sed absolute negant hominem in tali justitia esse conditum: Fatentur quidem hominem conditum esse absque corruptione peccati, quæ nunc est; Sed sapientem, justum et sanctum, absque dissidio et rebellione rationis et appetitus esse negant; ut innocentia quidem et carentia peccati illi tribui possit, sed non justitia. Atque ita Imaginem Dei in solo dominio positam esse volunt, vide *Socinum*, Prælect. c. 3. Quem hic sequuntur *Remonstrantes* in Colla. Hagi. p. 250. Nos vero hominem cum justitia ista fuisse creatum, et in ea præcipuam imaginis partem consistere censemus, et sequentibus rationibus demonstramus.

X. Primo, Quia homo creatus est rectus et bonus, atque adeo justus originaliter; bonitas enim et rectitudo moralis justitiam necessario includit, imo est justitia de qua loquitur Moses, Gen. i. 31, "Deus vidit ea quæ fecit, et erant omnia valde bona." Eccl. vii. 29, "Deus fecit hominem rectum, sed ille quæsivit ratiocinia multa." Perperam vero Socin. vult טוב quod habetur, Genes. i., non significare rectitudinem animæ, aut justitiam; sed aptitudinem et convenientiam ad id, quod Deus sibi proposuerat, et ad omnia opera creationis extendi. Quia licet hoc enuncietur de omnibus Dei operibus in genere, ad singula tamen debet in specie pertinere, et ad hominem peculiariter applicandum est, juxta statum naturæ suæ et convenienter ad finem ad quem destinatus fuit a Deo; Ut ergo bruta, et aliæ creaturæ dicuntur bonæ bonitate naturali, homo, qui est creatura rationalis, et qui Deo et Legi ejus moraliter subjici debet, *bonus* intelligitur *bonitate morali*, sine qua non potuit finem assequi ad quem destinatus fuit, nim. Dei gloriam et cultum. Vox ישר quæ Eccl. vii. habetur, non potest notare tantum negationem injustitiæ et carentiam peccati, cum indifferentia ad bonum et malum; sed necessario notat positionem justitiæ, qua rectus et integer moraliter censeatur, id est conformis Legi, ut passim redditur a LXX. pro subjecta materia per δίκαιος, καθαρὸν, καλὸν et ἀγαθὸν, et antithesis hoc confirmat, quia pravitatem moralem in vanis hominum ratiociniis opponit rectitudini in qua creatus est.

XI. Secundo, Qualis est imago, quæ in nobis restauratur per gratiam, et quæ perficietur in nobis per gloriam; Talis debuit esse, quæ collata est homini in natura, quia renovatio fit κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος *juxta imaginem Creatoris*, Col. iii. 10. At Imago illa non alia est, quam hominis regeneratio, quæ in illuminatione mentis, et sanctificatione voluntatis consistit; Unde dicimur *transformari per renovationem mentis nostræ*, Rom. xii. 2, et Col. iii. 10, *renovari εἰς ἐπίγνωσιν in cognitionem*, et Eph. iv. 24, *novus homo*, qui est ipsissima imago quæ in nobis reformatur, dicitur esse *secundum Deum, in justitia et sanctitate veritatis*, id. vel in vera justitia et sanctitate, vel in justitia et sanctitate, quæ oritur ex veritate: Ita Imago gloriæ, non alia erit, quam perfecta similitudo cum Deo per cognitionem, et sanctitatem absolutam, Ps. xvii. 15, 1 Jo. iii. 2.

XII. Tertio, Deus hominem perfectum creavit, Ergo cum Justitia originali, quia hæc est animæ rationalis perfectio. Frustra regerit Adversarius perfectionem hominis esse justitiam voluntariam, non naturalem, quam

Digitized by Google

usu liberi arbitrii demum sit adeptus; Quia supponit gratis Justitiam voluntariam tantum fuisse, prout voluntarium illud est, quod per actus voluntatis acquiritur, cum ea ab origine homini data sit, atque adeo connata, non acquisita; potest ergo dici et naturalis, et voluntaria, *naturalis* quia homini fuit concreata, *voluntaria*, tum *subjective*, quia fuit in voluntate, tum *effective*, quia actus liberos et voluntarios produxit.

XIII. Quarto, Quia Homo a Deo conditus est ad Creatorem suum agnoscendum et colendum, et ut dominium in cæteras creaturas exerceret; sed neutrum potuit præstare sine justitia originali; Quomodo enim vel sapienter et juste potuisset dominari in creaturas, vel Deo servire, nisi sapientia et sanctitate fuisset instructus?

Fontes Solutionum.

XIV. Aliud est habere justitiam originalem, Aliud habere eam immutabiliter; Si illam habuisset posteriori modo, nec peccare potuisset, nec ulla tentatione urgeri. Sed quia habuit eam mutabiliter, potuit utrumque, ut eventus docuit. Justitia ergo originalis, nec fuit *impotentia absoluta peccandi*, nec *impeccantia* simpliciter, sed *potentia non peccandi*, ex justitia mutabili, quæ peccandi quidem voluntatem, quandiu stabat, sed non facultatem, auferebat: Nec debuit illa imago ponere impeccabilitatem in homine, qualis est in Deo, quia simile non est idem: potuit quidem imitari Dei sanctitatem et justitiam, et ad eam accedere, sed procul tamen a sanctitate Dei, quæ est essentialis, perfecta, et Immutabilis.

XV. Quamvis bene colligatur ex Gen. i. 26, Imaginem Dei etiam in Dominio consistere, vel illud post se trahere consequenter; hoc tamen non debet intelligi *exclusive* ad Justitiam; nam dominium hoc necessario illam requirit, et præsupponit, quippe ut simpliciter exerceatur, rationem, ut juste et placide, sapientiam et justitiam, ut perpetuo et constanter, immortalitatem, postulat.

XVI. Adamus post lapsum habuit adhuc imaginem, sicut et posteri ejus etiam hodie habent, dum dicuntur facti ad imaginem Dei; sed hoc intelligendum tantum secundum quid, quoad reliquias quasdam naturales imaginis; sed non absolute, quoad qualitates spirituales et supernaturales, quæ plane sunt amissæ, et restaurari debent in nobis per gratiam regenerationis.

XVII. Alia est *justitia gratiæ* et *gloriæ* in Christo Adamo secundo, Alia *justitia naturæ;* Illa est immutabilis et indefectibilis: Sed ista non item, unde mirum non est si homo justus defecerit, quia erat justus mutabiliter.

XVIII. Ut *caro et spiritus* physice accepta disparata sunt, non contraria, Ita etiam se habent utriusque appetitus, inclinationes, et actiones per se; repugnantia quæ in illis deprehenditur nunc, per accidens ex peccato nata est; Antea enim summa erat harmonia, et ὑπταξία in appetitibus; Corpus quippe animæ, caro rationi obsequebatur, non violenter, sed naturaliter.

XIX. Sapientia Adami in variis eluxit, tum in ὑποταθείσις animalium, quæ non facta est pro arbitrio, et ad meram distinctionem, sed ex ratione, et convenienter cujuslibet naturæ, Gen. ii. 19, tum in miraculosi Evæ uxoris ortus cognitione, cujus naturam et officium spiritu prophetico declarat, v. 23. Nec, si *oculi* primorum parentum post peccatum dicuntur *aperti*, ut cognoscerent se nudos; sequitur hoc antea ignorasse, quia aperti dicuntur, non prout erant creati a Deo, sed prout obscurati fuerant a Diabolo, qui spe scientiæ et dignitatis divinæ eos lactaverat, a qua post lapsum se excidisse funesta experientia didicerunt. Agnoverunt ergo se esse nudos,

Digitized by Google

non quod antea instar puerorum hoc ignorassent, quia, v. 25, expresse dicitur *eos fuisse nudos, nec propterea erubuisse;* sed quia non prius agnoverunt se indigere vestimentis, quam amissa justitia, turpitudine sua confundi, et Judicis oculum formidare, ac elementorum injuriam sentire cœperunt. Duplex ergo veluti ipsorum *nuditas* attendenda est, alia *innocentiæ* et *sanctitatis*, quam ante lapsum agnoverunt, nec propterea erubuerunt, quia nulla ἀτοπία et turpitudine comitata erat; alia *reatus* et *turpitudinis* post peccatum, quæ non potuit non pudore eos suffundere, statim atque conscientia ipsorum evigilavit, et aperti sunt oculi ad eam cognoscendam.

XX. Sapiens et justus non peccat in *sensu composito*, et qua talis, sed potest peccare in *sensu diviso*, quum deficit a sapientia et justitia sibi collata, quod fecit Adamus; Licet nosset theoretice quid Deus circa arborem scientiæ boni et mali esset comminatus, non adhibuit tamen *practice* illam Dei comminationem, cujus sibi conscius erat, ut debuisset, ad resistendum tentationi diaboli.

XXI. Eadem justitia quæ reparatur per Christum, data fuit primitus Adamo, quoad *rem habitam*, sed non quoad *modum habendi;* ista enim ab origine in ipso fuit, et per naturam, illa vero supernaturaliter tantum, et per gratiam; prima mutabiliter, secunda immutabiliter et inamissibiliter.

3. Imago in dominio et immortalitate posita est.

XXII. Tertia pars Imaginis Dei consistit in hominis *Dominio* et *Immortalitate*. Dominium est Potestas quæ illi a Deo tributa est tanquam principi in omnes creaturas inferiores, per quam ut jus habebat illis pro libitu utendi; Ita omnes ipsi tanquam Domino famulari tenebantur, et ejus usibus servire, quæ fuit ἀπορροὴ quædam imaginis divinæ, et character supremi dominii Creatoris, cujus ὑπερoχὴ hac in parte cum homine aliquo modo communicata. Hinc formationi hominis ad imaginem Dei subjicitur statim ejusdem dominium, Gen. i. 26, 27, "faciamus hominem ad imaginem nostram, et secundum similitudinem nostram, וירדו et dominentur," vel "ut dominentur," sive "qui dominentur in pisces maris, in alites cœli, et pecudes, et in totam terram," &c. Commune autem fuit dominium utrique, respectu reliquarum creaturarum; licet vir hoc habuerit peculiare, quod potestatem haberet in uxorem, quo sensu vir singulariter vocatur Imago Dei, 1 Cor. xi. Licet vero per lapsum, dominium illud valde fractum et imminutum fuerit, non tamen eo plane excidit; Unde, Gen. ix. 2, 3, Noacho post diluvium confirmatur, quod non tam est prima concessio potestatis, quam restitutio qualiscunque prisci juris antea dati. Qualecunque autem fuerit dominium istud etiam ante lapsum, infinite distabat a Dominio Dei, quod independens, naturale, absolutum, et illimitatum; hominis contra dependens, precarium, et suis limitibus circumscriptum.

XXIII. Huic addenda est *Immortalitas*, non animæ tantum ipsius, quæ etiamnum post peccatum remanet, sed totius suppositi, non absoluta qualis est beatorum, quæ est *impotentia moriendi*, sed conditionata, quæ est *potentia non moriendi* si non peccasset, de qua peculiari Quæstione postea agetur.

www.tibtool.com.cn

Digitized by Google

QUÆSTIO XI.

An Justitia originalis fuerit naturalis, An supernaturalis? Prius affirm., Poster. Neg., contra Pontificios.

www.libtool.com.cn

I. Quæstio hæc movetur a Pontificiis, quæ non magni momenti videretur esse, si de nomine tantum lis esset; Sed quia sub isto cortice varios errores inducunt Adversarii; necessaria facta est ad intelligendam status integritatis naturam, peccati originalis veritatem, et liberi arbitrii conditionem.

Naturale quadrifariam dicitur,

1. Originaliter.

2. Constitutive.

3. Perfective.

4. Transitive.

II. Quia vero multum logomachiæ solet in hac Quæstione misceri, ob multiplicem vocis naturalis, et supernaturalis significationem, de ea primo dicendum. *Naturale* quadrifariam sumitur, 1. *Originaliter* et *subjective*, quod a natura trahitur et illi est vel concreatum, vel congenitum, illique penitissime infixum, quod opponitur *adventitio*. 2. *Constitutive* et *consecutive*, quod naturam rei constituit, vel consequitur, et fluit a principiis naturæ, quales sunt partes rei essentiales, vel ejus proprietates; quod opponitur *accidentali*. 3. *Perfective*, quod naturæ convenit et illam ornat et perficit, quod opponitur ei quod est *contra naturam*. 4. *Transitive*, quod cum natura propagari debuit.

III. Rursus *natura* spectari potest, vel ut *integra*, vel ut *corrupta*, nam quædam sunt naturalia quoad primum, quæ sunt supernaturalia respectu secundæ. Naturale in natura integra id dicebatur homini, non modo quod naturam ejus constituebat essentialiter, vel consequebatur necessario, sed quod naturæ ita conveniebat, et insitum erat, ut sine eo integra esse non potuisset; Supernaturale vero, quod homini integro, supra naturæ principia et animi dotes adveniebat ad ejus perfectionem.

Status Quæstionis.

IV. Non quæritur, An Justitia originalis dicatur *naturalis constitutive* a priori, vel *consecutive* a posteriori, quasi vel naturam ipsam constitueret, vel consequeretur; hoc enim nemo nostrum asserit. Non, An sit talis *originaliter* et *transitive*, ab origine puta deducta, et quæ ad posteros, si homo integer perstitisset, propaganda fuisset; hoc enim nemo ex Pontificiis negat. Non, An sit naturalis resp. *status corrupti;* facile enim concedimus, ita ab homine lapso esse alienam, ut sine supernaturali dono gratiæ illam recuperare non valeat. Sed, An sit *naturalis* respectu *status integri*, quæ necessaria sit ad perfectionem naturæ integræ, et quæ pertineat ad dotes nativas hominis integri; sic enim homo non spectatur simpliciter *physice*, qua homo, sed *Theologice* et *moraliter*, qua sanus et integer.

V. Pontificii volunt Justitiam originalem esse donum supernaturale, quod ad nativas hominis integri dotes et vires superadditum fuerit. Cur autem ista statuant, causam Bell. exponit, De gratia primi hominis, c. v. et vi., quod in homine naturaliter pugna fuerit inter carnem et spiritum, rationem et appetitum, ex qua flueret morbus et languor quidam naturæ, qui ex conditione materiæ oriretur; Ideo Deum justitiam originalem tanquam *frænum aureum* addidisse, quod cohiberet illam pugnam, et instar pretiosæ *vestis*, quæ nuditatem ipsius tegeret, et *medicamenti*, quod sanaret illum languorem. Quæ communior est apud ipsos sententia, licet reclament hic Jansenistæ, et alii cum ipsis. Unde ortum illud Scholasticorum, *Naturalia mansisse integra*, *supernaturalia* vero *tantum amissa*.

Digitized by Google

Justitiam originalem naturalem fuisse probatur.

VI. Orthodoxi vero, licet non diffiteantur justitiam istam supernaturalem posse dici ratione status corrupti, nec esse naturalem constitutive, aut consecutive; Tamen naturalem bene dici censent *originaliter* et *perfective*, ratione status integri, quia illi concreata est, et ita necessaria ad hominis integri perfectionem, ut sine ea talis esse non potuisset.

VII. Rationes sunt, 1. Quia bonitas et rectitudo sunt naturales homini integro; Ergo et justitia originalis quæ in illis sita est: Qualis quippe fuit relatio bonitatis ad reliquas creaturas, talis etiam fuit relatio ad hominem. At reliquis Creaturis bonitas fuit naturalis, Gen. i. 31; Ergo et homini. Ita quoad rectitudinem, cum homini tribuatur ab illius creatione, ut opponatur ei quod est adventitium, Eccl. vii. 29, non potest non esse naturalis.

VIII. 2. Quia quicquid transfunditur ad posteros, debet esse naturale; Justitia propaganda fuisset ad posteros, si homo perstitisset in integritate, siquidem sibi simile genuisset. 3. Quia peccatum originale, quod a parentibus derivatur in filios est naturale, unde dicimur *natura filii iræ*, Eph. ii. 3; Ergo Justitia originalis, quæ illi opponitur, naturalis etiam debuit esse. 4. Reliquiæ imaginis divinæ dicuntur naturales; quia sunt opus Legis, quod gentes faciunt natura, Rom. ii. 14; Ergo et ipsa Imago tota.

IX. 5. Si Justitia originalis fuit supernaturalis, Ergo naturalis Adamo fuit privatio justitiæ, et illa omnia, quæ necesse est ut subjecto capaci adsint, a quo justitia abest, ignorantia puta, inclinatio ad vitia, concupiscentia carnis, rebellio partis inferioris adversus superiorem, et alia idgenus, quæ Bellar. vocat *morbos* et *languores naturæ*. At hoc dici non potest, quin eidem adscribantur, qui est author naturæ, qui ideo censeatur author peccati. Nam quod Bellarminus regerit, concupiscentiam, quæ nunc est pœna peccati, tunc tantum fuisse languorem et morbum naturæ, qui non sit ex Deo, sed ex conditione materiæ, ut faber ferrarius rubiginis author non est, quam factus ab ipso gladius contrahit, non solvit nodum; Nam, 1. Gratis supponitur datum fuisse languorem et morbum in natura sana; 2. Morbum illum non fuisse peccatum; cum tamen certum sit concupiscentiam illam et præcipitem ad vitia inclinationem, pugnare cum Lege Dei, et causam esse multorum peccatorum, atque adeo non posse non esse peccatum. 3. Comparatio fabri ferrarii non huc pertinet, quia rubigo sequitur materiam ferri, quam faber non fecit, sed invenit. At Deus ipsam hominis materiam condidit et quidem talem, ut vult Bellarminus, quam sequeretur necessario talis ἀταξία et rebellio, unde ut fuit author talis materiæ, debet author dici illius defectus, qui necessario eam sequitur; atque ita sapientissimo δημιουργῷ vel imperitia impingetur, vel impotentia, quod concupiscentiæ labem, ex conditione materiæ necessario emergentem, totamque illam carnis adversus spiritum ἀταξίαν, vel non præviderit, vel amovere non potuerit, quin nobilissimum opus invaderet, quod utrumque ex æquo impium et blasphemum.

X. 6. Finis naturalis hominis, supponere debet media naturalia ad illius consecutionem; sed beatitudo fuit finis naturalis hominis. Ergo media debuit habere naturalia, quæ non alia potuerunt esse quam justitia originalis: Nec reponi debet, posse dici finem quoad *appetitum*, sed non quoad *consecutionem*: Nam cum appetitus primi hominis non potuerit esse vanus in natura integra, debuit post se trahere consecutionem, si non quoad eventum, saltem quoad possibilitatem, ut res non tantum esset appetibilis, sed possibilis, alias dicendum erit, Deum, quod singulis rebus a se creatis per naturam contulit, nimirum ut viribus idoneis ad edendas operationes

Digitized by Google

suas pollerent, uni homini, id est operi longe præstantissimo, invidisse et negasse.

Fontes solutionum.

XI. Aliud est loqui de *essentia hominis*, Aliud *de ejus integritate, et perfectione;* Ad ablationem partis, vel proprietatis alicujus essentialis, sequitur revera rei interitus, sed non statim ad illius privationem, quod facit ad naturæ integritatem et perfectionem, qualis fuit justitia originalis; manet quidem mutila et depravata natura, quum amisit quod perficiebat, sed non quoad essentiam destruitur.

XII. Licet Justitia originalis dicatur Adamo naturalis, non sequitur eandem esse cum Justitia Dei, quia Deus solus naturaliter justus est omnimode, essentialiter, independenter, et immutabiliter, sed homo tantum certo respectu, et secundum quid, mutabiliter, precario, et dependenter.

XIII. Ut aliquis dicatur *naturalis Dei Filius*, non sufficit ut aliquid habeat naturale propter quod filius Dei dicatur; Sed requiritur ut cum Patre eandem numero naturam habeat, quod de solo Christo dici potest, qui est essentialis Dei imago, sed non de primo parente, qui ratione similitudinis aliqualis tantum nomen filii Dei obtinet.

XIV. Qui *pulvis est*, secundum omnes essentiæ partes, illi non potest esse justitia originalis naturalis; Sed homo dicitur tantum pulvis, Gen. iii. 19, secundum quid, et respectu corporis. Sic, ut naturale est homini pulvereum esse a parte corporis, quod e terra formatum fuit, tam naturale illi esse debet justum et sanctum esse, quoad imaginem Dei, ad quam formatus est. Deinde hic distinguenda est *labes*, et *labilitas;* aliud est labem habere connatam, aliud vero posse labi; Homo qua pulvis habuit labilitatem, qua potuit peccare, sed non labem ipsam, qua actu peccarit. Illa statum naturæ mutabilis notabat, sed nullum morbum, vel languorem designabat in eo; Ista statum peccati, qui esse non potuit in natura integra.

XV. Tantum abest, ut pars animæ inferior per se pugnet cum superiori, ut contra, teste Philosopho, *πυθμενχὴν πέφυκε*, et natura illi subordinetur: Propensiones utriusque possunt esse diversæ, sed non contrariæ per se, sed tantum per accidens propter peccatum; homo enim potuit naturaliter ferri ad utrumque bonum, sensibile et spirituale, sed in suo ordine, absque rebellione carnis et spiritus, ut anima imperium semper obtineret, caro vero illi morem gereret, et omnes motus suos, et inclinationes illi subjiceret; bonum enim sensibile in bono intelligibili continetur, et appetitus sensitivi objectum se habet ad objectum rationalis, ut medium ad finem. Quamdiu ergo homo bonum sensibile respexit ut medium, nulla fuit in eo vitiositas, sed quum a Deo discedens ferri cœpit in objectum appetitus sensitivi, tanquam in ultimum finem, et summum bonum, quod factum est per peccatum, tum demum orta est *ἀταξία*, quæ ordinem a Deo constitutum perturbavit. Distinguendum ergo hic est accurate in appetitu, quod fuit naturale, et ordinatum, ab eo quod præternaturale est, et inordinatum; Istud rationi repugnat, sed non pariter illud.

XVI. Quamvis Justitia originalis recte dici possit *Gratia*, seu *donum gratuitum*, atque adeo indebitum a parte Dei, quemadmodum et natura ipsa, quæ ab ipso creata est; Non sequitur propterea esse supernaturalem, vel indebitam ad perfectionem naturæ integræ, quia licet nihil debuerit Deus homini, posito tamen quod voluit creare hominem ad imaginem suam, debuit illum creare justum et sanctum.

XVII. Præter *habitum infusum* per gratiam, et *acquisitum* per industriam, datur alius *connatus* et collatus ad perfectionem creaturæ; Nec prop-

Digitized by Google

terea confunditur cum potentia naturali, quia ista naturæ constitutionem in genere entis respicit; Ille vero naturæ constitutæ perfectionem in genere moris.

www.libtool.com.cn

QUÆSTIO XII.

An primus homo ante lapsum immortalitatem habuerit, An vero natura et conditione fuerit mortalis? Prius Affirm., Poster. Neg., contra Socinianos.

I. Ut *Sociniani* negant Justitiam originalem datam fuisse Adamo; Ita nolunt agnoscere ejus *immortalitatem*, quæ debuit esse consequens justitiæ, et pertendunt mortem fuisse sequelam naturæ, non stipendium peccati, ita ut homo moriturus fuisset, etsi nunquam peccasset. Scopus est evertere peccatum originis, quod a morte, tanquam a proprio effectu in infantibus adstruitur, et Satisfactionem Christi pro nobis negare.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur de *immortalitate essentiali*, et *absoluta*, in qua nulla est, vel intrinseca, vel extrinseca interitus causa, quæ soli Deo competit, qui ideo vocatur *solus immortalis*, 1. Timoth. vi. 16; Sed de *immortalitate comparata*, et *participata*. 2. Non de *immortalitate animæ in genere entis*, et quoad statum naturæ, quæ competit illi in quolibet statu; Sed de immortalitate hominis *in genere moris*, et quoad felicitatem. 3. Non de *immortalitate gloriæ*, quæ posita est in *impotentia absoluta moriendi*, quæ solis beatis convenit, secundum quam non poterunt amplius mori; Sed de *immortalitate viæ*, quæ sita est in *potentia non moriendi conditionata*, per quam homo poterat non mori, si non peccasset. 4. Non de *mortalitate remota*, quo sensu illud *mortale* dicitur, quod potentiam habet remotam mortis, puta quod compositum est ex materia terrena et elementari; Et sic Adamus potest dici mortalis remote, quia corpus ejus pulvereum fuit, et compositum ex contrariis qualitatibus; Sed de *mortalitate proxima*, a qua actus immediate pendet, et quæ infert moriendi necessitatem: An Adamus ita fuerit mortalis potentia proxima, ut necessario certo moriturus fuisset licet non peccasset? Sociniani affirmant, *Socin.* lib. iii. de Serva. cap. 8, "Mors naturalis quatenus naturalis est, et omnibus communis, non est peccati stipendium, sed naturæ nostræ, quam ipsemet Adamus in ipsa creatione accepit, propria sequela," quod variis rationibus confirmare conatur, Prælect. Theol. c. i. Orthodoxi vero negant Adamum, licet mortalis fuerit remote ratione corporis, quod resolubile fuit in sua principia, fuisse mortalem proxime, et nunquam moriturum fuisse censent, si perstitisset in integritate, quia sanctitas animæ corpus a morte et corruptione præservasset.

Adamum fuisse immortalem probatur.

III. Rationes sunt, 1. Quia homo ad imaginem Dei conditus est, quæ duos istos radios præcipuos continet, sanctitatem, et immortalitatem: Ut in Deo duo sunt, τὸ ἀγαθὸν, quod refertur ad bonitatem moralem, et τὸ μακάριον quod boni physici naturam induit; Ita duo ista respondere debent in creatura, quæ Dei imaginem gerit, ut illi assimiletur in sanctitate et felicitate, in justitia et vita. Nec inde sequitur hominem non magis mori potuisse, quam Deum, quia imago ista non fuit essentialis, et æqualitatis omnimodæ, qualis fuit in Christo, sed analogica, et aliqualis tantum similitudinis, quæ longissime subsidet infra immortalitatem Dei.

IV. Si Adamus fuit justus, debuit esse immortalis, quia datur connexio

Digitized by Google

necessaria inter justitiam et vitam, 1. ex *ordine Dei* qui justitiam et vitam in Lege inseparabili vinculo conjunxit, ut peccatum et mortem arcte inter se copulavit, *Fac hoc et vives, Anima quæ peccavit morietur.* 2. *ex rei ipsius natura*, quæ postulat, ut res homogeneæ a se invicem non separentur. At *bonum morale* est homogeneum *bono physico*, ut *malum ethicum* respondet *physico*. Unde necessario se consequuntur, nec possunt a se invicem divelli; Nam ut summa virtus cum vita longe miserrima consistere semper non potest, ita nec summa malitia, cum perfecta felicitate potest componi. Licet enim ad tempus, et per dispensationem, justitia et vita potuerint separari, ut in Christo visum; non potest tamen hoc obtinere in perpetuum; Nec ratio sapientiæ et bonitatis Dei hoc patitur; cum enim Deus non possit non seipsum amare, utpote summopere amandum; Non potest etiam, quin suam amet creaturam, in qua videt suam fulgere imaginem; et si amat, non potest ei non bene velle, et illi bene volendo, benefacere, ut eam vitæ et beatitudinis suæ participem faciat, quando id potest quod vult.

V. 3. Quia Adamus per peccatum mortem contraxit quæ illi in peccati pœnam denunciatur, Gen. ii. 17, et iii. 19; unde per peccatum dicitur ingressa, ut ejus stipendium, Rom. v. 12, et vi. 23, a qua proinde immunis fuisset, si non peccasset; quod dici non posset, si esset sequela naturæ. Nec juvat excipere, agi de morte æterna, non temporali; quia nobis non est limitandum, quod Spiritus S. non limitat; Scriptura loquitur in genere de morte, Ergo sub ea complectitur, quicquid nomine mortis venit in Scriptura; atque ita non minus mors corporalis, quam æterna intelligenda est, quod vel ex eo patet, quod designatur per reditum in pulverem, Gen. iii. 19, Eccl. xii. 7, et ad infantes extenditur in hac vita, Rom. v. 14, qui morti temporali subjiciuntur. Frustra etiam additur, sententiam Gen. ii. 17, esse tantum comminatoriam, non definitivam, siquidem eo die quo peccavit Adamus non est mortuus. Quia licet non inflicta fuerit pœna mortis homini, eo momento, vel die quo peccavit, quoad omnes suas partes, cœpit tamen infligi, tum quoad *reatum*, et *moriendi necessitatem*, cui factus est obnoxius, tum quoad *mortem spiritualem*, tum quoad *initia mortis corporalis*, quæ in seipso experiri cœpit in miseriis, et morbis, et aliis mortis præludiis, quibus expositus fuit.

VI. 4. Quia quod est contra naturam, non potest esse sequela naturæ; cum omnia maxime in statu integritatis fuerint valde bona, et naturæ convenientia. At mors est contra naturam, utpote quæ destruit compositum, et corpus in pulverem resolvit, quo fit ut homines natura mortem horreant et aversentur.

VII. 5. Quia nullæ fuerunt causæ mortis in homine ante lapsum; Nec internæ, quales sunt peccatum, pugna affectuum, δυσκρασία humorum, et calidi atque humidi nativi defectus, unde languores et morbi; Nec externæ, ut corruptio elementorum, carentia alimenti, vel vis externa, quæ in hominem agere potuisset. Nam ut perfecta hominis constitutio priores impediebat; Ita specialis Dei cura et protectio posteriores removebat. Hinc Concilium Milevita. Can. 1, Anathema dicit illi, qui "dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturæ."

Fontes Solutionum.

VIII. Alia est *immortalitas absoluta patriæ;* Alia *conditionata viæ*. Illi competit ἀναγγελία, et *negatio procreationis* et sobolis, et de ea Christus loquitur, Luc. xx. 35, 36. Sed de ista pariter dici non potest, quia in ista propagari debuisset genus humanum; licet sobolis procreatio non pertinuisset ad conservationem speciei, ut hodie post peccatum, et mortem introductam in mundum in

Digitized by Google

natura corrupta, necessaria tamen fuisset ad illius multiplicationem juxta primævam benedictionem, Genes. i. 28. Idem dici debet de *necessitate cibi et potus*, quæ locum non habitura est in immortalitate gloriæ, sed habitura fuisset in immortalitate naturæ, quam Deus non procurare voluit immediate, sed interventu ciborum ad vitæ animalis sustentationem. Nec si venter cum cibis dicitur abolendus, 1 Cor. vi. 13, hoc proprie spectat Adamum integrum, sed homines post lapsum, nec tam respectu naturæ hoc intelligendum, cum homo totus sit resurrecturus, quam respectu officii ventris, et necessitatis ciborum, quæ cessatura est.

IX. Licet corpus Adami origine esset terrenum, et ut compositum, sic etiam resolubile per materiæ imbecillitatem, potuit tamen esse immortale per originalis justitiæ dignitatem, et specialis Dei gratiæ virtutem. Aderant quidem causæ mortis remotæ in materia corruptibili, et mixtura elementari, eratque corpus ejus ustile et vulnerabile; sed proxima non data, quæ fuit peccatum, nunquam illæ in actum educi potuissent. Nam anima peccati corruptionis expers, a corpore corruptionem removisset, et justitia originalis fuisset veluti sal connatum, quod arcuisset corruptionem, quæ videbatur oritura ex conditione materiæ.

X. Arbor vitæ non fuit data Adamo ad mortem arcendam, quasi vita ejus pependerit ab hujus arboris esu; Sed partim ad immortalitatem homini in illo statu obsignandam, ut esset pignus illi, et sacramentum, tum non excidendi ex felicitate in qua conditus erat, modo non deficeret ab officio, tum etiam obtinendi tandem immortalitatem patriæ; partim ad vitam ejus in æquali vigore semper conservandam; quomodo alii cibi non inservire debuerunt viribus attritis reparandis, sed tantum illis conservandis.

XI. Corpus ψυχικὸν seu *animale* opposite ad πνευματικὸν seu *spirituale* dupliciter potest intelligi, vel in *esse suo physico* tantum, prout recens Adamo datum fuerat in statu integritatis, in quo vitam animalem et terrenam transigere debuit, et opus habuit subsidio ciborum, ut et somno et quiete; vel in esse *physico et morali* simul, prout post peccatum per generationem traducitur ab Adamo, in vita corrupta et animali; Posteriori sensu, illi convenit corruptibilitas actualis; Sed priori nonnisi potentialis, in quantum homo relictus in manu consilii sui potuit deficere a Deo; sed cum illa corruptibilitate et mortalitate potentiali et remota, actualis immortalitas et incorruptibilitas potuit consistere. Licet ergo Corpus non fuerit *spirituale*, qualia erunt corpora post resurrectionem, non natura, sed qualitatibus, quibus conveniet non posse mori, fuit tamen *immortale*, quatenus ab anima sancta perpetuo vivificandum fuisset, et ita potuisset non mori. Quum vero Paulus, 1 Cor. xv. 44, 46, agit de corpore ψυχικῷ seu animali, non tam loquitur de corpore Adami in statu integro, quam de eo quale fuit post lapsum, quia agit de corpore, quod seritur per mortem ἐν φθορᾷ, ἐν ἀτιμίᾳ, et ἀσθενείᾳ, *in corruptione, dedecore, et infirmitate*, v. 42, 43, 44, quod de corpore peccato corrupto et animali ethice tantum potest dici. Deinde eo modo de Adamo loquitur, quo ejus imaginem ferre debemus opposite ad Christum, v. 49, id est, non modo in natura, sed in peccato, Gen. v. 3. Nec quod Apostolus affert, v. 45, de homine primo facto in animam viventem, eo respicit, ut probet Adamum habuisse simpliciter corpus animale, et corruptibile, sed tantum ad descriptionem subjecti, quod in talem statum antea descriptum incidere potuit, quia fuit in conditione labili et mutabili, in qua proinde potuit fieri actualiter corruptibile et mortale per peccatum.

XII. Quamvis Christus non nos liberarit a *mortis obnoxietate*, liberavit

Digitized by Google

tamen nos ab *ejus pœnalitate*, quia non amplius est stipendium peccati fidelibus, sed transitus in meliorem vitam, non amplius maledicta, sed benedicta, Apoc. xiv. 13. Secundo, quamvis Christus nondum abstulerit actu mortalitatem, eam tamen jam abstulit merito in cruce, et actu auferet per efficaciam suam, cum aliis calamitatibus, quæ etiam ex peccato fluxerunt, in resurrectione, 1 Cor. xv. 26, 54, 55.

XIII. Quod est generabile, est etiam corruptibile, potentia remota, sed non statim proxima. 2. Axioma valet in statu corrupto, non integro; Nec enim idem corpus quod generari debuit in integritate, debuisset etiam actu corrumpi, accedente causa interna, quæ istam corruptionem arceret, nimirum sanctitate. Concursus qualitatum elementarium mutuo se destruentium, potest quidem nunc corruptionem efficere, postquam per peccatum pugnare cœperunt qualitates istæ contrariæ, et in ruinam corporis conspirare. Sed antea ubi inter se æquabiliter temperatæ, amice ad hominis conservationem concurrebant, nulla potuit actualis corruptio succedere; ut nulla potuit esse in Corpore Christi, et nulla futura est in Corporibus glorificatis.

QUÆSTIO XIII.

DE ORIGINE ANIMÆ.

An Animæ a Deo creentur, An vero per Traducem propagentur?
Prius Affir., Poster. Neg.

I. Quamvis variæ sint Theologorum et Philosophorum circa *Animæ originem* sententiæ, duæ tamen sunt præcipuæ, ad quas cæteræ possunt referri; Altera quæ *Creationem* asserit, altera quæ *Traducem*. Illa vult animas omnes immediate a Deo creari, et creando infundi, atque ita ex nihilo absque ulla præexistente materia produci; Ista vero pertendit animam Traduce propagari. Priorem Orthodoxi fere omnes sequuntur, post plerosque ex Patribus, et Scholasticis; Posteriorem Lutherani amplectuntur, quibus præivit jam olim *Tertullianus* Traducis author (libro de Anima,) quem hic Luciferiani, et varii ex Latinis secuti sunt. *Augustinus* hic ἰκτίχυ, et licet sæpius de hac quæstione egerit, nihil tamen de ea determinare voluit, vide epist. 28, ad Hiero. et 157, ad Optatum, et lib. i. Retract. c. i. et lib. ii. c. 56, testatur *se adhuc nescire*, quid sit statuendum.

II. Qui sententiam de Traduce sequuntur, non omnes idem sentiunt et loquuntur. Quidam volunt animam ex parentum semine traduci, et educi ex potentia materiæ: Sed hæc ut minus verisimilis a plerisque rejicitur, quia si penderet a virtute seminis, et corporea esset, et corruptioni obnoxia. Alii volunt esse ab anima patris per traducem, modo tamen imperscrutabili, et nobis incognito, ut *Jacob. Martinius*, lib. iii. miscell. quæst. disp. 7. Alii pertendunt animam patris procreare animam filii ex semine quodam spirituali et incorporeo, ut *Timoth. Brigthus*. Alii denique, quæ communior est sententia, censent, animam traduci ab anima, non per decisionem et partitionem animæ paternæ, sed modo quodam spirituali, ut lumen accenditur de lumine. Sic *Baltha. Meisnerus*, et plerique Lutherani.

Animæ creatio probatur.

III. Nos vero Creationem animæ sic adstruimus. 1. Ex *Creationis Lege*, 2. *Scripturæ testimoniis*, 3. *Rationibus*. 1. Ex *Creationis Lege*, Quia eadem debet origo esse ani-

Digitized by Google

marum nostrarum, qualis fuit animæ Adami, non modo, quia imaginem debemus ferre illius, 1 Cor. xv. 47, 48, sed et quia ejus creatio, utpote primi individui totius speciei, est exemplar formationis omnium hominum, ut Conjugium primorum parentum fuit exemplar reliquorum: Sed anima Adami immediate a Deo creata fuit quum *insufflavit in nares Adami spiraculum vitæ*, Genes. ii. 7, ut pateret animam non eductam esse ex materiæ potentia, sed extrinsecus advenisse per creationem, et in corpus infusam fuisse per Dei ipsius inspirationem. Nec excipi debet non valere ab Adamo ad nos, quia idem dicendum esset etiam de Corporis origine, quod tamen locum non habeat, siquidem nostrum generatur ex semine, Adami vero creatum est ex pulvere terræ. Nam licet sit disparitas ratione *causæ efficientis*, propter diversitatem subjectorum, quia ut corpus est elementare, et materiale, potest ab homine produci per generationem; Sed anima immaterialis et simplex, non potest aliunde oriri, quam a Deo per creationem: tamen respectu *causæ materialis*, potest collatio recte fieri; nam ut anima Adæ ex nihilo creata est, ita et animæ posterorum, et ut corpus ipsius ex pulvere terræ formatum est, ita et corpora nostra ex semine, quod itidem terrenum est, et materiale. Ergo quamvis modus actionis singularis fuerit respectu Adami, rei tamen natura eadem est utrobique. Idem confirmatur ex Evæ ipsius productione, cujus ortus quoad corpus describitur ex costa Adami, sed de anima mentio nulla fit; Unde non obscure colligitur, non aliam fuisse originem animæ Evæ, ab origine animæ Adami, quia alias Moses illud non reticuisset, cui propositum est primas rerum omnium origines describere; Et Adam ipse hanc originem non ignorasset, imo et prædicasset, non dixisset tantum *hæc os est ex ossibus meis*, sed *anima ex anima mea*, Genes. ii. 23, quod fortius erat ad exprimendum conjugii vinculum, quod non tantum debet esse in corporibus, sed et in animis. Denique si animæ Adami, et nostrarum diversa esset origo, non possent dici ejusdem speciei, quia illa esset ex nihilo, istæ vero ex præjacente aliqua materia plane dissimili.

IV. Secundo, a *Scripturæ testimoniis*, in quibus Deus prædicatur author et Creator animæ peculiari ratione distincta a corpore, Eccles. xii. 7, *Et redibit pulvis in terram, quemadmodum fuerat, spiritus autem redibit ad Deum, qui dederat illum*, ubi manifestum discrimen notatur inter ortum et interitum corporis et animi; Illud dicitur redire in pulverem, unde desumptum fuerat; Hic vero redire ad Deum, qui dedit eum. Ut ergo corpus eo redit, unde habet originem, ita et animus: quod clarius confirmatur ex eo quod dicitur Deus *dare spiritum:* quod non potest intelligi de communi datione per concursum cum causis secundis, sic enim et corpus ipsum non minus dat, quam animum, quia utriusque est causa prima, nec bene κατ' ἀντίθεσιν diceretur dedisse spiritum; sed de propria et peculiari quadam ortus ratione, quæ corpori non competit. Nec dicendum, hoc ad primam Adami creationem referri, quia scopus, verba, et circumstantiæ textus evincunt agi de ordinario hominum ortu et interitu, secundum quem corpora redeunt in pulverem, id est in terram, unde desumpta sunt, spiritus vero redeunt ad Deum judicem, qui dedit illos, vel ad gloriam, vel ad pœnam.

V. Zach. xii. 1, *Dictum Jehovæ, qui extendit cœlos, et fundat terram, formatque spiritum hominis in medio ejus.* Unde multiplex ducitur argumentum pro creatione animarum contra ψυχογονίαν. 1. quia dicitur formare spiritum in medio hominis; Ergo immediate debet illum producere sine interventu hominis. 2. quia formatio spiritus, conjungitur cum extensione cœli, et fundatione terræ, tanquam ejusdem ordinis et gradus; Ut ergo

Digitized by Google

duo priora opera sunt omnipotentiæ, quæ immediate fiunt a Deo absque causis secundis; tale et postremum debet esse. Nec potest hoc referri ad mediatam Dei productionem, quia sic homo in participationem causalitatis admitteretur, quod non fert textus, qui productionem animæ ut productionem cœli et terræ, ut peculiarem Deo vindicat. Perperam vero hoc restringitur ad primam hominis productionem, cum ex æquo ad omnes extendi debeat; Unde quum agitur de productione animæ, Scriptura alibi non loquitur in singulari, quasi de una Adami anima ageretur, sed in plurali, Ps. xxxiii. 15, et Isa. lvii. 16. Homo vero hic non sumitur *individualiter* de Adamo, sed *specifice* de quolibet homine.

VI. Hebr. xii. 9, *Si carnis nostræ castigatores habuimus, et eos reveriti sumus, annon multo magis subjiciemur Patri spirituum et vivemus?* Eo spectat, quod Petrus 1ª cap. iv. 19, peculiari ratione vocat eum *fidelem animarum Creatorem*, et Numer. xvi. 22, Deus vocatur *Deus spirituum universæ carnis*, Sic Isa. lvii. 16, *Non in seculum contendam, neque in æternum effervescam; nam spiritus a conspectu meo obrueretur, et animæ quas ego feci.* Quare vero Deus *Pater Spiritus* contradistincte vocaretur ad *Patres carnis*, nisi diversa esset utriusque origo? At si animæ sunt ex traduce, iidem corporis et animæ parentes essent. Ut vero *Caro* non potest hic veterem hominem seu ingenitam corruptionem significare, quia tunc non opponitur πνεύμασι in plurali, sed πνεύματι in singulari, sed corpus designat, et *Patres carnis* vocantur, qui carnem genuerunt; Ita vox *Spiritus* non debet referri ad dona spiritualia, de quibus hic agendi locus non est, sed ad alteram hominis partem, quæ corpori opponitur. Nec omissio pronominis ἡμῶν, quod habetur respectu carnis, potest obstare, quia repetendum est ἀπὸ κοινοῦ, cum loquatur de iisdem secundum diversarum partium principia et origines. Unde Num. xvi. 22, vocatur *Pater spirituum universæ carnis*, id est omnium hominum. Rursus *Pater spirituum* non potest dici mediate, ut vocatur *Pater pluviæ*, Job. xxxviii. 28, quia est ejus author licet non immediate; quia sic non constaret antithesis inter patres carnis, et Patrem spirituum, et caderet vis hortationis Apostolicæ, ad majorem obedientiam Deo, quam Patribus terrestribus præstandam. Nec, si non excluditur Dei concursus a productione carnis, quamvis tribuatur patribus terrenis, quia est causa prima universalis, statim non excludi debet concursus hominis in productione spiritus, quia est causa secunda particularis.

VII. Tertio, *Rationibus* idem evincitur. Nam si anima generando propagatur: aut ab utroque parentum, aut ab altero tantum, et vel quoad totum sui, vel tantum quoad partem. Sed neutrum dici potest; Non prius, quia sic duæ animæ in unam coalescerent, et miscerentur; Non posterius, nam si ab altero, vel a patre, vel a matre tantum, nec ulla ratio dari potest, cur ab uno potius quam ab alio propagetur, cum uterque parentum sit ex æquo principium generationis. Si tota traducitur, Ergo parentes ea carebunt, et sic exanimabuntur; Si pars, erit divisibilis, et per consequens materialis et mortalis. Nec hic cum ratione reponi potest nec animam totam, nec partem ejus traduci, sed substantiam quandam ab anima natam, tanquam immortale quoddam animæ semen. Quia supponitur gratis dari aliquod animæ semen, quo vel generet, vel generetur, cum non possit dari tale semen, quin decidatur ab anima, quodque ideo eam materialem, et divisibilem non arguat.

VIII. Rursus, omnes Traducis modi gravissimis urgentur incommodis, nec possunt admitti, quin spiritualitas animæ rationalis evertatur. Non *primus*, eorum, qui volunt animam educi a potentia seminis, ut cum corporibus seminetur; Quia effectus non potest esse toto genere nobilior sua

Digitized by Google

causa; nec res corporea et elementaris potest elevari ad spiritualem et rationalem producendam. Quia si generatur ex semine, cum semine etiam corrumpetur. Quia sic idem erit ortus hominum et brutorum, et per consequens idem interitus. Non *secundus*, eorum, qui volunt animam filii esse ab anima patris, modo imperscrutabili, et nobis incognito; Quia hoc implicat rem potius quam explicat: Nam Pater, vel producit animam filii ex aliqua re præexistente, vel ex nulla; Non ex nulla, quia sic crearet, Non ex aliqua, quia vel esset corporea seminis substantia, quod jam fieri non posse probatum, vel esset spiritualis quædam animæ substantia, quod iterum dici nequit; Tum quia spiritualis illa substantia, vel fit ex tota anima patris, vel ex parte tantum; Non ex tota, quia sic anima patris evanesceret, et in spirituale illud semen converteretur; non ex parte, quia sic anima patris esset divisibilis in partes; Tum quia substantia illa, vel est corruptibilis, et perit eo instanti, quo anima producitur; sed ita non erit amplius substantia spiritualis; vel incorruptibilis, et sic sequetur dari duos spiritus in homine genito, animam filii, et substantiam spiritualem, ex qua anima producta est: Adde quod naturæ seminis repugnat post rei generationem manere, quia debet transmutari in rem ex semine ortam.

IX. Non *Tertius*, quamvis cæteris commodior videatur, quo non per alienationem, sed per communicationem traduci dicitur, ut quum lumen de lumine accenditur, sine ulla alterius divisione. 1. Quia communicatio quæ fit unius ejusdemque rei absque alienatione locum tantum habet in essentia infinita, sed non in finita, in qua eadem essentia numero non potest alteri communicari, sed similis tantum producitur. 2. Anima filii non potest produci ab anima patris, nec *terminative*, quia terminus a quo, perit, producto termino ad quem; nec *decisive*, quia anima est ἀμέριστος; nec *constitutive*, quia anima patris non est pars constitutiva animæ filii. 3. Similitudo luminis aliena est, nam, præterquam quod hic flamma et candela sunt substantiæ corporeæ, hic vero agitur de spirituali; certum est lumen educi de potentia materiæ, nec posse accendi sine decisione particularum ignearum, quæ transmittuntur a face accensa ad extinctam, quod de anima dici nequit.

X. Cum ergo sententia de traduce inextricabilibus laboret incommodis, nec ulla ratio aliunde nos cogat illam admittere; aliam de Creatione, tanquam Scripturæ et rectæ rationi magis consentaneam merito amplectimur, a qua Philosophos ipsos Gentiles plerosque non alienos fuisse constat; Hinc illa Zoroastris apud Ficinum lib. x. de immortalitate animarum:

> Χρὴ σπεύδειν σε πρὸς τὸ φαὸς, καὶ πρὸς πατρὸς αἰγὰς
> Ἔνθεν ἐπίμφθη σοὶ ψυχὴ πολὺν ἐσναμένη νοῦν.

Et ista *Aristotelis* lib. ii. de Gener. anima. cap. 3, quibus asserit τὸν νοῦν θύραθεν ἐπεισέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Et hæc Ciceronis Tuscul. i. ut alios nunc mittamus. "Animarum nulla," inquit, "in terris origo inveniri potest, nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur," &c. "Ita quicquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste et divinum est, ob eamque rem æternum sit necesse est."

Fontes Solutionum.

XI. Deus dicitur quievisse ab omni opere suo, Gen. ii. 2, non vacando ab administratione rerum, sed cessando a creatione novarum specierum, vel individuorum, quæ essent principia novarum specierum; ut operatur usque nunc, Joh. v. 17, institutas naturas administrando, et multiplicando quod jam erat, non autem

Digitized by Google

instituendo quod non erat. At animæ quas quotidie creat, sunt nova individua specierum jam creatarum.

XII. Quamvis anima non sit ex traduce, non desinet vis benedictionis divinæ, data primitus, Gen. i. 28, sese exerere in generatione hominis, quatenus Deus generantibus et generationi semper cooperatur, non modo vim prolificam dando et conservando homini, sed et corpori disposito animam infundendo.

XIII. Non necesse est, ut homo hominem generare dicatur, ut omnes naturas, vel partes essentiales compositi generet, alias, verum Deum et hominem non genuisset B. Virgo: sed sufficit ut præparet et subigat materiam, et idoneam reddat ad introductionem formæ, et attingat unionem animæ cum corpore, per quam homo constituitur in esse hominis, et fit tale compositum physicum. Generatio enim tendit ad compositum, non vero ad productionem utriusque partis; Et ut homo hominem interficere dicitur, qui solvit unionem animæ cum corpore; licet animam ne attingat quidem: Ita homo hominem generat, quia partes istas inter se copulat, ex quibus homo exurgit, licet non sit ψυχογόνος; nec qui generat *totum hominem*, statim *totum hominis* debet producere.

XIV. Adamus potest dici genuisse filium ad imaginem suam, licet animam non producat, quia causa similitudinis non est traductio animarum, sed corporum ejusdem temperamenti cum parentibus productio; ex diversa enim corporum et humorum temperie, diversæ quoque in animis nostris propensiones et affectiones nascuntur.

XV. Quum *animæ* dicuntur *egressæ ex femore Jacobi*, Gen. xlvi. 26, non proprie intelliguntur, sed synecdo. pro *personis*, qua locutione nihil usitatius est in Scriptura; nec propterea opus est ut Jacobus aliquid ad productionem istarum animarum contulerit; sufficit ut concurrerit ad earum *conjunctionem*, vel *subsistentiam* in corpore mediate, vel immediate; Egressæ ergo dicuntur, non quoad esse seu substantiam simpliciter, sed quoad *subsistentiam* in corpore, et unionem cum eo.

XVI. Licet Christus non minus fuerit in Abrahamo secundum carnem, quam Levi, qui decimatus fuit in ejus lumbis, Heb. vii. 9, non sequitur Levi fuisse in ipso secundum animam, ut anima Levi per traducem sit propagata, ut discrimen servetur; Sed tantum Levi respectu personæ fuisse in Abrahamo secundum rationem seminalem, et vires naturales patris et matris, a quibus oriundus fuit; Christum vero fuisse tantum in eo quoad naturam humanam, ratione matris, non vero quoad naturam et personam divinam: Ideo persona ipsius non potuit decimari, sed tanquam superior Abrahamo, illum decimavit, eique benedixit in Melchisedeco, qui ejus fuit typus, non ut homo, sed ut Mediator θεάνθρωπος, Regio et Sacerdotali munere fungens.

XVII. Peccati originalis propagatio non debet efficere, ut Creatio animarum negetur, et Tradux statuatur, quia sufficienter salvari potest sine hac hypothesi, ut suo loco demonstrabitur. Licet anima non sit *materialiter* ab Adamo, quoad *substantiam*, est tamen *originaliter* ab eo quoad *subsistentiam*, et ut homo hominem recte gignere dicitur, licet animam non gignat, ita impurus impurum progenerat, maxime accedente justo Dei judicio, quo sancitum fuit, ut quæ primo homini contulerat, ille tam sibi quam posteris suis haberet simul, et perderet. Cur autem Deus infundat animam peccato inficiendam, et conjungat impuro corpori, licet quærere sit curiosum, et definire temerarium, hoc certo constat, Deum noluisse propter hominis peccatum primam abolere sanctionem, de propagando per genera-

www.jabool.com.cn

Digitized by Google

tionem genere humano, atque ita ordinem Universi, et naturæ humanæ conservationem hoc postulasse.

www.libtool.com.cn

QUÆSTIO XIV.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

An Anima ex intrinseca sua constitutione sit immortalis? Affirm.

I. Asserta vera Animæ origine, ejus *Immortalitas* etiam demonstranda est, eoque diligentius in id incumbendum, quo majori molimine Athei et Libertini, ut facilius omnem de mundo Divinitatis sensum, et pietatis studium tollant, eam impugnare solent; Pii contra, illam, tanquam primarium Fidei Caput amplectuntur, quo nullum ad pietatem dari possit fortius incentivum, nec efficacius, tam in vita, quam in morte, solatii argumentum, cum ἀθανασίας fides sit fundamentum εὐθανασίας.

II. Diversæ autem circa Quæstionem hanc fuerunt sententiæ. Alia *negantium*, quales fuere olim *Sadducæi*, et hodie *Epicurei*, et *Athei*, qui animas cum corporibus penitus extingui volunt: Ad quos non parum accedunt illi, qui animas cum corporibus mori censent, sed postea cum corporibus suscitandas esse credunt; quæ fuit hæresis olim nonnullorum Arabum, referente *Eusebio*, *hist. Eccl.* l. vi. c. 26, et *Aug.* de hær. hær. 83, et hoc seculo renovata est a Socinianis mollioribus, et Anabaptistis, qui eorum prementes vestigia Psychopannychiam ad minimum defendere sustinent, animas scili. vel dormire, et sensu omni carere, vel extingui usque ad resurrectionem: *Smalci.* c. Franzi. disp. de Judicio extr., *Spiritus post mortem nullo sensu est præditus.* Alia *dubitantium*, quales sunt *Sceptici* et *Academici* veteres, et novi. Tertia *affirmantium*, quales fuerunt saniores Philosophi, et nunc omnes Orthodoxi.

III. *Immortalitas* alia est *extrinseca*, quæ nullum habet externum principium sui destructivum; alia *intrinseca*, quæ non habet in se principium corruptionis et interitus. Rursus immortale extrinsece dicitur, vel respectu causæ primæ, vel respectu causarum secundarum. Non quæritur hic, An anima sit immortalis extrinsece; nam etsi respectu causarum secundarum talis bene dicatur, quia nulla causa secunda potest eam resolvere in sua principia, quæ nulla habet; non potest tamen ita vocari respectu causæ primæ, quia Deus qui eam creavit, potest eam annihilare: Sed proprie agitur de *Immortalitate intrinseca*, seu de ejus incorruptibilitate.

IV. *Immortale* iterum, vel tale est per *naturam stricte* spectatam, cujus naturæ simpliciter repugnat ullo modo, vel ab extrinseco, vel ab intrinseco deficere; vel *late*, quod per naturalem constitutionem intrinsecum nullum habet destructionis principium. Non quæritur, An Anima sit immortalis primo sensu, qui soli Deo competit, 1 Tim. vi. 16, sed secundo.

V. Denique alia est *immortalitas in genere entis* et quoad animæ conservationem; alia in *genere moris*, et quoad ejus gloriam et felicitatem. Non hic agitur de posteriori, de qua actum fuit Quæst. 12, quæ propria est solis fidelium animabus, dum aliæ in morte spirituali et æterna jacent, sed de priori, quæ competit animæ in omni statu.

Animam immortalem esse probatur, 1. Ex Scriptura.

VI. Hanc autem esse Animæ rationalis conditionem *Scriptura* non semel docet, et *Ratio* confirmat. Primo, *Scriptura* hoc clarissime adstruit celebri loco, Matth. xxii. 32, ubi Christus agens contra Sadducæos, animorum im-

Digitized by Google

mortalitatem et corporum resurrectionem negantes, argumentatur ex promissione fœderali data Patribus, qua se Deum esse Abrahami, Isaaci, et Jacobi testatur, Exod. iii. 6; cum vero *Deus non sit Deus mortuorum, sed viventium*, inde necessario colligit, et animas eorum fuisse immortales, et corpora suscitanda. Cujus ratiocinationis tria sunt fundamenta. Primum, fœdus quod Deus cum hominibus contrahit, fœderatorum existentiam necessario postulans, quia alias non posset dari relatio et σχέσις inter Deum et homines, nec beneficia fœderis, quæ tendunt ad communionem vitæ et felicitatis, possent illis communicari. Alterum, fœdus Dei non esse temporale, sed æternum, quod post mortem etiam manet, unde Deus etiam post mortem Deus ipsorum vocatur. Tertium, fœdus istud cum homine toto, et non cum anima tantum altera ejus parte contrahi. Unde sequitur Patriachas, cum quibus Deus fœdus pangebat, debuisse existere, non tantum ad tempus, sed etiam post mortem et in æternum; nec tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus, quod propterea suo tempore suscitari debuit, quod invicte, et immortalitatem animarum, et corporum resurrectionem demonstrat. Nam quorum Deus est Deus fœdere æterno, illi in æternum etiam vivere debent: At Deus est Deus Abrahami, Isaaci, et Jacobi, et talem se vocat etiam post mortem; Ergo debent illi vivere etiam post mortem, si non quoad corpus, at quoad animum, quia ut Lucas addit c. xx. 38, πάντες αὐτῷ ζῶσιν, donec ultimo die homo ipse totus et corpore et anima vita Dei fruatur. Quamvis vero locus hic directe de beata immortalitate, et resurrectione fidelium, ex vi fœderis loquatur, non minus solide extenditur ad immortalitatem naturæ, quia illa necessario debet istam supponere; et si animæ fidelium debent in æternum vivere, ut felicitate ipsis promissa fruantur; justitiæ Dei ratio postulat, ut impiorum animi nunquam intereant, ut pœnis æternis a Deo denunciatis afficiantur.

VII. Secundo, idem evincitur ex locis, quæ diversum corporis et animi exitum proponunt. Ita quum, Eccles. xii. 7. *Corpus* dicitur *reverti in pulverem, et spiritus redire ad Deum qui dedit ipsum*, manifeste innuitur, animam subsistere post interitum corporis; nam si cum corpore extinguitur, quomodo dicitur redire ad Deum? Redit ergo ad Deum, ut ad principium originis suæ extrinsecum et efficiens, non ut extinguatur, sed ut ab eo, vel beetur, vel puniatur; et corpus in pulverem redit, tanquam in Principium sui materiale et intrinsecum in quod resolvatur. Eo pertinet, quod Ps. cxlvi. 4. *Spiritus* hominis *exire* dicitur, dum ille quoad corpus revertitur in terram suam; at si animus cum corpore extinguitur, cur exire ab eo dicitur? Ita Matth. x. 28, perperam Christus distingueret inter homines, qui corpus, et non animam possunt interficere, et Deum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna, si anima cum corpore extingueretur; *Nolite timere*, inquit, *eos qui corpus occidere possunt, animam autem non possunt occidere: sed timete eum qui potest animam et corpus in gehenna perdere.* Nec dicendum hic agi de perditione, et interitu; quia per τὸ ἀπολέσαι non significatur extinctio, vel destructio, sed tantum *punitio*, quia agitur de gehenna cujus tormentum dicitur esse æternum, quod Lucas cap. xii. 5, exponit per τὸ ἐμβαλεῖν εἰς τὴν γέενναν *in gehennam projicere*, ut scilicet torquatur homo in æternum anima et corpore.

VIII. Huc faciunt loca illa omnia, quæ vel vitam æternam fidelibus pollicentur, vel pœnam æternam impiis denunciant; Et ea quæ de Judicio ultimo agunt, tanquam de judicio æterno, Heb. vi. 2, quia eo adjudicatur præmium, vel pœna æterna, Matth. xxv. 34, 41. Quæ omnia falsa essent, si lethum in homine omnia finiret, et nihil post mortem in eo superesset.

Digitized by Google

IX. Si anima interit cum corpore, vel somno gravi obruitur, Quomodo Paulus cum fidelibus post terrestris tabernaculi dissolutionem, expectat ædificium et domum æternam et ἀχειροποίητον in cœlis? Quomodo cupit cum ipsis ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον, *ex corpore excedere, et ad Deum concedere*, 2 Cor. v. 1, 8, et alibi optat *abire*, seu *migrare ad Dominum, et esse cum Christo*? Philip. i. 23. Quomodo Lazari anima inducitur post obitum in sinu Abrahæ, ubi suaviter quiescit, et Epulonis, quæ contra in inferis miserrime torquetur, Luc. xvi.? Quomodo *animæ Martyrum sub Altari, indutæ stolis albis*, quæ symbola sunt gloriæ qua fruuntur, *clamantes, et vindictam Dei expetentes*, proponuntur? Apocal. vi. 11. Quomodo spiritus impiorum corporibus soluti dicuntur esse ἐν φυλακῇ *in carcere* scil. infernali, 1 Petr. iii. 19, ubi meritas contumaciæ et perfidiæ pœnas pendunt?

2. A Providentia Dei.

X. Ratio etiam multiplex hoc demonstrat. Primo, Animæ immortalitatem postulat *Providentia* et *Justitia* Dei, ut bonis bonum, malis malum rependatur, quod cum sapientissimo Dei consilio non semper fiat in hac vita, debet altera expectari necessario, in qua distributio illa pœnarum et præmiorum fiat. Postulat eam *Veritas Dei*, quæ piis summam felicitatem, et impiis extremam miseriam interminatur, non in hoc tantum, sed etiam in futuro seculo. Postulat eam *Sapientia* et *Bonitas*, quæ non potest pati, ut idem sit interitus hominum et brutorum, sed ut diversus est ortus, ita diversum exitum utrorumque esse vult. Postulat eam *Religio* et *Pietas*; frustra enim Deus colitur, frustra se macerant fideles, et de sanctitate promovenda sunt soliciti, frustra calamitatum et crucis jugum patienter ferunt, si idem exitus pios et impios manet cum bestiis. Sapientissimi erunt Epicurei, qui cuticulam curant, et nihil pensi habent, quam ut genio indulgeant, et toti deliciis immergantur; *Edamus, et bibamus*, inquiunt, *Cras moriemur*, 1 Cor. xv. 32. Postulat eam innatum omnibus *immortalitatis desiderium*, et appetitus ille infinitus, qui nunquam satiari potest nisi bono æterno et infinito: Cum enim vanum esse non possit et frustraneum desiderium hoc singulis a Numine et natura insitum, immortalitatem animarum dari necesse est ut expleatur.

Veritate.

Sapientia.

Religione.

Immortalitatis desiderio.

3. A Spiritualitate.

XI. Secundo, eam probat ejus *Spiritualitas*. Nam quicquid est spirituale, et a materiæ contagio liberum, illud est immortale, quia ut summe simplex et indivisibile, expers est contrarietatis, quæ oritur tantum a qualitatibus contrariis, quæ sunt materiales, et nihil est a quo ab intrinseco corrumpi possit, vel interire; mortale enim illud demum est, quod materiale est et compositum, quodque constat qualitatibus contrariis inter se pugnantibus. Si ergo anima spiritualis est, nec educitur ex potentia materiæ, nec ab ea dependet, non modo in fieri, sed nec in esse, quia peculiarem subsistendi modum sortitur, atque ita non moritur cum corpore, sed separata ab eo subsistere potest. Animam autem spiritualem esse, non melius probatur, quam ex ejus operationibus, quæ a posteriori indicant, quale sit principium a quo proficiscuntur, quia si sunt spirituales, et anima ipsa debet esse spiritualis.

4. Ab independentia a corpore.

XII. Spirituales autem esse ejus operationes certo colligitur ex earum *independentia a corpore*, unde et animæ ipsius independentia sequitur: Nam si anima independenter potest agere a corpore, potest etiam independenter a corpore subsistere, modus enim operandi sequitur modum essendi; Animam autem

Digitized by Google

independenter a corpore operari, patet, vel ex sola *intellectione* Dei, Angelorum, et Animæ ipsius, quæ seipsam intuetur actu reflexo; et ex motibus extaticis: Tales enim actus spirituales esse, et independentes a corpore res ipsa clamat, tum ratione *objecti*, quia mens versatur circa res spirituales et incorporeas, et æternas, quo assurgere non posset, nisi spiritualis et incorporea foret, effectus enim non est toto genere nobilior causa sua; tum ratione *modi*, quia versatur circa ista objecta modo spirituali, et sine usu organi corporei, quod nullam proportionem habet cum objecto spirituali et incorporeo; Unde quo magis mens evehitur et abstrahitur a sensibus, eo purius et acutius intelligere solet.

XIII. Aliud est animam pendere a corpore, tanquam *a subjecto* et *efficiente;* Aliud pendere ab eo, tanquam ab *objecto* et *occasione*. Quum *Aristoteles*, lib. iii. de Anima, ait, *intelligentem oportere speculari phantasmata*, notat posteriorem dependentiam, non priorem; Intellectio enim non fit ordinarie sine phantasia *initialiter*, *conditionaliter*, et *objective*, quia phantasma est objectum, circa quod mens occupatur; sed non pendet a phantasia *effective*, vel *subjective*, quia nec ab ea elicitur, nec in ea recipitur, sed efficitur a solo intellectu, et in eo solo recipitur; licet propter unionem cum corpore, anima non operetur per intellectum, quin prius operata sit per phantasiam, ita ut operatione per phantasiam, et ad phantasmatum præsentiam, excitetur ad operandum per intellectum. Deinde falsum est intellectionem semper pendere a phantasia; licet enim hoc verum sit respectu rerum sensibilium externarum, et singularium; non potest pariter locum habere respectu rerum universalium, et immaterialium; Nam intellectio Dei, v. g., et Angelorum a nullo pendet phantasmate, sub quod talia objecta cadere non possunt. Et quum anima seipsam intelligit, cum intime sibi sit præsens, nullo eget phantasmatis adminiculo, sed sui cognitionem nudam et intuitivam per seipsam habere potest; quod vel unum sufficienter probat, aliquam esse animæ rationalis operationem propriam et independentem a corpore.

XIV. Licet autem anima non utatur organo corporeo ad intelligendum; non sequitur animam posse ubique intelligere, (quia ubique non habet sensuum adminicula, quibus uti debet dum versatur in corpore,) sed tantum in cerebro. Nec si hoc negatur, ratio non poterit reddi furoris et amentiæ, quæ animæ non possunt convenire, nisi a parte organi læsi: ista enim non cadunt in animam, nisi per accidens, propter organa sensuum et facultatum administrarum vitiata et corrupta. Ita cerebri corruptio potest causare furorem et delirium, ex prava dispositione phantasiæ aut sensus communis, quo fit ut objecta confusa et perturbata objiciantur intellectui, qui ita præoccupatus, nihil potest recte judicare. Unde si interdum helleboro, aut aliis remediis corporeis, mentis insania sanatur, tota illa curatio pertinet ad cerebrum læsum, quod sanari necesse est, ut anima possit exercere operationes suas. Idem dicendum de diversitate operationum animæ pro ratione ætatis hominis; Non necesse est immutationem fieri in anima, sed in organis corporis, quorum ministerio utitur ad sensationes eliciendas; inde est, quod in infante ab initio, vel parum, vel non omnino ratiocinetur, quia vel nulla sunt adhuc, vel pauca phantasmata, ex quibus occasionem ratiocinandi accipit, ob imbecillitatem organorum; et quod decrepita ætate non possit amplius ratiocinari, vel tenuiter ratiocinetur, ut *bis pueri senes*, quia phantasmata vel penitus, vel magna ex parte delentur, et quæ supersunt obscure repræsentantur intellectui; quamvis nonnunquam etiam contingat, ut inclinatis corporis viribus, major sit vis animæ,

Digitized by Google

et quo magis deprimitur et infirmatur corpus, eo altius mens assurgat, ex corporis ergastulo egredi veluti gestiens.

5. A consensu populorum.

XV. Ad confirmationem ejusdem veritatis non exiguum pondus addit *Consensus populorum*, qui omnes eam calculo suo comprobarunt, et qui inter eos sapientissimi sunt habiti, paucis demum exceptis Epicureis, ad quos accessit Plin. (lib. vii. cap. 55,) qui potius ex voto, quam ex animi sententia locuti videntur. Testimonia huc congerere nihil attinet; possunt legi apud *Plessæum* de Veri. Relig. Christ. cap. xv., *Vivem*, *Zanchium*, et alios, qui ex professo hoc argumentum sunt executi.

Fontes Solutionum.

XVI. Aliud est loqui ex *rei veritate*; Aliud ex *opinione hominis carnalis*, qui judicat ex apparentiis, et eventibus externis, qui cadunt sub sensus. Quum Salomon ait Eccles. iii. 18, 19, 20, " Eventum filiorum hominis esse similem eventui ipsius bestiæ, et eventum eundem illis esse, ut moritur hæc, ita mori illum, et spiritum eundem omnibus esse, et præstantiam hominis supra bestiam nullam esse;" non loquitur primo sensu, sed secundo, ut doceat ex rebus externis non posse colligi discrimen inter hominem et brutum, cum eadem mortis necessitas illis impendeat ex æquo; ut ita humani sensus vanitatem redarguat, qui non altius assurgens, quam ad ista externa, nescit discernere inter finem hominis et bruti. Nam alias ipse, dum ex lumine fidei loquitur, et juxta rei veritatem, satis testatur in alia se esse sententia, Eccles. xii. 7, quum *corpus* ait *redire in pulverem*, *unde petitum est*, *spiritum vero redire ad Deum qui dedit ipsum*, Et v. 15, hoc unum hominis totum esse, *timere Deum*, *et servare ejus mandata*, quod frustra diceret, si animam cum corpore extingui credidisset. Eodem spectat quod addit ibid. c. iii. v. 21, *Quis scit an animus hominis ascendat in altum*, id. potiatur vita æterna; nemo enim mortalium, ex statu externo et rationis lumine sine gratia Spiritus Sancti potest illud certo assequi. Eodem sensu c. ix. 1, 2, dicit *hominem nescire odium et amorem*, id est, ex eventibus externis, quia, ut statim addit, *idem eventus est justo et improbo*, *mundo et immundo*, *tam sacrificanti*, *quam ei qui non sacrificat*, &c. Potest etiam recte dici Ecclesiastem comparare hic hominem cum bruto, in mortis veritate et necessitate, ut particulæ *sicut*, *ita*, non adumbrent modum, sed tantum rei ipsius necessitatem et veritatem, ut sæpe alibi. Et quum *spiritus* brutorum et hominum idem esse dicitur, non intelligitur ipsa anima, sed *halitus* tantum, ut occurrit non semel eo sensu in Scriptura, Job. ix. 18, Jac. ii. 26.

XVII. Mortui dicuntur non laudare Deum, Ps. xxx. 9, et lxxxviii. 12, et cxv. 17, Isa. xxxviii. 18, non absolute et simpliciter, quasi existere desinerent, nam alibi beati dicuntur mortui in Domino, Apo. xiv., sed secundum quid, habita ratione laudis, quæ illi debetur in Ecclesia militante a fidelibus in communione Sanctorum, qua alii viatores ædificantur, et ad idem officium excitantur, quæ non potest locum habere respectu mortuorum, qui nullum cum viventibus colunt amplius commercium. Si mortui dicuntur *non esse*, ut Ps. xxxix. 13, *desine a me*, *et roborabor*, *antequam vadam*, *et non sim*, hoc non potest absolute, sed secundum quid intelligi, quoad totum compositum, et quatenus non sunt amplius inter homines, nec eorum communione fruuntur.

XVIII. Quod ortum habet, illud et finem habere potest, eo modo quo ortum habuit; Quod generatur potest corrumpi; Sed quod creatur, si sit spirituale, potest tantum annihilari: Ita quod ortum habet naturalem

Digitized by Google

et materialem, habet etiam interitum; Sed anima habet ortum supernaturalem.

XIX. Licet in anima separata nullæ possint esse species seu ideæ sensibiles, quæ oriantur a phantasmatibus; non sequitur nullas fore intelligibiles, quæ in anima ipsa subjectentur; Nam præter κοινὰς ἐννοίας, quæ ab initio ipsi impressæ sunt, habitus vitii quos contraxit in corpore, et habitus supernaturales virtutum, quos Deus infundit in corda fidelium, debent in ea remanere. Nec fides et charitas semel in anima productæ per gratiam possunt ab ea deleri.

XX. Quamvis anima separata non habeat organa et phantasmata, quorum interventu intelligat; non sequitur eam torpere et otiosam manere, quia alius est modus intelligendi in anima unita corpori, alius vero in anima separata, et potest sine tali phantasmatum subsidio intelligere, ut Angeli.

XXI. Aliæ sunt *operationes organicæ*, et materiales hominis; Aliæ *inorganicæ* et immateriales, seu spirituales: Illæ, ut sensatio, visio, &c. ut a corpore pendent, ita in corpore tantum perfici possunt; Sed istæ extra corpus etiam peraguntur.

XXII. Quamvis ut plurimum nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, quia anima, quamdiu est in corpore, utitur organis corporeis ad exercendas operationes, si non quoad actus elicitos, at quoad actus imperatos, et ordinarie phantasmatibus tanquam objectis eget circa quæ versetur; hoc tamen absolute et simpliciter verum non est; nam Deus qui est in intellectu, nunquam tamen fuit in sensu; et anima, quæ seipsam intuetur, et supra seipsam reflectitur, non potest dici fuisse in sensu.

XXIII. Quum homines dicuntur *spiritus vadens, et non rediens*, Psalm. lxxviii. 39, per spiritum non designatur anima, sed *ventus*, ut vitæ humanæ brevitas et fragilitas notetur, similis vento, qui cito transit, quomodo Jobus, vii. 7, *Memento mei*, inquit, *quia ventus est vita mea.*

XXIV. Quum mortui dicuntur dormire, Joh. xi. 11, 1 Cor. xi. 30, 1 Thess. iv. 15, et alibi, hoc non respectu animæ intelligendum est, quæ recipitur in cœlum, et vivit cum Christo, sed respectu corporis quod in vitam revocandum est, ut a somno ad vigiliam; ut sæpe ideo mors somno conferri solet, qui frater ejus et imago dicitur. Unde alibi dicuntur *dormire in pulvere*, Dan. xii. 2, quod nonnisi ad corpus referri potest.

XXV. Alia ratio est *beatitudinis inchoatæ*, alia *consummatæ*; loca quæ pollicentur beatitudinem post resurrectionem, non inferunt statim animas dormire, vel excludi a visione Dei ante illud tempus; Sed agunt de felicitatis consummatione, quæ jam inchoata fuit statim ab obitu fidelium.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS SEXTUS.

DE PROVIDENTIA DEI ACTUALI.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS SEXTUS.

DE PROVIDENTIA DEI ACTUALI.

QUÆSTIO PRIMA.

An detur Providentia? Affirm.

I. Ut *Opera Naturæ* distribui solent, *in Opera Creationis* et *Providentiæ;* Doctrinam de *Creatione*, recte excipit Disquisitio de *Providentia*, quæ nec ignorari sine gravi dispendio potest, nec sciri sine singulari solatio.

Quid notet vox Providentiæ.

II. Vox *Providentiæ*, quæ *πρόνοια* dicitur Græcis, quia *πρόσθεν νοεῖ*, ut inquit Phavorinus, tria potissimum complectitur, *πρόγνωσιν*, *πρόθεσιν*, et *διοίκησιν*, *cognitionem mentis*, *decretum voluntatis*, et efficacem rerum decretarum *administrationem; scientiam dirigentem*, *voluntatem imperantem*, et *potentiam exequentem*, ut Hugo de S. Victore loquitur: prima prævidet, altera prospicit, tertia exequitur; Hinc Providentia spectari potest, vel in antecedente decreto, vel in subsequente executione: Illa est æterna omnium ad fines suos destinatio; Hæc temporalis omnium secundum decretum istud gubernatio: Illa actio immanens in Deo; Ista actio transiens extra Deum. Nos hic Providentia Dei sub secunda *σχέσει* potissimum agimus.

An sit Providentia.

III. Prima Quæstio de Providentia, *An sit*, vix inter Christianos moveri deberet, nisi inter eos non pauci reperirenter adhuc Athei, qui nomen Christi profitentes, veritatem tamen Christi, et lingua et moribus abnegant, et doctrinam istam salutarem, verum Ecclesiæ peculium, cum Epicureis veteribus, non in dubium revocant tantum, sed penitus negare sustinent, fortunæ et casui omnia transcribentes, et vel Deum ipsum de mundo tollere satagentes, vel eum fingentes *ἀπρονόητον*, qui nec sua, nec aliena curet. Adversus talia hominum monstra Veritas orthodoxa confirmanda est, ex qua patebit, non modo Providentiam dari in mundo, qua cuncta, etiam minima, sapientissime simul ac potentissime dirigantur, sed et ita cum Divinitate esse connexam, ut negari omnino non possit, quin simul negetur Deus.

Providentia probatur, 1. A Natura et Populorum consensu.

IV. Ad hoc primarium fidei et Religionis Caput demonstrandum, et impietatem irrisorum *δεισιδαίμονα* profligandam, sufficere posset, vel ipsa *Naturæ vox* et *Populorum consensus*, sapientissimorumque inter Ethnicos suffragium, qui omnes uno ore, si paucos Epicureos excipias, huic veritati constans testimonium perhibuerunt. *Plato* sermoni suo de Deo hoc præstruit fundamentum, *ὡς ἔστιν ἐπιμελούμενος θεὸς πάντων μικρῶν καὶ μειζόνων*, *Quod Dii curant omnia, parva et magna*. *Aristoteles*, sive quisquis est Author lib. de Mundo, c. vi. *ὥσπερ ἐν τῇ κυβερνήτῃ, ἐν ἅρματι ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν*

Digitized by Google

πόλει δὲ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ ἡγεμὼν, τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ, &c. *Quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate Lex, in exercitu Imperator, hoc idem in mundo est Deus.* *Stoïci* eam constanter tuentur, et sic crebro, sic solide ab iis asserta est, inquit Lipsius, ut ludus jocusque fuerint Adversariis, qui hanc fatidicam Anum Stoïcorum appellabant. *Seneca* multis eam probat peculiari tractatu, Cur bonis viris mala accidant, cap. i. "Præest universis Providentia, et interest nobis Deus," et postea, "supervacuum est in præsenti obtrudere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse; et quæ casus incitat, sæpe turbari, et cito arietare; hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio, non esse materiæ errantis hunc ordinem," &c. *Cicero*, lib. ii. de natura Deorum, variis argumentis a cœlorum motu, situ, &c. terræ stabilitate, forma, ornamento et aliis idgenus rationibus solide eam adstruit. Et tanti fiebat apud Ethnicos πρόνοια, ut pro Dea culta sit in Delo, quod Latonam juvisset in partu, sub hoc cortice scilicet significantes, nihil *Naturam*, quæ per *Latonam* designabatur, posse sine obstetrice Providentia, quæ illam veluti gravidam et parturientem in partu juvaret, id. causas secundas nihil posse sine prima.

2. Ex Scriptura.

V. Sed fortius hoc ipsum et clarius confirmatur ex *Scripturæ testimonio*, quæ cum rerum creatione passim earum providentiam conjungere solet, et Deum proponit, qui non sit modo κτιστὴς, sed et προνοητὴς, non Creator tantum momentaneus qui ab opificio a se condito statim discedat, sed et constans provisor, qui opus suum continuo influxu foveat et sustentet, ejusque perpetuam curam gerat; "Nec enim, sicut structuram ædium, quum fabricaverit quis, abscedit, atque illo cessante et abscedente stat opus ejus: Ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si illi Deus regimen sui substraxerit," ut ait *August.* lib. iv. de Genes. ad lite. c. xii. Utrumque ad Deum pertinet, καλῶς ποιῆσαι, καὶ τῶν γενομένων καλῶς ἐπιμεληθῆναι, Nemesi. c. xlii. Loca Scripturæ, quæ hoc adstruunt congerere nihil attinet; Tot enim fere sunt, quot sunt Scripturæ paginæ, quando nihil frequentius, nihil clarius in Verbo Dei inculcatur; consulantur capita Jobi xii., xxxviii., xxxix., xl., xli.; Psal. xix., xci., civ., cvii., cxxxvi.; Prov. xvi. et xx., Jer. x., Matth. vi. et x., Act. xiv. et xvii. Eo pertinet quod Christus *Patrem suum semper operari* testatur, Joh. v. 17, non utique novas res creando, sed creatas conservando, et gubernando; Ita ut "ne unus passer cadat sine voluntate Patris cœlestis, et capilli capitis omnes numerati sint," Luc. xii. 6, 7. Quod Paulus dicit, "Deum non se relinquere ἀμάρτυρον benefaciendo hominibus, dans cœlitus pluvias, et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra," Act. xiv. 17, et cap. xvii. 25. "Deum dare nobis vitam, halitum, et omnia, et in ipso nos esse, vivere et moveri" testatur. Quod alibi, "Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suæ," Ephes. i. 11, profitetur, "et Filium portare omnia Verbo suo potenti," Heb. i. 3, "et in eo omnia subsistere," Col. i. 17, et sic innumeris in locis. Hoc ipsum etiam variis symbolis adumbratum, sed triplici potissimum typo. 1. *Monte Morija*, Gen. xxii., ubi illustrissimum edidit Deus in conservatione Isaaci, et substitutione arietis in ejus locum Providentiæ argumentum, unde Ecclesia symbolum hoc tanquam proprium et peculiare sibi vindicat יהוה יראה *Dominus providebit.* 2. *Scala Jacobi*, Genes. xxviii., quam Philo vocat σύμπαν κλίμακα, in qua Deus scalæ insidens exhibetur, qui res omnes cœlestes, terrenas, visibiles et invisibiles, sapientissime regit et moderatur. 3. *Curru* Ezechielis, cap. i. in quo non tantum *rotæ oculatæ* cum spiritu vitali, qui in ipsis erat, et quo movebantur, innuunt Providentiam, quæ et oculum æternum et perspicacissimum habet,

www.uplod.com.ar

Digitized by Google

quo omnia intueatur, ut alibi Zach. i. describitur, et vim efficacissimam qua moveatur; sed et *rota in rota* ponitur, minor in majore, ad notandam concatenationem, et dependentiam causarum secundarum a prima.

3. A Natura Dei.

VI. Tertio idem evincitur. 1. A *Natura ipsius Dei*; Nam *si Deus est*, inquit Lact. de Ira. c. 9, *utique providens est ut Deus, &c.*, nec magis sine eo potest mundus consistere, quam creari, quia eædem rationes, quæ illum impulerunt ad creandum, impellunt etiam ad gubernandum; 2. ab ejus *independentia* et causalitate, per quam res omnes creatæ et causæ secundæ, debent ab eo pendere, et in esse et in operari; 3. ab ejus *sapientia, potentia et bonitate*. Nam si Deus non curat mundum, id propterea fit, vel quia nescit, vel quia non potest, vel quia non vult; Sed quomodo hoc dici posset sine summa in Deum blasphemia, cum et *sapientissimus* sit, qui omnia, et omnibus prospicit, et *potentissimus*, cui nihil est *ἀδύνατον*, et *optimus*, qui ut summa bonitate mundum primo creavit, ita non potest non eadem mundum creatum conservare et regere?

4. A Natura rerum creatarum.

VII. Quarto, a *posteriori* idem demonstrat, 1. *Natura* et *conditio rerum creatarum*, quæ cum ex nihilo productæ sint, et de nihilo non parum participent, nec a seipsis vim ullam subsistendi habeant, ne ad momentum quidem subsisterent, si eadem manu, quæ illas formavit, continuo non sustinerentur; quo respiciunt ista Psalm. civ. 29, 30, "Occultas faciem tuam, consternantur, aufers spiritum earum, exspirant, et ad pulverem suum redeunt. At mittis Spiritum tuum, creantur, et renovas faciem terræ." Adde quod, cum plurimæ ex ipsis nec finem prospiciant, nec prospicere eum possint, et tamen in eum certis legibus, et constanti tenore ferantur, a Mente superiori omnium præscia omnino dirigi debeant. 2. *Harmonia et ordo admirabilis*, qui in mundo inter tot, et confusa in speciem, et sibi invicem opposita observatur, et sine Rectore et Numine superiore dari non potest. 3. *Prædictiones* eventuum futurorum, diu antequam evenirent, quæ Providentia Dei sublata, nec dari potuissent, nec concipi; nisi enim ex illius immutabili arbitrio omnia disponerentur, et evenirent, tales prædictiones meræ essent conjecturæ, et penderent in incerto. 4. *Imperiorum et Rerumpublicarum constitutiones et revolutiones;* quibus intercedere occultam Numinis providentiam, quæ diademata aufert et confert ad lubitum, quæ attollit et deprimit, quæ Reges transfert et constituit, et mutat tempora et tempestates, fateri coguntur etiam pessimi. Unde enim fit, quod Imperia erigantur in mundo, quod erecta conserventur, quod Legum, Ordinisque politici ratio observetur, nec Mundus in latrocinium abeat, cum major semper sit multitudo malorum, qui leges sublatas vellent, quam bonorum, qui eas tuentur? Sane hæc non sine Deo fieri censenda sunt, nec ab alio dirigi possunt, quam ab eo, *Per quem Reges regnare* dicuntur, Proverb. viii. 15, qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dat illud, Dan. iv. 32. 5. *Beneficia* vel *judicia* extraordinaria, quæ Deus effundit, vel in bonos, vel in malos, præter et supra omnem rerum humanarum, vel ordinem, vel apparatum. 6. *Conscientiæ sensus*, *βρετῆς* enim *ἄπασιν ἡ συνειδησις θεὸς*. Nam si nulla datur Providentia, sed omnia casu et fortuna diriguntur, Cur conscientia accusat et excusat homines, Roman. ii. 15? Cur trepidat ad scelerum memoriam, et judicii sensum? Cur impii malæ suæ conscientiæ furiis acti, *ad omnia fulgura pallent, Quum tonat exanimes primo quoque murmure cœli*, ut ait Juvenalis? Cur testis ille, et Judex inexorabilis penitus excuti nequit, quin usque re-

5. Ab Harmonia et ordine mundi.

6. Prædictionibus.

7. Imperiorum revolutionibus.

8. Beneficiis et Judiciis.

9. Conscientia.

Digitized by Google

currat? Quid enim isto timore vanius, si neglecta Universi cura, pietatem et impietatem mortalium pari loco Deus habet et æstimat?

VIII. Denique ea omnia argumenta, quibus Dei existentiam antea probavimus, ejus Providentiam etiam adstruunt: Ita enim connexa est Providentia cum Divinitate, ut non possit asseri vel negari, quin vel asseratur vel negetur ipse Deus; Unde Scriptura passim ab argumento Providentiæ Deum ab idolis secernit, Isa. xli. 22, 23, et xlii. 8, 9, Job. xii. 7, 8, 9; et apud Ethnicos promiscue θεὸς καὶ πρόνοια usurpantur, et ἀθέους damnantur, non modo qui existentiam Dei, sed etiam qui Providentiam ejus negabant.

Fontes Solutionum.

IX. Providentia Dei, nec *contingentiam* rerum tollit, quia remanet semper indifferens respectu causæ secundæ, quod necessarium fit per Providentiam, respectu causæ primæ. Nec *libertatem voluntatis* evertit, quia necessitas hypothetica decreti, nullam infert coactionem voluntati, sed eam liberrime, licet inevitabiliter, sinit motus suos exercere. Nec *mediorum usum* abrogat, quia certitudo finis, non tollit, sed supponit necessitatem mediorum; nec concursus causæ primæ excludit concursum secundarum, imo eum post se trahit; quippe ut Deus decrevit talem effectum producere per actionem Providentiæ, decrevit pariter exequi mediorum et causarum secundarum interventu. Nec *præmiorum vel pœnarum* rationem abolet, quia necessitas quam infert Providentia, non est absoluta, physica et coactionis, quæ libertatem perimit, sed secundum quid, ex hypothesi decreti et immutabilitatis, quæ hominem quidem reddit dependentem et ἀνεύθυνον, sed relinquit semper rationalem et liberum, adeoque in bene vel malefactis præmio vel pœna dignum.

X. Peccatum quod repugnat voluntati divinæ, non potest *effici* a Dei Providentia *effective;* sed nihil obstat *permissive* ab ea ordinari, et *efficaciter* dirigi, sine ulla Providentiæ divinæ culpa, ut fusius postea probabitur.

XI. Quæ ita confusa sunt in se, ut nulla ratione possint in ordinem redigi, non possunt dici regi a Providentia; Sed hoc sensu nihil confusum et ἄτακτον potest dici in mundo: Nam si qua confusa videntur et inordinata, talia sunt nostri respectu tantum, qui rerum causas, modos et fines videre non possumus, non in se, et respectu Dei, a quo sapientissime diriguntur: nihil enim usque adeo perturbatum nobis videtur, in quo tamen ordo eximius sapientiæ et justitiæ divinæ non eluceat. Ita in venditione Josephi, et crucifixione Christi, horribilis fuit ἀταξία quoad consilia hominum, sed sapientissimus ordo quoad Dei decretum, qui ut e tenebris lucem, et e malo bonum elicit; Ita eventus istos dispensare voluit ad manifestationem gloriæ suæ, et salutem Ecclesiæ; nihil quippe hic præstitum, quod "manus et consilium Dei jam antea non decrevisset fieri," Act. iv. 28. "Vos cogitaveratis in malum," inquit Josephus fratribus, Gen. l. 20. "Sed Deus cogitavit illud in bonum convertere," &c.

XII. Licet felicitas impiorum, et piorum calamitates, dubitationem de Providentia sæpe injecerint Ethnicis; imo et fideles ipsos et sanctissimos Dei viros non semel exercuerint, quos toties de illis conqueri legimus in Scriptura: Nihil tamen est quod fidem Providentiæ labefactare debeat. 1. Quia Providentiæ et justitiæ divinæ ratio quidem postulat, ut bonis bene, et malis male sit, sed non pariter exigit, ut semper bonis bene, et semper malis sit male; Imo Dei eximia sapientia elucet in hac rerum dispensatione, dum multa quidem scelera vult jam in hac vita puniri, ut homines de Justitia et Providentia erudiantur, sed multa etiam impunita hic adhuc relinquit, ut innuat aliud superesse seculum post hanc vitam, in quo Deus unicuique reddet secundum opera sua: quod Augustinus, lib. i. de

Digitized by Google

C. D. cap. 8, eximie explicat. "Si nunc omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil ultimo judicio reservari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla esse Providentia divina crederetur," &c., et hujus dispensationis rationem jam ante reddiderat: "Placuit quippe," inquit, "divinæ Providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia: ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur." 2. Si in Sacrarium Dei ingredimur, facile comperiemus, nec esse proprie mala, quibus exercentur fideles, licet nobis ita videantur, quia ipsis in bonum cedunt, Rom. viii. 28, nec bona quibus abundant impii, esse ipsis talia, quia in eorum perniciem convertuntur, nam ut bonis etiam pessima in bonum convertuntur; Ita malis etiam optima in malum cedunt. "Certe in lubricis posuisti eos," inquit Asaphus, Ps. lxxiii. 18, "dejicies eos in desolationes; quomodo fuerunt in vastitatem, quasi momento?" &c. Hoc *Claudianus*, lib. i. contra Rufi. egregie prosequitur:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque maris fines, annique meatus
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, &c.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio, &c.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum
Absolvitque Deos; jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror, tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant, &c.

Nec aliter Seneca, lib. "Cur bonis viris mala accidant," c. i. "cum videris bonos viros acceptosque Diis laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire, et voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat; Bonum virum in deliciis non habet; experitur, indurat, sibi illum præparat." Et cap. 4, "Calamitas virtutis occasio est; Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos veluti in mari lento tranquillitas iners detinet. Quicquid illis inciderit, novum veniet; magis urgent sæva inexpertos. Grave est teneræ cervici jugum. Ad suspicionem vulneris tyro pallescit: audaciter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se sæpe vicisse post sanguinem. Hos itaque Deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet, eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, multis venturis malis servat." Alia sunt ibidem plura idgenus lectu digna, quibus sapientissima Providentia Dei ex tali bonorum et malorum distributione adstruitur; Ut mirum sit, Christianos de Providentia dubitare, ex eo, unde Gentiles ipsi indubitatum Providentiæ argumentum eliciunt.

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An Providentia Dei recte dicatur Fatum, et An necessitas fatalis illi bene tribuatur? Dist.

www.libtool.com.cn

Occasio Quæstionis.

I. Quæstio necessaria est, non modo, ut constet qualis debeat esse vocis Fati inter Christianos usus, de quo non consentiunt Theologi, sed etiam, ut doctrina nostra liberetur a calumniis Pontificiorum et aliorum, qui subinde illi Parcarum tabulas, et fatalem ac Stoicam rerum omnium et eventuum necessitatem, objicere solent.

Fati vox unde dicta.

II. *Fati* vocabulum Latinum est, a *fando*, id. loquendo deductum, quasi, effatum, seu dictum, decretum, jussum, et voluntas Dei. Priscianus: "Gentilium more si loqui visum, fatum dictum, quia Jupiter illud sit fatus Parcis, quæ voluntatem ejus æneis inscripsere tabulis, sive quia id Parcæ sunt fatæ." Minutius Felix in Octavio: "Quid aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est?" Græcis dicitur εἱμαρμένη a verbo μείρω, quod est *divido*, *distribuo*, *sortior*, et τὸ πεπρωμένον, id. ordinatum, et determinatum, ἀπὸ τοῦ πέρατος *termino*, *finio*, quia per illud omnia a Deo determinantur. Stoïci Philosophi vocabulum hoc adhibuerunt ad significandam Providentiam, a quibus illud mutuati sunt Christiani, tum veteres, tum recentiores, qui non raro illo utuntur.

Quotuplex sit fatum.

III. Multifariam autem usurpatum legitur apud Authores, unde quadruplex oritur *fatum*, ut observat *Picus Mirandul.* lib. iv. contr. Astro. c. 4. *Fatum Physicum*, *Mathematicum*, *Stoïcum*, *et Christianum*. Primo, *Fatum Physicum*, quod nihil aliud est quam ordo et series causarum naturalium ad effectus suos definitarum, quarum necessitas est naturalis. *Principium ejus* est *natura*, seu vis agendi, quam Deus in creatione rebus indidit. *Effectus* sunt omnes illi eventus qui a causis naturalibus per se pendent. Opponuntur ea quæ a libera hominis voluntate pendent, aut etiam casu fiunt.

1. Fatum Physicum.

2. Mathematicum.

IV. Secundum *Fatum* est *Mathematicum*, quod Chaldæorum est et Genethliacorum, quod Bradwardino dicitur *Astrale*, estque necessitas rerum ac eventuum, quæ ex Cœli ac siderum positura sive constellationibus oritur, qua non modo elementa et corpora mixta, sed et voluntates hominum ad actus suos necessario impelli dicuntur, quo sensu *Manilius* sæpe utitur fati voce, *fata tibi Leges vitæque necisque dederunt;* et *Augusti.* lib. v. de C. D. c. 1. "Homines quando audiunt fatum," inquit, "usitata loquendi consuetudine, non intelligunt nisi vim positionis siderum, qualis est, quando quis nascitur, sive concipitur." Hoc fatum alibi appellat *fatuum*, tract. 37 in Johan. "Si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum;" Quia revera cum Scriptura, cum recta ratione, et universali experientia pugnat. Ad hoc quidam referunt *fatum Judaïcum et Pharisaïcum*, de quo Josephus, lib. xviii. Antiquit. c. 2, qui loquens de Pharisæis, dicit eos *fato tribuere quæcunque geruntur*, quod non alio, quam ad fatum Astrologicum pertinere, ex axiomate inter ipsos trito satis liquere videtur הכל תלוי במזל *omnia pendent a planeta*, et l. ii. Bell. Jud. c. 12, *fato et Deo universa deputant*, quod cum quadam limitatione tamen intelligendum esse ipse Josephus, lib. xiii. antiq. c. 9, docet, dum ait *Pharisæi quædam, non omnia fato tribuunt.*

Digitized by Google

3. Fatum Stoicum.

V. Tertium est *Fatum Stoïcum*, quod juxta Chrysippum apud Gelli. lib. vi. c. 2, "est naturalis quidam ordo, et connexio rerum omnium ab æterno aliis ad alias consequentibus, et immutabili manente hujusmodi complicatione," vel juxta Ciceronem lib. de Divina. "ordo et series causarum, quum causa causæ nexa rem ex se gignit," cui Deum ipsum subjiciunt et alligant, Seneca, c. 5, de Provid. "Eadem necessitas et Deos alligat, irrevocabilis divina pariter et humana cursus vehit. Ille ipse omnium Conditor ac Rector, scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel jussit." Qualis vero hac in parte fuerit Stoïcorum sententia non satis liquet, An scilicet fato voluerint causas omnes esse naturales et definitas, adeo ut libertas voluntatis humanæ, et contingentia eventuum per illud tolleretur, et Deus ipse ad ordinem causarum, seu rerum a se conditarum ita alligaretur, ut aliter agere non posset, quod vulgo illis objicitur; An vero voluerint tantum decretorum divinorum immutabilitatem asserere, non vero vel libertatem hominis, vel eventuum contingentiam tollere, ut *Lipsius* Physi. Stoï. lib. i. dissert. 12. statuit, et non pauci cum eo, quod *August.* lib. v. de C. D. c. 8. explicat his verbis, "Qui vero non astrorum constitutionem sicuti est, quum quidque concipitur, vel nascitur, vel inchoatur, sed omnium connexionem seriemque causarum, qua fit omne quod fit, Fati nomine appellant, non multum cum eis de verbi controversia laborandum atque certandum est, quandoquidem ipsum causarum ordinem et quandam connexionem Dei summi tribuunt voluntati et potestati, qui optime et veracissime creditur et cuncta scire antequam fiunt, et nihil inordinatum relinquere, a quo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates. Ipsam itaque præcipue Dei summi voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per cuncta percipitur, eos appellare Fatum sic probatur," &c. quæ si sunt revera ex genuina Stoïcorum mente, ut ex *Seneca* constare videtur, non exagitanda est ipsorum sententia, quæ ad veritatem proxime accedit. Sed quia usus apud plerosque obtinuit, ut aliud Fatum Stoïcis imputetur, quod scilicet fatalem et ineluctabilem rerum omnium necessitatem, et causarum rerumque inter se seriem æternam et naturalem ponit, cui Deus ipse subjiciatur: Nos ab illis longissime abesse profitemur. Nam cum illi necessitatem vulgo ponere dicantur extra Deum, in perpetuo et æterno rerum nexu; Nos eam ponimus in ipso Deo, et æterno ejus decreto. Illi Deum necessitati; Nos necessitatem Deo subjicimus. Illi causas omnes naturales et definitas fingebant; Nos discrimen naturalium et liberarum constanter tuemur, et utrasque a Dei providentia pendere credimus. Unde patet non posse nisi injustissime fatum Stoïcum, eo sensu intellectum, doctrinæ nostræ impingi. Licet enim per inevitabilem necessitatem omnia fieri censeamus per Providentiam; nihil commune tamen nobis est cum ipsis: quia non urgemus absolutam necessitatem in causis ipsis, ut illi, sed hypotheticam tantum ex decreto, nec seriem causarum naturalem et æternam, adeoque inevitabilem etiam quoad Deum, fingimus, sed temporalem, prout sunt ipsæ causæ, a Deo ipso factam; cujus beneplacito et regimini ita subjacet, ut eam pro libitu vel mutare, vel impedire, vel tollere possit.

4. Fatum Christianum.

VI. Quartum *Fatum*, quod vocamus *Christianum*, est series et ordo causarum pendens a Divina Providentia, per quas illa effectus suos producit, quo sensu Veteres non raro vocem fati usurparunt, et *Thomas* i. q. 126, fuse illud probat, et ejus certitudinem et immobilitatem adstruit. Hoc vero, modo *active* sumitur, pro ipso divino decreto, et sic non differt ab ipsa Providentia,

Digitized by Google

modo *passive* pro ipsa complexione et dispositione causarum omnium ad suos effectus, prout a Dei providentia immutabili pendent; et ita distinguitur ab ea, tum ratione *subjecti*, quia Providentia est in Deo, Fatum vero a Deo in causis secundis, tum ratione *ordinis*, quia Fatum a Providentia pendet, non contra; tum *objecto*, quia Providentiæ omnia subjacent, sed non Fato, ea puta, quæ a Deo immediate fiunt. *Boëthius* lib. v. de Consola. Philos. sic definit, *Inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam divina Providentia suis quæque nectit ordinibus.*

VII. Atque hinc facile colligitur, quid respondendum sit ad Quæstionem propositam; An Providentia recte dicatur Fatum, vel An voce Fati bene possimus uti in hoc argumento. Licet enim sano sensu usurpari concedamus, nec cuiquam propterea litem intentandam esse credamus, si de re ipsa constet, et nihil aliud hac voce, quam fatum Christianum a nobis jam jam expositum intelligatur; Tutius tamen arbitramur cum Calvino lib. i. Insti. c. 16. s. 8, ab hac voce abstinere in Scholis Christianis. Primo, quia Ethnica superstitione et impietate est contaminata, et est ex earum numero, quarum profanas novitates refugere nos jubet Paulus. Secundo, quia opportunior est calumniis Adversariorum, qui cum nomine etiam doctrinam ipsam nos recepisse criminantur, et sic ejus odio conantur gravare Dei veritatem. Nec eadem potest esse ratio vocabuli Providentiæ, quod etiam Ethnicis usurpatum est ad figmenta sua confirmanda, quia hoc in Scriptura ipsa traditur, fatum vero nequaquam. Hæc fuit Augustini sententia, lib. V. de C.D. c. i. *Si quis ipsam Dei potestatem vel voluntatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat.*

QUÆSTIO III.

DE OBJECTO PROVIDENTIÆ.

An omnia subsint Providentiæ, tam minima, quam maxima, tam contingentia et libera, quam naturalia et necessaria? Aff.

Occasio Quæstionis.

I. Occasio Quæstionis oritur ex iis, qui licet Providentiam Dei videantur agnoscere, eam tamen arctioribus limitibus quam par est includunt, dum eam vel ad cœlestia tantum restringunt, ut in sublunaribus locus sit casui et fortunæ, ac contingentiæ rerum, ut Peripatetici; Vel ad sublunaria etiam extendunt, sed naturalia, non libera et contingentia, ut Pelagiani, qui ut facerent homines liberos, fecerunt sacrilegos; Vel ad res magnas referunt, vilibus et minutis inde exemptis, quod post Peripateticos, voluerunt etiam quidam ex Scholasticis, et Thomas imprimis, qui i. q. 23, artic. 7, asserit, "quod licet Deus sciat numerum individuorum, numerus tamen boum et culicum, et aliorum hujusmodi non sit præordinatus a Deo." Nos vero omnia sine exceptione, sive cœlestia, sive sublunaria, sive magna, sive parva, sive bona, sive mala, sive necessaria et naturalia, sive libera et contingentia, Providentiæ divinæ subesse credimus, ut nihil in rerum natura possit dari vel evenire, quod ab ea non pendeat.

Omnia subsunt Providentiæ.

II. Rationes sunt. 1. Quia Deus omnia creavit: Ergo et omnia curat. Nam si Deo gloriosum fuit ea creare, probrosum non debet esse illi ea curare. Imo ut semel creavit, continuo conservare et regere tenetur, siquidem Deus opus suum nunquam deserit, sed illi perpetuo adesse debet, ne in nihilum relabatur.

Digitized by Google

III. Secundo, Quia Scriptura clarissime hoc adstruit, tum in genere, tum in specie. *In genere* in iis locis, quæ Deo omnium curam et gubernationem vindicant, Nehem. ix. 6, "Tu ille Dominus solus es, qui fecisti cœlos cœlorum, et omnem exercitum eorum, et terram, et quicquid in ea, Tu conservas hæc omnia," Act. xvii., "Ipse dat omnibus vitam, halitum et omnia, nam in ipso vivimus, movemur, et sumus," Hebr. i. 3, "Sustinet omnia Verbo potenti," Ps. cxlv. 15, 16, "Oculi omnium in te sperant, et tu das ipsis cibum suum in tempore suo, aperiens manus tuas, et satians omne vivens benevolentia," et sic innumeris in locis.

www.libtool.com.cn

Etiam minima.

IV. *In specie* iis locis, quæ omnes rerum species, et eas potissimum, quæ in controversiam veniunt, Dei Providentiæ subjiciunt; Ita *res minimæ* non minus ac maximæ ab illo pendere dicuntur. Quid vilius *pilis capitis?* et tamen *omnes* dicuntur *numerati a Deo*, Luc. xii. 7. Quid levius passerculis? nullus tamen eorum cadit in terram sine voluntate Patris cœlestis, Matt. x. 29, qui aves omnes providentia sua nutrit, Matt. vi. 26, et pullis corvorum dat escam, Ps. cxlvii. 9. Quid minoris momenti herbis, et floribus agri? Et eos tamen Deus vestit, et augescere facit, Matt. vi. 28, 30. Quid pediculis, ranis, locustis, vermiculis, cæterisque insectis abjectius? Hæc tamen Deus excitare dicitur ad executionem judiciorum suorum, Exod. viii. 16, 17, et x. 12, imo vocantur *exercitus ejus robustus, faciens verbum ejus*, Joel. ii. 11.

V. Quamvis Dei Providentia versetur circa creaturas rationales longe illustrius et efficacius; Non propterea subducendæ sunt cæteræ a Dei Providentia, cum ad utrasque extendatur, Ps. xxxvi. 6, et cxlv. 15, 16. Nec quod Paulus, 1 Cor. ix. 9, *boves curæ non esse Deo*, dicit, simpliciter et absolute est intelligendum, quia et boves curæ sunt Deo, qui eos conservat et nutrit, Psal. xxxvi. 6, sed tantum secundum quid, ut doceat mandatum de non obligando ore bovis triturantis, spectare potissimum Ministros Evangelii, et in eorum gratiam datum esse, ut sciant homines, quid sui sit officii erga eos quorum utuntur opera in ministerio, argumento a minori ad majus; Si Deus bovem vult vivere ex labore suo, multo magis æquum est ut Minister ex Evangelio vivat; quod clarum est ex antecedentibus et consequentibus. Nec hic proprie Paulus tam loquitur de Providentia, ut boves illi subducat, quam de legislatione, quæ non tam bestiarum causa instituta fuit, quam hominum, quorum solorum institutioni destinabatur.

VI. Deus ita est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis; Nec ita terram dedisse dicitur filiis hominum, Ps. cxv. 16, quin ex cœlis cœlorum eam respiciat semper, et in cura sua retineat: hoc scilicet sibi vult Psaltes, Deum gloria sua contentum, inhabitare cœlos, et non opus habere, ut extra se quicquam quærat, sed terram in usum hominum condidisse, et locupletasse bonis omnibus, ne quid ipsis deesset; cœlos ergo sibi servasse dicitur in sedem gloriæ, et sacrarium Majestatis, et terram dedisse hominibus, non ad summum *dominium* et absolutam potestatem, sed tantum in *usum*, dependenter a Providentia sua.

VII. Si non fuit indignum Majestate Dei res etiam vilissimas et minimas condere, quia faciebant ad majorem sapientiæ ejus demonstrationem, et perfectionem Universi in tanta creaturarum varietate; Cur indignum esset ejus gloria eas conservare? Ut infra gloriam Solis non est loca abjectissima, imo et spurca et fœtida radiis suis illustrare, quin potius hoc pacto monstratur amplitudo splendoris ejus. Nec dicendum cum *Corvino* Deum minima non curare, quia hoc nullam rationem bonitatis et justitiæ habet, siquidem dici non potest ex minimis creaturarum elucescere posse

Digitized by Google

bonitatem seu justitiam divinam; Quia, præterquam quod aliæ sunt proprietates Dei, quarum patefactione in minimis illustratur gloria Dei, nimir. sapientia et potentia; Certum est Deum bonitatem suam etiam in rebus vilissimis ostendere, et justitiam sæpe exerere per minima animalcula, per ranas, pediculos, et vermes, &c. Vide supra, L. III., Q. 12, th. 4, ubi expenditur et excusatur locus Hiero. in Hab. i.; quibus adde quæ habet Sixtus Senensis Bibl. lib. v. annota. 257, qui ex ipso Hieronymo in c. x. Matth. et ex Lombardo, li. i. senten. dist. 39, verba ejus emollit, et in meliorem sensum trahit.

2. Contingentia et fortuita.

VIII. Secundo, *contingentia* et *fortuita* cadere sub Providentiam, Scriptura non uno loco asserit: Nihil magis contingens est cæde hominis, qui a lignatore præter intentionem suam est occisus, quæ tamen Deo tribuitur, qui dicitur illum objecisse manui occisoris, Exod. xxi. 12, 13, et Deut. xix. 4. Nihil magis casuale et fortuitum sortibus, sed illarum tamen decisio in ipsum refunditur Deum, Prover. xvi. 33. *Sors projicitur in gremium, sed a Domino est tota ratio ejus.* Nihil magis contingens fuit venditione Josephi, et ejus incarceratione, et exaltatione, hæc tamen dispensata esse omnia a Dei providentia, Josephus ipse testatur, "Nequaquam vos estis, qui misistis me huc, sed Deus ipse," Gen. xlv. 8, &c. "Cogitaveratis in malum, sed Deus cogitavit in bonum, ut faceret die hoc, conservando in vita populum magnum." Innumeri sunt eventus similes plane contingentes et fortuiti, qui expresse Providentiæ adscribuntur. Vide Genes. xxii. 8, 13, et xxiv. 12, 13, et seq., et xxvii. 20; Prov. xxi. 31; Matth. x. 29, 30.

IX. Nihil ergo adeo fortuitum et casuale in rerum natura dari potest, quod a Providentia Dei non regatur, atque adeo necessario et infallibiliter non eveniat respectu decreti divini. Unde proscriptas volumus impias et blasphemas voces Ethnicorum, qui fortunam cœcam et volubili globo insistentem, loco sapientissimæ et potentissimæ Providentiæ substituunt, qualis illa Plinii, li. ii. c. 7, qui "fortunam solam in tota ratione mortalium utramque paginam facere statuit." Et ista Juvenalis:

Nullum Numen habes, si sit Prudentia, sed Nos
Te facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus.

X. Non tamen propterea putandum est *contingentiam* omnem de mundo tolli. Sic enim Deus qui omnia operatur in omnibus, causas secundas gubernat et regit, ut naturam et conditionem earum non tollat, sed potius tueatur et conservet, et suos etiam exercere et agere motus sinat: Ut primum mobile ita censetur rapere sphæras inferiores, ut his tamen proprius et specialis suus motus remaneat. Ita non desinit id contingens censeri respectu causæ secundæ, a qua actus denominatio et specificatio oritur, cujus modus agendi contingens est, et non ad unum determinatus, quod certo tamen et infallibiliter evenit ex immutabili Providentiæ divinæ dispositione; quia illa infallibilitas eventus ex hypothesi, non tollit earum contingentiam ex causarum secundarum conditione et modo agendi, quibus semper inest intrinseca facultas, et indifferentia ad oppositum. Sic necesse fuit Josephum vendi a fratribus, et in Ægyptum descendere, quia ita constitutum fuerat a Deo ad familiæ Jacobi conservationem; Sed contingens tamen fuit respectu fratrum Josephi: qui poterant vel illum occidere, vel ab ejus venditione abstinere. Alia ergo ratio est eorum, quæ *necessaria sunt absolute*, et omnimode, tum quoad *sui futuritionem*, tum quoad *modum*, quo fiunt et producuntur; Et eorum quæ sunt *necessitatis hypotheticæ* ex

Digitized by Google

ordinatione divina. Illa non possunt consistere cum contingentia: Sed nihil obstat quominus ea, quæ quoad modum productionis contingenter fiunt respectu causarum secundarum, necessitatem tamen habeant consequentiæ, seu infallibilitatis futuritionis eventus ex ordine Providentiæ. Vide supra L. IV. Q. 4. "An decretum afferat rebus necessitatem."

www.jibool.com.cn

3. Voluntaria et libera.

XI. Tertio, *Libera* et *Voluntaria*, quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, et fiunt ἐκ προαιρέσεως, a Providentia regi constat ex Scriptura. "Hominis sunt dispositiones cordis, sed a Domino pronunciatio linguæ," Prov. xvi. 1; et 9. "Cor hominis cogitat viam suam, et Dominus dirigit gressus ejus;" et cap. xx. 24. "A Domino diriguntur gressus viri;" et c. xxi. 1. "Cor Regis in manu Domini, ut rivus aquarum, quocunque voluerit inclinat illud;" Jerem. x. 23. "Scio Domine quod non est hominis via ejus, nec viri ut dirigat gressus suos." Sic Ps. xxxiii. 14, 15. "E loco habitationis suæ prospicit in habitatores terræ, formator pariter cordis ipsorum animadvertit ad omnia opera eorum." Quod luculenter confirmatur exemplis *Labanis*, Genes. xxxi. 29. *Esavi*, Gen. xxxiii. 4. *Ægyptiorum*, Exod. xii. 36. *Bileami*, Num. xxii., xxiii. *Saulis*, 1 Sam. xxiv. 15, 18, et xxvi. 17, et aliorum. Ratio etiam multiplex hoc suadet. Quia ut homo pendet a Deo quoad essentiam, et vitam; ita debet ab eo pendere quoad actiones, et motus animæ, quæ potissima est pars hominis: Nam fingere hominem independentem in volendo et agendo, est facere independentem in essendo, quia qualiscunque est in agendo, talis est in essendo. Deinde si actiones liberæ a Deo non penderent et regerentur, fierent Deo, vel ignorante, et inscio, vel negligente, aut invito; quod sine impietate dici et cogitari nequit. Quomodo autem Dei Providentia concurrat cum voluntate hominis, nec evertat tamen ejus libertatem, in sequentibus videbitur.

QUÆSTIO IV.

DE PROVIDENTIÆ ACTIBUS.

An Providentia sita sit tantum in conservatione et sustentatione rerum, An vero etiam in gubernatione earum, per quam Deus ipse agat, et efficaciter concurrat cum ipsis, concursu non generali et indifferente, sed particulari, specifico, et immediato? Neg. Pri., Aff. Poster., contra Jesuitas, Socinianos, et Remonstrantes.

I. Duæ sunt Quæstionis partes. Prima de *Conservatione* rerum. Secunda de earum *Gubernatione;* quibus duobus actibus solet describi Dei Providentia. *Conservatio* est, qua Deus creaturas omnes in statu suo conservat, quod fit conservatione *essentiæ* in speciebus, *existentiæ* in individuis, et *virtutis* ad operationes. *Gubernatio* est, qua Deus universa et singula gubernat, et ad fines a se præstitutos dirigit et deducit.

Status Quæstionis.

II. Quoad primam; Non quæritur, An Providentia Dei occupetur circa Conservationem rerum; Hoc enim utrinque est in confesso, docente Scriptura, Nehem. ix. 6; Psal. xxxvi. 6, et civ. 27, 29; Heb. i. 3; Act. xvii. 28, et ratione probante: Quia ut res non potuerunt fieri sine Deo; Ita nec sine eo possunt vel ad momentum subsistere; alias independentes forent, quod soli Deo competit. Sed quæritur, An tota ratio Providentiæ consistat in illa Conservatione, et in eo quod Deus vim agendi causis secundis tribuit et conservat, illas-

Digitized by Google

que agere sinit; An vero consistat etiam in gubernatione, per quam Deus ipse agat, et cum creaturis efficaciter concurrat?

Sententia Durandi.

III. Res hic nobis est cum *Durando*, et nonnullis ex Pontificiis, qui cum ipso faciunt, qui Providentiam et concursum Dei tantum in eo collocant, quod creaturæ, quam ad agendum antea idoneam fecit, vires solum conservet, et eam pro libitu agere sinat, tanquam per se solam ad agendum sufficientem. Quod sic explicat *Lud. a Dola*, lib. de conjunct. concursuum Dei et Creaturæ, "Deum concurrere est, vel liberum arbitrium creare, ut in actibus naturalibus, vel dare in supernaturalibus potentiam seu habitum agendi, vel non agendi, per quem ipsa voluntas totum faciat in omni actu supernaturali, absque ullo alio Dei concursu immediato actionem actu promovente;" Et ita hoc commentum probat, ut unicum medium censeat esse idoneum tollendis litibus, quæ a tot jam annis inter Dominicanos et Jesuitas agitantur de ratione concursus divini.

Jesuitarum.

IV. *Jesuitæ*, etsi fateantur Dei Providentiam non consistere in sola Conservatione rerum, sed etiam in influxu et concursu Dei; quum tamen ad explicationem *concursus* deventum est, volunt eum *generalem* tantum esse, et *indifferentem*, qui determinetur a causis secundis; Ut Sol causa generans universalis determinatur ab homine generante, ut a causa particulari; unde fit, ut non generetur equus, sed homo, cum influxus Solis per se sit indifferens ad generationem hominis et equi. Ita volunt influxum causæ primæ esse indifferentem ad illam actionem, vel ad contrariam, nec esse antecedentem et præmoventem, sed contra causam secundam se determinare antequam agat causa prima, quæ non excitet ad motum causam secundam, sed causa secunda sit occasio agendi causæ primæ: Hæc est communis sententia *Jesuitarum*, quam sequuntur *Sociniani* et *Remonstrantes*. Utrique duabus potissimum de causis se hanc amplecti profitentur: Una est, ut Deus vindicetur a peccati causalitate; Altera, ut voluntatis humanæ libertas et ἀδιαφορία in omnibus actibus, et potissimum in conversione, asseratur, et cum Providentia divina concilietur.

Thomistarum.

V. Sed aliud longe statuunt in Communione Romana *Thomistæ*, et *Dominicani*, qui prædeterminationem physicam urgent, ut omnes causæ secundæ a Deo sint prædeterminatæ ad agendum, et Deus non tantum agat cum causa secunda in effectum, sed et in ipsam immediate, atque ita ad hoc volendum, vel nolendum in particulari determinetur voluntas ab eo, non tantum in bonis actionibus, sed etiam in malis. Unde *Thomas* 1. q. 83, artic. 1. ad 3, "Cum liberum arbitrium movet seipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, a quo habet hoc ipsum quod seipsum movet;" Idem alibi i. q. 105, et lib. iii. c. gent. c. 70, Concursum Dei in hisce quinque ponit, 1. quatenus vires et facultates agendi dedit causis secundis; 2. quatenus eas ipse tuetur et sustentat in esse et vigore; 3. quatenus excitat et applicat causas secundas ad agendum; 4. quatenus ipse eas determinat ad agendum; 5. quatenus eas regit et dirigit, ut ad fines suos sibi præstitutos perveniant. *Alvarez* Dominicanus hoc argumentum fuse executus est lib. de *Auxiliis*. Orthodoxi ad posteriores accedunt, et tam contra Durandum, quam contra Jesuitas, Socinianos, et Arminianos, statuunt Providentiam Dei non consistere tantum in conservatione rerum, sed etiam in concursu Dei, non indifferente et generali, sed particulari et specifico, quo influat et in causam et in effectum immediate.

Digitized by Google

Providentia non consistit tantum in conservatione rerum, sed etiam in concursu particulari, et immediato.

VI. Primo, quia Scriptura passim actiones causarum secundarum Deo tribuit ut causæ primæ, quod perperam diceretur, si tota Providentiæ ratio consisteret in conservatione rerum, et sustentatione facultatum, et Deus effective cum illis non concurreret. Ita Deus dicitur *misisse Josephum in Ægyptum*, Gen. xlv. 7, *Cor Regis habere in manu sua, et inclinare quocunque voluerit*, Proverb. xxi. 1, *uti impiis* tanquam *securi*, virga, serra, baculo, ad opus suum, Isa. x. 15, 26, et xiii. 5. Nam ut ista non operantur ex seipsis, nisi concurrat artifex; Ita causæ secundæ, quæ hisce instrumentis comparantur, non agunt sola sua virtute, sed motæ demum a causa prima. Nec excipi potest, Deum posse dici concurrere, quatenus dat creaturis facultatem agendi, eamque conservat, licet cum illis non concurrat effective. Quia aliud est concurrere ad conservationem facultatum, aliud ad operationes earum; Deus vero ex locis allatis dicitur concurrere ad ipsas actiones: Et similitudo allata hoc necessario evincit; nam licet instrumenta ipsa habeant facultatem operandi, non possunt tamen operari, nisi concurrente, et ipso manus admovente artifice.

VII. Huc pertinent loca Actor. xvii. 28, Coloss. i. 17, quibus dicimur in Deo esse, moveri, et vivere; Nam in quo, et a quo sumus, et movemur, ab illo omnes nostræ actiones effective quoque pendere debent. Quibus alia addi possunt, in quibus opera fidelium Deo accepta feruntur; quomodo enim Deus dicitur *operari in nobis velle et perficere*, Phil. ii. 13, et *omnia in nobis operari*, 1 Cor. xii. 6, et alia idgenus; si Providentia ejus consistit tantum in conservatione facultatum, vel in concursu generali et indifferente?

VIII. 2. Quia Deus est Moderator et Dominus mundi, Et per consequens eorum omnium quæ in eo sunt, vel fiunt, quod sola conservatione, vel concursu generali fieri non potest, quia moderari est ita præesse, ut destinato ordine regat ille qui præest, quod complectitur, tum definitionem finis, tum ordinationem mediorum. Ita quia Dominus est singulorum, omnes ac singulos motus, actiones, et eventus, externos et internos, bonos et malos, imperio suo subjectos habet.

IX. 3. Quomodo se habet creatura in essendo respectu Dei, ita et debet se habere in operando, nam modus operandi sequitur modum essendi; hæc enim pari passu ambulant. At omnis creatura pendet a Deo in esse, Ergo et in operari. Sed si Deus per Providentiam versatur tantum in conservatione rerum, vel in concursu generali et indifferente, qui determinetur a causa secunda; Creatura non pendebit in operari a Deo, imo Deus potius pendebit a Creatura, et causa prima fiet secunda, et secunda prima, nec amplius erit subordinata, sed coordinata, et independens. Sic plura erunt prima entia, et prima principia, imo tot principia, quot sunt causæ, et quot sunt hominum et Angelorum voluntates, quia, ut *Thomas* bene observat, est de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio prioris agentis et illius influentia.

X. 4. Si datur tantum concursus generalis, frustra Deus oratur ad aliquid obtinendum, quia Deus nec malum avertere, nec bonum conferre potest, nisi prout allibuerit hominibus ipsius Dei motionem determinantibus. Frustra etiam gratias agimus de bonis per agentia libera procuratis; Frustra in Deum confidimus, speramus, et voluntates nostras patienter Deo submittimus, quia Deo concurrente tam non evenire possunt, quam evenire, bona vel mala, quæ speramus aut timemus.

XI. 5. Posito concursu generali et indifferente, Deus non magis erit

Digitized by Google

causa boni, quam mali, utpote qui ad speciem aut qualitatem non determinatur, nec determinari ex se poterit, sed determinabitur et specificabitur a voluntate humana; quod absurdum esse multis modis patet. 1. Quia Providentia Dei circa res humanas ipsis hominibus, sive eorum arbitrio subjaceret. 2. Potiores et priores essent voluntatis partes, et Dei inferiores, qui sequeretur tantum voluntatem. 3. Determinatio influxus indifferentis ad hanc vel illam actionem in specie, ipsaque actio in specie foret independens, ex sola hominis voluntate pendens: quæ omnia blasphema, et ἀθεόλογα sunt, ut et ἀντίγραφα, cum Scriptura passim causam omnis boni, sive naturalis sive moralis, testetur esse Deum, Jac. i. 17; 1 Cor. iv. 7; Rom. xi. 36; Gen. i. 31.

XII. 6. Si Deus concurrit tantum cum creaturis per conservationem, vel per influxum generalem et indifferentem; 1. Dispositio sortium non poterit dici a Deo, quia a Dei concursu ad hanc vel illam sortem plane indifferente, non est egressus hujus potius quam illius sortis, sed vel a fortuna, vel a manu sortem apprehendente. 2. Casus passeris non erit a Deo, quia volatus potius quam non volatus a Deo non determinatur. 3. Falsa hæc omnia erunt, Deum dare *nives*, *imbres*, *glaciem*, *ventos*, dare *corvis escam*, *alas ciconiæ*, *robur equo*, Job. xxxvii., xxxviii., xxxix., Psal. civ. cxlvii.; dare *cibum famelicis*, *aperire oculos cæcorum*, *orphanos et viduas levare*, *morti addicere*, *et e sepulchro educere*, 1 Sam. ii. 7, 8, 9, Ps. cxlvi. 7, 8, et sim. quæ in Scriptura illi tribuuntur; quia omnes isti effectus sunt determinati, qui non possunt tribui concursui Dei indifferenti et indeterminato, a quo non magis hi effectus, quam contrarii, pendere possunt; quod in actibus liberis etiam obtinet. Nec potest elabi (*Bellarminus* de Amiss. grat. ii. cap. 19,) dum vult "actionem humanam plane totam esse a Deo, et ab ipso habere non solum esse genericum, sed etiam specificum et singulare; Cæterum id habere per concursum determinatum ad actionem talem a voluntate humana, seu a creatura; ac proinde non habere esse specificum, ex modo agendi Dei, sed ex modo agendi voluntatis humanæ." Quia vel ἀνίστατα loquitur, vel supponit quod probandum est. Nam si actio humana tota habet a Deo esse specificum, quomodo dicitur postea illud non habere ex modo agendi Dei? 2. Si actio Dei determinatur ad talem actionem a voluntate humana; Ergo eventus voluntati humanæ principaliter, non vero concursui Dei, qui indifferenter se habuit ad hunc effectum, tribui debet.

XIII. 7. Denique posito concursu generali et indifferente, 1. Decretum Dei redderetur incertum, et Præscientia fallibilis, quia et illud et hæc penderet a voluntate hominis mutabili. 2. Subtraherentur dominio Dei operationes voluntatis, et homo fieret independens, et ex subdito socius Dei, a cujus nutu Deus ipse pendere deberet. 3. Plus ageret Creatura quam Deus, quia motio specialis est potior generali; et perfectior esset, quia quod determinat est perfectius eo quod determinatur. 4. Præcipua pietatis ratio, quæ sita est in dependentia voluntatis nostræ a voluntate Dei, subverteretur; non amplius dicendum esset cum Jacobo, c. iv. 15. *Si Dominus voluerit, hoc et illud faciemus;* Sed Deus quasi in ordinem redactus dicere deberet; *Si homo voluerit facere, hoc aut illud fiet.*

Fontes Solutionum.

XIV. Alia est Causa universalis, secundum quid ita dicta, quæ physica necessitate agit, qualis est Sol, et Astra; Alia vero universalis absolute, sapientissime, et liberrime operans, qualis est Deus. Illa quidem generali tantum et indifferente influxu concurrit; Sed non ista, quia ita est *universalis* respectu

Digitized by Google

objectorum specie distinctorum, ut quoad *modum concursus* etiam particulariter agat, et prout vult concurrat cum causis secundis.

XV. Quamvis Deus conservet voluntatem liberam, prout eam creavit, non sequitur illam gubernare debere generali tantum concursu; Quia libertas voluntatis non est absoluta et independens, sed limitata et dependens a Deo, ad cujus conditionem sufficit, quod homo proprio motu, et ἐκ προαιρέσεως agat; quod non tollitur per influxum specialem et determinatum, qui non evertit naturam rerum, sed convenienter agit illarum proprietatibus.

XVI. Potentia quæ absolute et omnimode est indifferens et indeterminata, neque aliunde dependet, non potest determinari a Providentia Dei. Sed voluntas humana non ita dicitur indifferens, sed secundum quid, quatenus, si in se spectetur, indifferenter se habet ad varia objecta, licet aliunde dependeat a Deo et ejus Providentia, a qua est et movetur. Quamvis vero seipsam determinet, non obstat tamen quominus determinetur etiam a Deo, quia determinatio Dei non excludit determinationem hominis.

XVII. Alia est determinatio, quæ fit per modum *causæ efficientis*, alia per modum *causæ formalis*, et *subjectivæ;* Effectus determinantur a causis secundis per modum causæ formalis et materialis, sed a causa prima per modum causæ efficientis.

XVIII. Causa particularis, quæ concurrit influxu particulari, denominatur ab effectu suo, quando non tantum est efficiens, sed etiam proxima, formalis, et subjectiva, et quæ producit in seipsa effectum; Sed Deus non potest dici hoc sensu causa particularis, licet influxu particulari concurrat, quia non est causa proxima, nec formalis, sed tantum efficiens, quæ in alio operatur.

XIX. Influxus generalis perperam necessarius statuitur, vel ad libertatem hominis salvandam, vel ad causalitatem peccati a Deo removendam, quia neutrum sequitur ex influxu particulari, ut in sequentibus probabitur.

QUÆSTIO V.

DE CONCURSU DEI.

An Deus concurrat cum causis secundis, non modo concursu particulari, et simultaneo, sed etiam prævio? Affir.

I. Cum Quæstio de *Concursu Dei* sit ex difficillimis, quæ in Theologia occurrant, in qua explicanda, si uspiam alibi, laboratum fuit, et erratum periculosissime, peculiarem et accuratam disquisitionem postulat.

Concursus Physicus. Et moralis.

II. Ad Statum Quæstionis Observa, 1. *Concursum* alium esse *Physicum*, quo quis per modum causæ physicæ concurrit et agit, id est, vere et efficaciter ac realiter influit in effectum positivo quodam influxu; Alium *moralem*, quo per modum causæ moralis operatur, id. suadendo, vel dissuadendo, vel objecta et occasiones proponendo, vel removendo. Non agitur hic de Concursu morali, sed physico.

2. Mediatus, et immediatus.

III. 2. *Concursum* alium esse *mediatum*, alium *immediatum*. Causa enim potest dici agere, vel *mediate*, vel *immediate*, tum quoad *suppositum*, tum quoad *virtutem*. Illa causa agit immediate *immediatione suppositi*, inter quam et effectum nullum aliud suppositum singulare per se subsistens interjectum est, quod prius in se recipiat actionem agentis, ut aqua quæ manum abluit et refri-

Digitized by Google

gerat: contra illa agit mediate *mediatione suppositi*, inter quam et effectum aliud cadit suppositum, ut inter fabrum et statuam, securis. Causa agit immediate *immediatione virtutis*, quæ agit per virtutem sibi propriam, et non aliunde acceptam; ut ignis calore suo calefacit: mediate vero *mediatione virtutis*, quæ per virtutem non suam, nec sibi propriam, sed aliunde acceptam et commodatam operatur; ut quum Luna lumine a Sole mutuatitio terram illuminat, dicitur illuminare mediate mediatione virtutis, id. mediante virtute Solis. *Deus* vero cum causis secundis concurrit immediate *immediatione*, tum *virtutis*, quia agit propria virtute, non aliunde commodata, tum *suppositi*, quia per suam essentiam rem attingit. Nec, si utitur causis secundis, ut mediis, sequitur eum immediate etiam non agere; quia utitur iis non ratione actionis creaturæ, ipsiusque adeo effectus, quasi illum non attingat immediate, sed quatenus sibi subalternat causas secundas, in quas influendo, ipsum effectum quoque immediate attingit.

3. Concursus per modum principii, et per modum actionis.

IV. 3. Rursus *concursus*, talis dicitur, vel per *modum principii*, seu *actus primi*, quo Deus virtutem causæ secundæ conservat, et eam agere sinit; vel per *modum actionis*, quatenus Deus est proximum principium operationis, quæ a causis secundis editur, ita ut eadem illa sit operatio et actio Dei concurrentis, quæ includitur in ipsa creaturæ actione, tanquam per se quoque et immediate tendens ad eundem terminum, ad quem tendit actio creaturæ; quæ ratione termini, eadem est cum ipsa Dei cooperatione. Non agitur hic de primo, sed de secundo.

4. Concursus prævius et simultaneus.

V. 4. Denique *concursus* alius dicitur *prævius* et *prædeterminans*; alius *simultaneus*, sive *concomitans*. *Prævius* est actio Dei, qua in causas earumque principia influendo, creaturas excitat, et ad agendum præmovet, et ad hoc potius quam ad illud agendum applicat. *Simultaneus* vero est per quem Deus actionem creaturæ, quoad suam entitatem vel substantiam producit; quo una cum creaturis in earum actiones et effectus influere ponitur, non vero in creaturas ipsas. Licet vero non differant realiter, sed tantum ratione, quia concursus simultaneus nihil aliud est quam concursus prævius continuatus, qui non tantum influit in causas ipsas, ut *in illis* operetur, sed in effectum ipsum, ut *cum illis* agat; possunt tamen distincte considerari.

VI. Quod vero per Concursum prævium, qui melius *Præcursus* diceretur, intelligitur; Id ipsum etiam nomine *Prædeterminationis*, seu *Præmotionis* solet designari, qua Deus ciet et applicat causam secundam ad agendum, adeoque antecedenter ad omnem operationem creaturæ, seu prius natura et ratione quam creatura operetur, eam realiter et efficaciter movet ad agendum in singulis actionibus, adeo ut sine hac præmotione causa secunda operari non possit, ea vero posita impossibile sit in sensu composito causam secundam non illud idem agere ad quod a prima causa præmovetur. Quæstio ergo movetur de Concursu: An sit tantum simultaneus, An vero etiam prævius; de qua variæ sunt inter Pontificios sententiæ. Quidam enim, ut *Jesuitæ*, qui scientiam mediam tuentur, concursum tantum simultaneum agnoscunt, et negant prævium, seu Prædeterminationem; pertendentes Deum influere quidem, sed non in causam secundam, sed cum causa secunda in ejus actionem. Alii vero, ut *Thomistæ* et *Dominicani*, stant pro Concursu prævio, seu Prædeterminatione, qui inde *Prædeterminantes* dicuntur, qui censent Prædeterminationem Dei esse necessariam in omnibus actibus Creaturarum, sive naturalibus, sive liberis. Ex Nostris quidam concursum tantum prævium volunt quoad bona opera gratiæ, sed in aliis omnibus

Status Quæstionis.

Digitized by Google

simultaneum sufficere existimant. Alii vero utrumque, et prævium et simultaneum, hic conjungendum esse putant, ut tota ratio Providentiæ Dei rite explicetur: Licet vero graves non desint utrinque rationes, quibus sententia negans vel affirmans confirmetur, veriorem tamen, et tutiorem posteriorem esse credimus.

www.libtool.com.cn

Concursus prævius probatur.

VII. Pro hac sententia militant, præter argumenta, quæ præcedenti Quæstione adducta sunt ad probandum particularem Dei concursum, et sequentia. 1. Ex *natura causæ primæ et subordinatione causarum secundarum.* Prima causa est primum movens in omni actione, ideo causa secunda non potest movere, nisi moveatur, nec agere, nisi acta a prima; alioqui erit principium sui motus, et sic non amplius esset causa secunda, sed prima. Nec excipi potest, causam secundam semper subordinari primæ, tum ratione concursus simultanei, qui est natura et ordine prior concursu creaturæ, tum ratione sustentationis facultatum, per quas agit causa secunda. R. Nam neutrum potest salvare dependentiam causæ secundæ in agendo. Non prius, quia ubi datur tantum concursus simultaneus, ibi Deus *operatur quidem cum Creatura*, sed non *in ea*, et causa 1ª et 2ª sunt causæ partiales et sociæ ejusdem actionis, quomodo duo equi trahentes currum; et sic unaquæque adhibet proprium et peculiarem influxum, quem habet a seipsa, ita ut in influendo non dependeat ex influxu alterius causæ, tanquam a causa vere efficiente, licet effectus dependeat ab utraque. Non posterius, quia conservatio naturæ et virium ejus, efficit quidem, ut causa secunda pendeat a Deo in essendo, sed non in operando et causando, de quo quæritur: Siquidem hic agitur de motione et determinatione causæ secundæ, quæ si a Deo non fieri statuitur, sed a sola creatura, eo ipso erit independens in agendo, et Deus non poterit censeri causa prima illius motionis, quæ ut ens tamen debet pendere a Deo.

VIII. 2. Quod est ex se indifferens ad plures actus, ad agendum, aut non agendum, necesse est ut ad agendum ab alio determinetur; Quia quod est in potentia, non potest reduci in actum, nisi ab aliquo, quod sit in actu; Sed omnis causa secunda, et præcipue voluntas hominis est talis. Ergo necesse est, ut ab aliquo alio principio externo determinetur ad agendum, quod non potest aliud esse ab ipso Deo. Nec dici debet, indifferentiam voluntatis vel causarum secundarum non obstare quominus seipsas determinent, quando propria objecta ipsis offeruntur: Quia licet causæ secundæ virtutem sufficientem agendi habeant in ordine causarum secundarum et possint seipsas determinare ad hoc vel illud agendum; non desinunt tamen opus habere præmotione Dei ad certitudinem eventus consequendam: alias cum ex natura sua indifferentes sint, præscientia Dei nulla de illis certa haberi posset.

IX. Tertio, Si Deus non concurrat concursu prævio, determinando antecedenter creaturam ad actum suum; neque poterit conjungi in agendo cum creatura concursu simultaneo. Nam ut duæ voluntates liberæ conjungi et convenire possint, ad eandem communem actionem simul et immediate, et proxime, ac indivisim eliciendam, idque non casu et fortuito, sed infallibiliter, et tam certo, ut contradictionem implicet, unam sine altera talem actionem elicere; Vel ambæ a quadam præpotente causa superiori conjungi debent ad eandem actionem eodem puncto temporis eliciendam; Vel ambæ natura sua sunt determinatæ ad operationem illam, ita ut illam non possint non producere; Vel una ex illis determinat operationem alterius, et consequenter determinat causam alteram ad agendum; nam præter hos conveniendi et concurrendi ad productionem unius ejusdemque opera-

Digitized by Google

tionis modos, alius excogitari non potest; nullus vero ex iis tribus præter tertium convenire potest causæ primæ. Non prior, quia cum Deus sit causa prima, quæ nullam habet supra se, non potest subordinari causæ tertiæ superiori. Non posterior, quia nec Deus determinatur necessario ad operandum, cum in omni concursu ad extra sit liberrimus; nec multæ causæ secundæ agunt ex necessitate naturæ, sed libere, quæ proinde dominium sui actus habere debent, ita tamen ut pendeant semper a causa prima, et in esse et in operari: Unde sequitur infallibilitatem eventus non aliunde oriri posse, quam ex prædeterminatione divina.

www.libpol.com.cn

X. Quarto, Deus absoluta et efficaci voluntate decrevit ab æterno omnes actus etiam liberos antecedenter ad prævisionem determinationis ipsius liberi arbitrii; Ergo etiam in tempore debet prædeterminare voluntatem ad eosdem actus, alias æternum Dei decretum posset frustrari: Ratio consequentiæ petitur a connexione decreti Dei cum ejus executione, quia quicquid decrevit Deus, id exequitur, et quicquid exequitur in tempore, id ab æterno decrevit. Antecedens probatur, quia cum futuritio rerum non aliunde pendeat, quam a Dei decreto, nihil potest fieri in tempore, quod a Deo decretum non sit ab æterno. Frustra excipitur, Deum non decrevisse omnia efficere, sed multa tantum permittere; quia licet decretum versetur tantum permissive circa malitiam actus, non obstat tamen quominus versetur effective circa entitatem physicam ipsius actionis, ut postea fusius probabitur.

Fontes Solutionum.

XI. Prædeterminatio non tollit libertatem voluntatis, sed conservat; quia per eam Deus non cogit creaturas rationales, nec facit ut necessitate physica vel bruta agant; sed tantum hoc efficit, ut agant, et quidem sibi consentanee, et convenienter naturæ suæ, id est ἐκ προαιρέσεως et sponte; nimirum ita determinantur a Deo, ut seipsas etiam determinent. Licet vero id quod prædeterminatur, non sit amplius *indifferens* ad agendum vel non agendum *in actu secundo*, et *in sensu composito*, potest tamen semper esse indifferens in *actu primo*, et in *sensu diviso*; quomodo ipsa voluntas, quando seipsam determinat, potest tamen esse in se indifferens. Fons erroris est libertatis naturam metiri ex ἰσοῤῥοπίᾳ, et ei τὸ ἀμφίῤῥοπον essentiale facere; Cum per lubentiam et spontaneitatem definienda sit, ut suo loco videbitur.

XII. *Necessitas* quæ per prædeterminationem rebus infertur, non est libertatis destructiva, quia non est *consequens*, nec efficit, ut vel causa ipsa sit necessaria, vel effectus prout a causa ipsa prodit, sed est *consequentiæ*, quæ hoc tantum facit, ut ejusmodi causa agat, et quidem sibi consentanee, adeoque sponte et libenter; Unde duo illa simul possunt consistere, quod homo velit sponte, et quod respectu Providentiæ vel præmotionis non possit non velle: quia ista Dei præmotio talis est, ut fiat convenienter naturæ rerum, nec adimat causis secundis suum cujusque proprium operandi modum.

XIII. Quamvis creaturæ in genere causarum secundarum, et dependentium a Deo, habeant vim sufficientem intrinsecam ad agendum; non sequitur non necessariam esse præmotionem Dei extrinsecam, qua excitentur ad operationes suas; Imo quia causæ primæ debent subordinari, et ab ea pendere, necessario supponenda est, ut actus suos eliciant. Nec potest ex eo concludi, creaturas tantum passive se habere; quia illa præmotio eo pertinet, ut creaturæ agant, et ex semet ipsis actiones suas eliciant; quod ostendunt, tum diversæ essentiæ illarum, tum etiam facultates et vires, quibus non foret opus nisi agerent: Non sequitur ergo ex præmotione Dei causas secundas nihil agere, sed tantum nihil agere independenter.

Digitized by Google

XIV. Licet Deus præmoveat causas secundas, non potest tamen dici actiones causarum secundarum producere, puta calefacere, vel ambulare. Quia illæ actiones Deo tantum competunt *efficienter*, creaturis vero, non tantum efficienter, sed etiam *formaliter*, et *subjective*, quomodo ab illis potius denominantur creaturæ, quam ipse Deus.

XV. Quamvis Creaturæ sint instrumenta quibus Deus utitur ad operum suorum executionem; Non desinunt proprium habere influxum, et induere ὀχέων *causarum principalium*, non quidem respectu Dei, sed reliquarum causarum sibi subordinatarum. Nec absurdum est duas dari causas ejusdem numero effectus totaliter agentes, diversi ordinis; cum utriusque causæ una demum sit actio, qua ad effectum concurrunt.

XVI. Quamvis præmotio Dei extendatur ad actiones malas, non propterea Deum facit culpæ reum, vel authorem peccati; Quia illa tantum pertinet ad actiones, quatenus *materialiter* et *entitative* se habent, non vero *moraliter*, id. ad *actus substantiam*, sed non ad ejus *malitiam:* Nec novum est, ut una eademque actio diversimode consideretur, vel *physice*, vel *moraliter;* Ut Magistratus est causa mortis quæ infligitur reo a carnifice, sed non est causa crudelitatis quam in illa cæde exhibet; citharœdus pulsando citharam est causa soni, non vero dissonantiæ quæ oritur a chordis; et qui agitat equum claudum, causa est incessus, sed non claudicationis. Nec obstat, quod malitia tali actui necessario et inseparabiliter est annexa; unde sequi videtur, eum qui est causa talis actus, esse etiam debere causam malitiæ, quia voluntas creata non aliter est causa moralis malitiæ, nisi quatenus est causa materialis actus, cui necessario est annexa malitia. R. Nam falso supponitur voluntatem creatam non aliter esse causam malitiæ, nisi quatenus est causa actus, cui annexa est malitia; quia voluntas, ut *agens physicum*, est *causa physica actus*, sed ut *agens morale*, est *causa moralis malitiæ*, non simpliciter quia actum producit sed quia actum talem producit contra legem, cui obnoxius homo erat; Causa ergo cur malitia imputetur voluntati humanæ, non est simpliciter quia producit actum in genere entis, ut agens physicum, sed quia est homo legi subditus, qui producit actum vetitum, qua agens morale. Unde malitia moralis non sequitur intrinsece et ex natura rei ad actum, ut actus est in genere naturæ, sed ut procedit a voluntate creata deficiente, cui proinde, non Deo, debet tribui causalitas peccati. Deinde ratio non minus militat contra concursum simultaneum, quam contra prævium, quia juxta illum Deus concurrit etiam vere et efficienter ad actum materialem peccati, ergo debebit etiam esse causa malitiæ, quæ illi est annexa. Saniores Scholastici nobis adstipulantur, *Thomas* in 2. dist. 37. q. 2. art. 2, "Deus in actione deformitati conjuncta, hoc quod est actionis facit, quod deformitatis est non facit; etsi enim in aliquo effectu plura sunt inseparabiliter conjuncta, non oportet ut quicquid sit causa ejus quantum ad unum, sit etiam causa ejus quantum ad alterum." Ita Caietanus in 1. 2. q. 79, art. 1. "Sequitur tertio, quod non est idem concurrere ad actum talem secundum id quod habet ab agente ut sic, et secundum quod habet ab agente ut deficiente, sicut non est idem esse agens, et esse deficiens." Alvarez lib. ii. cap. 9. "Non sequitur Deum esse causam peccati, quia determinat ad actum; quia deformitas consequitur actum, non secundum quod est in genere naturæ, sed secundum quod est in genere morum, et prout causatur a libero arbitrio."

XVII. Cum in omni actione morali necessario distinguenda sit substantia actus in genere entis, ab ejusdem bonitate vel malitia in genere moris, actio intelligendi et volendi simpliciter, quæ habet rationem *materialis*, ab actione intelligendi et volendi hoc vel illud objectum licitum

Digitized by Google

vel illicitum, quæ habet rationem *formalis;* patet nullam actionem posse dici essentialiter bonam vel malam, sed tantum prout est hic et nunc circumstantiata in genere moris, id. cum σχέσει ad hoc vel illud objectum morale bonum vel malum: Ita volitio furandi reduplicative, et circumstantiata hic et nunc ad bonum alienum, est quidem essentialiter mala; sed volitio, cui accidit illa circumstantia, per quam est volitio furandi, non item. Nihil obstat ergo Deum esse causam istius actionis, sed quatenus est actio singularis simpliciter in genere entis, respectu materialis, sed non respectu formalis, quatenus est actio circumstantiata in genere moris ad tale objectum, id. quatenus est actio furandi. Idem dici potest de *odio Dei*, quod obtenditur a variis tanquam intrinsece et essentialiter malum; nam quamvis odium Dei reduplicative, et formaliter qua tale, et circumstantiatum ad tale objectum, sit intrinsece malum, nec possit non esse peccaminosum; tamen si spectetur simpliciter, ut actio physica abstracta ab hoc objecto, potest habere bonitatem entis metaphysicam, et esse moraliter indifferens, et eatenus potest esse a Deo. Licet ergo ad determinationem Dei, quoad actus substantiam, sequatur necessario ἀνωμία, quæ in odio Dei notatur; non tamen censenda est pendere effective ab ipsa, ut causalitas peccati in illam refundi possit; quia ista determinatio est tantum physica, non moralis, quæ sola est peccaminosa.

XVIII. Prædeterminatio Dei in actibus malis, non repugnat *permissioni* ejus, quia non versantur circa idem; illa circa actus substantiam, ista vero circa ejus malitiam; illa attingit τὸ materiale ad illud efficiendum, ista vero τὸ formale ad illud libero hominis arbitrio, quæ hic sola est causa moralis deficiens, relinquendum: Nam, ut in actu malo duplex est velut ratio formalis, una quidem quæ habet rationem effectus, alia vero quæ habet rationem defectus; Deus potest movere et prædeterminare ad illam, quæ habet rationem effectus; sed aliam quæ habet rationem defectus, potest tantum permittere.

XIX. Cum voluntas præcepti, et decreti, diversa objecta respiciant; nihil obstat ut Deus aliquid velit voluntate decreti, quod non vult, sed prohibet voluntate præcepti. Ita potest fieri secundum voluntatem arcanam beneplaciti, quod est contra voluntatem revelatam signi. Deus nolebat fratres Josephi vendere Josephum, et Judæos crucifigere Christum, cum ista essent gravissima scelera contra Legem; et tamen Deus hoc voluisse, imo et fecisse dicitur, Gen. xlv. 7, Act. iv. 28.

QUÆSTIO VI.

Quomodo concursus Dei possit conciliari cum contingentia et libertate causarum secundarum, et præcipue voluntatis hominis?

Difficultas Quæstionis.

I. Quæstio ista non minus est ardua præcedenti, imo aliquanto difficilior, nec satis explicabilis, nisi lucem Verbi Divini sequamur, et religiose intra terminos ab eo præscriptos nos contineamus. Duo ista clarissime ex Scriptura habemus, Dei Providentiam concurrere cum omnibus causis secundis, et cum voluntate humana imprimis; et suam tamen illis illibatam remanere contingentiam, et libertatem. Sed quomodo ista duo inter se possint consistere, nemo mortalium perfecte in hac vita assequi potest. Nec mirum videri debet, cum mille modos habeat nobis incomprehensibiles concurrendi cum voluntate nostra, et nobis se insinuandi, et corda nostra flectendi, ut

Digitized by Google

agendo libere quod volumus, nihil tamen præter Dei voluntatem et determinationem faciamus, ut hic merito, si uspiam alibi, exclamare liceat, *ὦ βάθος, Quam imperscrutabilia sunt Dei judicia, et ejus viæ impervestigabiles!* Rom. xi. 33.

www.libtool.com.cn

II. Quamvis vero conciliationis istius ratio in hac vita, clare et perfecte a nobis explicari nequeat; potest tamen prævia Verbi Divini luce, quantum ad salutem sufficit, utcunque describi. Ante omnia hoc in memoriam semper revocandum, Res certissimas et per se evidentes, non debere in dubium revocari, ob alias res incertas et inevidentes. Nimirum distinguenda est *res* a *modo rei*. Etsi modum rei ignoramus, non ideo tamen rem ipsam de qua certo constat, negare debemus, cum innumera sint verissima, quæ captum nostrum tamen superant longissime: Cum ergo duo ista sint indubitata, Deum ab una parte Providentia sua eventus rerum omnium, sive liberos, sive contingentes, non modo decrevisse, sed et procurare certissime: Ex altera parte vero, hominem semper liberum esse in agendo, et effectus multos esse contingentes: licet non possem assequi, quomodo inter se ista connecti possunt; non tamen propter ignorantiam modi, res ipsa, quæ aliunde ex Verbo certissima est, vel in dubium revocanda, vel penitus neganda esset.

Falsi conciliationis modi rejiciuntur, primus per Præscientiam.

III. Non defuerunt qui concordiam istam tentaverint, sed parum felici successu. Nam sive ad *Præscientiam Dei* spectetur, sive ad ejus *Permissionem*, sive ad *indifferentem Providentiæ influxum*, qui tres sunt præcipui modi conciliationis quos Adversarii obtendunt, facile est ostendere, non modo vanos esse et fictitios, sed falsos et impios, Scripturæ contrarios, et in Dei Providentiam injurios. Et ad postremum quidem quod attinet, quia fuse satis de eo actum fuit in præcedentibus, plura dicere nihil opus est. De cæteris duobus breviter idem demonstrandum, quod nullo negotio fieri potest. Nam quoad *Præscientiam*, primo gratis supponitur Providentiam Dei solo actu præscientiæ contineri, quo res futuræ cognoscuntur; cum includat etiam actum voluntatis, quo futuritio earum infallibilis decernitur, atque ita causæ omnes contingentes et liberæ *ὀχέσεις* habere debent ad Providentiam, non modo quatenus præsciuntur a Deo, ut futuræ, sed etiam quatenus ab æterno decernuntur futuræ, et in tempore moventur et ordinantur infallibiliter ad effectus suos. 2. Supponitur iterum falso nullam dari connexionem rerum præscitarum cum Præscientia, nec istam illis ullam necessitatem imponere; Cum Scriptura utrumque clarissime doceat innumeris in locis, Matt. xviii. 7, et xxvi. 54, Marc. viii. 31, Luc. xxiv. 7, 46, 1 Cor. xi. 19; et ratio hoc evincit, quia alias, nisi necessaria esset inter ista connexio, præscientia Dei falli, et decretum ejus mutari posset, quod utrumque blasphemum.

2. per Permissionem.

IV. Qui ad *Permissionem* confugiunt; non melius se expediunt; Licet enim suum habere debeat locum in explicanda Providentia Dei in malo, ut postea videbitur, perperam tamen adhibetur ad istam conciliationem: Tum quia plures actus Dei præter nudam permissionem hic dantur, qui concursum ejus specialem et efficacem important: Tum quia falso supponitur permissionem conjunctam esse cum indifferentia peccatorum quoad eventum; cum, posita permissione Dei, necessario sequatur peccatum, si non a parte liberi hominis arbitrii, at a parte decreti Dei; quia alias potuisset actio illa impediri, et sic falsum fuisset decretum Dei circa eam, v. g. circa venditionem Josephi, aut crucifixionem Christi, quod tamen Scriptura negat, et rei ipsius natura prohibet.

Digitized by Google

Verus adstruitur ex ordine causarum, et modo agendi illis proprio.

V. Vera ergo conciliationis ratio aliunde peti debet, nimirum ab *ordine causarum inter se*, et a modo agendi illis proprio; Quod sequentibus propositionibus sic explicari utcunque potest. Prima: *Concursus Providentiæ et voluntatis humanæ, non est causarum collateralium et æqualium, sed inæqualium et subordinatarum;* Ratio petitur ex natura utriusque, cum enim ille sit concursus Creatoris, iste vero Creaturæ; Ille concursus causæ primæ, universalis, et hyperphysicæ, Iste vero causæ secundæ, particularis, et physicæ, non potest dari *coordinatio* inter eas, qualis est inter causas socias et partiales, quæ inter se conjunguntur ad producendum unum eundemque effectum, ad quem non sufficiunt singulæ: Sed necessario admitti debet *subordinatio*, qua prima præsit, subsint secundæ; Illa independenter, istæ vero dependenter agant; et hæc ita est necessaria, ut absque ea causæ secundæ nec esse, nec etiam cogitari queant.

VI. *Secundo*, Ita Deus concurrit cum causis secundis, ut licet eas præmoveat, et prædeterminet, motione non generali tantum, sed et speciali, eas tamen moveat secundum naturam ipsarum, nec adimat ipsis suum cujusque proprium operandi modum. Ratio est, quia, ut Decretum Dei non modo versatur circa determinationem rerum quæ fieri debent, sed etiam modorum secundum quos futuræ sunt, pro natura et conditione cujusque; ita Providentia actualis, quæ est executio istius decreti, non tantum procurat, ut res decreta fiat infallibiliter, sed etiam ut fiat eo modo quo decreta est, nimirum consentanee naturæ cujusque, id. ut necessaria necessario, libera vero et contingentia libere et contingenter eveniant. Nam ut duo sunt causarum genera, aliæ *definitæ* et *generales*, quæ eodem modo semper agunt, ut ignis qui urit, Sol qui lucet; aliæ *indefinitæ* et *liberæ*, quæ possunt agere vel non agere, hoc vel illo modo agere: Ita Deus naturam earum conservat, et cum illis juxta eam in agendo concurrit; cum *definitis*, ut ipse eas determinet sine determinatione propria; cum *indefinitis* vero et liberis, ut ipsæ quoque se determinent proprio rationis judicio, et libera voluntatis dispositione, quam Deus non aufert homini, quia sic opus suum destrueret, sed relinquit, et confirmat. Atque hic se prodit vis illa admirabilis Providentiæ, per quam ita se attemperat rei cujusque naturæ, ut licet infallibiliter et necessario rem decretam exequatur, eam tamen convenienter ejus naturæ perficiat interventu causæ secundæ; attingendo a fine ad finem fortiter, et disponendo omnia suaviter.

VII. Unde *Tertio* sequitur, Cum Providentia non concurrat cum voluntate humana, vel per *coactionem*, cogendo voluntatem invitam, vel *determinando Physice*, ut rem brutam et cæcam absque ullo judicio, sed *rationaliter*, flectendo voluntatem modo ipsi convenienti, ut seipsam determinet ut causa proxima actionum suarum, proprio rationis judicio, et spontanea voluntatis electione: eam libertati nostræ nullam vim inferre, sed illam potius amice fovere. Quia duæ istæ tantum sunt necessitatis species, quæ libertatem perimunt, et cum ea sunt ἀνάγκαιον, *necessitas naturalis* et *coactionis;* Cæteræ, quæ oriuntur, vel a decreto Dei, et causæ primæ motione, vel ab objecto, et judicio ultimo intellectus practici; tantum abest ut libertatem evertant, ut eam magis tueantur, quia flectunt voluntatem, non cogunt, et faciunt ex nolente volentem. Quisquis enim facit sponte quod vult ex rationis judicio et pleno voluntatis consensu, id non potest non libere facere, etiamsi necessario faciat, undecunque fluat illa necessitas, sive ab ipsa *rei existentia*, quia quicquid est, quando est, necessario est, sive ab *objecto* mentem et voluntatem efficaciter movente, sive a causa prima decernente, et concurrente.

Digitized by Google

VIII. *Quarto*, Deus ita concurrit cum voluntate humana, ut aliter tamen eam determinet in bonis, aliter vero in malis. Nam in *bonis* quidem ita Deus voluntatem præmovet, ut eorum author sit, non tantum in genere naturæ, sed etiam secundum eorum bonitatem moralem, determinando voluntatem, non tantum quoad *rem*, id. bonum, vel in genere, vel in specie, sed etiam *quoad modum*, ut fiat bene quod fit, partim indendo ipsi bonas qualitates speciali auxilio, vel gratia supernaturali, partim inditas excitando, adjuvando, et in actum deducendo per ipsarum συνέργειαν: hinc dum suggerit pias cogitationes homini, 2 Corinth. iii. 5, facit etiam ut homo cogitet viam suam, Proverb. xvi. 9, Aggæ. i. 5; dum dat novum cor, et novum spiritum in medio nostri, facit etiam ut in mandatis ambulemus, Ezech. xxxvi. 27; dum operatur in nobis velle et perficere, efficit etiam ut nos ipsi operemur salutem nostram cum timore et tremore, Philip. ii. 12, 13. In *malis* vero ita concurrit, ut neque ea efficiat, adjuvet, aut approbet, sed permittat, et efficaciter dirigat, non infundendo malitiam, sed creaturas rationales ita determinando physice ad actus substantiam in genere entis, ut ipsæ sibi relictæ deficiendo a lege seipsas moveant et determinent ad malas actiones in genere moris, libere et ἐκουσίως eas perpetrando; unde culpa in eas solas cadit, a qua Deus prorsus est immunis, ut fusius in sequenti Quæstione probabitur.

Fontes Solutionum.

IX. Alia est ratio libertatis absolutæ et independentis, quæ soli Deo competit; Alia vero limitatæ et dependentis, quæ creaturis est propria. Per illam ita Deus se determinat, ut a nullo alio regatur et determinetur; Sed cum ista optime consistit determinatio aliena, quia non desinit homo agere sponte et ἐκ προαιρέσεως, licet hi motus aliunde excitentur et ordinentur.

X. Quamvis voluntas relate ad Providentiam, et respectu actus secundi, dum exerit operationem suam, non possit esse indifferens ad hoc vel illud faciendum, vel omittendum, quia determinatur ad unum oppositorum: Non obstat tamen, quominus in se spectata, et in actu primo, natura sua sit indifferens et indeterminata ad multa, et libere seipsam determinet. Certum est quidem indeterminatæ causæ non posse esse determinatum effectum, si hæc sola sit: Sed si ad unum idemque effectum producendum concurrat cum voluntate humana causa superior, agens non tantum per eam, sed etiam cum ea, potest causæ proximæ ex se indeterminatæ effectus sic determinari a causa superiore, ut ei vim non inferat, sed eam patiatur agere suopte motu, et libera voluntate, imo hac ipsa libertate utatur ad exequenda consilia sua, quia hoc etiam Deus decrevit, ut homo sponte et libere decreto Dei inserviret. Idem de contingentia dicendum, quæ potest tribui effectui respectu causæ secundæ, qui cæteroquin necessarius est respectu causæ primæ, ut supra visum. Cætera quæ huc pertinent præcedenti Quæstione sunt excussa.

XI. Quod si quid præterea in re obscurissima hæret scrupuli, vel aliquid, quod nostrum superet captum, ut sane non diffitendum est multa nobis hic esse impervia, satius est id ignorare humiliter, quam definire temerarie, et meminisse decet, vias Dei non esse sicut vias nostras, mirandas esse, non temere rimandas; et nobis homuncionibus sufficere debet τὸ ὅτι, quod clarissime traditur in Verbo, firmiter retinere, licet τὸ διότι, vel τὸ πῶς nobis non detur plene nunc assequi.

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

DE PROVIDENTIA DEI IN MALO.

www.libtool.com.cn

An Peccata subsint Providentiæ, et quomodo circa illa versetur?

I. In hac Quæstione, quam inter eas omnes, quæ de Providentia agitantur, intricatissimam esse, et maxime arduam, consentiunt omnes, Duo extrema occurrunt ex æquo periculosa, et a nobis fugienda. Primum in *defectu*, dum otiosa permissio circa peccata Deo tribuitur. Alterum in *excessu*, quum peccati causalitas in Deum transcribitur. Illud Providentiæ Dei est injurium, Hoc vero justitiæ et sanctitati ejus. In prius incurrunt *Pelagiani*, qui Providentiæ Dei rationem circa malum referunt ad nudam et otiosam permissionem, quasi Deus circa illud nihil ageret, sed tantum id otiose spectaret et permitteret. In posterius vero impegerunt olim *Manichæi*, *Simoniani*, et *Priscillianistæ*, qui Deo causam scelerum et peccatorum tribuebant; quod peccatores facile arripiunt ad excusanda scelera sua, qualis Agamemnon Homericus, *ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιος εἰμί, ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα*, et Lyconides Plauti in Aulularia, *Deus impulsor fuit, credo Deos voluisse;* quam impietatem sequuntur hodierni *Libertini*.

Peccant in defectu Pelagiani.

In excessu Manichæi et Libertini.

II. Inter hæc extrema medium tenent Orthodoxi qui ita Dei Providentiam circa peccatum versari contendunt, ut nec otiose illud permittat, ut volunt Pelagiani, nec efficienter producat, quod statuunt Libertini, sed efficaciter ordinet et dirigat; Hoc vero ut facilius percipiatur, paulo distinctius de eo agendum.

III. Primo in Peccato tria accurate distinguenda sunt. 1. Ipsa entitas *actus*, quæ habet rationem *materialis*. 2. *ἀταξία* et *malitia* cum eo conjuncta, vel eum concomitans, quæ induit notionem *formalis*. 3. *Judicium consequens*, quod dicitur *adjunctum*. Deus diversimode versatur circa ista. Nam ad *primum* quod attinet, cum *actus* qua talis semper bonus sit quoad entitatem suam, Deus ad illum concurrit *effective*, et *physice*, non modo naturam conservando, sed motus etiam ejus et actiones ciendo motione physica, utpote quæ sunt bona naturalia, quo sensu dicimur in *Deo vivere*, *moveri*, *et esse*, Act. xvii. 28. Quoad *tertium* etiam, quod ad judicium Dei refertur, quod cum peccato conjungitur, non per se ratione peccantis, qui tale nihil cogitat, aut intendit, Gen. l. 20, Isa. x. 5, 6, 7, sed per accidens ratione Dei peccata permittentis, et præter naturam ipsorum ad bonum finem ordinantis; Deus se habet etiam *positive* et efficaciter, quippe quod qua tale habet rationem boni, quod non potest non esse a Deo. Et quamvis idem et culpa et pœna possit esse materialiter, formaliter tamen, et secundum diversas *σχέσεις*, semper in eadem actione mala distingui potest vitium et judicium, malitia et reatus.

Quomodo Deus concurrat ad actum peccati.

ad adjunctum.

ad malitiam.

IV. Quoad *secundum*, quod est ipsa *ἀνομία*, Deus nec *causa physica* potest ejus dici, quia nec illam inspirat, aut infundit, nec facit; nec *ethica*, quia nec imperat, aut approbat, et suadet, sed severissime prohibet et punit; Unde Deus dicitur *nolle iniquitatem*, Ps. v. 4, 5, 6, et xlv. 7, ita illam detestari, ut eam ferre non possit, *Oculi ejus sunt puriores, quam ut ferat malum*, Habac. i. 13, et Jac. i. 13, *Deus neminem tentat, nec potest a quoquam tentari*, scilicet ad peccatum, quia est *κακῶν ἀνάπτιος*. Sed non debet tamen peccatum subduci Providentiæ Dei: cadit

Digitized by Google

enim sub illam multifariam, et quoad *initium*, et quoad *progressum*, et quoad *terminum;* quoad *initium*, dum libere illud permittit; quoad *progressum*, dum sapienter dirigit; quoad *finem*, dum potenter terminat, et ad bonum finem dirigit, qui tres sunt gradus Providentiæ circa peccatum, de quibus dicendum.

www.libtool.com.cn

1. Quoad initium Deus agit, 1. per permissionem.

V. Primus gradus respicit *initium* peccati, circa quod dicimus Deum versari *permissive*, quod Scriptura non uno loco testatur Ps. lxxxi. 12, "Permisi eos ambulare ex sententia animi sui," et Act. xiv. 16, "Deus in præteritis ætatibus ἴλασε sivit gentes suis ipsarum viis incedere." Sed quia permissio ista non eodem modo ab omnibus explicatur, quænam sit ejus ratio ante omnia explicandum est.

quæ non est ethica, sed physica.

VI. Primo, *Permissio* ista non est *ethica*, seu moralis, quæ *juris* est, per *relaxationem* vel *dispensationem Legis*, quæ opponitur prohibitioni; quo sensu si permitteret peccatum Deus, idem etiam approbaret, tanquam licitum, aut justum, quod implicat; Sed *physica*, quæ est *facti*, per *non impeditionem*, quæ opponitur *effectioni*. Illa Deum spectat ut Legislatorem et Judicem; Ista vero ut supremum Dominum et Rectorem mundi, qui rerum omnium eventus pro arbitrio regit et moderatur. Illa fit per *justitiam*, quando dat licentiam aliquid faciendi; Ista per *potentiam*, quando non exerit vires, quæ poterant actu impedire, ne hoc vel illud fieret.

non otiosa.

VII. Secundo, Permissio ista non est concipienda *negative*, quasi esset mera ἀνεργία seu cessatio voluntatis et Providentiæ in operibus malorum, qua Deus quasi in specula sedens spectaret tantum eventum actionis permissæ, quique ideo incertus, ambiguusque relinqueretur, ut volebant olim Pelagiani veteres, et ut volunt hodie eorum sequaces, qui permissionis otiosæ et inertis commentum nobis obtrudunt, ut *Bellarm.* lib. ii. de amiss. gra. cap. 16, "Deus erga peccata non habet positive velle aut nolle, sed negative, non velle."

sed efficax.

Sed concipienda est *positive* et *affirmative*, non simpliciter, ut Deus *non velit impedire* peccatum, quæ est otiosa negatio, sed ut *velit non impedire*, quæ efficax est affirmatio, ut permissio actum positivum voluntatis arcanæ importet, qua Deus statuit consulto et volens non impedire peccatum, licet nolle dicatur quoad voluntatem revelatam approbationis. Hoc sensu Nostri non recusant uti *permissionis* vocabulo cum Scriptura; Quod si quando illud rejiciunt, ut *Calvinus*, *Beza*, et alii, eam intelligunt sensu Pelagiano de otiosa permissione, quæ Deum jure suo eximit, et idolum liberi arbitrii in ejus locum erigit. Unde *Beza* in libello Quæstio. et Respons. "Si permissionis vocabulo intelligatur illud discrimen, quoniam videlicet in malis non agit Deus, sed eos Satanæ, et suis cupiditatibus permittit, id minime repudio. Sin vero permissio opponitur voluntati, hoc ut falsum et absurdum rejicio; falsum esse ex eo constat, quod si Deus quippiam invitus permittit, Deus certe, id est Omnipotens, non est; sin vero quasi non curans permittere quippiam dicatur, quantum absumus ab Epicureismo? Superest ergo ut volens permittat quod permittit. Voluntas igitur permissioni non opponitur."

VIII. Quum autem permissionem dicimus versari circa peccatum positive, si non a parte *termini*, saltem a parte *principii*, quatenus includit voluntatis actum positivum, hoc ita intelligimus, non quasi voluntas divina habeat præcise et per se pro objecto peccatum: nam cum voluntas pro objecto nihil nisi bonum habere possit, malum qua malum non potest velle: sed ut voluntas terminetur ad permissionem ejus, quæ bona est.

Digitized by Google

Deus ergo proprie *non vult fieri peccatum*, sed *vult* tantum *permittere*. Nec, si aliquando peccatum dicitur medium illustrandæ gloriæ Dei, sequitur Deum, qui vult finem, debere velle etiam peccatum, qua tale, quod est medium ad illum. Nam vocatur *medium*, non tam *causaliter* et *effective*, quasi concurreret finaliter ad finem illum efficiendum, quam *materialiter* et *objective*, quia est occasio, ex qua Deus gloriam suam illustrat. Deinde non est *medium per se*, quia potius obscurat gloriam Dei, quam illustrat, sed per accidens ex sapientia Dei, qui ex malo bonum, ut lumen ex tenebris, elicit. 3. Qui vult finem, vult etiam media, sed non semper eadem volitione; si media sunt diversæ naturæ, potest velle finem volitione effectiva, quia finis per se bonus est; sed medium volitione tantum permissiva, si sit malum, non tam volendo medium ipsum, quam *usum medii*, nimir. peccati ipsius permissionem, et ordinationem.

IX. Quia vero mirum videri potest, quod Deus permittat peccatum; hinc factum ut in causas istius permissionis inquisitum fuerit. *Arminiani* causam, vel unam, vel præcipuam esse putant, quod nolit Deus vim inferre libero arbitrio creaturis a se concesso. Verum hæc causa non valet, quia, præterquam quod falso supponitur Providentiam non posse efficaciter concurrere cum voluntate peccante, quin vis inferatur libero arbitrio, quod antea refutavimus; si hoc foret, Deus peccatum nunquam impediret, ne liberum arbitrium cogeretur, quod sæpe tamen eum facere constat. Causæ ergo permissionis istius aliæ quærendæ sunt, quæ variæ possunt esse pro vario creaturarum statu. Nam si de Creaturis integris agitur, Scriptura nihil expresse dicit, cur Angelum vel hominem labi permiserit: Quia tamen nihil eo fit vel inscio, vel invito, dubitari non debet, quin certo quodam et deliberato factum sit consilio, quod tutius est admirari, quam curiosius rimari; hoc tantum certo constare debet, nihil hoc pacto fecisse Deum, quod vel repugnaret *justitiæ*, quia non tenebatur impedire peccatum; vel *sapientiæ*, quia cum voluerit creaturæ conditionem esse mutabilem, nulla ratio fuit, quæ eum obligaret ad ea facienda erga eam, quæ naturæ modum excederent; vel *bonitati*, quia amor quo creaturam prosequitur, dum ab integritate non deficit, non statim eo usque progreditur, ut debeat præstare ne deficiat, maxime cum ex ipso malo bonum etiam elicere queat; quo *August.* respiciens ait, lib. de corrept. et gratia, cap. 10. "Scivit Deus magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bona facere, quam mala esse non sinere." Nam si malum non permisisset, non apparuisset justitia Dei qua punit, nec misericordia qua ignoscit, nec sapientia qua mala in bonum vertit, nec amor ille immensus quo nos prosecutus est Deus mittendo Filium in mundum ad salutem Ecclesiæ. Ad Creaturam lapsam quod attinet, facilius est causas permissionis peccati assignare, quia cum sit jam corrupta, Deus justissime potest peccatum permittere, vel ad *vindictam*, ut peccata præcedentia ulciscatur; vel ad *castigationem*, ut fideles sic admoniti de nativa sua vitiositate, de ea corrigenda sint solliciti; vel ad *exemplum*, ut ex aliorum lapsibus alii sapiant, et cautius incedant.

X. Quamvis vero homo particeps sit culpæ, qui cum possit aliquem avertere a peccato, non facit tamen; Non sequitur Deum permittentem peccatum, peccati reum ullatenus fieri; quia homines tenentur impedire peccatum, tum in se, tum in aliis; unde Eli imputatur culpa filiorum, quos indulgentia sua peccare sivit, 1 Sam. iii. 13; Sed Deus nulla ad id lege tenetur. Deinde permissio ista nullum dicit influxum et causalitatem, respectu creaturæ peccantis quoad *ἀνομίαν*, sed meram suspensionem impedimenti; nec creaturæ spontaneitatem et *προαίρεσιν* tollit, vel intercedit

Digitized by Google

quominus liberrime semper agat. Nec, si ad permissionem sequitur infallibiliter peccatum, ideo potest dici ejus causa, sed tantum antecedens, quod necessario supponitur.

2. per Desertionem.

XI. Ad permissionem accedit *desertio*, per quam Deus, ut non impediat hominem peccare, illum deserit, subtrahendo gratiam peccato adversantem, vel non dando tam efficacem, qua superare possit tentationem ingruentem; quæ subtractio, vel est *privativa*, quum gratiam antea datam tollit, vel *negativa*, quum non dat novam gratiam ad perstandum necessariam: Priori sensu Deus deserit homines peccatores, quum illis aufert lumen quo abutuntur, et spiritum coërcentem retrahit, quo fit, ut hoc obice remoto ruant velut effusis habenis in scelera: Posteriori deseruit Adamum, non dando cum *auxilio sine quo* stare non poterat, et quo habebat posse si vellet, *auxilium quo* actu staret, et haberet velle quod posset.

Quæ triplex, Explorationis.

XII. *Desertio* autem ista potest esse triplex, 1. *Exploronationis*, quum Deus deserit hominem, ut eum probet, qualis tribuitur Ezechiæ, 2 Chron. xxxii. 31, quum Legatos Babyloniorum admisit, et thesauros illis suos omnes aperuit, quippe tunc dicitur illum *deseruisse Deus, ut probaret illum, et cognosceret quod erat in corde suo.* Sic deseruit Adamum, quum permissa tentatione, non dedit illi efficax auxilium, quo illi resisteret; Deo veluti eminus recedente, ut patefieret quanta sit sine Creatoris virtute humanæ naturæ imbecillitas.

Correctionis.

2. *Correctionis*, respectu Ecclesiæ et fidelium, quos Deus dicitur deserere ad tempus, ut postea colligat eos in miserationibus æternis, Is. liv. 7, et Ps. cxxv. 3. 3. *Pœnalis judicii*, qualis denunciatur peccatoribus, 2 Reg. xxi. 14, Jer. vii. 29, et xxiii. 33, et tribuitur Gentilibus, quos cupiditatibus suis fœdis dereliquisse et tradidisse dicitur, Rom. i. 24.

Pœnalis.

XIII. Hujus autem desertionis causa est semper justa et sancta penes Deum; sed modo manifesta, ut desertio peccatorum, qui peccatis suis præcedentibus eam commeriti sunt, modo occulta manet, qualis in primo Adami peccato. Interim causalitas ejus non potest Deo ulla ratione impingi, quia per desertionem illam, nec coëgit illum ad lapsum, nec inspiravit ipsi voluntatem labendi, nec abstulit gratiam ullam internam in creatione datam, sed tantum denegavit indebitam gratiam confirmationis non datam, ex liberrimo voluntatis suæ beneplacito, quo de suo dispensat ut vult, liber æque donorum suorum negator ac largitor. Licet autem necessitas lapsus cum negatione istius gratiæ fuerit, non sublata fuit tamen libertas et spontaneitas hominis peccantis, sed tantum ostensum, Deum voluisse, ut certo laberetur. Verum ut Deus eum certo labi voluit, ex æterno suo decreto, ita simul liberrime eum labi voluit, nec magis ob negatum istum Dei concursum ad ejus actualem perseverantiam desiit ipsius lapsus esse liberrimus, quam ob liberrimum Dei concursum cum causa necessaria, desinit operatio istius causæ esse necessaria, vel naturalis.

XIV. An vero præter permissionem et desertionem Dei detur ulterior quædam Dei *operatio*, non immerito quæritur, quod quidam acriter inficiantur, alii vero asserunt: Illi ne Deo labem ullam malitiæ vel injustitiæ aspergant, quæ eum peccati authorem faciat; Isti ne quid divinæ Providentiæ subtrahant. Non negandum equidem multa loca Scripturæ, quæ active enunciantur, passive explicari posse et debere, ita ut illud facere dicatur aliquis, quod tantum permittit, et non impedit, ut quum *David Moabitas vivificasse* dicitur, 2 Sam. viii. 2, id. non occidisse, et *Noachus vivificasse animalia*, Gen. vi. 19, id. conservasse. Atque ita loca quædam

Digitized by Google

quæ actionem notant, dum de providentia Dei agitur in malo, possent exponi de permissione Dei, vel denegatione simplici gratiæ, ut non semel Aug. exponit τὸ *indurare*, per *non emollire*. Verum Scriptura ἐμφατικώτερον loquitur, quam ut in sola permissione subsistamus; et aliquid amplius efficacibus istis locutionibus quas usurpat significari censemus, quibus quippe non tantum secessio quædam Dei, et non impeditio notatur, sed actio quædam efficax designatur; Unde non modo verbis *Hiphil* Spiritus S. utitur, sed etiam verbis *Pihel* quibus roboratur actio, Exod. iv. et vii., ut quum dicit Deum "indurasse Pharaonem;" et alibi Scriptura ait "uxores Davidis Absalomo filio violandas traditas esse a Deo," 2 Sam. xii. 11, imo "Deum in conspectu Israëlis per Absalomum palam fecisse, quod David clam fecerat," ibidem; "Deum præcepisse Semei ut malediceret Davidi," 2 Sam. xvi, 10; "a Deo Spiritus malos immitti addito nocendi præcepto," 1 Reg. xxii. 23; "eum mittere spiritum erroris," Is. xix. 14; "implere spiritu vertiginis, Jer. xiii. 12, 13; "Mittere efficaciam erroris ut credatur mendacio," 2 Thess. ii. 11; et innumera alia loca, quæ fortiora sunt, quam ut de nuda permissione exponantur. Alias pleraque judicia Dei, quæ per reprobos exercentur, enervarentur, et essent nudæ permissionis opus, adeoque ipsa Christi mors, a qua tota redemptio nostra pendet; cum tamen expresse testetur Spiritus S., Herodem et Pontium Pilatum nihil fecisse, quam quod manus Dei et consilium, id. decretum ejus efficax, antea determinaverat fieri, Act. iv. 28.

3. Providentiæ efficacia patet, 1. in oblatione occasionum.

XV. Quænam autem illa sit Providentiæ efficacia a nullo mortalium satis potest vel concipi vel explicari; Tria potissimum huc pertinent. 1. *Oblatio occasionum.* 2. *Traditio Satanæ.* 3. et *immediata Dei in corde operatio.* Primo, *oblatio occasionum*, quæ non sine peculiari Dei providentia procurari possunt, per circumstantiarum concursum et objectorum propositionem, quæ facultates hoc vel illo modo constitutas commovere apta nata sunt, quomodo Deus malitiam in hominum animos non infundit, sed latentem in apertum educit: Sic ad Josephi venditionem occurrere fecit mercatores Madianitas, Achani avaritiam voluit excitari ad conspectum chlamydis Babylonicæ, Jos. vii., et ut Davidis luxuria inflammaretur nuditate Bersabæ. Talia sunt dicta et facta in sensus incurrentia, quibus, licet bona sint in se, et ejusmodi, quibus deberent emolliri, perperam tamen abuntur impii, et sua culpa indurantur; Ut mandata Dei, et plagæ Ægyptiacæ, ac prodigia facta coram Pharaone; Et miracula Christi; illa quæ, Pharaonis, ista quæ Judæorum corda flectere debuerunt, magis indurarunt.

2. In Satanæ traditione.

XVI. 2. Non tantum occasiones et objecta offert, sed Satanæ, et cupiditatibus suis pravis homines tradit, quomodo Gentiles dicitur "tradidisse Deus cupiditatibus suis fœdis, et in reprobum sensum," Rom i. 24, 26, 28, in pœnam præcedentium peccatorum. Sic "spiritus malus a Jehova dicitur exagitasse Saülem," 1 Sam. xvi. 14, et mitti dicitur a Deo spiritus mendacii in os pseudoprophetarum, 1 Reg. xxii. 22. Unde Deo illi habenas laxante, operatur efficaciter in filiis rebellionis, Eph. ii. 2. Quamvis enim tanto in Deum et homines odio feratur, ut sponte intentus sit ad omnes nocendi occasiones, nec ullo stimulo indigeat, quia tamen nihil potest aggredi vel exequi præter Dei nutum, hinc fit, ut a Deo nonnunquam mitti, et illius jussu impia sua consilia exequi dicatur. Ut autem Diabolus trifariam spectari potest respectu hominum, vel ut *Tentator*, vel ut *Accusator*, vel ut *Carnifex* et *Tortor;* Deus tradere potest homines Diabolo triplici hoc modo, vel ut *Tentatori*, quum mittit efficaciam erroris, ut homines credant mendacio, et

Digitized by Google

a Satana excæcentur, 2 Thess. ii. 9, 11, 2 Cor. iv. 4, vel ut *Accusatori*, quum exponit homines ejus accusationibus, quod visum in Jobo, c. i. et Jehosua, Zach. iii. 1, vel *Carnifici* et *Tortori*, quum tradit illi hominem vexandum, et corpore et spiritu, quo sensu *incestuosus* a Paulo *traditur Satanæ*, 1 Cor. v. 5, et Hymenæus et Alexander, 1 Tim. i. 20.

XVII. Satan autem bifariam agit in homines, vel *externe*, tentando cor, modo per objectorum carni gratorum propositionem, ut ad licentiam et rebellionem impellat, ut visum in primis parentibus; modo per calamitatum et malorum immissionem, ut ad desperationem præcipitet, ut in Jobo et aliis observatum; Vel *interne*, in phantasiam agendo, et per phantasiam afficiendo intellectum, phantasmatum eorum repræsentatione quæ homines seducere, et incitare ad malum, vel revocare a bono possunt, vel humores movendo, et per humores appetitus corporis excitando vel ad inflammandam libidinem, vel ad iram concitandam, et ad alia facienda, quæ τὸ θυμικὸν, vel τὸ ἐπιθυμητικὸν, quorum magna est vis in homine præsertim irregenito, incendunt; quo sensu in cor hominis dicitur immittere quod illi suadet, imo in hominem ipsum ingredi, ut de Juda perhibetur, Johan. xiii. 2, 27.

3. In interna Dei operatione.

XVIII. Tertio, præter Satanæ traditionem, datur etiam nonnunquam *interna* quædam Dei in homine *operatio*, per quam fit, ut a Deo cor hominis flectatur ad executionem consilii sui, quo respiciens Salomo dicit, Prov. xxi. 1, "Cor Regis esse in manu Domini, ut illud inclinet quocunque voluerit." Et Augusti. lib. iii. cont. Juli. cap. 3, "Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen justo." Hoc vero fieri potest, vel objectorum propositione interna, quæ mentem et voluntatem movere possunt, vel cogitationum impressione, quæ licet bonæ sint in se, in malum tamen vitio hominis corrupti convertuntur per accidens. Sic fratres Josephi cogitant eum amari a parentibus, et insomniis honorari a Deo, quæ cogitatio bona fuit, sed qua impie abutuntur, dum eam detorquendo ad invidiam, consilium capiunt de eo tollendo. Pharao post mortem Josephi cogitat despiciendum esse, ne quid detrimenti Imperium pateretur: Cogitatio bona fuit, et a Deo proculdubio immissa, sed quæ incidit in malum animum, qui ea ad perniciem populi abutitur. Ita quod Caiaphæ in mentem venit, Joh. xi. 50, "expedire ut unus homo moriatur pro populo," bonum fuit, sed pessime detortum ad nefariam Christi cædem. Rursus, Deus interne in homine operatur, quum facit ut objecta illum in hanc potius, quam in illam partem permoveant. Cum enim homo pronus sit ad quodvis malum, utpote qui semina omnium vitiorum in se contineat, quod tamen in hoc potius quam in illud propendeat, non aliunde fit, quam occulta Dei providentia, illum potius huc quam illuc inclinantis; non secus ac rivus deorsum fluens, aquilegis industria in hanc potius quam in illam partem convertitur; Cumque hominibus ad nocendum pateant plures viæ, Deus, cæteris occlusis, unam apertam relinquit, ut in hanc partem moveantur; ut ita improbi inserviant executioni judiciorum suorum, quando vult iis uti, vel ad punienda alicujus scelera, vel ad explorandam fidem piorum, vel ad stimulandam socordiam. Cujus exemplum insigne occurrit, Ezec. xxi. 21–24, in Nebucadnetsare adversus Judæam, potius quam Ægyptum exercitum deducente. Cum ergo his, et aliis miris et ineffabilibus modis Deus possit in hominibus operari ad exequenda judicia sua, non sine ratione efficaci Dei providentiæ eorum actiones tribuuntur.

Digitized by Google

Secundo, Providentia versatur circa progressum peccati, per terminationem.

XIX. Sic illa circa *peccati initium* versatur : Quoad *progressum* etiam sese exerit per potentem ejus *terminationem*, dum illi limites ponit, tum *intensionis*, ne in immensum excrescat, tum *extensionis*, ne latius serpat, tum *durationis*, ne diutius duret, et sic et peccatori ipsi et aliis magis noceat; quod facit, Vel *interne*, mentem illuminando, ut turpitudinem mali, et pœnarum illud subsequentium magnitudinem percipiat, vel cupiditates pravas cohibendo et refrænando; Vel *externe*, Satanæ et mundi furores reprimendo, occasiones mali amovendo, mandatis etiam et minis a peccato avocando, quod exemplis Labanis, Esavi, Bileami, Sennacheribi, et aliorum plurium constare potest, inprimis ex historia Jobi et Christi.

Tertio, circa finem per directionem.

XX. Denique quoad *finem*, in ejus *sapienti ordinatione* et *directione*, dum præter peccati naturam, et peccantis voluntatem, pro sapientia et potentia sua malum in bonum convertit, et ad bonum finem dirigit et deducit. *Vos cogitaveratis in malum*, inquit Josephus, Gen. l. 20, *sed Deus cogitavit in bonum*, &c. cujus simile exemplum extat Isa. x. 5, 6, 7; Job. i. 20, 21, 22, et ii. 9, 10; Act. iii. 13, 14, 15. Ordinatio autem ista, *a posteriori* non est intelligenda, quasi Deus prævisa existentia peccati cogitaret de fine illius; Sed *a priori*, per quam Deus sibi proponit finem, quem per peccatores, et actiones peccaminosas vult procurare, ad quem etiam illas sua providentia dirigit, quia alias ordinatio ista finis foret tantum occasionalis, et per accidens.

XXI. Qualiscunque vero sit Dei actio circa peccata, manet tamen semper Providentia sancta et immunis ab omni culpa, ut radii solares non inficiuntur, licet in sordes aut cadaver influant. Et si quando idem opus Deo, Diabolo, et impiis tribuitur, ut Josephi venditio, induratio Pharaonis, Jobi calamitas, deceptio Achabi, numeratio populi, mors Christi, diversimode tamen utrisque adscribitur, Deo quidem, ut sanctissimum opus, quia a bono principio, ad bonum finem tendit; Hominibus vero, ut pessimum, quia a malo principio, malis mediis, ad malum finem tendunt. Sic opus, quod Assur Deo mandante peracturus erat in abductione populi, bonum fuit respectu Dei, qui hac ratione voluit populum suum castigare, ideo dicitur *virga furoris Dei, cui mandatum est ab ipso ut spoliet spolia*, &c., sed respectu Assyrii malum, quia non alium finem sibi propositurus erat, quam populi excidium, et cupiditatis suæ expletionem, Isa. x. 6, 7, "Ad gentem impiam mittam eum," &c. "Ipse autem, non sic existimabit, nec cor ejus ita reputabit, sed ad perdendum se missum putabit in corde suo:" Ut ergo Judex leonibus et feris ad pœnam reorum, Medicus hirudinibus et sanguisugis, imo et ipsis viperis ad curationem ægrorum recte utitur; Ita in eo sapientissimum Dei consilium, et virtus Dei admirabilis elucet, quod creaturarum peccatis præter earum intentionem ad bonum finem utitur; non faciendo malas creaturarum voluntates vel actiones, sed eas ad bonum finem ordinando. Ut vero Providentiæ Dei concursus non excusat peccantes, quia nec libertatem et προαίρεσιν, nec spontaneitatem tollit; Ita nec potest Deum peccati reum facere, quia semper sanctissime versatur in pessimis hominum operibus, et ad bonum finem: Notum autem causas impulsivas et finales facere actionum discrimina, et quando ejusdem effectus plures causæ sunt, aliæ bonæ, aliæ malæ, effectum illum respectu causarum bonarum bonum esse, respectu malarum malum. "Cum Pater tradiderit Filium, et Judas Dominum,

Digitized by Google

cur in hac traditione, homo est reus, et Deus justus, nisi quia in re una quam fecerunt, causa non una est ob quam fecerunt?" ut ait Aug. ep. 48, ad Vincen.

Fontes Solutionum.

XXII. Quod Deus vult, et decrevit simpliciter, et per se, ejus recte potest dici causa. Sed peccata non decrevit simpliciter, sed secundum quid, quatenus sunt actiones, nec per se, in quantum sunt opera mala, sed per accidens, in quantum per eas actiones exequi voluit occulta sua judicia: Sic voluit et decrevit Josephi venditionem, et Christi crucifixionem, sed fine optimo; Illam ut servaretur familia Jacobi, Istam ut redimeretur Ecclesia; utraque opus fuit justum et sanctum a parte Dei, licet illud voluerit per hominum scelera exequi, quæ noluit efficere, sed tantum permittere. Perperam vero *Bellarm.* de amiss. grat. et sta. pecca. lib. ii. c. 11, pertendit loca ista Gen. xlv. 7, et Act. iv. 28, non ad opera mala referenda esse, sed ad *passiones bonas* in illis, ut quæ ex parte agentium gravissima erant scelera, ex parte patientium, Christi et Josephi, æquo animo ferentium venditionem et mortem, fuerint opera summæ patientiæ, adeoque valde bona. Quia Scriptura non tantum passionem aut Josephi, aut Christi Deo tribuit, sed etiam diserte actionem, a qua fuit illa passio; Non dicit Josephus passive de se, Ego a Deo huc missus sum, sed active, *Deus huc me misit;* Non dicunt Apostoli, Deum voluisse Christum mori, sed active Dei consilium et manum præfinivisse illud ipsum, quod fecerunt Herodes et Pontius Pilatus. Adde quod, cum actio et passio non re, sed ratione differant, quisquis decernit passionem, is etiam debet actionem ipsam decernere: Si Deus voluit Josephum vendi, Christum crucifigi, voluit etiam eo ipso, ut fratres Josephum venderent, et ut Judæi Christum cruci affigerent.

XXIII. Qui impellit ad malum homines, voluntates bonas efficiendo malas, vel invitas et nolentes trahendo, vel *moraliter* ad malum qua malum incitando per præceptum aut suasionem, est causa peccati; Sed Deus impellere dicitur voluntates in se malas, et sponte ad mala ruentes, nec ad mala qua mala, sed qua occulta sunt sua judicia; ut hic non simpliciter ut Dominus spectandus sit, qui libere creaturam labi permittit, sed ut justissimus Judex, qui peccata peccatis punit, quique ideo non potest censeri peccati author, sed tantum pœnæ administrator. *Impulsio* ergo alia est *proprie ita dicta, et coactionis*, qua vis infertur libero arbitrio; Alia *impropria et secundum quid*, quæ cum libertate conspirat, et necessitatem consequentiæ tantum infert, seu conditionatam, non vero absolutam, et consequentis. Illa est vitiosa, et reum peccati facit, qui ea utitur; Sed non ista, quam adhibet Deus erga impios.

XXIV. Axioma vulgatum, quod *Actio et effectus est potius causæ principalis, quam instrumentalis*, unde videtur colligi Deum esse peccati causam, quia utitur Diabolo et impiis tanquam instrumentis ad opus suum, varias patitur limitationes. 1. Valet in *causis homogeneis*, quum utraque, tam principalis quam instrumentalis, sunt vel positivæ, vel privativæ, vel physicæ, vel morales; Ut Verbum Dei, ut instrumentum nos sanctificat, Ergo multo magis Spiritus Sanctus per Verbum; Pseudopropheta seducit Achabum, Ergo multo magis Diabolus, qui per ipsum agit; quia in primo utraque causa positiva est, in altero utraque est privativa. Sed non in *heterogeneis*, quando altera, nempe principalis, est positiva et physica, altera, scilicet instrumentalis, est privativa et moralis; vel quando altera est legi subdita, altera vero ἀνυπεύθυνος, et supra legem, vel legis incapax. Unde non valet, Gladius occidens hominem ut instrumentum, non est causa

Digitized by Google

culpabilis homicidii, Ergo nec homo movens gladium; Vel Carnifex ut instrumentum justi Judicis sontem plectit ex studio vindictæ, Ergo multo magis justus Judex; quia causæ sunt heterogeneæ. In primo, causa principalis est privativa, legi obnoxia, et moralis, Et instrumentalis causa physica, positiva, et nulli legi obnoxia; In altero vero causa principalis est positiva, moralis, et legi congrua, Sed causa instrumentalis est privativa, moralis, et legi dissona. Ita hic Deus est causa positiva, physica, ἀνυπεύθυνος, homines vero causa privativa, moralis, et legi obnoxia.

XXV. 2. Valet in *instrumentis propriis*, *puris*, et *irrationalibus*, quæ quicquid sunt et agunt, id a principali agente mutuantur, nec quicquam de suo admixtum habent, quia in illis nulla est causalitas principalis, sed tantum mere organica, et ex virtute principalis agentis profluens; Ut causa homicidii a gladio perpetrati, non gladio, sed homini, qui tractat gladium, debet imputari, quia est instrumentum purum, et ἄλογον. Sed non valet in *instrumentis metaphoricis*, et *mixtis*, quæ de suo aliquid admixtum habent, quo operentur, quod a principali causa non mutuantur, v. g. non valet, Equus calcaribus adactus a Sessore claudicat, Ergo ipse Sessor magis claudicat, quia non est instrumentum purum Sessoris, sed tale, quod aliquid de suo admixtum habet in motu claudicationis, in quo non subordinatur Sessori, nimirum luxatam tibiam, quæ causa est adæquata et principalis claudicationis. Sic *peccatores* non sunt instrumenta propria et pura, sed *rationalia*, *metaphorica*, et *mixta*, quæ de suo habent malitiam, quæ propria est et adæquata peccati causa. Eo pertinet quod tertio dicitur, Axioma valere, ubi actio causæ principalis est eadem moraliter cum actione instrumenti: Ut discipulus Pelagii, male sentit de gratia, Ergo multo magis Pelagius ipse, quia est eadem actio moralis utriusque causæ, et principalis et organicæ. At non pariter, quum actio est quidem eadem materialiter et physice, non vero moraliter; tunc enim non modo actio causæ organicæ, non est principalius causæ principali adscribenda, sed non est adscribenda omnino, quia ut recte docent Scholastici, *Non ab actus realis physici substantia oritur actus specificatio quoad esse morale, sed a diversis circumstantiis moralibus;* eadem quippe actio physica, potest esse justa, vel injusta, pro diversitate agentium, vel legi subjectorum, vel a lege solutorum. At hic, ut jam dictum, actio Dei non est eadem moraliter cum actione instrumenti, sed tantum physice; Unde vitium instrumenti non est tribuendum causæ principali.

XXVI. Deus jussit Semeium maledicere Davidi, 2 Sam. xvi. 10, *Jussione providentiæ*, non *jussione legali; Jussione physice directiva*, non *moraliter suasiva; Jussione judiciali, voluntatis beneplaciti*, qua est justus Judex puniens et castigans, non *jussione approbativa, voluntatis signi*, qua Legislator imperans; *Jussione non proprie ita dicta*, quam Semei cognoverit, et cui obedire voluerit; Sed *impropria* et *figurata:* quomodo Deus jussisse dicitur piscem evomere Jonam, Jon. ii. 10: quæ nihil aliud est quam motio Dei efficax qua malam Semei voluntatem ad hoc peccatum in pœnam Davidis inclinavit, quod sic exponit Augustinus, "Dominus dixit Semei, maledic Davidi, non jubendo, ubi obedientia laudaretur, sed quod ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum justo suo judicio et occulto inclinavit." Ita quod Deus i. Reg. xxii. 22. mittere dicitur spiritum mendacem ad decipiendum Achabum, non est approbantis, sed permittentis, et efficaciter ordinantis ad impii Regis pœnam; nec enim spiritui isti mendaci indidit libidinem mentiendi, sed cupido, et operam suam offerenti, habenas laxavit.

XXVII. *Quod est causa causæ, est etiam causa causati*, 1. valet in

Digitized by Google

causis adæquatis, non intercedente ipsius causati alia vera et proxima causa. 2. In *causis per se*, quæ effectum producunt, quatenus sunt tales, quum causant, et quum causa est et causæ et causati per se. 3. *In essentialiter et necessitate naturæ subordinatis*, et a se invicem dependentibus. Sed non pariter, si causæ quidem sit causa per se, causati vero per accidens tantum; quando causa inferior effectum non simpliciter ex natura sua, sed ex aliquo accedente defectu producit. Sic non valet, Humana voluntas est causa peccati: Deus est causa voluntatis humanæ: Ergo est causa peccati; quia quum voluntas creata peccat, exorbitat, et deficit ab ordine primæ causæ. Et Deus qui est causa voluntatis per se, non potest dici causa actionis malæ, quæ est a voluntate non simpliciter in genere entis, quomodo est a Deo, sed ab ea deficiente a lege in genere moris.

Quomodo induratio et excœcatio Deo tribuatur.

XXVIII. Deus *excœcare* vel *indurare* dicitur homines, non tantum *negative* non illuminando et emolliendo, vel *privative* gratiam suam quæcunque fuerit subtrahendo, postquam ea homines abusi sunt, vel *permissive*, non impediendo: Sed etiam *positive*, non quidem cœcitatem, vel duritiem, quæ homini est naturalis, inferendo; sed tum *objective*, externa objecta iis offerendo, quæ licet natura sua alio ordinentur, novit tamen aliorsum ipsorum vitio esse trahenda, tum *judicialiter*, interne scotomate eos percutiendo, ablato vel extincto lumine, quo perperam usi fuerant, tum frœna laxando cupiditatibus ipsorum, et Satanæ tradendo et mancipando, aliisque pluribus modis inexplicabilibus agendo, quibus justæ excœcationis et indurationis judicium in contumaces exerit. Quod non obstat tamen, quominus impii ipsi seipsos etiam excœcent et indurent, abusu eorum, quibus maxime debuissent emolliri, qualis est longanimitas et beneficentia Dei, Rom. ii. 4., lux Verbi, et suavitas Evangelii, quod fit *ipsis odor mortis ad mortem*, 2 Cor. ii. 16., et ipsæ Dei castigationes, quibus cum corrigi debuissent fiunt obstinatiores, *O Jehovah percutis eos, sed non dolent, reddunt faciem suam obstinatiorem petra*, Jer. v. 3. Ita *induratio* alia est *culpabilis* a parte hominum seipsos indurantium; Alia *justa* et *pœnalis* a parte Dei, homines justo suo judicio in pœnam præcedentium peccatorum indurantis.

Et Tentatio.

XXIX. *Tentatio* alia est *probationis*, alia *seductionis*, illa bona, hæc mala; illa Deo competit, ista Diabolo, qui propterea *ὁ πειράζων* dicitur, quia ut tentavit Adamum, et Christum, Ita fideles quotidie ad malum tentat. Hoc sensu Jacobus cap. i. 13. dicit *Deum nec tentari posse a malis, nec quemquam tentare*, quia, ut Deus nihil habet in se quod tantillum ad peccatum vergat, imo quod ab eo non sit alienissimum, Ita non potest dici alios ad peccatum, aut mandatis, aut consiliis, aut interiori aliqua persuasione sollicitare. Si quando tentare homines dicitur, ut Abrahamum, Gen. xxii., et Israëlitas, Deut. viii. 2, hoc de tentatione probationis intelligendum est, non seductionis, ut hominis fidem et constantiam exploret, non quod illam ignoret, qui est omniscius, sed ut ea tum homini ipsi, tum aliis innotescat. Quum petimus in Oratione Dominica, *Ne Deus nos inducat in tentationem*, non deprecamur tentationem priorem, quæ bona est, sed posteriorem, quæ mala, ad quam Deus potest dici nos inducere, quando non modo permittit nos in eam labi, sed cupiditatibus et Satanæ nos tradit, a quibus tentemur. Ita petimus ex hypothesi voluntatis divinæ, id est si Deo ita visum fuerit, ut ita nobis provideat, ne inducamur in periculum tentationis. Sin autem aliter Deo placeat, nimirum ut tentationem habeamus, tunc petimus absolute, ne nos deserat, aut permittat et tradat hostium spiritualium arbitrio ut eorum tentationibus succumbamus, sed ut ejus gratia confirmati eas superemus,

Digitized by Google

ut "non sinat nos tentari supra id quod possumus, sed vero cum tentatione præstet etiam exitum, ut possimus sustinere," 1 Cor. x. 13. Unde August. lib. v. adv. Julia. Pelag. c. iii. "Quid est autem quod quotidie dicimus, ne nos inferas in tentationem, nisi ut non tradamur concupiscentiis nostris, unusquisque enim tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus?" Et ep. 89. ad qu. 2. "Ne nos inducas in tentationem, intelligitur, ne inferri deserendo permittas."

Et Seductio. Jer. xx. 7.

XXX. Quod Jerem. xx. 7. dicitur, *Seduxisti me Domine, et seductus sum*, non est ita accipiendum, quasi Deus eum in fraudem et errorem induxerit. Licet enim Deus dicatur aliquando posuisse spiritum mendacii in ore falsorum Prophetarum Achabi, tamen dici non potest, ullum sanctorum Prophetarum, quos Deus inspiravit, ita unquam errasse, ut in nomine Dei falsum aliquid prædixerit; vel in prophetico munere, licet alias infallibiles non forent, a veritate unquam aberrarit. Sed diversimode potest intelligi. Vel פתה, unde Græcum πείθω videtur deductum, in bonam partem sumatur pro *allicere*, *pellicere*, *persuadere*, quomodo et alibi sumitur, Gen. ix. 27, Prov. xxv. 15, Hos. ii. 14; hoc sensu *pellexisti me, et pellectus fui*, id est ad suscipiendam et obeundam functionem meam, q. d., Tu unus mihi author es vocationis meæ, et recusanti vim quodammodo attulisti. Vel si in malam partem sumitur pro seductione, ut Ezech. xiv. 9, hypothetice hoc intelligendum: Si ego seductus sum, ut seducerem alios, prout calumniantur hostes mei, Tu Domine me seduxisti; At hoc falsum, Ergo et illud; Ut ita significet in Deum doctrinæ suæ authorem recidere eorum calumnias; Vel ut verba humanitus dicta sint secundum sensum carnis, et animi perturbationem, nimirum ut Jeremias ex infirmitate et judicio carnis queratur, se a Deo deceptum fuisse, idque quia ex Dei verbis perperam intellectis, longe alia expertus fuerit quam existimaverat Deum sibi indicasse, non culpa dicentis, sed audientis; non enim dixerat Deus, illum nihil passurum, sed se eum esse liberaturum. Si alibi *seducere* dicitur Prophetas, vel populum, Ezech xiv. 9; Jerem. iv. 10, hoc tum ad permissionem et desertionem Dei bene refertur, quia permittit homines decipi, nec impedimentum ullum opponit, tum ad Satanæ traditionem, quia tradit Satanæ et impostoribus decipiendos.

Error. Job xii. 16, 17.

XXXI. Quum Jobi xii. 16, 17. *Dei* dicitur *esse errans, et errare faciens*, potest bifariam intelligi, vel in dativo *Deo est errans, et errare faciens*, ut innuat tum decepti hominis ignorantiam, tum impostorum et deceptorum malitiam, Deo id est divinæ providentiæ inservire, quasi illius administras, dum nimi. Deus per eos, qui voluntati suæ ἐναντίας repugnant, voluntatem suam arcanam εὐδοκίας perficit, quatenus ex malis bona elicit; Vel in genitivo, *Ejus est errans*, &c. quia uterque est in Dei potestate, ita ut nemo erret vel in errorem inducat, nisi prout Deo libet permittere, qui errorem et seductionem, et impedire, et tollere posset, si vellet; Vel quia ipse errandi actus, quando aliquis seducit, est a Deo.

XXXII. Quum dicit *Deus*, Ezec. xx. 25, "se dedisse populo suo statuta non bona, per quæ non possit vivere," ubi non modo videtur peccatum permittere, sed etiam jubere, locus diversimode exponitur. Quidam per *statuta non bona* intelligunt præcepta idololatrica Gentilium, quibus Deus iratus populum suum subjecerat, quorum observatio mortem eis afferret æternam, ut *dedisse* dicatur, quia *permisit eis dari*, vel quia eos ut sua gubernatione indignos justo suo judicio excœcavit, et imperio Satanæ mancipavit, ut mendacio obedirent, q. d., Mentem ipsis ademi, ita ut meis legibus contemptis, ipsi sibi leges facerent duras et mortiferas. Alii com-

Digitized by Google

modius per ea designari volunt *Legem* ipsam Dei tam moralem, quam cæremonialem, quæ *non bona* dicitur, vel quia *inutilis* ad salutem, quia infirma in carne, Rom. viii. 3, vel quia *ingrata* et insuavis, ut *bonum* sæpe sumitur pro *jucundo*, Gen. iii. 6, et ita vocatur alibi jugum grave et ἀβάστακτον Act. xv. 10, vel quia *noxia* et *exitialis*, non per se, sed per accidens, propter hominis pervicaciam, quo sensu alibi vocatur *litera occidens, et ministerium condemnationis*, 2 Cor. iii. 6, 7.

XXXIII. Quum dicimus cum Scriptura peccata hominum a Deo permitti, et efficaciter ad bonum finem dirigi, non volumus peccata et scelera malorum esse bona opera; sed in operibus, quæ a malis patrantur, ipsos motus et actiones esse opera bona in genere entis, et justa Dei judicia, sicut ἀνομία motuum et actionum est moraliter mala, et a malis. Ita mala hominis intentio, non est a Deo in genere moris, sed tantum in genere entis. Nec si finis conciliare dicitur mediis bonitatem et amabilitatem, sequitur peccata, quia ordinantur a Deo ad bonum finem, esse bona; quia axioma valet tantum de mediis, quæ per se ad bonum finem tendunt, non de iis, quæ præter naturam suam a Dei sapientia et potentia ad illum diriguntur, quale est peccatum.

XXXIV. Regula Apostoli Rom. iii. 8, *Non facienda esse mala, ut eveniant bona*, non huc pertinet, quia aliud est *facere mala*, aliud vero ea *permittere*, vel ad *bonum finem dirigere*, et in bonum convertere; illud injustitiæ, hoc sapientiæ, bonitatis, et potentiæ. 2. Hominibus, qui ὑπεύθυνοι, non solum non licet mala facere, sed ne quidem permittere, nec talis permissio posset in illis dari sine vitio. Sed Dei qui est ἀνυπεύθυνος, non potest esse eadem ratio, qui optimas et sapientissimas habet permittendi causas. 3. Si aliquando Scriptura dicit Deum facere malum, hoc non intelligit de malo reduplicative qua malo, quo sensu non potest habere rationem boni, sed quatenus habet rationem judicii, et est conducibile et ordinabile ad gloriæ suæ illustrationem, quo sensu habet rationem boni.

XXXV. Qualiscunque sit Dei actio circa peccatum, nulla propterea excusationis ratio potest obtendi a peccatore: Sive quia implet voluntatem Dei; quia voluntas non est revelata et signi, quæ in regulam vitæ proponitur, sed occulta et beneplaciti, quam ignorat et minime attendit, non probans aut imperans, sed justissime decernens; Sive quia voluntati isti resisti nequit ab homine; quia quicquid est hic *necessitatis*, fit ratione *eventus*, non ratione *modi agendi; infallibilitatis*, non *coactionis; consequentiæ*, et *secundum quid*, non *absolutæ* et *consequentis;* Unde Paulus os occludens impiis, *Quis es o homo*, inquit, *qui responsas Deo*, Rom. ix. 19, 20? Sive quia Deus ipse indurare et excœcare dicitur; quia actio Dei non evertit libertatem actionis hominis, quia ita induratur et excœcatur a Deo, ut seipsum etiam liberrime excœcet et induret, tum quia actio Dei judicialis est, quam homines peccatis suis præcedentibus sunt jam promeriti.

QUÆSTIO VIII.

An ex Doctrina nostra sequatur, et legitima consequentia elici possit, nos Deum facere authorem peccati? Neg., contra Pontificios, Socinianos, Remonstrantes, et Lutheranos.

I. Licet innocentia Doctrinæ Orthodoxæ circa hoc argumentum, sæpius ita clare et solide asserta sit a Nostris adversus atroces calumnias, et illiberalia convitia, quibus proscindi solet ab Adversariis, ut nihil necesse

Digitized by Google

foret in ea vindicanda operam collocare; Quia tamen non desinunt subinde iniquissimam istam accusationem reponere, ut puritatem fidei nostræ quibuscunque possunt modis traducant; Æquum est, ut falsitatem istius calumniæ in aperta luce collocemus, et Religionem quam profitemur, ab injusta criminatione, qua gravatur, liberemus.

II. Ante omnia vero observandum, Quæstionem non novam esse, et recens cusam, sed veterem, jam olim excitatam a Pelagianis, et intentatam Augustino, quod libri ipsius contra Julianum abunde testantur. Occasio calumniæ, non alia erat, quam quod in peccatis hominum, Deum non nudum permissorem, et otiosum spectatorem, sed sanctissimum gubernatorem, et justissimum Judicem statueret. Nec alia causa est, cur Pelagiani hodierni doctrinam Orthodoxam infamare conentur, quibus non difficile est exemplo Augustini os occludere.

Status Quæstionis.

III. Non quæritur autem hic, An expressis verbis asseramus Deum esse peccati causam. Licet enim quidam hanc blasphemiam nobis impingere non erubuerint, aperte calumniantes nos ex dictis et exemplis Scripturæ hanc hypothesim confirmare; Alii tamen pudentiores non audent hoc profiteri, et agnoscunt, nihil tale a nobis proferri; *Et si ita formetur quæstio*, inquit *Bellar.* l. 2. de amiss. gratiæ c. 2, *nulla erit, siquidem illa, non solum Catholici, sed etiam Calvinistæ negant.* Sed quæritur, An tale quid ex nostra Doctrina necessario et evidenter elici queat. Pertendunt scilicet Nostros reipsa sentire, quod verbo profiteri non audent, et *si non expressis verbis certe necessariis argumentis*, ut loquitur *Tirinus* Controv. i. 12, num. 8, *Deum facere authorem et causam omnium peccatorum*, in quo sequitur vestigia *Bellarmini*, lib. ii. de amiss. gra c. 3. et seq. et *Becani* Theolog. Schol. tr. 2. p. 2. c. 6, quibus se adjungunt *Brockmannus* de Provid. Dei. c. ii. q. 3. *Eckardus* fasci. contr. c. x. q. 1. *Graverus* ad art. 29. Confess. August., et alii Lutherani; *Crellius*, c. xxv. lib. i. de vera Relig. *Tilenus* Remonstrans tr. de causa et origine peccati, *Episcopius*, de Providentia, et alii Remonstrantes in Scriptis Synodicis, p. 249.

IV. Huic vero calumniæ retundendæ, vel hoc unum sufficit, *Confessiones* publicas Ecclesiarum Reformatarum, hanc impietatem disertis conceptisque verbis, et ex professo damnare et detestari, ut Augustanæ, art. xix. Gallicanæ, art. viii., Helveticæ, art. viii., Belgicæ, art. xiii., Canonum Synodi Dordracenæ, artic. i., v., xv.; quibus accedunt Catechismi, Apologiæ, et alia Scripta symbolica, quæ publica sunt et solemnia innocentiæ nostræ testimonia, quæ Adversarii ipsi non possunt diffiteri; Unde nihil ex scriptis publicis adferre solent ad probandam suam calumniam, sed ex scriptis tantum privatorum Doctorum, ex quibus consequentias perperam nectunt.

V. Quamvis vero de publica et recepta Ecclesiæ alicujus sententia ex privatorum scriptis, non possit nec debeat judicium ferri, atque ita liceret, salva doctrina Ecclesiarum Reformatarum, hoc quicquid est criminationis, tanquam a re alienum præterire, et suis authoribus relinquere, quia non stant aut cadunt cujusque Doctoris privati, quantumvis eximii, judicio; Quia tamen de sinceritate doctrinæ Zuinglii, Lutheri, Calvini, Martyris, Bezæ, et aliorum insignium Dei Servorum, quibus hoc crimen impingitur, sumus persuasi, et constat, magnis illis Heroïbus de Ecclesia Dei præclare meritis atrocem fieri injuriam; Quia etiam notum est per ipsorum latus doctrinam Ecclesiarum nostrarum malitiose impeti, et maledice exagitari; justitia et æquitas postulat, ne illos tam iniquis calumniis obrui sinamus, cum tam multa suppetant nobis ad ipsorum defensionem argumenta.

Digitized by Google

VI. Primo, Licet durioribus, et non satis accuratis et commodis usi essent nonnunquam phrasibus in re difficili explicanda, non propterea exagitandi essent, vel vexandi: cum constet sanam et piam esse ipsorum mentem, quam sæpe et ore et scriptis sunt professi, de Deo unico omnis boni authore, et acerrimo mali vindice. Calumniosum quippe est in verbis fingere hæresim, quæ juxta Hiero. est *in rebus, non in verbis*, quo faciunt ista Lutheri, *sceleratum est in verbis statuere hæresim, cum sola sit in sensu, non in verbis.* Secundo, nihil tam durum in quoquam illorum occurrit, cui analogæ locutiones non extent in Scriptura, ut quum ait Deum homines excœcare, indurare, seducere, efficaciam erroris immittere, in reprobum sensum tradere, &c. Quod si phrases istæ ab ipsis Adversariis bene ex analogia fidei explicantur, et vindicantur; Cur non pariter ex charitatis Canone in benigniorem et commodiorem sensum, vel eædem, vel similes phrases, quæ apud Doctores nostros occurrunt, pertrahentur? Nec reponi hic debet, consequentiam non valere, tum quod homines varie hallucinentur et errent, præsertim circa divina mysteria; Deus vero hallucinari et errare non possit; Tum quia Scriptura plene et perspicue seipsam declarat, ut criminationi isti non possit esse locus. R. Firma quippe manet consequentia, cujus vis non nititur paritate, vel æqualitate authoritatis scriptorum humanorum et divinorum, sed identitate vel similitudine phrasium, quæ utrobique usurpantur; Ut vero merito ista Scripturæ veneratio debetur, ut quæ obscurius aut etiam durius in uno loco dicta videntur, juxta alia clariora accipiantur et explicentur: quidni similis æquitas ex lege charitatis Viris Dei tribuenda est, quoties cum Scriptura non modo sentire, sed etiam loqui student?

VII. Tertio, Nihil a Nostris dictum in hoc negotio, quod etiam durius non exciderit variis ex Adversariis, imo quod fortius non asserant societates integræ in communione Romana; Notum enim Thomistas et Dominicanos idem nobiscum hic sentire, et durioribus etiam aliquando phrasibus uti; Notum *Occamum* et *Gabrielem* teste Medina, in 1, 2, q. 9, art. 2, non veritos esse statuere, "Deum in rigore et proprietate sermonis esse causam peccati." Sed, ut alios mittamus, *Bellarminus*, qui tanto calumniandi œstro percitus in Nostros invehitur, ejusdem impietatis et blasphemiæ convincetur. Sic enim ille lib. ii. de amiss. gra. cap. 13. "Deus," inquit, "non solum permittit impios agere multa mala, nec solum deserit pios, ut pati cogantur quæ ab impiis inferuntur, sed etiam præsidet ipsis voluntatibus malis, easque regit, et gubernat, *torquet ac flectit, in iis invisibiliter operando, ut* licet vitio proprio malæ sint, tamen a divina providentia ad unum potius malum, quam ad aliud, non positive, sed permissive ordinentur." Quibus verbis nihil durius apud Nostros occurrit. Cum vero id addit fieri *permissive*, non *positive*, sibi turpiter contradicit, siquidem actionem illam, qua torquet, et flectit voluntates improborum opponit nudæ permissioni; et res ipsa clamat, verba regendi, torquendi, gubernandi, flectendi, actum positivum significare, et non nudam permissionem; Quo pertinet quod ibidem affert ex Thoma, "Deum non solum inclinare voluntates malas ad unum potius, quam ad aliud, permittendo ut ferantur in unum, et non permittendo ut ferantur in aliud, ut recte docuit, sed etiam positive inclinando in unum, et avertendo ab alio," &c. Ita cap. xiv. dicit "Deum quum in Scriptura dicitur indurare, excœcare, id facere ut justum Judicem, et a Deo pœnam et ruinam intercedere eorum qui indurantur et excœcantur." Sic Corn. a Lapide in Exod. c. vii. p. 762. "Deus," inquit, "omnium hominum voluntates in sua habet manu, ut eas *quaquaversum flectere* possit, voluntas autem hominis *sine Dei nutu*, in

Digitized by Google

nullum omnino opus, sive bonum, sive malum exire potest, nisi Deus illi permissionis suæ laxet habenas, imo cum illa *positive concurrat et cooperatur* ad actum et opus hoc producendum," &c. At nostri nihil aliud volunt, dum efficaciam Providentiæ circa malum asserunt. In eum sensum loquuntur alii plures, ut *Pererius*, in cap. xi. Exo., *Suarezius* de concur. lib. ii. c. 3, *Ruizius*, et alii. *Arminius* Disput. publ. 10, de justitia et efficacia Providentiæ in malo, th. 9, agnoscit præter permissionem, dari " oblationem occasionum et objectorum, et concursum Dei, qui necessarius est ad omnem actum producendum, cum nihil omnino ullam entitatem habere possit, nisi a primo et summo ente immediate illam producente; concursum autem hunc, non esse influxum immediatum in causam secundam, sed actionem Dei immediate influentem in effectum creaturæ, sic ut effectum idem una et eadem totali actione a Deo simul et creatura producatur," &c. " Ita Deum ejusdem actus simul esse effectorem et permissorem," &c. Idem facile ostendi posset de Lutheranis, et de magno Dei Viro *Luthero*, qui longe fortius Nostris hoc argumentum executus est lib. de *Servo Arbitrio* quum ait, "Torturam verbi esse, si quis dicat verborum illorum, Ego indurabo cor Pharaonis, hunc esse sensum, Ego permittam indurari, occasionem indurandi dabo, dum non statim corrigitur peccator," p. 452; "simpliciter, ut verba sonant, sermonem esse accipiendum," ibidem; " Cum in malis et per malos operatur Deus, mala quidem fieri, Deum tamen non posse male facere, licet mala per malos faciat, quia ipse bonus male facere non potest, malis tamen instrumentis utitur, quæ raptum et motum potentiæ suæ non possunt evadere. Vitium ergo est in instrumentis, quæ otiosa Deus esse non sinit, quod mala fiunt, movente ipso Deo," &c. p. 454. " In nobis, id est per nos, Deum operari mala, non culpa Dei, sed vitio nostro," &c. p. 455. " Satanæ et hominis voluntatem Deo deserente, et peccante Satana, malam factam, operando arripi a Deo et moveri quorsum vult," ibidem; " Verba Dei, indurabo cor Pharaonis, ita esse accipienda: Ego faciam ut cor Pharaonis induretur, seu ut me operante et faciente induretur," &c. ibidem; et alia innumera idgenus, quæ non absimilia sunt Nostrorum phrasibus. Si ergo sanum sensum possunt obtinere ex judicio Lutheranorum, quidni et Nostrorum dicta ex eodem charitatis judicio benigne exponentur?

VIII. Quarto, Doctores nostri mentem suam ita clare explicant, et impium hoc dogma tam expresse et formaliter damnant in scriptis suis, ut non sine insigni calumnia possit ipsis impingi: huc faciunt loca Zuinglii, Calvini, Bezæ, Martyris, et aliorum, citata Bellarmino libro ii. de amiss. gra. c. 2, et Becan. Manua. lib. iii. cap. 5, qu. 6. *Calvinus* sane non solum solide prior, imo fere unicus Libertinos refutavit asserta Dei sanctitate, sed etiam in libro de Prædestinatione ex professo hanc calumniam amolitur, ut et lib. i. Instit. cap. 13, sec. 5. *Beza* hac in parte, et Calvinum et se plene vindicavit in trac. de Prædesti. contra Castellionem, et fuse ostendit non consequi ex doctrina Calvini et sua " ullam istarum blasphemiarum, nempe vel Deum esse authorem peccati, sive delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem, vel Satanam aut homines male agendo obedire Deo, aut quatenus male agunt, facere quod Deus vult, ac proinde esse extra culpam. Absint vero quam longissime," inquit, " omnes ejusmodi blasphemiæ, non tantum a linguis, sed etiam a cogitationibus nostris." Vide etiam ejusdem abstersionem calumniarum Heshusii, ubi idem fuse exponit.

IX. Quinto, Si fundamentum criminationis expenditur, patebit non aliunde peti, quam a verbis quibusdam et phrasibus truncatis, detortis, et

Digitized by Google

per sophisticas consequentias in sensum, ab intentione et scopo ipsorum alienissimum, traductis. Unde cum consequentias illas nec videant, nec agnoscant pro suis, imo se eas ex animo detestari non semel profiteantur, et anathema dicant talia sentientibus, non sine gravi injuria possunt illis imputari, quasi hæc genuina esset ipsorum mens, et proprium dogma; maxime cum antecedens ex quo illas eliciunt, sit ipsius Scripturæ, et ex propriis ejus verbis plerumque conceptum.

Fontes Solutionum.

X. Quamvis Deus ab æterno non solum prævidisse et permisisse, sed etiam voluisse et prædestinasse lapsum hominis dicatur, et omnia fiant non solum permittente, sed etiam volente Deo, ut Calvinus asserit, lib. i. Inst. cap. 18, s. 1, et l. 3, cap. 23, s. 6, 8, 9; Non sequitur Deum ab ipso statui authorem peccati. R. Quia is demum potest censeri author peccati, qui decernit et vult peccata quoad effectionem, et approbationem, non vero quoad permissionem et ordinationem tantum, quam mentem Calvini esse loca citata evincunt, quæ non alio spectant, quam ut opponat *voluntatem* Dei, *nudæ et otiosæ permissionis* figmento, quod Pelagiani et plerique Scholastici obtendebant, et ut doceat, non temere et fortuito, sed certo Dei consilio et providentia, et primum Adami peccatum contigisse, et cætera quæ fiunt in mundo evenire: utpote quæ versetur non tantum in illis permittendis, sed etiam gubernandis, terminandis, et ad bonum finem dirigendis. Aliud est ergo velle ipsum peccatum, aliud vero ejus permissionem et eventum; posterius dicit Calvinus cum Scriptura, non prius.

XI. *Dispensatio* Dei, qua scelera patrari dicuntur, Calvino cap. xvii. s. 8, non est scelerum efficientia, sed permissio, non tamen otiosa, sed scelerum gubernatrix, et directrix ad certa objecta et fines: Nec si *per illam dispensationem Dei justam, non solum permitti, sed et immitti* dicitur *ab eo*, sect. 8, *quicquid hostes scelerate in nos admittunt*, sequitur Deo tribui peccati causalitatem, quia ista *immissio* Calvino, non est malitiæ infusio, sed hostium, quibus malitia est congenita, in certa objecta a Deo directio, ad justa ejus judicia exequenda, ut quum ursi fuerunt excitati contra pueros Bethel, 2 Reg. ii. 24, et leo contra Prophetam immorigerum, 1 Reg. xiii. 24. Sic dicitur excitasse Pharaonem contra Israëlitas, Exod. ix. 16, Rom. ix. 17.

XII. *Nutus Dei arcanus*, sine quo homines nihil efficere dicuntur, lib. i. c. 18, s. 1, non est complacentia *Dei* in ipsorum peccatis, vel impulsus ad peccata qua talia; sed est *motus*, 1. *physicus*, 2. *judicialis*, in iis, quorum peccata a Deo ceu justo Judice puniuntur peccatis. 3. *directivus* ad objecta et fines certos, ut quum Eques equum, non Equitis vitio claudum, fræno agit et dirigit quo vult.

XIII. Quum Calvinus ait, c. 17, sect. 11. Diabolum et omnes improbos nullum facinus concipere, moliri et patrare, nisi quantum Deus permiserit, imo quantum Deus ipse *mandarit*, quippe qui ad obsequia Deo præstanda *cogantur*, nihil habet quod crimini illi impacto possit favere. 1. Quia nihil hic dicit ἄνευ γραφῆς. Phrasis est Scripturæ, dum ait Deum præcepisse Semeio, ut malediceret Davidi. 2. *Mandatum* intelligitur non præceptionis moralis contra expressum Dei interdictum, Exod. xxii. 28, sed partim *prædictionis propheticæ*, 2 Sam. xvi. 10, partim *arcanæ motionis*, et directionis in objecta, quibus Deo visum est. 3. *Coactio* illi non est, vel impulsio violenta, vel voluntatis aut indifferentis aut bonæ inclinatio ad mala, sed necessitas tantum infallibilitatis, quæ dependet partim *objective* ex naturali Diaboli et improborum malitia, partim *dispositive* ex Dei immutabili consilio. 4. Locus mala fide adducitur contra mentem Calvini, scopus enim ibi ejus est solari pios adversus formidinem et anxietatem, qua premuntur, ut

Digitized by Google

sciant non licere Diabolo et impiis grassari pro arbitrio, sed eos potenti providentiæ fræno ita cohiberi, ut in omnibus, licet frementes et frendentes, providentiæ Dei subsint, et furor eorum in salutem etiam fidelium convertatur; "Verum," inquit, "ubi in memoriam revocant, Diabolum, totamque impiorum cohortem, sic omnibus partibus, manu Dei, tanquam fræno cohiberi, ut nec concipere ullum adversus nos maleficium, neque conceptum moliri, nec ad perpetrandum si maxime moliantur digitum movere queant, nisi quantum ille permiserit, imo nisi quantum mandarit, nec compedibus tantum teneri ligatos, sed etiam ad obsequia præstanda fræno cogi: habent unde se prolixe consolentur." Quis vero non videt, aliud esse Deum, Diabolos et improbos quasi fræno coërcere, ne concipiant et moliantur malificia in pios; aliud vero, Deum eos cogere ad maleficium? Vult scilicet innuere eos cogi, non ad maleficium, quod sponte agunt, sed ad obsequium, ut male agendo serviant consilio Dei, et voluntatem ejus præter suam mentem et voluntatem faciant.

XIV. Si Calvinus ait Deum operari in mentibus impiorum, et per eos tanquam per sua instrumenta ipsum, ut causam primam, facere ea omnia, quæ respectu hominum sunt et dicuntur vera peccata, lib. i. cap. 17, s. 5, et cap. 18, s. 1, 2, non debet propterea accusari, quod *συμμετοχίαν* invexerit. R. 1. Quia sequitur Scripturam, quæ non semel sic loquitur, ut antea visum. 2. Deus operari dicitur mala, sed non qua mala *formaliter*, et in *abstracto*, sed in *concreto* et *materialiter*, quatenus sunt opera, vel *judicialiter*, quatenus sunt justa sua judicia. 3. Quomodo Deus possit uti impiis ut instrumentis, sine ulla tamen in ipso vitii labe, ostensum est supra. 4. Calvinus ipse ita se exponit et vindicat, ut nullus criminationi locus superesse possit, Instit. lib. ii. cap. 4, sect. 5. "Longo tamen discrimine semper distat id quod agit Dominus, ab eo quod Satan et impii moliuntur. Ille mala instrumenta, quæ sub manu habet, et versare quolibet potest, servire justitiæ suæ facit. Hi, prout mali sunt, nequitiam ingenii pravitate conceptam effectu pariunt." Et lib. de æterna Dei Prædestina. fuse ostendit, Deum ita agere ut per ipsos etiam impios licet inscios et nolentes, quod ordinatum fuerat compleatur, nec tamen propterea vel ipsum esse ulli culpæ affinem, vel mala instrumenta non peccare. Sed clarius adhuc mentem suam exponit in *Instructione adversus Libertinos*, cap. xiv., postquam enim dixit eos, ex eo quod Dei Providentia dicitur efficere omnia, omnia permiscere, et non tantum cœlum cum terra, sed et Deum cum Diabolo confundere, addit "id ita accidere, quod exceptiones duas valde necessarias minime observent. Prior est, Satanam et iniquos non sic esse instrumenta Dei, quin ipsi etiam suas partes agant," &c. "Altera exceptio, cujus infelices isti nullam rationem habent, hæc est, magnam esse differentiam inter opus Dei, et opus impii, cum eo Deus vice instrumenti utitur. Impius enim sua avaritia, aut ambitione, aut invidia, aut crudelitate incitatur ad facinus suum, nec alium finem spectat. Ideo ex radice illa, id est ex animi affectione, et fine quem spectat, opus qualitatem sumit, et merito malum judicatur. Sed Deus respectum omnino contrarium habet, nempe ut justitiam suam exerceat ad conservandos bonos, gratia et bonitate sua utatur erga fideles, male autem meritos castiget. En quo pacto sit inter Deum et homines discernendum, ut hinc in eodem opere justitiam, bonitatem et judicium ejus contemplemur; illinc Diaboli et infidelium malitiam." Vide etiam tr. de occulta Dei Providentia, ubi refutat calumnias nebulonis, qui doctrinam ejus tanquam impiam et blasphemam traducebat. Nec absimiliter *Beza* de æterna Dei Prædestinatione, et in abstersione calumniarum Heshusii, qui Calvini mentem et suam clare explicat: Loca

Digitized by Google

consulantur apud utrumque. 4. Bellarminus non potest vitio vertere Calvino tales loquendi modos, cum ipse durioribus usus sit, quum Deum *torquere* et *flectere voluntates* dicit *in iis invisibiliter operando*, ut supra notatum.

XV. Quum Martyr in Rom. cap. i. dicit "Deum esse aliquomodo causam peccati," et cap. ix. "Deum quodammodo voluisse peccatum Adæ, ac ejus quadantenus authorem esse," sano sensu intelligendus est, non ut causa dicatur proprie, sed improprie et κατα χρηστικῶς, ut innuat adjunctum antecedens, vel causam sine qua non, vel ut notet tantum causam actionis, non vero malitiæ, quæ illi annexa est.

XVI. Quum Zuinglius de Provid. cap. vi. ita loquitur, "Nec dicat quisquam, Innocens est latro; Deo enim impulsore egit: nam contra legem peccavit. At inquies: coactus est ad peccandum. Permitto, inquam, coactum esse, sed in hoc, ut alter transferretur et alter crucifigeretur." Licet verba duriuscula sint si ad vivum resecentur; possunt tamen sanum sensum obtinere, si *impulsio* et *coactio* sumantur improprie pro efficaci et determinata motione non ad peccandum, sed ad agendum. Unde non dicit *latronem Deo impulsore peccasse*, sed tantum *egisse;* at aliud est agere, aliud vero peccare. Deinde non asserit proprie coactum esse, sed veluti per concessionem ait, *permitto coactum esse*, quod est largientis, sed non semper hypothesim approbantis.

XVII. Ex quibus, ne in aliis locis recensendis, vel indicandis, immoremur, liquido patet iniquissime famam magnorum Virorum traduci, quasi Deum peccati authorem fecerint, cum constet ab ista blasphemia eos alienissimos fuisse, et eam solidissime non semel refutasse, nec ex scriptis ipsorum, nisi per falsas et violentas consequentias tale quid elici queat. Sed iniquius adhuc Ecclesiis nostris blasphemam istam sententiam tribui constat, quam Confessiones publicæ, et Scripta symbolica constanter rejiciunt et detestantur. Quæ vero pro calumnia ista pallianda ulterius petuntur, ex doctrina nostra de *Absoluto Reprobationis Decreto* suo loco excussa sunt, Loc. IV. Q. 14.

QUÆSTIO IX.

An sit usus et abusus doctrinæ de Providentia?

I. Ut multifariam erratur *theoretice* circa Providentiam, ab iis, qui vel eam penitus negant, vel veram ejus naturam, et agendi rationem ignorant, aut corrumpunt, de quibus supra actum; Ita non minus periculose peccatur in eam *practice* ab iis, qui rectum et legitimum doctrinæ istius usum nesciunt, vel negligunt.

Peccatur in Providentiam quoad præterita. 1. Murmure.

II. *Peccatum* multiplex potest fieri, sive de præteritis, sive de futuris agatur. Nam quoad *præterita*, peccatur 1. *murmure*, quum peccatores fremunt adversus Dei Providentiam, et eam tanquam injustam criminantur; quod tribuitur impiis apud Ezec. c. xviii. 29, et xxxiii. 20, quasi immerentes plecterentur propter peccata aliena, cum tamen ipsi justissimas pœnarum causas in se deprehendere possent: quod piis etiam nonnunquam accidit per impatientiam carnis, quum vident impiorum prospera, et piorum adversa, Job. xxi. 7, 8; Psalm. lxxiii. 2, 3; Jerem. xii. 1. Cui opponenda *submissio* humillima, quæ vias Providentiæ ut sanctissimas adorat semper, qualescunque carni nostræ videantur, qualis in Jobo, cap. i. 21, et ii. 10;

Digitized by Google

2. Desperatione.

in Davide, Ps. xxxix. 9; in Eli, 1 Sam. iii. 18, et aliis videtur. 2. *Desperatione*, quum in malis desperabundi jacent, quasi actum esset de ipsis, nec ulla daretur spes restaurationis, cujus exemplum in Caïno, Saüle, Juda, et aliis. Tale erat Plautinus ille adolescens, quasi fatis abreptus, desperatione se projiciens in exitium. *Instabilis est*, inquiebat, *sors rerum, pro libidine fata agunt homines; referam me ad scopulum, ut rem istic cum ætate perduam.* Cui opponenda est firma in Deum *fiducia*, quæ nos in mediis ærumnis, et calamitatum decumanis fluctibus, quum omnia desperata a parte hominum et causarum secundarum videntur, immotos et inconcussos reddit, qualis fuit Jobi spes, *Occidat me, in eum sperabo*, Davidis fides, Psalm. xxiii. 6, trium sociorum Danielis constantia, Dan. iii. 16, 17.

3. Scelerum excusatione.

III. Tertio, *scelerum excusatione*, quum peccatores flagitiis suis Dei Providentiam obtendunt, quia nihil fit nisi Deo volente et permittente: Cum tamen hac cogitatione nihil sit iniquius. Nam licet peccata non fiant sine Dei Providentia, tamen nec Deus in consortium peccati venit, nec scelerati homines a culpa propterea eximuntur; quia non Dei voluntati, sed suæ cupiditati obsequuntur. Vera enim obedientia respondet voluntati revelatæ in Verbo expressæ, non vero arcanæ in Deo latenti: Paret ille Deo, qui de ejus voluntate edoctus, eo contendit, quo ab ea vocatur; Sed si quid adversus ejus mandatum designant homines, non obedientia est, sed contumacia et transgressio, licet de cætero impleant voluntatem Dei occultam; quia Deus præter intentionem eorum, malis eorum operibus sapientissima et justissima ordinatione sua utitur ad exequenda sua judicia, ut supra dictum.

Quoad futura, 1. Securitate et socordia.

IV. Quoad *futura* peccatur in Providentiam, 1. *securitate* et *socordia*, ab iis qui contemptis proterve mediis a divina Providentia sapientissime institutis, ignaviæ ac torpori suo in sanctissima hac doctrina latebras quærunt, et sub prætextu certitudinis eventuum a Providentia præstitutorum, securitati carnali se mancipant, negligentes media ad sui conservationem et salutem necessaria: Quasi certitudo finis tolleret mediorum necessitatem, et idem Deus qui eventum aliquem futurum præordinavit, non præfixerit etiam media hominibus, quibus ex Dei præcepto et voluntate utantur: Si vitam hominis certis terminis limitavit, curam ejus apud hominem deposuit, ejusque conservandæ rationibus subsidiisque eum instruxit, periculorum quoque præscium fecit, ne incautum opprimerent, cautiones et remedia suggessit, quibus uteretur. Huc pertinet *temeritas* eorum, qui nimia præfidentia, sine vocatione et necessitate, pericula quævis adire non recusant, et causis secundis, quæ præsto sunt, mediisque a Deo institutis uti nolunt; quod est Deum tentare. Quamvis enim possit non minus sine mediis quam cum mediis nos servare, quia tamen ad id, studium etiam et curam nostram intercedere vult ordinarie, non possumus sine crimine ea negligere, quæ ad usum nostrum, sive ad pericula præcavenda, sive ad mala depellenda, instituere voluit.

2. Anxietate et diffidentia.

2. *Anxietate* et *diffidentia*, quum solliciti sumus in crastinum de victu et vestitu, rebusque ad vitam necessariis, quasi Deus non esset Pater providus, qui omnibus abunde prospiceret. Huc faciunt apprime verba Christi, Mat. vi. 25. "Propterea dico, ne sitis solliciti de anima vestra, quid esuri sitis, aut bibituri, neque de corpore vestro, quibus indumentis usuri; nonne anima pluris est quam cibus, et corpus, plus quam indumentum?" ubi non omnem omnino suis curam vult eximere, siquidem ea lege nati sunt homines, ut aliquid curæ sustineant, imo hæc non ultima pars est miseriarum, quas

Digitized by Google

Dominus nobis in pœnam injunxit, ut nos humiliaret; Sed curam tantum anxiam, et supervacuam sollicitudinem, qua homines increduli et gentiles se excruciare solent, damnat, quæ ex diffidentia providentiæ oritur, quasi Deus otiosus in cœlo dormiret, vel non prospiceret rebus humanis: Vult ergo fideles in paternam Dei curam et bonitatem recumbere, et ab eo tranquille expectare, in legitimæ vocationis exercitio, quæcunque sibi necessaria esse sentiunt.

3. Nimia causis secundis adhæsione.

V. 3. *Nimia causis secundis adhæsione;* nam ut qui eas prorsus negligunt, Deum tentant, inquirentes, an Deus etiam sine mediis ipsos sit conservaturus; Non minus etiam in eum peccant, qui illis nimium tribuunt, fiduciam suam in illis collocando, et certis quibusdam mediis, veluti clavo trabali affixi, nullum præ diffidentia Providentiæ divinæ locum relinquunt, exemplo Asæ, 2 Chron. xvi. 12, qui in morbo non requisivit Jehovam, sed hæsit Medicis. Licet enim creaturas diligere et honorare debeamus, cum Deus illas veluti in aliquam operis sui partem assumere non dedignatur; in Deo tamen solo confidere, illique inniti licet, tanquam sapientissimo et providentissimo Patri, qui suis nunquam deest tempore opportuno.

Usus Providentiæ.

VI. *Usus* vero istius doctrinæ longe uberrimus est, et præstantissimus, tum in asserenda Dei gloria, cui summæ sapientiæ, potentiæ, et bonitatis laus hic tribuitur; tum in fide nostra alenda, augendaque fiducia, quam, ingruentibus ærumnarum procellis, Providentiæ persuasio, tanquam tutissima anchora in improbo hujus mundi salo firmat. Hic ergo *primum* hominis pii *officium* est, quoad *intellectum*, ut non solum ad Deum, ceu primam et primariam rerum omnium causam oculos attollat, persuasum habens nihil fieri fortuito; sed omnia a sapientissima Dei Providentia dirigi; verum et apud se reputet singularem et specialem Dei Providentiam pro salute sua excubare, sive cum hominibus, sive cum aliis creaturis illi negotium sit; quod docent non modo promissiones luculentæ Scripturæ, Psalm. xxxiv., xxxvii., lv., xci.; Zach. ii. 8; Isa. xxvi. 3, et xlix. 15; Matth. vi. et x.; Luc. xii.; 1 Pet. v. 7; Sed et exempla Sanctorum, quorum vias a Deo custoditas passim recitat: Huc faciunt varia illa loca, quæ docent creaturas omnes sub Dei potestate esse, ut nihil sine ejus nutu aggredi possint, vel exequi.

Unde oritur, 1. studium sanctitatis.

VII. 2. Ex hac Providentiæ Dei contemplatione, serium in fideli oriri debet studium, 1. *sanctitatis*, ut cautiores reddamur in vita quotidiana, quod ubique versemur sub oculo Dei, qui nobis adstat semper proximus, et cujus præsentiæ nunquam, quicquid agamus, nos possumus subducere, quia *πάντ' ἰφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει*. 2. *Gratitudinis*, ut in prosperitate et rebus secundis non reti nostro sacrificemus, sed benevolam Dei providentiam exosculemur, et grato animo veneremur, Psal. cxv. 1, non Nobis, sed Nomini ejus gloriam dantes, ceu primario benefactori, in cujus benefica manu versantur omnes causæ secundæ, sive sint homines, sive creaturæ inanimatæ, Hos. ii. 21, 22. 3. *Patientiæ et humilitatis* in adversis, exemplo Christi, Luc. xxii. 42; Josephi, Gen. xlv. 8, et l. 20; Jobi, c. i. 21; Davidis, 2 Sam. xvi. 9; Ps. xxxix. 9, ut in omnibus quæ duriora nobis contingunt in Dei voluntate et Providentia sine murmure acquiescamus, quod ipsi Gentiles non ignorarunt; Hinc Seneca, epist. 107, "Ad hanc legem," inquit, "animus noster aptandus, hanc sequatur, huic pareat, et quæcunque fiunt debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam; optimum est pati quod emendare non possis, et Deum, quo authore cuncta proveniunt sine murmuratione comitari. Malus miles

Gratitudinis.

Patientiæ.

Digitized by Google

est, qui Imperatorem gemens sequitur. Quare impigri et alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quicquid patimur intextum est." Et hoc eo libentius faciendum, quod persuasos nos esse decet, hostium etiam crudelissimorum maleficia nonnisi justa Dei dispensatione, et permitti, et immitti, quinetiam nec ipsum Diabolum in conflictum contra nos prodire absque Dei nutu, atque adeo omnia in bonum nobis συνεργῖν, Rom. viii. 28, et pocula ista, quæ a tam amica manu propinantur, licet amara carni, spiritui tamen esse salubria, Heb. xii. 11.

Resipiscentiæ. 4. *Resipiscentiæ*, nam ut beneficia Dei nos invitant ad gratitudinem, sic adversa sunt ejus flagella, quæ ad pœnitentiam nos vocant, Thren. iii. 39; Isa. xlv. 7; Amos. iii. 6; Heb. xii. 9, 10.

2. Solatium. VIII. Denique ex fide Providentiæ maximum piis oritur *solatium*, et incredibilis *animi tranquillitas*, quæ efficit, ut conquiescentes in Dei sinu, et paternæ ejus curæ se totos commendantes, bene semper de eo in futurum sperent, non dubitantes, quin Patris officium erga eos sit semper facturus in bonis conferendis, et malis avertendis, exemplo Davidis, 1 Sam. xvii. 37, Ps. xxiii. 1, 4, 6; Pauli, 2 Tim. iv. 17, 18; Sub illius tutela, qui omnes creaturas ad nutum habet, nihil sibi metuendum esse intelligentes, dum in vocatione sua ambulant. Unde nec media secure negligentes, nec illis temere confidentes, sed prudenter iis ex Dei præscripto utentes, devolvunt omnem curam suam in Dominum, 1 Pet. v. 7, et in omnibus perplexitatibus suis semper usurpant illud Patris credentium, יהוה יראה *Dominus providebit.*

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS SEPTIMUS.—DE ANGELIS.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS SEPTIMUS.—DE ANGELIS.

QUÆSTIO PRIMA.

An, et quando creati sint Angeli?

I. Ut inter Creaturas, circa quas Dei Providentia versatur, excellunt Angeli, quorum dignitas eo major, quo magis accedunt ad Divinam naturam, et ab omni materiæ contage sunt immunes, eorum Theoria cæteris recte præmittitur.

Nomina Angelorum varia, a natura, a virtute et dignitate, ab officio.

II. *Nomina* eorum, ut de illis aliquid in antecessum dicamus, varia sunt in Scripturis; Alia οὐσιώδη, a natura eorum petita, quale est nomen πνεύματος, *Spiritus;* Alia ἐνεργειώδη, a virtute, potestate et dignitate, qua sunt præditi, qualia sunt nomina *Seraphim* et *Cherubim*, et nomina, *Thronorum, Dominationum, Potestatum*, de quibus postea; Alia σχετικὰ et relativa ad *officium*, quod ipsis demandatum, quale est nomen *Angeli*, quod *legatum* et *missum*, seu *nuncium* significat, et nomina πνεύματων λειτουργικῶν, *spirituum administrorum*, Heb. i. 14.

Dari Angelos probatur.

III. Dari Angelos, quicquid olim Sadducæi dixerint, et dicant hodie Pseudo-Christiani, qui eorum vestigia premunt, multa probant. 1. *Gradus Entium*, et *complementum Universi;* Ut enim in eo Deus creaturas mere corporeas condidit, quæ in sensus incurrerent, ut corpora; alias, partim corporeas et visibiles, partim spirituales et invisibiles, quales sunt homines; ita conveniens fuit ad perfectionem mundi creari mere spirituales, quales sunt Angeli. 2. *Experimenta* varia petita ab *effectis mirandis*, quæ vires humanas superant, ab *Oraculis* apud Gentes editis, ab apparitione *spectrorum*, ab *energumenis* linguis peregrinis loquentibus, qui cum a Deo proficisci non possint, nec in homines illos conveniant, malos genios authores produnt; Qui si existant, etiam bonos existere non negari debet, cum ipsi saltem ab initio boni esse debuerint. 3. *Scripturæ vox*, quæ passim hoc tradendo, apodicticum omni exceptione majus nobis suppeditat argumentum.

IV. Cum vero toties in libris Mosis, et universa Scriptura eorum mentio fiat, mirum videri potest, quo pacto Sadducæi, qui libros Mosis recipiebant, potuerint in illum errorem incidere, ut negarent dari Angelos, Act. xxiii. 8, dicentes, nec *Angelum, nec Spiritum esse.* Hinc factum, ut quidam hoc absolute intelligendum esse nolint, sed referendum tantum ad Angelos παιδαγωγούς, appositos custodes singulis hominibus. Sed melius alii putant, ipsos elusisse loca Scripturæ, vel per Angelos, de quibus ibi agitur, intelligendo qualitates a Deo productas in imaginatione ejus, quem de re aliqua voluit docere; Vel concedendo quidem Deum produxisse spiritus, quando eorum opera uti voluit, sed postea eos legatione gesta cum corporibus suis rursus evanuisse.

Digitized by Google

Angelos creatos esse probatur.

V. Angelos, non esse Deo coæternos, ut volebant Peripatetici; sed a Deo creatos, non modo ratio probat, quæ alia omnia a Deo ut summo Ente, per participationem Entia esse evincit; Sed Scriptura expresse asserit, 1. in genere, quando cœlum et terram, et proinde quotquot in eo sunt, creata a Deo affirmat, Genes. i. 1. 2. In specie, quum *perfectos fuisse cœlos, et omnem exercitum eorum* dicit Genes. ii. 1; nihil vero est familiarius Scripturæ, quam quod Angeli *cœli exercitus* vocantur, Psal. ciii. 20, 21, et cxlviii. 2; Luc. ii. 13. Unde *Deus* dicitur *Zebaoth*, seu *Exercituum*, maxime ab Angelis, qui ipsum circumstant, Dan. vii. 10. Nec dicere posset David, Ps. civ. 4, et post eum Apost. Heb. i. 7, Deum facere *Angelos suos ventos, et ministros suos ignem flammantem, et esse spiritus ministratorios*, qui mittuntur ad salutem fidelium, v. 14, nisi a Deo creati essent.

VI. Paulus clarissime hoc adstruit, Coloss. i. 16, 17, quum ait "Per Christum condita esse omnia, quæ in cœlis sunt, et quæ in terra; visibilia, et invisibilia, sive thronos, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia per ipsum condita esse. Ut enim per *visibilia* creaturas omnes corporeas, sive cœlestes, sive sublunares complecti voluit: Ita per *invisibilia* creaturas spirituales et intelligentes, puta Angelos, denotari certo certius est.

In principio Mosaico.

VII. Creati autem sunt Angeli, non ante principium Mosaïcum, ut vellent *Sociniani*, et non pauci ex Veteribus, præsertim Græcis Patribus, ut Chrysostomus, Nazianzenus, Basilius, et alii citati *Vossio*, lib. i. de orig. Idol. c. 17, quibus suffragantur ex Latinis Hiero. commen. in Epist. ad Titum, et Ambrosius, lib. i. cap. 5, Hexaëm.: quanquam non desint, qui eos volunt, non tam de principio Mosaïco loqui, quam quod in principio ante cæteras creaturas conditi fuerint, ut ipsorum sententiam explicat *Damascenus*, lib. ii. de Ortho. fid. cap. 2: Sed in ipso mundi principio cum cæteris omnibus creaturis.

VIII. Rationes sunt, 1. quia principium Mosaïcum est principium, et temporis, et omnis Creaturæ, ante quod, ex stylo etiam Scripturæ, nihil concipi potest præter abyssum æternitatis. Ergo illi principio non potuerunt præextitisse Angeli, quin extiterint ab æterno. 2. Quia quicquid fuit ante mundum, id est Deus, quia hæc prærogativa illi vindicatur in Scriptura, Ps. xc. 2; Proverb. viii. 22; Johan. i. 1. 3. Quia Moses diserte dicit, *In principio Deum creasse cœlum et terram*, hoc est, et illa corpora, et omnia quæ in cœlo et in terra continentur; In principio scilicet temporis, et creationis, ut exprimit *Lyranus*. Ergo Angeli ante illud principium creati non fuerunt, quod evidentius asseritur, Exod. xx. 11, *Sex diebus perfecit Deus cœlum et terram, et quicquid est in iis;* Ergo et Angelos.

IX. Quamvis Moses Creationis Angelorum expresse non meminerit; non propterea sequitur plane de illis siluisse, cum, ut dictum est, eos sub exercitu cœlorum, vel sub luce primigenia, vel sub cœlo et terra complecti potuerit. Causa silentii Mosis, non fuit, vel ingenium Israëlitarum φιλεί-δωλον ad idololatriam propensissimum, quia sic nullam pariter eorum mentionem facere debuisset in libris suis, quod tamen facit sæpissime; Vel tarditas populi, cui attemperata scriptione originem aspectabilis mundi proponere voluerit, siquidem Israëlitis traditione saltem majorum, non erant ignoti Angeli, nec opus fuit rudi populo naturam Angelicam fuse exponere, sed ejus tantum originem proponere; Sed scopus Mosis, cui propositum fuit historiam Ecclesiæ texere, et ejus initium ab initio mundi repetere; ideo originem mundi, ex quo Ecclesia originem ducit, delineare satis habuit, de Angelis etiam non silendo subinde, prout postulabat instituti in

www.tinpool.com.cn

Digitized by Google

adornanda Ecclesiæ historia ratio; simili fere modo, quo in historiis Regnorum non fit semper mentio accurata originis vicini regni.

X. Locus Jobi xxxviii. 6, 7, in quo stellæ matutinæ, et Filii Dei dicuntur jubilasse, cum fundaret teram, evincit quidem creatos fuisse in principio, et statim in laudes Creatoris sui erupisse. Sed nihil ex illo habetur, unde colligi possit, eos longe ante principium Mosaïcum conditos fuisse. Imo cum exinde constet, eos esse partem quandam Universi, ratio dari non potest, quare pars illa a toto suo per tot secula manserit separata; Et quid opus fuerit spiritus istos ministratorios tanto temporis intervallo creare, antequam essent ad quos mitterentur, quibusque ministrarent.

QUÆSTIO II.

An Angeli sint substantiæ spirituales et incorporeæ? Affirm.

Duæ sententiæ, 1. eorum qui corpora tribuunt Angelis.

I. Duæ sunt circa hanc Quæstionem Theologorum sententiæ. Prima, quæ negat Angelos esse meros spiritus, materiæ omnis expertes; Altera quæ affirmat. Primam secuti sunt varii ex Patribus post Platonicos, qui propria sua corpora Angelis tribuebant, quales sunt *Tertull.* lib. de Carne Christi, et contra Praxeam. *Aug.* lib xv. de C. D. c. 23, et tom. iii., de Trin. l. 2, c. 7. *Bernar.* in Canti. Serm. 5. *Author libri de Eccle. dogma.* qui in tom. iii. operum Aug. reponitur, c. 19, qui aperte definit Angelos esse corporeos; quos *Vorstius* sequitur, Apol. exeg. cap. 7. Secunda vero communis est, et recepta tam apud Pontificios, quam apud Nostros, quam retinemus.

2. eorum qui negant, quæ probatur.

II. Primo, quia Scriptura expresse vocat eos πνεύματα; quorsum autem vocarentur *Spiritus*, si corporei essent? cum spiritus corpori e diametro opponatur, Luc. xxiv. 39, *Spiritus carnem et ossa non habet*, inquit Christus, *sicut videtis me habere.* Eadem de causa referuntur inter τὰ ἀέρινα, Col. i. 16, et hoc modo ab omnibus Dei operibus quæ in sensus incurrunt distinguuntur: Licet autem ventis et flammæ ignis comparentur; non ideo corporei dicendi sunt; alias corpus esset tribuendum Deo, qui se istis adumbrare voluit sæpe similitudinibus; sed analogice ita dicuntur, ut constet eos esse instar ventorum, et fulguris, velocissimos Dei nuncios.

III. Secundo, Quia illis tribuuntur facultates et operationes spirituales, quæ a natura corporea proficisci nequeunt, quales sunt intellectus et voluntas, et actus qui ab illis eliciuntur; quæque ideo causam spiritualem et immaterialem necessario postulant. Tertio, quia si essent corporei haberent quantitatem, atque adeo impenetrabiles essent, nec plures simul in eodem loco esse possent, quod fit tamen, quia *legio dæmonum* dicitur fuisse in uno Energumeno, Luc. viii. 30. Quarto, quia, si corpora jam haberent, non possent nec deberent alia corpora assumere, quod constat tamen sæpe ipsos facere, quum se videndos præbent in assumptis corporibus.

IV. Quamvis vero spirituales dicantur, non censendi sunt tamen, absoluta et summa simplicitate gaudere, quæ soli Deo competit, a qua infinitum distant, non quod ex materia coalescant, sed quia accidentibus subjiciuntur, et sic in iis distinguuntur semper genus et differentia, potentia et actus, subjectum et accidens.

Fontes Solutionum.

V. Corpus vel opponitur umbræ, seu φάσμα, et phantasmati, et notat rem vere existentem, vel proprie notat id quod materiale est, et ex partibus quantitativis composi-

Digitized by Google

tum: Priori sensu *Deo* tribuitur *corpus* a Tertulliano, et sic Angeli possent dici corporei, sed valde *ἀκύρως*. Vel Corpus dicitur de eo omni, quod qualicunque ratione est compositum et mutabile, et sic omnis substantia creata potest dici corporea, respectu Dei, qui est simplicissimus et immutabilis; Ita *August.* tom. iii. in lib. de Sp. et Ani. c. 18. "Anima," inquit, "respectu incorporei Dei est corporea, nihil invisibile et incorporeum natura credendum est præter solum Deum, qui ex eo incorporeus et invisibilis dicitur, quia infinitus et incircumscriptus." Sic Damasc. lib. iii. c. 3, intelligit, *μόνον γὰρ ὄντως ἄϋλον τὸ θεῖόν ἐστι καὶ ἀσώματον*: Sic conciliant Scholastici dicta Patrum, ut Angelos spiritus vocarint respectu nostri, sed corpora respectu Dei; Quod emolliret quidem eorum sententiam, sed *ἀκυρολογίαν* tamen, et errorem plane non tolleret.

VI. Apparitiones Angelorum, in quibus videndos se præbuerunt hominibus, non evincunt eos esse corporeos, quia non in propriis, sed in assumptis corporibus apparebant. Unde visibiles et tactiles erant, non per se, sed per accidens tantum; qualia vero fuerint illa corpora, postea videbitur.

VII. Licet Angeli dicantur esse in certo ubi, seu loco; Non sequitur propterea eos esse corporeos, quasi sola corpora possint dici esse in loco, et res spirituales non possint aliter dici alicubi, quam efficaciter agendo, ut pertendunt Philosophi recentiores. Quia confunditur perperam *ubi circumscriptivum*, quod solis corporibus competit, cum *definitivo*, quod spiritibus convenit; Nec statim negari potest aliquid esse alicubi, licet non coëxtendatur spatio in quo est. Imo tam necessarium est illud omne quod est, alicubi esse, ut bene dictum fuerit, illud non esse, quod nuspiam est, quia ut recte *August.* de anim. immort. c. i., *quicquid est, nusquam esse non potest;* quicquid enim finitum est, eo ipso quod est tale, debet certo suo ubi definiri, ut ita hic sit, ut non sit alibi. Nec hic *præsentia virtualis* a *substantiali* divelli potest, cum illa istam necessario supponat, tanquam suum principium: Nam ut operari supponit esse, ita causa omnis ibi esse debet, ubi operatur. Quamvis vero Angeli præsentia a posteriori cognoscatur ex ejus operatione, non sequitur totam rationem præsentiæ in sola operatione consistere, cum non necesse sit semper illum operari, saltem ad extra. Nec absurdius est Angelum per essentiam esse alicubi, quam per operationem, cum utraque sit spiritualis. Licet autem inter spiritum et corpus nequeat concipi contactus, bene tamen possumus intelligere dari inter ea relationem, ut inter duo sibi mutuo coëxistentia, quod sufficit ad fundandam rationem præsentiæ seu ubietatis in spiritu. Ut ut ergo Angelus per essentiam non habeat relationem ad locum, quasi illum occupet, et illi coextendatur, non desinit tamen habere *σχέσιν* ad ubi, in quo est per essentiæ suæ finitudinem, indivisibiliter, et absque sui extensione.

VIII. Non melius ex *motu Angelorum* eorum corporeitas colligitur. Quamvis enim motus localis proprie competat corporibus, in quibus est movens et motum: Non repugnat tamen dari, si non loci, saltem vel ubi definitivi mutationem, in entibus finitis quibuslibet, quando uno ubi relicto, acquirunt aliud. Nec opus est propterea quantitate vel dimensione proprie dicta, quia licet locans sit divisibile et extensum, locatum tamen manet semper indivisibile, et virtualiter tantum spatio potest dici utcunque coextendi, per intrinsecam essentiæ definitionem. Frustra vero hic a nonnullis obtenditur, Angelo motum adscribi non posse, nisi quatenus operationem mutat, quia cum non possit operari nisi ubi est, non potest mutare operationem, sine substantialis sui ubi mutatione. Quod Scriptura clare innuit, quando de adventu vel abitu Angelorum loquitur, eorumque apparitionibus; Siquidem non potuerunt in terram descendere, quin cœlum

Digitized by Google

relinquerent, nec cœlum repetere, quin a terra recederent, et sic ubi suum præcedens mutarent; alias essent ubique.

IX. Quamvis *ignis æternus* dicatur paratus Diabolo et Angelis ejus, Matt. xxv. 41, Non sequitur Angelos esse corporeos; Quia non necesse est ignem intelligi materialem et corporeum; sed spiritualem, et figuratum, ad exquisitissima inferni tormenta describenda; ut vitæ æternæ gaudia sub rerum jucundissimarum et suavissimarum symbolis solent adumbrari.

www.libtool.com.cn

QUÆSTIO III.

DE COGNITIONE ANGELORUM.

Qualis sit modus, et quale objectum cognitionis Angelicæ?

Status Quæstionis.

I. Non quæritur, An Angeli intelligendi virtute sint præditi; hoc enim in confesso est apud omnes, et vel solum nomen *Intelligentiarum*, quod ipsis ob eximiam ipsorum cognitionem tribuitur, satis evincit; Sed *quomodo* et *quid* intelligant, sive quisnam sit *modus*, et quodnam *objectum* eorum cognitionis. Nam ut prius a nemine negatur: Ita posterius a nullo perfecte cognoscitur; nec Scriptura tacente, nobis temere definiendum. Ideo, missis Scholasticorum vanis et curiosis quæstionibus, qui volunt ἐμβατεύειν εἰς ἃ μὴ ἑωράκασι, sobrie nobis hic ex Verbo sapiendum.

II. *Cognitio Angelica*, quadrifariam potest in genere distingui, in *naturalem*, *revelatam*, *experimentalem*, et *supernaturalem*. 1. *Naturalis* est, quæ a principio creationis Angelis fuit indita, quæ tam bonis, quam malis fuit communis. 2. *Revelata*, per quam ex revelatione Dei multa norunt, quæ antea ignorabant, ut Dan. cap. ix. revelatur Angelo Gabrieli mysterium lxx hebdomadum, et in Apocalypsi multa revelantur Angelis a Deo, ut hominibus annuncient. 3. *Experimentalis*, et acquisita, quæ oritur ex rebus quæ fiunt in mundo, et præsertim in Ecclesia, de qua Ephes. iii. 10. et Luc. xv. 10. 4. *Supernaturalis*, quæ est tantum Angelorum bonorum, qua donati sunt a Deo in confirmatione, per quam ita perfecte Deum intuentur, ut ipsi constanter adhæreant, nec ab eo deficere in æternum velint.

Objecta cognitionis Angelicæ non sunt omnia.

III. *Objectum* cognitionis Angelicæ, 1. κατ' ἄρσιν, non sunt *omnia*, 1. quia Christus testatur *eos ignorare diem judicii*, Marc. xiii. 32. 2. Quia multa quotidie discunt ex revelatione, quæ antea ignorabant, Eph. iii. 10, unde dicuntur Petr. primæ c. i. 12. desiderare in mysteria Evangelica παρακύψαι, id. ex magno mysterium pietatis cognoscendi studio, sese demittere, et caput veluti inclinare, alludendo ad Cherubinos Arcæ, quorum oculi versus Propitiatorium spectabant, Exo. xxv. 20. 3. Quia Deo soli, qui est Ens infinitum, omniscientia competit; Creaturarum vero omnium quarum essentia finita est, finita etiam debet esse cognitio, et certis limitibus circumscripta. Licet vero Deum omnia videntem videant Angeli, non sequitur eos in essentia Dei omnia videre; quia cum Deus sit agens voluntarium, non exhibet necessario res omnes eorum aspectui, sed tantum prout vult, vident ergo quantum Deus vult eos videre; Ita qui Solem videt omnia lustrantem, non statim videt omnia.

Non futura contingentia.

IV. 2. Non *futura contingentia*, quæ a libera Dei voluntate pendent, quæque a Creaturis nonnisi ex ejus revelatione sciri certo possunt, quia Deus illorum cognitionem, tan-

Digitized by Google

quam sibi propriam, et aliis incommunicabilem tribuit. Isa. xli. 22, 23, et xlii. 8, 9, et xliv. 7, 8. Quia intellectus creatus non potest prædicere futura, nisi intuendo in causas ex quibus oriuntur: at futura contingentia, causas definitas nullas habent, ideo ab intellectu creato proprio lumine perviderí nequeunt. Nec si Angeli nonnunquam futura prædixerunt, sequitur illa cadere sub eorum notitiam naturalem, quia hoc potuerunt præstare, vel ex revelatione divina, quæ illis hæc aperuit, ut hominibus patefacerent; vel ex mera conjectura, ut in Angelis malis, quæ ut plurimum fallax deprehenditur, ut constat ex oraculis Gentilium.

Non corda. V. 3. Non cognoscunt *corda*, quia hoc Deus sibi servavit, Jerem. xvii. 9, 2 Paral. vi. 30, scilicet *in seipsis* et *immediate;* quamvis in suis *effectis* et *signis externis* possint cogitationes eorum utcunque assequi. Possunt quidem phantasmata circa quæ versatur intellectus deprehendere; sed quodnam sit mentis judicium de illis phantasmatibus, immediate, et per se non possunt cognoscere, quod solius Dei est proprium.

Sed Deum. VI. Κατὰ θέσιν, 1. cognoscunt *Deum et res divinas*, non quod Essentiam Divinam comprehendant, quia finitum non capit infinitum: sed quatenus Majestatis ejus et gloriæ radios quadantenus apprehendunt, quantum potest ferre creaturæ infirmitas, unde dicuntur Angelos Homines. *videre continuo faciem Dei in cœlis*, Matt. xviii. 10. 2. *Seipsos*, et *homines*, quia nisi hoc esset, minoris perfectionis essent quam homines in intelligendo, qui seipsos et alios cognoscunt, nec possent hominum curam gerere, et circa eos castrametari, nisi eos nossent. 3. *Alias creaturas* a Deo conditas, tam cœlestes, quam sublunares, tam universales, quam singulares, quantum quidem fert eorum natura, longe perfectius hominibus.

Quis sit modus cognitionis Angelicæ. VII. Sed difficilius est *modum* cognitionis Angelicæ capere, circa quem acres et anxiæ sunt Scholasticorum quæstiones, quæ illis relinquentes, paucis tantum notamus. 1. *Cognitionem* Angelicam esse tantum *intellectivam*, non *sensitivam*, quæ organica est, et ad corpora duntaxat, quibus carent Angeli, pertinet; Unde nullus actus corporeus proprie ipsis tribuitur; Ita nec egent organo corporeo, aut sensibus externis, quos ut fenestras objectis aperiant. 2. Angelos non intelligere *per suam essentiam*, quia sic essentia Angelica omnia contineret, et esset omnium imago et causa, quod soli Deo infinito competit; sed per certas species et ideas, seu similitudines rerum, partim ingenitas et insitas a prima creatione rerum, quas naturaliter cognoscunt, partim acquisitas, rerum quas norunt, vel ex Dei revelatione, tales ideas ipsorum intellectui offerentis, vel ex experimentis, per species ex rebus ipsis abstractas. Licet autem nobis non liqueat, quomodo tales species seu imagines abstrahere possint a rebus, cum sensibus externis destituantur, non ideo negandum est hoc ab ipsis fieri; Nec obstare quicquam videtur, quominus habeant vim abstrahendi imagines a rebus, et eas intellectui suo repræsentandi, quod vel ex eo colligitur, quod in colloquiis Sanctorum voces eorum percipiunt et illis respondent. Quamvis vero Angelum cætera intelligere dicamus per imagines, non putamus tamen eas requiri ad sui cognitionem, quæ potest fieri immediate per suam essentiam; Non quod Angeli intellectio sit sua ipsius essentia, cum nulla substantia constituatur in esse substantiæ per suam operationem, et semper distinguenda sit causa ab effectu, et intellectionis principium ab ejus actu et exercitio; sed quia essentia Angeli est ratio et principium cognoscendi seipsum sine ulla specie intelligibili superaddita, quia cum sit actu

Digitized by Google

intelligibilis, et intime præsens intellectui Angelico, nulla opus habet imagine ad sui intellectionem.

VIII. 3. Non est etiam cognitio *intuitiva* et *noëtica*, sed *dianoëtica* et *discursiva*, quia solius Dei est cognoscere intuitive, quia immediate res ipsas in essentia videt, nec ullo opus habet discursu, ut unum ex alio colligat; Sed Creaturæ omnes, quæ finitæ sunt, et ab imaginibus pendent, non possunt intuitive res pervidere: Non ergo simplici et momentaneo intuitu Angelus omnia perspicit, sed modo discursui nostro analogo, sed longe perfectiori, non languenti, imperfecto ac obscuro, qualis est noster, sed pernicissimo et acutissimo.

IX. Dari mutuam inter Angelos communicationem Scriptura testatur, quum loquitur de colloquiis Angelicis, Zac. ii. 3, et alios ad alios clamantes inducit, Is. vi. 3, Apo. vii. 2, et xiv. 18. Sed qualis sit illa, et quomodo fiat, nec Scriptura tradit, nec quisquam mortalium potest affirmare, quicquid Scholastici hic de *loquela Angelorum* temere garriant, ac si ipsos loquentes audivissent; dum alii volunt in intellectu Angelico fulgere cognitionem ejus velut in speculo, alii imprimi intellectionem Angelicam ab Angelo alterius intellectui, alii voluntate tegi et revelari secretum, quod sola voluntate clauditur. Sed hæc omnia curiose quæruntur, et temerarie definiuntur. Nobis satis est τὸ ὅτι sive *rem* tenere, licet τὸ πῶς, seu *modum* ignoremus, quo pertinent ista Damasceni, lib. ii. c. 3, de Angelis loquentis, οὐ γλώσσης καὶ ἀκοῆς δεῖται, ἀλλ' ἅπερ λόγον προφορικοῦ μεταδιδόασιν ἀλλήλοις τὰ ἴδια νοήματα καὶ βουλεύματα. Quod vero Apostolus, 1 Cor. xiii. 1, dicit de linguis Angelorum, *Si ego linguis hominum imo et Angelorum loquerer*, non huc pertinet, quia loquitur hyperbolice, et ex hypothesi ad majorem emphasim, ut notet *linguam excellentissimam* et *disertissimam*, quales essent linguæ Angelorum, si loquerentur; quomodo *facies Angelica* vocatur ea quæ pulcherrima et augustissima est, Act. vi. 15, et *panis Angelorum*, Psalm lxxviii. 25, pro exquisito et optimo ponitur.

QUÆSTIO IV.

Qualis sit Voluntas, et liberum Arbitrium Angelorum, et An affectus in eos cadant?

I. Intellectionem Angeli sequitur *Voluntas*, quæ liberrima est, et longe perfectior hominum voluntate, quæ passionibus et motibus corporeis sæpe turbatur; qualis vero ejus sit ratio, nec Scriptura docet, nec multum refert cognoscere.

II. Hoc certum, Voluntatem eorum, nec esse *independentem*, quia Deo semper subest, nec *operativam*, quasi sola voluntate agerent, quia operari per meram voluntatem, et jussionem potentissimam, ad solum Deum pertinet; Creaturæ vero omnes præter voluntatem, egent potentia, quæ sit principium effectivum operationum ad extra, et quæ realiter influat in effectum; Sed esse liberrimum volendi principium, ex quo actus multiplices et varii pro ratione objectorum sponte eliciuntur, juxta dictamen intellectus practici.

III. Ex utraque autem facultate liberum eorum exurgit Arbitrium, cujus Angeli participes sunt, et quidem nobiliori quam homines modo. Istud vero, quamvis ab initio indeterminatum fuerit ad bonum et ad malum, postea in bonis quidem ex Dei confirmatione determinatum, est tantum ad bonum, in malis vero ex eorum peccato, justa Dei desertione ad malum tantum.

Digitized by Google

IV. Ut nulla est in Angelis cognitio sensitiva; ita nec appetitus sensitivus, nec affectus seu πάθη, proprie ipsis competunt. Licet ergo Scriptura illis aliquando eos tribuat, ut quum dicuntur amare Deum, odisse malum, gaudere de nostra resipiscentia et salute, contra vero tristari nostris peccatis, et dolere calamitates nostras; Tales affectus *proprie dicti*, quibus nos in hac mortalitate obnoxii sumus, in Angelis fingendi non sunt, qui sedem habeant in subjecto quodam θυμικῷ, vel ἐπιθυμητικῷ; Sed *analogice* tantum, quia semoto perturbationum æstu, in simplici rectæ voluntatis actu positi sunt, qui naturæ ipsorum spirituali convenit, quo vel diligunt vel aversantur bonum vel malum, et de eo lætantur vel contristantur; eodem fere modo, quo iidem affectus Deo solent ἀνθρωποπαθῶς tribui, qui tamen θεοπρεπῶς debent intelligi.

QUÆSTIO V.

Quænam sit Potentia Angelorum?

I. Post explicatum Angelorum agendi *principium directivum*, et *imperativum*, sequitur *executivum*, quod ad *potentiam* refertur; Quam magnam esse in ipsis, non Scriptura solum testatur, quum eos *valentissimos robore* vocat, Psal. ciii. 20, et contradistincte a *carne* et *sanguine*, prout infirmitatem notat, *Imperia* et *potestates*, Eph. vi. 12, ime et δυνάμεις, et *Angelos potentes*, 2 Thess. i. 7; sed et effecta mira et stupenda quæ ab ipsis producuntur, satis evincunt.

Qualis sit potentia Angelorum.

II. Quantacunque vero sit ista potentia, maxima omnium creaturarum, finita tamen est, et certis limitibus circumscripta, ut licet multa possint, non possint tamen omnia; hæc quippe παντοδύναμις soli Deo omnipotenti competit; Sed ea tantum quæ non superant naturæ creatæ ordinem et vires. Possunt ergo Angeli agere supra ordinem naturæ particularis; Sed non supra ordinem naturæ universalis. Possunt quæ superant captum humanum, et quæ nobis mirabilia videntur; Sed non *miracula* proprie dicta, quæ superant vim totius naturæ creatæ, solus enim Deus est miraculorum author, qui facit mirabilia magna solus, Ps. lxxi. 19, quia virtus infinita ad ea requiritur: Et si quando Deus usus legitur Angelorum opera ad ea patranda, fuerunt tantum instrumenta moralia, ad quorum præsentiam Deus operabatur, non vero causæ proprie dictæ, quæ ad ea concurrerent physico et reali influxu.

Quid possint in corpora.

III. Quoad *corpora* non dubium est, quin plurimum possint in corpora elementaria et sublunaria quælibet, ad ea localiter movenda, et agitanda diversimode. Certum etiam posse eos agere in *sensus externos* et *internos*, ad eos excitandos, vel

In animas.

ligandos; sed quoad *animam rationalem*, nihil possunt *immediate* in ipsam, quia ad Deum solum qui corda novit et scrutatur et qui ea in manu sua habet, pertinet etiam ea flectere et movere quocunque voluerit, sed *mediate* tantum per phantasmata, vel per τὸ θυμικὸν et τὸ ἐπιθυμητικὸν, non *effective* et *physice*, aliquid in eam infundendo, vel efficaciter operando, sed *objective* et *moraliter*, phantasmata objiciendo, et affectus excitando et commovendo, quibus voluntas ad hoc vel illud præstandum impellitur, si non per infallibilem persuasionem, at per potentem suasionem, quæ ut plurimum effectum suum sortitur in hominibus propter eorum corruptionem.

Digitized by Google

IV. Si *Diabolus* dicitur ἐνεργῶν *in filiis rebellionis*, Eph. ii. 2, hoc ita non intelligendum, quasi immediate in animam ipsam rationalem operetur, sed quia diversimode agit in sensus externos et internos, per suggestiones et tentationes malas, in phantasiam per objectorum propositionem, in concupiscentiam per affectuum excitationem et irritationem. Nec si idem verbum usurpatur respectu operationis Spiritus Sancti agentis immediate in corde nostro, dum dicitur ἐνεργῶν velle et perficere, Phil. ii. 13, sequitur eundem omnino esse sensum respectu Diaboli, quoad *principium* et *modum*, cum Dei operatio longe differat ab operatione Diaboli; sed tantum quoad *eventum*, qui non tam oritur ex virtute Satanæ, qui non potest ulterius agere, quam per suasionem, quæ inefficax esset, si homo illi resistere vellet, quam ex prava subjecti dispositione, quod sponte sua ad malum ruit, instigante Satana. Nec si *Satanas* dicitur *replevisse cor Ananiæ*, Act. v. 3, immediate in illud agere debuit; hoc enim potuit per objectorum propositionem, et concupiscentiæ irritationem, quæ ita cor ejus incendit, ut ad eam explendam non dubitarit in Spiritum S. impie mentiri. Ita dicitur *intrasse in cor Judæ*, Jo. xiii. 27, non subeundo animam rationalem, sed in animam sensitivam et affectus sese insinuando, unde cor ipsum oppugnare et expugnare potuit.

An possint substantias producere?

V. Quoad *productionem substantiarum*, licet occasionaliter et dispositive possint ad eam concurrere per excitationem causarum, applicando activa passivis, non possunt tamen proprie et physice quicquam producere, quia cum duo tantum sint productionis modi, per *creationem* et per *generationem*, neuter in eos cadit. Non prior, quia ad eum virtus infinita requiritur; Non posterior, quia cum sint incorporei non sunt generationis capaces. Qui hic Angelos voluerunt fingere sexu discretos, ex quibus Gigantes et alii geniti sint, quæ fuit variorum ex Judæis sententia, ut *Josephi*, lib. i. Antiq. cap. 4, et *Philonis*, de Gigantibus, quam ex Judæis plurimi Christianorum hauserunt; vel sola Christi authoritate sufficienter refelli possunt, dum ait beatos in resurrectione fore ἰσαγγέλους, qui nec uxorem ducunt, neque nuptui dant, Matt. xxii. 30. Quod vero ex Gen. vi. 2, petitur ad erroris istius confirmationem, de *Filiis Dei, qui accepisse dicuntur uxores ex filiabus hominum*, qualiscunque Veterum fuit sententia, quam recte *Pererius* in h. l. falsam et pudendam judicat, non potest huc referri, quia *Filii Dei* eo loco non alii sunt, quam *posteri Sethi*, qui ob retentum adhuc puriorem Dei cultum, hoc Filiorum Dei nomine a *posteris* profanis *Caini* ceu *filiis hominum* discriminantur.

An possint suscitare mortuos.

VI. Cum a privatione totali ad habitum non detur regressus naturaliter, *Suscitatio mortui* opus est quod superat virtutem Angelicam, et solius Dei proprium est. Et si quæ afferuntur exempla a Philostrato, et aliis apud Delrio lib. ii. q. 29, eorum qui a dæmonibus suscitati dicuntur, si ficta non sunt, fuerunt aut spectra diabolica specie hominum defunctorum, aut cadavera defunctorum ad tempus gestata et mota a Diabolo, vel homines illi revera mortui non erant, sed, gravi aliqua syncope pressi, ut apoplexia, hysterica passione, et sim. symptomatis, pro mortuis habiti sunt, vel qui ita a Dæmone sopiti erant, cohibito et represso eorum motu et sensu, ut adstantibus mortui viderentur. Quod vero, 1 Sam. xxviii. 12, de *Samuele a Maga excitato* dicitur, certum est non fuisse verum Samuelem, vel animam ejus, quicquid Syracides, cap. xlvi. 20, dicat de Samuele post mortem prophetante; Sed *spectrum Satanæ*, quia excitatum dicitur de terra, v. 13, cum Sanctorum animæ sint in cœlo in manu Dei, non in potestate Satanæ.

Digitized by Google

QUÆSTIO VI.

DE APPARITIONIBUS ANGELORUM.

www.libtool.com.cn

Quales fuerint Angelorum apparitiones, et quænam corpora assumpserint?

I. Non quæritur, An Angeli hominibus apparuerint; toties enim Scriptura talium apparitionum meminit, quæ vel Patriarchis ante Legem, vel Patribus sub Lege, vel sanctis hominibus in N. Test., exhibitæ fuerunt, ut extra omnem dubitationis aleam hoc positum sit; Sed quales fuerint istiusmodi apparitiones, et qualia corpora, quæ ab Angelis assumpta sunt, ut in iis apparerent.

II. Triplices legimus ἀγγελοφανίας; Quædam, quæ in *somnio* fiebant, qualis Jacobo contigit in visione scalæ mysticæ, "per quam vidit Angelos ascendentes et descendentes," Gen. xxviii. 12; Josepho, cui "Angelus Domini apparuit in somnio," Matt. i. 20; et Paulo, "cui nocte adstitit Angelus Dei dicens, Ne metue Paule," Act. xxvii. 23. Aliæ in *visione* mere *extatica*, quales obtigerunt sæpe Prophetis et Johanni in Apocalypsi; Vel in *visione sensibili*, et ejusmodi specie quæ in oculos incurreret, quæ videntibus et vigilantibus hominibus contingebant, quales fuerunt plerœque apparitiones Patriarchis exhibitæ. In primis apparitionibus non opus fuit assumptione corporum, quia per simplicem χρηματισμὸν citra formæ alicujus determinationem revelatio fieri potuit; nec etiam in visionibus extaticis; Sed in aliis, corpora ab ipsis assumi debuerunt, ut sub specie sensibili hominibus apparerent, et de istis potissimum quæritur; An vera corpora ab ipsis assumpta fuerint, et quomodo.

III. *Corpora* autem ista, in quibus apparebant, nec erant inania spectra et phantasmata, quibus hominibus illuderent, nec corpora propria sibi hypostatice unita, sed *œconomica* et mutuatitia, ex Dei præscripto, libera voluntate, ministerii, quod ipsis demandabatur, peragendi gratia ad tempus assumpta.

IV. Qualia autem illa fuerint, et unde assumpta, An ex nihilo, vel ex materia aliqua præjacente sed inhabili, condita, An ex condensato aëre aptata et coagmentata, An vero ex alia aliqua materia compacta, curiosum est quærere, et temerarium Scriptura tacente definire, et satius est ignorare sine crimine, quam scrutari cum discrimine.

V. Vera corpora Angelos sæpe assumpsisse, sive ea de novo a Deo immediate condita fuerint, sive fuerint corpora hominum viventium jam existentia, in quæ delapsi actiones quasdam œconomicas peragerent, aversa tantisper eorum quorum erant phantasia, ut ipsi nescirent, quid in se et per se fieret, negari non potest; et operationes Angelorum in istis corporibus, et colloquia quæ ipsis intercedebant cum hominibus, et convictus, satis testantur; Ne dicam sanctorum Virorum sensus omnes bene dispositos, nec ulla vana imaginatione delusos hoc agnovisse, ita ut pro veris hominibus non semel habiti sint.

VI. Ita tamen uniti erant illis corporibus, ut propterea homines vere dici non potuerint, quia *unio* non erat *personalis* et *interna*, qualis est animæ et corporis, sed *externa* et *accidentalis*, ad modum *formarum assistentium*, ad se manifestandos, ut motores uniuntur mobili, corpora illa tanquam vestes induendo et deponendo, ut ait *August.*, quibus uterentur ad ministeria sua, non tanquam compartibus, sed ut instrumentis ad opus suum exequendum. Si ergo vocantur אנשים seu *viri*, id fit κατὰ δόξαν, et propter externam

Digitized by Google

formam qua apparebant, non ex rei veritate: Nec tamen propterea imposuisse dicendi sunt Patribus qui ita de illis judicabant, quia non eo animo assumebant, ut simularent se esse homines, vel ut tales se profiterentur, sed tantum ut possent familiariter versari cum hominibus, et sic opus sibi demandatum peragere. Licet ergo Patres potuerint falli circa ipsos, non possunt tamen dici eos fefellisse.

VII. Operationes, quæ ab Angelis in istis corporibus edebantur, quales erant loquela, ambulatio, manducatio, *vitales* non possunt dici *proprie* et *stricte*, quatenus fieri debent *in subjecto vivente*, et animato ab anima corpori hypostatice unita, et illud intime movente, quomodo in solos homines cadunt, quia actus secundus supponit necessario primum. Sed *late* et *improprie* vitale dici nihil obstat, quia sunt efficienter a *principio vivente*. Quoad *comestionem*, si pro *comminutione* cibi simpliciter sumatur, possunt dici comedisse, sed si pro sumptione cibi convertibilis in substantiam, et concoctione ejus in stomacho usurpatur, non potuit in eos cadere.

VIII. Quid vero de corporibus, quæ assumebant, factum fuerit, peracto eo, ad quod mittebantur, opere, superfluum est quærere; cum Scriptura notet tantum ea disparuisse, ex quo Angeli abscedebant, sive corporibus illis in principia sua, unde composita fuerant, resolutis, sive in nihilum redactis, vel, si hominum viventium fuerunt corpora, in pristinum statum restitutis.

IX. Ut vero Deus πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς sese Patribus in V. T. communicare voluit, maxime ante Legem, tempore Patriarcharum, quo Verbum Dei scripto nondum consignatum fuerat, et quo nox adhuc obscura cœlum Ecclesiæ occupabat; Ita mirum non est, si frequentius tunc temporis istis Angelorum apparitionibus uti voluit, ad fidelium consolationem, et fidei confirmationem; Sed nunc, ex quo clarum Evangelii jubar exortum est, Filio Dei, Angelorum Domino, in carne manifestato, in quo Deus nos alloquitur; Ex quo Spiritus S. copiosissime in Ecclesiam effusus est, et Scripturæ Canon clausus est et obsignatus, minus necessaria fuit ista dispensatio, quia Ecclesia non eget amplius talibus subsidiis. Hinc factum, ut licet sub initium Evangelii aliquæ adhuc fuerint ἀγγελοφάνειαι, ad ministerium Christo exhibendum, et fidem doctrinæ ipsius faciendam; postea tamen confirmato Evangelio desierint, ut, quamvis invisibili utatur semper Angelorum ministerio, sive in Ecclesia, sive in Mundo, non amplius tamen, vel rarissime eos conspicuos hominibus reddiderit.

QUÆSTIO VII.

DE ORDINIBUS ANGELORUM.

An inter Angelos detur aliquis ordo, et An distinctæ sint inter ipsos Hierarchiæ? Pr. Aff., Post. Neg., cont. Judæos et Pontificios.

I. Ut Quæstio de *Ordinibus Angelorum* bifariam potest intelligi, vel de *Ordine simpliciter*, qui inter æquales natura obtinet, An aliquis detur ordo inter Angelos; Vel de *Ordine excellentiæ* seu *potestatis* et *jurisdictionis*, An talis sit ordo, per quem unus Angelus altero, non modo differat specie, sed vim et authoritatem habeat in eum, unde certæ oriantur Hierarchiæ; Ita ad eam distincte responderi debet.

Dari ordinem inter Angelos, Sed quis sit, ignorari.

II. Nam ad primam quod attinet; Non negamus aliquem inter Angelos bonos ordinem dari, cum in cœlo nulla sit ἀταξία; Et nomina *Exercituum cœlestium*, ut et *Throno-*

Digitized by Google

rum, *Dominationum* et *Potestatum*, *Archangelorum*, *Angelorum*, tale quid satis aperte videantur insinuare; sive ille ex diversitate officiorum ipsis impositorum, sive ex mero Dei arbitrio pendeat. Respectu vero malorum, res etiam indubia est, quia sit sæpe mentio *Principis dæmoniorum* in Scriptura, cui tribuuntur Angeli, quum *ignis æternus* dicitur *paratus Diabolo* et *Angelis ejus*, Matth. xxv. 41. Sed quis et qualis sit ille ordo, Scriptura tacente, nemo curiosius inquirere, multo minus temere definire debet, quæ est sententia *Augustini* contra Priscillian. c. xi. "Esse" inquit "sedes, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus firmissime credo, et differre inter se aliquid indubia fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse Doctorem, quænam ista sint, et quid inter se differant nescio:" Et horum disquisitionem damnans ait, "magis in istis temerariam præsumptionem, quam cautam ignorationem culpandam videri." Et alibi, Enchir. cap lviii. loquendo de variis nominibus a Paulo illis datis; "Quid inter se distent hæc vocabula, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt, ego me ista ignorare profiteor."

III. Sed non ea mens est Pontificiis, et Scholasticis inprimis, qui ut facilius Hierarchiæ Ecclesiasticæ suæ figmentum obtrudant, aliam in cœlis Angelorum Hierarchiam sunt commenti, cujus ordines, et officia, ac proprietates ita describunt, quasi per multos annos in cœlis versati, totam istam politiam accurate didicissent. Cujus sententiæ authorem prædicant *Dionysium Areopagitam*, falso ita dictum, qui Angelos omnes *in tres classes*, sive *hierarchias*, quas appellat τρεῖς τριάδας διακοσμήσεις, *supremam*, *mediam*, *ultimam*, quæ rursus ternos ordines sub se complectantur, ut in universum sint novem ipsorum ordines, et in singulis sedibus rursus multa Angelorum millia. In suprema collocat *Cherubinos*, *Seraphinos*, et *Thronos*; In media *Dominationes*, *Principatus*, *Potestates*; In infima *Virtutes*, *Archangelos*, *Angelos*. Denominationes autem istas illis impositas vult secundum proprietates in quibus eminent, vel secundum officia quæ illis committuntur; *Cherubinos* dictos esse, qui lumine scientiæ excellunt, et qui alios illuminant sapientia; *Seraphinos*, qui amore divino maxime flagrant, et alios incendunt; *Thronos*, qui gloriam et æquitatem judiciariam contemplantur, et alios regunt judicio. In secunda classe *Dominationes* regunt officia Angelorum; *Principatus* præsunt populis et provinciis; *Potestates* coërcent potentiam Diabolorum. In tertia *Virtutes* habent sibi delegatam operationem miraculorum; *Archangeli* nunciationem in majoribus negotiis; *Angeli* in minoribus. Ita autem distingui putat Angelos pro ratione cognitionis, quod primi ordinis Angeli Deum intueantur, et ex Dei contemplatione percipiant rationes rerum; Secundi vero ordinis cognoscant causas universales secundum Deum; Tertii vero ordinis colligant causas rerum, quomodo colliguntur ex consideratione causarum proximarum, quæ particulares sunt. Quæ omnia prædictus *Dionysius* habet *lib. de Hierar. cœlesti*, a quo *Damascenus*, *Magister Sententiarum*, *Thomas*, et *Scholastici* omnes eadem hauserunt.

Quales sint Hierarchiæ Dionysii.

IV. Hisce vero jam præluserant Judæi, qui itidem in varios ordines Angelos tribuunt, decem eorum Hierarchias constituentes, qui sapientia, dignitate, et potestate ab invicem sint discreti, quorum supremi infra Solium majestatis sint, infimi vero cum hominibus conversentur, et cum iis aliquando loquantur. Et inter *superiores*, quos volunt denotari per *primarios principes*, Dan. x. 13, et per *adstantes*, Isa. vi. 2, et Dan. vii. 16, similitudine ducta a primariis servis, seu ministris Regis, qui dicuntur *adstare coram eo*, et *videre faciem ejus*, pertendunt dari septem præcipuos

Digitized by Google

et eminentiores, ut inter Ministros Regios dantur quidam intimæ admissionis, quod videtur haustum ex Tobi. xii. 15, ubi *Raphaël* dicit se "esse unum ex septem Angelis sanctis, qui referunt preces Sanctorum, et egrediuntur coram gloria Sancti;" Sed hæc omnia figmenta sunt hominum, otio et ingenio suo abutentium, qui "temere se ingerunt in ea quæ non viderunt, inflati carnis suæ sensu," Col. ii. 18.

www.libtool.com.cn

Qui non est Areopagita.

V. Nec difficile est hoc agnoscere illi qui rem paulo attentius perpendere voluerit. Nam, ut de *Dionysio* illo, qui cœlestis istius Hierarchiæ author perhibetur, aliquid obiter observemus, falso nomen *Areopagitæ* illi tribui multis argumentis constare potest, et nihil minus esse, quam illum de quo, Act. xvii. 34, narrat Lucas Paulo prædicanti adhæsisse, quicquid *Baronius*, *Possevinus*, *Bellarminus*, et alii ex Pontificiis in contrarium afferant, quibus opponere possumus, 1. Testes domesticos, qui non modo dubitarunt de hujus commenti veritate, sed et aperte fassi sunt Dionysium hunc alium esse ab Areopagita, et longe recentiorem, quales sunt *Cajetanus* Cardin. in Act. xvii., *Godellus* Episcopus Venciensis, hist. Eccles. Galli. l. i. an. c. 99, cujus verba referre, quia paucis multa complectuntur, non pigebit. "De libris," inquit, "qui Dionysii nomine circumferuntur, valde diversa sunt hominum judicia, mihi docti pene omnes dubitare videntur, an vere sint Dionysii; negari profecto non potest, quin ab Apostolici illius seculi simplicitate magnopere sit alienus Scriptoris stylus, sequiorum temporum Platonismum redolens, sed neque facile fuisse videtur, ut illius ævi, quo vixisse author dicitur, Ecclesia omnes illas cærimonias jam usurparit, quas ille narrat atque exponit mirabiliter, quod eam disciplinam et ab initio statim coortæ persecutiones observari prohibuerunt, et serius revera institutam fuisse ex scriptoribus appareat." In eadem sunt sententia *Sirmondus*, dissert. de duobus Dionys. cap. 8. *Petavius*, To. iii. Theol. dogma. lib. ii. cap. 1. *Launoyus* Sorbonæ Doctor in vita Dionys. Areop. *Morinus* de Ordi. p. ii. c. 1, et alii, ut hic *Erasmum*, *Vallam*, *Rhodiginum*, *Nicol. Fabrum*, et plures alios non recenseam, qui idem censuerunt.

VI. Secundo, Si quid ab Areopagita tale scriptum fuisset, dubium non est, quin e tam multis, tamque diversis Græcis Latinisque Scriptoribus, aliqui, imo plures futuri fuissent, qui istiusmodi libri, et Authoris nomine et suopte ingenio ac merito celebratissimi, facturi fuissent alicubi mentionem, ut et aliorum ejus scriptorum; cum tamen per quinque circiter secula, penitus ignota fuerint, et indicta; Unde nec *Eusebius* in historia, nec *Hieronymus*, nec *Gennadius*, qui Veterum libros diligentissime collegerunt, ullam horum librorum mentionem faciunt. Et ex *Irenæo*, *Augustino*, *Cyrillo Hierosolymitano*, et aliis, facile ostendi potest inauditam fuisse totam illam cœlestem Hierarchiam. Tertio, stylus librorum hoc ipsum confirmat, qui non est simplex et inaffectatus, conveniens sermoni Apostolorum, vel Virorum Apostolicorum, sed turgidus, inflatus, et argutus, in quo Author sublimitatis speciem captando, vitiosam quandam grandiloquentiam sectatus est, et, ut vere observat Maximus, *διὰ πολυπληθίας λέξεων σκοτοῖ τον λόγον, congestis verbis multis obscurat sermonem*, et consueta atque usu Ecclesiæ recepta vocabula studiose refugit, tanquam ad illum quem quærebat *ὕψος* parum accomodata, in verbis fingendis, in epithetis expoliendis, in sensibus exaggerandis, et sermone toto ad pompam componendo potissimum laborans, a quo studio Apostolicos Viros plurimum abhorruisse constat. Quarto, in li. de Hierar. cœl. multa scribit de *Templis*, de *Altaribus*, de *Locis Sacris*, de *Choro*, de *Catechumenis* extra fores Templi statuendis, quæ locum habere non poterant ætate veri Dionysii, cum coge-

Digitized by Google

rentur Christiani in locis occultis convenire propter persecutiones, et ibi preces et concionés habere, ut ostendit *Hospinianus* de Orig. Templ. cap. 5. Idem liquet ex eo quod dicit de *Monachis*, et eorum consecratione, cap. 6, quos nullos dum fuisse inter Christianos, non possunt diffiteri Adversarii, qui Paulum et Antonium primos Monachorum Patres fuisse scribunt, quos certum est aliquot post Areopagitam seculis vixisse. Alia plura argumenta huc facientia omittimus, quæ videri possunt apud *Rivetum* in Critico sacro, *Casaubonum* in Baro. Appa. i. S. 99, et inprimis *Joh. Dallæum*, qui peculiari tractatu hoc argumentum solidissime est executus, et clarissime demonstravit, non ante quintum seculum, libros, de quibus agitur, scriptos fuisse, et ut major illis authoritas conciliaretur, eos sub nomine Dionysii Areopagitæ Authorem edidisse et venditasse.

Commentum Hierarchiæ cœlestis refutatur.

VII. Sed propius vanitas Hierarchiæ istius cœlestis, quam Pseudo-Dionysius excogitare voluit, aperienda est. Primo, quia altum de ea apud Paulum est silentium, a quo tamen ille se eam accepisse jactat. Angelorum quidem plura nomina et diversa passim usurpat; novem autem esse eorum ordines in tres classes ita distributos, ut tres singulis classibus contineantur, et quicunque prima continentur, eos vel Thronos esse, vel Seraphim, vel Cherubim, Paulus nusquam definit, ac ne levissime quidem, vel uno verbo ita definienda decernit. Nec confugiendum est ad traditionem ἄγραφον, quasi viva voce, non scripto, suos discipulos hæc mysteria docuerit, quia supponitur gratis dari talem aliquam traditionem; Et falsum etiam esse ex eo deprehenditur, quod nec Timotheus, nec Titus, nec alii Pauli discipuli, quibus proculdubio hæc tradidisset, non minus ac Dionysio, nihil de illis scriptum reliquerunt. 2. Si ex variis appellationibus variæ sunt instituendæ Hierarchiæ, ternarius triplex non sufficeret, Angeli enim vocantur etiam *Vigiles*, *Exercitus Dei*, *et Filii Dei*, &c. 3. Omnes hos ordines perturbat Apostolus, quum omnes vocat *spiritus administratorios*, Heb. i. 14, qui si ad inferiorem classem detrahantur, peribit vis argumenti Apostoli, quo probare satagit Angelos Christo non esse æquandos, quod de omnibus omnino est intelligendum. 4. Nullæ proprietates ex notatione vocum istarum eruuntur, quæ omnibus Angelis non sint communes, omnes enim vident Deum, et fervent ejus amore, omnes etiam mittuntur. 5. In prima Hierarchia locantur illi qui semper Deo adstant, et nusquam mittuntur in mundum; At in Scriptura Cherubim et Seraphim leguntur missi, et versantes in terris, Isa. vi. 6, Gen. iii. 24. 6. Hæc Platonicam scholam sapiunt, non Paulinam; sic enim distinguebant Genios suos in superocœlestes, cœlestes, et subcœlestes, ut videre est apud *Iamblicum* in mysteriis Ægyptiorum, et apud *Proclum* in Alcibiadem Platonis.

VIII. Variæ appellationes quæ tribuuntur Angelis ab Apostolo, Col. i., non probant varias classes Angelorum, quia non obtinet ibi ille numerus quem jactant, nulla enim eo loco mentio fit Cherubinorum, et Seraphinorum, nec Archangelorum, aut Angelorum; sed ita loquitur, vel ex hypothesi Platonica Angelicorum, contra quos disputat, qui talibus epithetis ornabant Angelos ad multiplices ordines eorum notandos; Vel sunt beatorum istorum spirituum elogia, quæ faciunt, Tum ad celebrandam Dei majestatem, Regio quasi satellitio stipatam, hi enim inter Reges eminent, qui apparitores habent alios Reges et Principes; Tum ad commendandam dignitatem naturæ Angelicæ, et denotandam multiplicem officiorum, ad quæ vocantur, varietatem et efficaciam, nominibus petitis ab iis, quæ inter homines ad designandam varietatem munerum et dignitatum obtinere solent. Nam in politia sunt *Throni*, quales sunt Regum et Monarcharum,

Digitized by Google

sunt κυριότητες, quales sunt Regulorum, sunt ἀρχαί, quæ præficiuntur a Regibus et Regulis, Provinciis et Urbibus, sunt denique ἐξουσίαι, Magistratus scilicet infimo loco constituti, qui etiam nomine *Podestà* apud Italos veniunt. Hinc ergo potest quidem colligi dari ordinem aliquem inter Angelos, sed quis ille sit exinde definiri nequit: Unde alibi Paulus, Eph. i., neglecto quem hic sequitur ordine, meminit quidem *Principatuum*, *Potestatum*, *Dominationum*, sed non *Thronorum*.

IX. Quum, Apocal. xii. 7, mentio fit *Michaëlis et Angelorum ejus*, qui pugnarunt cum Dracone, nihil exinde potest colligi pro cœlesti Hierarchia. 1. Quia per *Michaëlem* bene potest intelligi *Christus* ipse Angelorum Dominus, qui est revera *sicut Deus*, sive par Deo, Dux et Princeps militiæ cœlestis, Jos. v. 13, Is. lv. 4, Heb. ii. 10, quod postulat antithesis ex loco Pauli, Rom. xvi. 20, et confirmat primum oraculum Evangelicum, Genes. iii. 15, quo nomine etiam videtur designari, Dan. xii. 1. Nec aliter exponi debet Dan. x. 5, 6, 21, ubi de Michaële agitur, collat. cum Apoc. i. 13, qui dicitur *unus ex primariis Principibus*, v. 13, quia est caput et princeps Angelorum. Eodem sensu mentio fit, Jud. 9, *Michaëlis Archangeli qui certavit de corpore Mosis cum Diabolo*, quod de Christo dici, vel ex eo patet, quod tribuitur Jehovæ, Zach. iii. 2, quod hic Michaëli adscribitur, *Increpet te Jehovah*. Quod vero dicitur non ausus esse *pronunciare maledictionem*, hoc non factum est per impotentiam, sed per moderationem, non metu Legum a maledictis abstinens, sed se ipse comprimens, ut nobis patientiæ exemplum præberet. Sic non raro *audere* pro *sustinere*, et *velle* aliquid, ponitur. 2. Si Angelus creatus intelligitur, ut fit a variis, designavit nomen hoc ordinem temporarium, et munus aliquod illi commissum ad exequenda judicia Dei per certam œconomiam, quod legatione peracta rursus ponitur, sed inde non potest inferri ordo potestatis et jurisdictionis perpetuæ.

X. *Archangelus* de quo agitur, 1 Thess. iv. 16, non est Angelorum omnium Princeps, sed insignis Majestatis Christi inter Angelos quasi anteambulo, et voluntatis promulgator, ad similitudinem Regum terrenorum; Nec sine ratione articulus τοῦ videtur omissus, ne quis hinc statueret singularem et unicum in omnes Angelos Principem.

XI. Licet inter malos Angelos detur unus, qui supra reliquos eminet, qui dicitur *Diabolus*, *Satan*, *Draco*, *Beelzebub*, *Deus hujus seculi*, *Princeps mundi*, Non sequitur bonis etiam unum Angelum inter cæteros præesse; hæc enim præfectura rectius dicitur Christi privilegium, Coloss. i. 18.

QUÆSTIO VIII.

DE ANGELORUM MINISTERIO.

Quare, Et ad Quid Deus utatur Angelorum ministerio? Et an unicuique fidelium certus Angelus custos perpetuus assignatus sit? Neg.

I. Deum uti Angelorum ministerio nemo dubitare potest, cum vocentur πνεύματα λειτουργικὰ, Hebr. i. 14, *Ministri Dei*, Ps. civ. 4, qui continuo adstant coram ipso, et illi ministrant, Dan. vii. 10, et faciunt voluntatem ejus, Psal. ciii. 21. Sed quare eorum opera uti voluerit quæri potest.

Quare Deus utatur ministerio Angelorum.

II. Ratio multiplex reddi potest; Non *necessitatis* et *indigentiæ*, quasi illis egeat, solus enim sibi sufficit, et ut solo Verbo omnia condidit, solo etiam eo posset omnia regere; Sed *indulgentiæ* et *charitatis*. 1. Ad *bonum ipsorum Angelorum*,

Digitized by Google

quos Deus hoc honore dignatur, ut Deus veluti suos συνεργοὺς in regimine mundi esse velit. 2. Ad *fidelium solatium*, qui exinde norunt quantum Deo curæ sint, cum ad salutem suam promovendam ministerio creaturarum, non tantum corporearum, sed et spiritualium, se quoad naturam longe præstantiorum, uti velit. 3. Ad *amicitiam inter Angelos et homines* fortius *conciliandam*, beneficiorum enim et officiorum mutuorum collatione amicitias coalescere et augeri constat. 4. Ad σύστασιν Universi, ut ita creaturæ omnes superiores et inferiores, visibiles et invisibiles, sibi invicem respondentes, et inter se certis quibusdam officiorum vinculis nexæ, harmoniam mundi firmius stabilirent. 5. Præcipue ad *Dei ipsius gloriam*, qui ultimus est et præcipuus omnium operum ejus finis, quæ maxime elucet ex ministerio tam nobilium Creaturarum.

Et ad quid. 1. respectu Dei, ad eum laudandum.

III. Multiplex vero eorum officium notatur in Scriptura, 1. respectu *Dei*, 2. *inter se*, 3. respectu *Mundi*, 4. respectu *hominum*. Primo, *respectu Dei*, quatenus occupantur in Deo perpetuo celebrando, et adorando, quo pertinet *Trisagion Seraphicum*, Isa. vi., quod repetitur in Apoc. c. iv. 8, et vii. 11, 12, et Canticum quod in nativitate Christi accinunt, Luc. ii. 13, 14. *Gloria in excelsis Deo, in terra pax, erga homines benevolentia*, ad quod officium etiam invitantur, Psal. xcvii. 7, et ciii. 20, et cxlviii. 2; quo respiciens Greg. Nazianz. vocat eos ὑμνῳδοὺς τῆς θείας μεγαλειότητος, et Theodor. Serm. 3, de Angelis, ἡ ἀγγέλων λειτουργία ἐστὶν ὑμνῳδία. 2. In *obsequio* sancto, prompto, et pleno, quod illi exhibent, Psal. ciii. 20. Unde dicuntur *adstare coram ipso*, ut apparitores et ministri, et *videre ejus faciem*, ad ejus mandata capessenda et exequenda, "Millies milleni serviunt ei, et myrias myriadum coram eo stabant," Dan. vii. 10. "Vidi Jehovam insidentem solio suo, et totum exercitum cœli adstantem ei a dextra ejus, et a sinistra ejus," 1. Reg, xxii. 19. Eo spectant *alæ*, quæ ipsis tribuuntur, Is. vi.; ut enim duabus, quibus *velabant faciem* suam, summa eorum *reverentia* erga Deum notatur, qua tantæ majestatis fulgorem sustinere non possunt, et duabus, quibus *pedes tegebant, sanctitatis* immaculatæ *studium* innuitur, partes eas, quas velari in hominibus jubet pudor, et quæ infirmitates eorum relate ad Deum, Job. iv. 18, designant, velando; Ita *duæ*, quibus *volabant, celeritatem* eorum, et zelum in exequendis Dei mandatis adumbrant. Huc referendum ministerium ab ipsis Christo, ceu Capiti et Domino suo exhibitum, tum in ejus adoratione, qua defuncti sunt a principio, ex Dei mandato, *adorent eum omnes Angeli*, Hebr. i. 6, et quo quotidie defunguntur, Apocal. v. 11, 12, tum in actuali ministerio, quod illi exhibuerunt in conceptione, Luc. i., in nativitate, Luc. ii., in tentatione, Matth. iv., in agonia, Luc. xxii., in resurrectione, Matt. xxviii., in ascensione, Act. i., et quod exhibituri sunt ultimo die, quum eum comitabuntur in novissimo suo adventu, *Veniet enim cum Angelis potentiæ suæ*, 2 Thess. i. 7.

et illi obsequendum.

2. respectu sui.

IV. Secundo, *respectu sui*. Ut enim sunt cœlestis Societas bene ordinata, dubium non est, quin variis erga se invicem defungantur officiis, per mutuam rerum vel cognoscendarum vel faciendarum communicationem; licet a nobis sciri non possit, quis et qualis sit istius communicationis modus: hinc dicuntur, Isa. vi. 3. *clamare alter ad alterum*, quasi seipos ad laudes Dei celebrandas excitando. Et alibi colloquentes inter se introducuntur, apud Zachar., et Johann. in Apoc.

V. Ex Dan. x. 13. nulla potest colligi pugna et dissidium inter bonos Angelos. Nam *Princeps Regni Persarum* qui restitisse dicitur Angelo Gabrieli, non est bonus aliquis Angelus a Deo præfectus regno Per-

Digitized by Google

sarum, qui omnia moliretur, ut perpetuo Judæi sub Persis manerent, quia nihil aggredi potuisset sine Dei mandato, qui voluit eos ex captivitate liberare, sed optime refertur ad *Cambysem* Cyri filium, qui dum Pater trajecto mari pugnabat in Asia et contra Scythas, infestus erat Judæorum restitutioni, et crudele edictum tulerat, ne pergerent Judæi in Templo extruendo. Unde necesse fuerat Angelum Gabrielem ibi aliquandiu morari, ut Cambysis furorem compesceret, ne scilicet magis ac magis sæviret in populum Dei, quod confirmatur v. 20. ubi idem Angelus ait, quod *reversurus esset ad pugnandum cum Principe Persarum, et quod ubi egressus erit, Princeps Javan sit venturus*, nimirum ut innuat se operam suam adhuc ex ordine Dei collocaturum, in cohibenda crudelitate Regis Persarum contra populum Dei, interea dum Princeps Javan, id. Græcorum, scilicet Alexander Magnus, venturus esset, qui Regnum Persicum evertere debuit.

3. Resp. Mundi. VI. Tertio, officium Angelorum circa *Mundum*, non in eo situm est, ut orbes cœlestes moveant, quod voluit Aristoteles, sed ut res creatas, et earum ordinem tueantur et conservent Providentiæ Divinæ ministrando, quo pertinent *Angeli descendentes* et *ascendentes*, qui in Scala Jacobi visi sunt, et quod Psalm. civ. dicitur Deus facere *ventos Angelos suos* et *flammam ignis Ministros suos*. Unde Athenagoras in legatione sua pro Christianis, ait, πλῆθος ἀγγέλων καὶ λειτουργῶν φαμὲν οὓς ὁ ποιητὴς καὶ δημιουργὸς κόσμου θεὸς, διὰ τοῦ παρ' αὐτοῦ λόγου διένειμε, καὶ διέταξε περὶ τὰ τε στοιχεῖα εἶναι, καὶ τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὸν κόσμον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν τούτων εὐταξίαν; hinc Apoc. xiv. 18, agitur de Angelo, qui *potestatem habuit in ignem*, et cap. xvi. 5, de *Angelo aquarum*. Imo Deus non raro iis utitur ad tutelam Regnorum et Imperiorum, ut liquet ex Dan. x. et xi.

4. Resp. hominum. VII. Quarto, *respectu hominum*, tam bonorum, quam malorum; Et circa *malos* quidem in judiciorum Dei inflictione, ut patet in Sodomitis, Genes. xix. 11; Ægyptiis, Exod. xii. 29; Exercitu Senacheribi, 2 Reg. xix. 35, Isa. xxxvii. 36; Nebucadnetzare, Dan. iv. 13, 14, 23, 31; Herode, Act. xii. 23; et reprobis, quos ultimo die in pœnas æternas conjicient, Matt. xiii. 41, 42.

VIII. Circa *Electos et fideles* sive in illis castigandis, exemplo Davidis et populi ejus, 2 Sam. xxiv. 16, sive in beneficiis Dei dispensandis ad salutem eorum promovendam, Hebr. i. 14. Trifariam autem piis *benefaciunt*, 1. *docendo;* 2. *consolando;* 3. *custodiendo;* 1. *Docendo*, quum Deus iis utitur ad monendos fideles de officio suo, vel de rebus futuris, ut variæ ἀγγελοφάνειαι eo tendunt in V. T., Genes. xvi., xviii., xix., xxviii., xxxii.; Dan. vi., ix., x., xi.; Zachar. i., ii.; Ezech. i.; et in Novo funguntur munere Evangelistarum, Luc. i. 11, et ii. 10, nunciando Christi nativitatem, prædicando ejus resurrectionem, Matth. xxviii., et ascensionem, Act. i., et in Apocal. Johannem monent de rebus futuris. 2. Eos *consolando*, tum adversus mala præsentia, tum adversus pericula imminentia; exempla obvia sunt in Agare, Gen. xvi.; Jacobo, Gen. xxxii.; Daniele, Dan. x.; Elia, 1 Reg. xix.; Maria, Luc. i.; Apostolis, Matth. xxviii. 3. *Custodiendo*, quia castrametantur circa timentes Dominum, Psalm. xxxiv. 7, Genes. xxxii., protegunt eos, Psalm. xci. 11, pugnant pro ipsis, Dan x. 13, custodiunt infantes, Matth. xviii. 10, liberant fideles a manu inimicorum, a carcere, a morte, a periculis imminentibus, ut patet in Loto, Gen. xix. 15, 16, 17; Elizæo, 2 Reg. vi. 17; Jerosolymitanis, 2 Reg. xix. 35; tribus Sociis Danielis, Dan. iii. 25, 28; Daniele ipso, cap. vi. 22; Apostolis, Act. v. 19; Petro, cap. xii. 7. Eo pertinet etiam ministerium, quod fidelibus

Digitized by Google

in morte præstant, animas eorum in sinum Christi deferendo, ut anima Lazari ab ipsis in sinum Abrahæ deportata est, Luc. xvi.; Et quod ipsis in consumatione seculi sunt exhibituri, congregando fideles, ut sistantur Christo glorificandi.

An Angelus custos detur unicuique ab ortu.

IX. Huc refertur Quæstio de *Angelo custode*: An singulis fidelibus certus assignetur a Deo aliquis Angelus ab ipsa nativitate, qui perpetuus sit eorum comes et custos usque ad mortem; quæ recepta est apud Pontificios sententia, cui religiosum Angelorum cultum, et nominatim Angeli comitis quotidianam venerationem superstruxerunt. Nos vero, licet agnoscamus Angelos in custodiam et præsidium dari fidelibus, ut antea probatum; Nec diffiteamur certos Angelos posse subinde destinari et mitti ad fideles, vel ad revelanda quædam Dei mysteria, vel ad eos solandos et protegendos, ut visum in Patriarchis sæpius, in Daniele, Josepho, Maria, et aliis: Negamus tamen recte inde colligi posse Angelum custodem et tutelarem cuique esse assignandum, vel sententiam istam, quamvis variis Patribus non displicuerit, tanquam ἔγγραφον recipi posse.

Negans sententia probatur.

X. Rationes sunt, 1. Quia Scriptura, quæ toties de ministerio Angelorum erga fideles loquitur, nuspiam tamen meminit Angeli custodis, quod tamen non reticuisset, si certum est cuique fidelium ab ipso ortu certum aliquem Angelum assignari, qui perpetuo eos comitetur, et eorum curam gerat. Imo dum Spiritus hos a Deo libere huc illuc mitti testatur ad ministerium eorum, qui salutem hæredare debent, Hebr. i. 14, satis innuit certis hominibus non esse alligatos et obnoxios.

XI. 2. Quia unus Angelus sæpe ad multorum fidelium custodiam mittitur, et plures uni destinantur. Unus Angelus obsidione Jerosolymam solvit, Is. xxxvii.; unus Angelus castrametatur circa timentes Dominum, Psalm. xxxiv. 7. Plures etiam sæpe uni destinantur, *Angelis suis præcipiet de te, ut te custodiant in omnibus viis tuis*, Psal. xci. 11; circa Elisæum mons plenus erat equis et curribus igneis, 2 Reg. vi. 17; Jacobo *obviam veniunt Angeli Dei, dixitque ille, quum videret eos, Acies Dei hæc est*, Gen. xxxii. 1, 2.

XII. 3. Quia hæc sententia originem habet Paganam: Notum enim Ethnicos, unicuique homini peculiarem Genium seu Dæmonem datum esse censuisse, quo spectant ista Ariani in Epicte. lib. i. cap. 14, Θεὸς, inquit, ἐπίτροπον ἑκάστῳ περίστησε τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάττειν αὐτὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτον ἀκοίμητον, καὶ ἀπαραλόγιστον, "Deus præfectum unicuique imposuit peculiarem Dæmonem, et ei tradidit eum custodiendum, eumque pervigilem, et qui falli non posset." Quod confirmant versus Menandri apud Ammia. Marcelli. li. xxix. 5, 13.

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ
ἄπαντός ἐστι μυσταγωγὸς τοῦ βίου,

Cuique homini statim atque natus est dæmon est totius vitæ ductor. Nec alieni fuerunt Judæi ab hac sententia, a quibus ad Christianos transiit, quæ proinde merito suspecta nobis esse debet, eo vel magis, quod non parum superstitioni Pontificiæ super ϑρησκείᾳ Angelorum obstetricetur.

XIII. Loca duo Scripturæ, quæ vulgo ad ejus confirmationem afferri solent, non possunt eam probare. Nam quod Matt. xviii. 10. *Angeli parvulorum, &c.* dicuntur, bene ostendit Angelos parvulis non minus ac adultis dari ad custodiam: Sed non potest colligi certum et peculiarem quendam

Digitized by Google

datum esse singulis infantibus Angelum in perpetuum custodem; non dicitur *definite* Angelum uniuscujusque ex illis parvis, vel singulos Angelos singulorum parvulorum, videre faciem Dei, sed *indefinite* tantum *Angelos eorum*, sive plures uni assignentur, sive unus pluribus, nimirum ut innuatur eos sub Angelorum tutela in genere asservari.

www.hpbook.com.cn

XIV. Non melius hoc evincitur ex Act. xii. 15, ubi mentio fit *Angeli Petri*. 1. Quia non est vox Scripturæ, sed nonnullorum, qui ita loquuntur, ut Judæi, conversi quidem, sed non satis in doctrina Christiana adhuc instituti. Nec si hoc refertur a Luca, non statim ab eo probatur, cum multa sic proponantur in Scriptura, narrative, non approbative. 2. Si verba ad Angelum referantur, bene inde colligi potest, Angelum aliquem adfuisse tunc Petro, sed non certum aliquem et perpetuum custodem illi datum, quia dicitur *supervenisse*, v. 7, ut quum *Medicus* et *famulus Regis* dicitur, non certus quispiam intelligitur, sed indefinite is, qui id muneris obit, quod multi successive possunt obire. 3. Pro confesso sumitur quod est controversum, agi hic de Angelo proprie dicto; cum nihil obstet vocem ἀγγέλου hic pro *nuncio* sumi, ut hoc sensu non raro usurpatur, Matth. xi. 10, Luc. vii. 24, 27, et ix. 52, q. d. *nuncius est ab eo missus*, de eo aliquid nunciaturus, ut qui sunt in vinculis solent sæpe nunciis uti, qui significent, quo in statu res ipsorum sint. Nec obstat quod Rhode ancilla dicatur *vocem Petri* agnovisse, quia in eo non impetravit fidem, et fieri potuit, ut Petri injecta mentione a Petri nuncio, qui cum illa loquebantur putarint eam secius rem accepisse.

XV. Quod dicitur, 1 Cor. xi. 10, *mulierem potestatem habere debere in capite propter Angelos*, ostendit quidem Angelos cœtibus sacris interesse, et testes esse pietatis, vel impietatis, humilitatis vel impudentiæ hominum, qui iis interadsunt, quos propterea mulieres revereri debeant. Sed nihil hinc exculpi potest pro Angelo custode, quasi certus aliquis Angelus singulis datus sit.

Quædam hic dicenda essent de *confirmatione bonorum Angelorum*, et de *peccato malorum;* sed de illa quidem actum jam est superius, L. IV. Q. 8, de isto vero agetur postea Loco de *Peccato*.

QUÆSTIO IX.

DE INTERCESSIONE ET CULTU ANGELORUM.

An Angeli sint Intercessores nostri apud Deum, Et An cultus aliquis religiosus illis debeatur? Neg., contra Pontificios.

I. Ex Ministerio Angelico, de quo actum fuit antea, duplex adhuc oritur Quæstio: Prima de *eorum Intercessione*, An eorum officium extendatur ad id, ut nostri sint apud Deum Intercessores et μεσίται, qui vel precentur pro nobis, vel preces nostras Deo offerant, et precibus et meritis suis acceptas reddant? Altera de *eorum Cultu*, An aliquis cultus religiosus illis debeatur? De utraque paucis agemus.

II. Quoad primam; Quæritur, An ad Ministerium Angelicum pertineat quædam eorum Mediatio et Intercessio, qua non modo precentur pro nobis, sed etiam preces nostras ad Deum deferant, et patrocinio suo ac precibus nos Deo acceptos et commendabiles reddant? Pontificii affirmant; Nos negamus.

Digitized by Google

Angeli non sunt Intercessores nostri.

III. Primo, Quia Ille solus pro nobis potest intercedere, qui pro nobis est mortuus; Ille solus potest esse παράκλητος, et advocatus noster, qui solus est ἱλασμὸς et propitiator: hæc enim ab Apostolo inter se indivulso nexu conjunguntur, tanquam partes unius ejusdemque muneris Sacerdotalis, quæ sibi invicem subordinantur, et a se mutuo pendent. Ut enim propitiatio est causa et fundamentum Intercessionis, quam post se trahit necessario: Ita intercessio supponit necessario propitiationem, ut possit rite impleri; Ut sub V. T. Sacerdos non poterat defungi actu ἐμφανισμοῦ, qui non implevisset antea actum ἱλασμοῦ, Et ad ipsum solum pertinebat suffitum offerre, Exod. xxx. At Christus solus satisfecit pro nobis; Ergo solus pro nobis intercedere potest; Vide Rom. viii. 34, 35, et 1 Johan. ii. 1, 2, ubi duæ istæ functiones uni Christo exclusive ad cæteros tribuuntur.

IV. Secundo, Quia preces aliorum Deo offerre est pars muneris Mediatorii et Sacerdotalis, quod soli Dei Filio vindicat Scriptura, qui unicus est Mediator inter Deum et homines, 1 Tim. ii. 5. Nec admitti potest distinctio inter Mediatores secundarios, mediatos, et ministeriales, et primarium, immediatum, et principalem: Cum Scriptura nullum agnoscat Mediatorem nisi unicum, qui solus, urpote θεάνθρωπος, potuit munia Mediatoris obire. Hæc vidit *Hesselius* Professor Lovaniensis in h. l., qui negat Angelos et Sanctos posse esse nostros mediatores apud Deum, quia non possunt per seipsos Deum placare.

V. Tertio, Ille solus preces nostras deferre potest ad Deum, qui earum sordes abluere, et impuritatem et imperfectionem expiare et sanctificare potest, quod nulli Angelo creato competit. Cum enim Deus nihil probare possit nisi bonum, nunquam preces nostræ, quæ suis nævis non carent, illi acceptæ esse possent, nisi merito perfectissimæ Christi justitiæ tegantur, et repurgentur, ut S. Sacerdos V. T. ferre et auferre debuit iniquitatem sacrarum oblationum filiorum Israël, Exod. xxviii. 38.

VI. Quarto, Quia Angeli vel omnes offerre debent, vel quasdam tantum; Si omnes, ergo et eas quæ sunt tantum mentales, quod fieri nequit, quia non sunt καρδιογνώσται; Si quasdam tantum, debent ergo determinari ab illis, et non indefinite offerri; Sed ratio nulla dari potest, cur quædam ab illis deferantur potius quam aliæ. Deinde licet cognoscerent preces quoad τὸ *materiale*, nimirum verba externa, non possunt cognoscere quoad *formale*, scilicet earum sinceritatem, quod Deo soli competit.

VII. Quinto, Quia opinio de Intercessione Angelorum ab Ethnicis petita est, apud quos Dæmones mediatores constituebantur, qui interpretum et portitorum munere fungerentur, ut divina ad homines, et humana ad Deos transmitterent; vide Symposium Platonis, ubi Diotimas instituit Socratem. "Dæmonum," inquit, "natura intermedia est inter Deum et mortalem, Interpretis autem et portitoris munere funguntur, ut humana ad Deum, et divina ad homines transmittant; horum preces et sacrificia, Illorum mandata, remunerationes, et præmia," &c.

Fontes solutionum.

VIII. Quamvis custodia nostri Angelis sit demandata in omnibus viis nostris; non propterea preces nostras Deo offerre debent, quia hoc non facit ullam custodiæ Angelicæ partem, nedum præcipuam.

IX. Angelus qui deprecatur pro populo, Zach. i. 12, non est Angelus creatus, sed increatus, Dei Filius, qui intercessionem suam, et hic et alibi, interponit pro Ecclesia apud Patrem, qui modo vocatur *Angelus* ratione muneris, modo *homo* ratione naturæ assumendæ, qui inducitur orans pro

Digitized by Google

Ecclesiæ restauratione, et stans in procinctu ad pugnandum pro ipsa, et quidem *inter myrtos*, id. in Ecclesia, hac debili in speciem planta, sed pretiosa et semper fragrante et virente, bene adumbrata; cui adjunguntur Angeli varii, ut ministri, qui illi rationem reddere tenentur, v. 11, equorum variorum emblemate descripti, ad multiplicem Dei erga homines dispensationem designandam. Nam ut equi *rufi* notant instrumenta severitatis, *albi* gratiæ; ita *variegati* sunt symbola *correctionis*, quæ benignitate et severitate temperatur.

X. Locus Jobi xxxiii. 23, non facit pro intercessione Angelorum, quia non agitur ibi de *Angelo* secundum naturam, sed tantum secundum *officium*; nec de oblatione precum, quæ fiat Deo a parte hominis, sed de annunciatione voluntatis Dei, quæ fiat homini a parte Dei. 2. מלאך מליץ non bene refertur ad Angelum, quia additur *unus ex mille* ad raritatem istorum monitorum designandam, ut vix ex mille unus reperiatur, vel ad eorum delectum faciendum, cum omnes Angeli sint tales dispensatores, prudentes et fideles, qui hoc possunt sedulo præstare. 3. Commode intelligitur de quovis Dei ministro, qui recte dicitur מלאך, id. *nuncius* seu legatus a Deo missus, ut sæpe alibi, Malac. ii. 7, Apoc. i. 20, et מליץ, id. *interpres divinæ voluntatis*, qui hic inducitur homini peccatorum suorum et pœnarum ac castigationum divinarum sensu dejecto, annuncians ישרו *rectitudinem suam*, id. officium quod Deus ab eo exigit, ut veniam obtineat, nimirum fidem et resipiscentiam, quam sequatur Dei miseratio, et *miserabitur ejus*, scilicet si resipuerit, remittendo ei peccata, et pristinam valetudinem ei restituendo, ut sequentia declarant.

XI. *Angelus* qui, Apocal. viii. 3, dicitur " stare ante aram cum thuribulo aureo, et cui dantur suffitus multi, ut offerat cum precibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante Thronum," non potest esse Angelus creatus, sed increatus, Christus scilicet qui hoc munere fungitur. 1. Quia Angelus iste distinguitur ab aliis septem Angelis, de quibus actum fuit v. 2, et *alius* esse dicitur non tam numero, quam specie, maxime si, ut Lyrano placet, septenario numero Angelorum intelligitur universitas. 2. Quia Angelus iste proponitur ut Sacerdos qui suffitum offert; At Christo soli hoc officium alibi vindicatur, Hebr. ix. 24, utpote qui unus est noster apud Deum Mediator et Advocatus, 1 Timoth. ii. 5, et 1 Johann. ii. 1. 3. Quia agitur de precibus *omnium Sanctorum*, quæ ab Angelo creato offerri nequeunt. 4. Quia dicitur accepisse thuribulum et implevisse illud igne altaris, et projecisse in terram, " unde facta sint tonitrua, et voces, et terræ motus," v. 5, quod Christo demum convenit, qui dicitur " venisse missurus ignem in terram," Luc. xii. 49, 51, propter dissidia et contentiones, quæ propter Evangelium ex hominum malitia natæ sunt, ut idem ignis qui electos fovet et purgat, hostes exurat, et consumat, eadem mors Christi aliis cedat in salutem, aliis in condemnationem. Inducitur ergo hic Christus magnus ille Angelus fœderis, ut summus Pontifex N. Test., qui suffitu suo, id. meriti sui ὠδῇ, preces nostras offert Deo, et acceptas illi reddit, allusione facta ad Sacerdotem typicum Vet. T., qui intercessurus pro populo, thuribulo aureo imponebat thymiamata, quæ gratum Deo odorem exhalare dicebantur. Nec huic expositioni opponi potest, 1. Quod Christus nunquam ita obsolute vocetur; Contrarium enim patet ex Gen. xlviii. 16. 2. Quod distinguatur Angelus iste ab altari aureo, quod sit Christus. Quia certum est multos typos simul ad Christum respicere, ita ut secundum varias σχέσεις, et per Sacerdotem thurificantem, et per Altare, et per Candelabrum, et per panes conspectus adumbretur: *Sacerdos* respectu personæ, *Altare holocaustorum* in Cruce, *suffituum* in Intercessione, *Candela-*

Digitized by Google

brum in Evangelio, *Mensa cum panibus conspectus* in beneficiis quæ nobis communicat. 3. Quod *suffitus illi detur*. Quia ex more V. T. loquitur, ubi odores dari solebant per alium ei qui incensum faciebat. Ita, sicut Christo officium Mediatorium et omnia data sunt a Patre, et Spiritus sine mensura, Matth. xi. 27, Johann. iii. 34, nihil repugnat suffitus illi dari etiam a Deo, et gratiositatem meritis ejus, quo preces Sanctorum acceptæ Deo fiant. Deinde non dicuntur ipsi dati suffitus isti, quod illis egeret, sed ut illos ex officio Patri offerret. Denique observandum visionem istam totam allegoricam esse, quæ nihil aliud ostendit, quam unicum fidelium præsidium in ingentibus calamitatibus, ad quas immittendas Angeli se parabant, fore preces fidelium a Christo oblatas, et propter eum gratas, quas Deus certissime ad ipsorum salutem exauditurus sit.

XII. Locus Tobiæ xii. 15, ubi personatus ille Angelus de quo ibi agitur, sibi officium soli Filio Dei proprium tribuit, dum profitetur se *esse unum ex septem illis Angelis sanctis, qui deferant preces Sanctorum*, quia ex Apocrypho libro petitur, qui mendaciis et superstitionibus scatet, merito rejicitur, non minus enim hic a veritate recessit, quam quum se Azariam esse, Ananiæ magni filium ex filiis Israël profitetur, et, cap. vii., se esse ex tribu Nephtalim, ex captivitate Nineves.

De cultu Angelorum.

XIII. Ut vero Angeli non sunt Intercessores nostri apud Deum, Ita nec censendi sunt objectum cultus religiosi, quod Pontificii vellent, post veteres *Angelicos*, quos, ut ad cultum Angelorum inclinatos hæreticis aggregat *August.*, *li. Quod vult Deum*, hær. 39. Unde secunda oritur Quæstio, circa eorum cultum; de qua observa, Non quæri, An aliquis honor et veneratio debeatur Angelis: Non negamus enim honorem illis exhibendum esse pro ratione eorum dignitatis, ut agnoscamus et celebremus eorum excellentiam, præsentiam revereamur, monitis obtemperemus, exempla imitemur, et intensum ipsorum erga nos amorem, mutuo amore compensemus, quo spectant illa August., de vera Relig. cap. 55, *Honoramus eos non servitute, sed charitate:* Sed agi proprie de *cultu religioso*. Qualiscunque enim sit creaturæ Angelicæ dignitas, pertendimus eos non posse censeri cultus religiosi objectum.

Status Quæstionis.

Angelos non esse colendos probatur. 1. ex Col. ii. 18.

XIV. Rationes sunt. 1. Quia θρησκία seu *cultus* Angelorum expresse damnatur a Paulo, Col. ii. 18, "Nemo vos brabio defraudet pro libidine, in demissione animi, et Cultu Angelorum, in ea quæ non vidit se ingerens, temere inflatus mente sua carnali." Ubi varia latent argumenta, 1. in eo quod Ap. ait eos, qui errorem illum fovebant, fideles καταβραβεύειν, id. *præmium ipsis intercipere*, vel a præmio proposito impedire, scilicet a recta via abducendo, vel a legitima meta et scopo avocando, quia a Christo qui meta est cursus nostri, et ejus vero cultu eos abstrahebant. 2. Dicit *volentes* id facere, ut innuat *cultum* hunc esse *voluntarium*, non imperatum, qui fiat ex propria hominis voluntate et libidine, non autem ex Dei mandato. 3. *Humilitatem affectare*, qui Romanorum etiam hodie prætextus est, et nihilominus *turgere sensu carnis suæ*, quia falsi istius cultus commentum, indicium est superbiæ, qua sapientiores volunt videri Deo. 4. Non *tenere Caput*, quia Christo ipso excidunt, qui alium socium illi in cultu adjungunt. Denique *pedem inferre in ea quæ non viderunt*, jus sibi faciendo loquendi de incognitis, et sua commenta tanquam oracula proferendi.

XV. Nequicquam hic excipitur, 1. A *Perronio*, θρησκείαν seu *cultum Angelorum*, intelligi *originaliter*, non *objective*, non cultum Angelis delatum, sed cultum ab Angelis allatum; scilicet Legem seu Religionem Judaïcam,

Digitized by Google

quæ ministerio Angelorum tradita fuerat, a qua Christianos Paulus vult revocare. R. 1. Quia Paulus loquitur de cultu voluntario, quod ad Legem Mosaïcam, quæ Deum authorem habet, referri nequit. 2. Quia inauditus est vocis istius usus in Scriptura, quoties enim usurpat nomen θρησκείας, ut Act. xxvi. 5, Jac. i. 26, Sapien. xiv. 27, vel significat cultum ab aliquo vel alicui delatum. At hic priori sensu non potest sumi, ergo cultus Angelis exhibitus intelligi debet. 2. Non damnari Angelorum venerationem, sed eam quæ Deo propria est, vel quæ defertur Angelis, omisso Christo, quia dicuntur *non retinere Caput*, vel quæ referatur ad Magorum præstigias, et cultus superstitiosos. R. Quia Paulus damnat omnem θρησκείαν Angelorum absolute, non quæ deferretur ipsis, ut summo Deo, Angelici enim profitebantur se Deum agnoscere, sed ut Mediatoribus, inferioribus Deo, qui ideo dicuntur non retinere Caput, non quod Christum prorsus secluderent, sed quod eum profitendo factis abnegarent, aliud præter ipsum adorationis objectum constituentes, ut Pseudoapostoli, qui circumcisionem urgebant, dicuntur excidisse a Christo, Galat. v. 4, licet Christum adhuc profiterentur.

2. ex Apo. xix. 10, et xxii. 9.

XVI. Secundo, Quia Angelus cultum istum repudiat, Apocal. xix. 10, et xxii. 9. Cum Johannes ad pedes ejus procumbere vellet, Angelus statim ad ipsum, *Vide*, inquit, *ne facias, Adora Deum; Conservus tuus sum, et fratrum tuorum.* Nec dici potest Angelum recusasse illum cultum tantum modestiæ causa, et aulico more, ut *Lorinus* et *Estius* volunt; vel ob mysterii Incarnationis reverentiam, vel ob lumen Propheticum, et Sacerdotium quod in Johanne suspiciebat: Quia duplex ratio, quam affert Angelus a legitimæ adorationis objecto, et ab ipsius ministerio, vanitatem cæterarum satis evincit: et docet Angelum non respuisse tantum secundum quid cultum sibi alias debitum, sed absolute ut indebitum, et soli Deo deferendum. Quis vero ferat Bellar. et Estium, qui volunt, non posse reprehendi qui faciunt, quod Johannes fecit, quia ut Spiritu divino plenus fuit, non suspicari licet eum, aut oblivisum, aut indocilem fuisse; imo factum merito omnibus esse imitandum? Nam si recte fecit Johannes adorans Angelum, Ergo peccavit Angelus, cultum illum ut illicitum rejiciendo. Nec obstat, quod Johannes Spiritu divino plenus ignorare non potuit hoc illicitum esse, quia Spiritus dabat infallibilitatem in doctrina et verbis, sed non statim in vita et praxi. Quamvis ergo cognosceret theoretice Angelos non esse adorandos, potuit tamen ex animi perturbatione orta ad conspectum Angeli, ab illa theoria in sua praxi deflectere, et mensuram excedere in honore, quem ei exhibere volebat, ut quid faceret non satis attenderet; ut simile quid contigisse legitur Cornelio erga Petrum, Act. x. 26, qui eadem ratione cultum sibi a Cornelio oblatum respuit. Non incommode quidam volunt Johannem magis errasse in *facto* et *persona*, quam in *jure*, putando Angelum istum non fuisse Angelum creatum, sed increatum, cui ille cultus deberetur. Unde Angelus eum instituit de sua natura et conditione, ne servus cum esset, pro Domino communi utriusque sumeretur.

3. ex Matt. iv. 10.

XVII. Tertio, Quia Scriptura soli Deo cultum religiosum vindicat, *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies*, Matt. iv. 10, quod petitur ex Deut. vi. 13, et x. 20, ubi licet expresse non habeatur vox *soli*, necessario tamen includitur, ut Servator exponit. Frustra occurrunt Adversarii, λατρείαν hic solum Deo appropriari, non δουλείαν, quam nihil obstet Cœlitibus etiam communicari. Quia Satan non petit λατρείαν, sed tantum προσκύνησιν, nec ulla δουλείας hic fit mentio. Deinde fictitia est et inanis distinctio, cum tam apud sacros quam profanos Scrip-

Digitized by Google

tores promiscue sit λατρείας et δουλείας significatio, ut facile ostendi posset, et a nobis alibi fuse probatum est, Disp. ii. de Secess. ab E. R.

4. a Ratione.

XVIII. Quarto, Nemo objectum potest esse cultus religiosi et Invocationis, qui non sit *omniscius*, et *omnipotens*: nam omnium ubique necessitates et preces nosse nemo potest nisi omniscius et καρδιογνώστης, nec eas exaudire nisi omnipotens; qui ergo talis non est, frustra ad eum cultus et invocatio dirigitur. Sed omniscientia et omnipotentia sunt proprietates soli Deo propriæ, et creaturis omnibus incommunicabiles.

XIX. Quinto, si licita esset θρησκεία Angelorum, aliquod daretur in Scriptura ejus mandatum, vel promissum, vel exemplum probatum; cum vero nihil tale affere possint Adversarii, ex eo patet meram esse ἐθελοθρησκείαν: Exempla vero quæ ab ipsis afferuntur, non huc facere, infra ostendetur.

XX. Sexto, Cultus iste non semel a Patribus in Veteri Ecclesia damnatus est; pauca e multis testimonia damus. Tertull. lib. de Præscript. cap. 33, ait, "Simoniacæ magiæ disciplinam Angelis servientem inter idololatrias collocatam, et a Petro Apostolo in ipso Simone damnatam." Augustinus, hær. 39, *Angelicos* ita dictos esse asserit, quod in Angelorum cultum inclinarent, quos refellit cap. ult. de Vera Relig. "Hoc ipsos optimos Angelos et excellentissima Dei ministeria velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cujus contemplatione beati sunt," &c. "Quare honoramus eos charitate, non servitute, Nec eis Templa construimus, nolunt enim se sic honorari a nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt." Origenes, lib. i. et v., contra Celsum, prolixe vindicat Judæos et Christianos a creaturarum cultu, et l. vii. extremo, docet eos "recusare colere quicquam præter Deum universorum Dominum, et Verbum ejus primogenitum omnis creaturæ." Lactant. lib. i. cap. 20. "Religio et veneratio nulla," inquit, "nisi unius Dei tenenda est." Concilium Laodicenum, an. 364 congregatum, Ca. 35, cultum Angelorum expresse damnat, et statuit "Angelos nominare, et congregationes facere, esse Ecclesiam Dei linquere, occultæ idololatriæ vacare, et Christum derelinquere." Carol. Mag. in Capitu. lib. i. cap. 1, "non mediocris est error, cum aliud adoratur cultu religionis quam is qui dixit, Dominum Deum tuum adorabis."

Fontes Solutionum.

XXI. Alius est *cultus religiosæ adorationis*, qui illi soli debetur, quem apprehendimus ut principium Creationis et Redemptionis nostræ; Alius *subjectionis civilis*, qui exhibetur alicui ratione peculiaris ὑπεροχῆς et dominii quod habet in alterum, quo colimus Parentes, Magistratus, et alios in authoritate constitutos; Alius *moralis reverentiæ*, quæ exhibetur personis propter excellentiam earum ex se consideratarum, absque dominio honorati, vel servitute honorantis. Angeli coli possunt postremo hoc cultus genere, sed non primo, quod Deo soli competit.

XXII. Exempla quæ petuntur pro adoratióne Angelorum ex V. T., Vel referenda sunt ad adorationem civilem eorum, qui sub specie humana illis apparebant, juxta morem Orientalium, et qui existimabantur homines esse, ut *Bellar.* lib. de Beatit. Sanct. cap. 13, non diffitetur: Vel pertinent ad Angelum increatum, Filium Dei scilicet, qui in præludium Incarnationis Patribus sub tali specie sæpe apparuit, quod facile colligitur ex circumstantiis locorum. Genes. xviii. Abraham procumbit coram uno ex Angelis, qui eum allocuti erant, ex quo cognovit eum esse Deum, ideo eum vocat *Jehovam*. 2. Orat eum pro incolumitate Sodomæ. 3. Vocat eum

Digitized by Google

Judicem totius terræ, v. 25. Gen. xxxii. Angelus qui luctatur cum Jacobo Deus fuit ex Hose. xii. 4, ubi dicitur Jacob *principem se gessisse cum Deo*, quod nomen Israëlis confirmat, et benedictio quam ab ipso postulat, et denominatio loci פְּנִיאֵל *Peniel*, quia *vidisse* dicitur *Deum facie ad faciem*, v. 30. Gen. xlviii. 16, Jacob loquitur de Angelo Goël, qui eum ab omni malo liberavit, et a quo benedictionem salutarem petit pro filiis Josephi, qui non potest alius esse, quam increatus. Jos. v. 14, Josuë adorat Angelum increatum, quia dicitur *Princeps militiæ Jehovæ*, quod nemini nisi Christo convenit, qui Caput est Angelorum et hominum, Apoc. xix. 11, 12, et jubetur Josuë solvere calceamenta ob præsentiam Numinis, quod Mosi præcipitur in visione Dei, Exod. iii.

XXIII. *Septem Spiritus* de quibus agitur Apoc. i. 4, non sunt creati, sed Spiritus Sanctus, qui ob multiplicem donorum varietatem et relate ad septem Ecclesias Asiaticas, quibus communicari debuit, ita vocatur. Patet 1. quia in eodem ordine collocantur cum Patre et Filio in invocatione, per quam petitur *gratia et pax* Ecclesiis, id. omnigena benedictio, quod soli Deo competit; 2. Præponuntur ipsi Filio non ob *prioritatem naturæ*, vel anterioritatem ordinis existendi, sed tum ob *œconomiam* officii a Christo suscepti, qui consideratur ut primogenitus a mortuis, qui peccata suorum lavit suo sanguine, v. 5, 6, tum ob seriem verborum sequentium, quæ de Christo agunt. Nec si dicuntur Spiritus isti esse *ante thronum*, sequitur eos esse inferiores Deo, quia et ipse Filius qui est ὁμοούσιος Patri, dicitur *stare ante thronum*, secundum certam σχέσιν, Apo. v. 6, qui secundum aliam non desinit sedere in ipso throno, Apoc. iv. 2, sed tantum *distinctio personalis* a Patre innuitur. Adde quod aliud est esse ante thronum κατ' οὐσίαν, aliud κατὰ φαντάσιν in visione Prophetica.

XXIV. Diversitas excellentiæ subjectorum postulat quidem diversitatem cultus; sed non diversitatem cultus religiosi; nam ut iste habet tantum pro objecto excellentiam infinitam et increatam, non potest esse multiplex, sed unicus esse debet.

XXV. *Cultus civilis*, vel stricte dicitur pro eo, qui tam *causaliter*, quam *formaliter*, id. tam ratione causæ, quam ratione modi, talis est, quī propter causas mere civiles defertur, vel late pro eo, qui est tantum civilis posteriori sensu, prout distinguitur a religioso, quo sensu tribuitur Angelis.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS OCTAVUS.

DE STATU HOMINIS ANTE LAPSUM,

ET

FOEDERE NATURÆ.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

LOCUS OCTAVUS.

www.libtool.com.cn

DE STATU HOMINIS ANTE LAPSUM,

ET

FOEDERE NATURÆ.

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam fuerit Libertas Adami in Statu Integritatis?

I. Cum Homo in quadruplici Statu spectari possit, *instituto* naturæ, *destituto* peccati, *restituto* gratiæ, et *præstituto* gloriæ, diversimode etiam *Libertas* ejus considerari debet circa illos. Nos hic de primo tantum agimus.

II. Per *Statum integritatis* intelligimus primam hominis ad imaginem Dei, in interna bonitate et externa felicitate, creati conditionem: in qua, ut bonis omnibus, tam corporis quam animi, ad veram beatitudinem obtinendam in illo statu necessariis, abundabat; Ita sanctissimum et suavissimum Dei regimen experiebatur. Unde duabus potissimum partibus absolvebatur; *Felici hominis conditione, et fœderali circa ipsum Dei gubernatione.* Felicitas ejus oriebatur ex *Imagine* Dei ad quam conditus erat, quæ in *justitia originali* præcipue sita erat, et in *immortalitate* ac *dominio* eam consequente, de quibus antea dictum Loco de Creatione: Ad quam etiam pertinebat *Libertas* ejus, de qua quæstio instituitur.

III. Ut vero de Adami integri libertate rectius possimus ratiocinari, variæ Libertatis species ante omnia debent distingui, ut constet, quænam illi competere potuerit, quænam vero non.

Quadruplex libertas.
1. Independentiæ.
2. A coactione.
3. A necessitate physica.
4. A servitute.

IV. Quadruplex datur libertas. 1. *Libertas independentiæ*, quæ competit soli Deo, ut primo Enti; quæ opponitur *necessitati dependentiæ*, quæ convenit omnibus creaturis. 2. *Libertas a coactione*, per quam homo agit sponte, et cum lubentia, quæ opponitur *necessitati coactionis*, quæ videtur in iis, qui per vim agunt. 3. *Libertas* rationalis a *necessitate bruta et physica*, per quam homo agit ἐκ προαιρέσεως, et non bruto instinctu et cæco impetu, quæ opponitur *necessitati physicæ* inanimatorum, et brutorum. 4. *Libertas a servitute*, per quam homo nullius servitutis, vel peccati vel miseriæ, jugo obnoxius est, quæ opponitur *necessitati servitutis*, quæ est in peccatoribus.

Quænam necessitas conveniat cum libertate; Quænam cum ea sit ἀσύστατος.

V. Non omnis necessitas pugnat cum libertate, nec omnis cum ea convenit. Quædam necessitas ab extrinseco destruit libertatem, Quædam cum ea consistit. Quædam ab intrinseco perimit eam, et quædam eam perficit. *Necessitas coactionis*, quæ est *ab extrinseco*, est ἀσύστατος cum libertate; Sed *necessitas hypothetica* quæ oritur, vel

Digitized by Google

a decreto Dei, vel ab existentia rei, cum libertate conspirat. *Necessitas ab intrinseco*, quæ oritur ex *determinatione physica* et bruta ad unum, libertatem tollit; *Necessitas ab intrinseco*, quæ fluit ex *determinatione rationali* voluntatis ab intellectu, non modo non destruit libertatem, sed eam conservat et fovet.

www.ibook.com.cn

Libertas Adami.

VI. *Libertas Adami* non fuit *libertas independentiæ*, quasi fuerit ἀνυπεύθυνος, et absolute sui juris, quia semper ut Creatura Creatori suo, et ut causa secunda primæ, debuit subjici, et ab ejus nutu pendere: Non fuit *libertas indeterminationis* voluntatis ab intellectu practico; Hæc enim voluntatem in appetitum irrationalem transmutasset, ut appeteret malum sub ratione mali, et non tam libertas, quam effrænis fuisset licentia, quæ cum imagine Dei fuisset ἀσύστατος. Sed triplex alia fuit in ipso *libertas*, 1. a *coactione;* 2. a *necessitate physica;* 3. a *servitute*, tum peccati, tum miseriæ. Duæ priores constituebant *libertatem* ejus *essentialem*, quæ homini in quocunque statu sit constitutus conveniunt, cujus duo sunt characteres τὸ προαιρετικὸν, et τὸ ἐκούσιον, ut quod fit fiat prævio rationis judicio, et sponte. Sed posterior *accidentalis fuit*, quia supervenit libertati essentiali, et ab illa separari potest; quippe datur vera libertas, ubi talis non datur immunitas a servitute, ut in statu peccati.

Fuit,
1. A coactione.
2. A necessitate physica.
3. A servitute.

VII. Licet vero liber fuerit a servitute peccati, quia justus et rectus creatus est, non fuit tamen *liber* a *mutabilitate*, quia qualiscunque fuerit ejus sanctitas et justitia, mutabilis fuit, a qua proinde deficere potuit. In eo quippe statu positus fuit Adamus, ut posset stare et cadere, peccare et non peccare. Quod quamvis minorem perfectionem arguat præ statu gratiæ, qui immutabilis est, nullum tamen vitium vel imperfectionem notat, siquidem immutabilitas non est donum naturæ, sed gratiæ: Non potest tamen mutabilitas illa pertinere ad libertatem Adami, quamvis eo nomine nonnunquam veniat, quia tam illustri ornari non metuit elogio illa conditio, quæ tum libertati, tum beatitudini hominis modum ponebat, sed fuit tantum libertatis Adamicæ appendix, quæ ita propria illi fuit, ut in nullo homine fuerit amplius, vel esse possit.

VIII. Ex hac vero mutabilitate *indifferentia* oritur, quæ vulgo tribui solet Adamo, de qua quæritur, An libertas ejus in ea posita fuerit. Ad quam respondemus negative, 1. quia talis ἰσορροπία, seu æqualis ad bonum et malum propensio, cum voluntatis natura pugnat, quæ necessario sequitur dictamen intellectus; 2. cum statu creationis, in quo voluntas creata fuit valde bona, utpote ad imaginem Dei in justitia et sanctitate condita; valde bona autem non esset, si ad vitium, æque ac ad virtutem, propensa esset; 3. cum Lege homini lata, quæ Deum tota mente et totis viribus amare jubebat; a qua utique jam recessisset, si in tali æquilibrio fuisset constitutus. Si ergo quædam ἀδιαφορία illi tribuenda est, non est intelligenda in *actu secundo*, et quoad *potentiam simultatis*, quasi potuerit simul et semel manens in illo statu actu ferri ad bonum et ad malum, quod est ἀσύστατον, quia sic homo supponeretur esse simul integer et lapsus: sed in *actu primo*, et quoad *simultatem potentiæ*, quia potentia seu facultas Adami ita erat disposita per conditionem mutabilem in qua conditus erat, ut posset ad malum determinari, non minus ac ad bonum, sed successive et in sensu diviso, non simul et in sensu composito; quod tristis experientia nimis docuit.

IX. Quamvis libertas naturæ conveniat in essentialibus cum libertate hominis in aliis statibus constitutæ, longe tamen differt in accidentalibus.

Digitized by Google

Nam *libertas gloriæ* in beatis est *non posse peccare*. *Libertas peccatorum* in statu peccati est *non posse non peccare*. *Libertas fidelium* in gratia est *posse peccare, et non peccare*. Sed libertas Adami fuit *posse non peccare*. Prima fuit absoluta *impotentia peccandi;* Secunda absoluta *impotentia bene agendi;* Tertia *potentia peccandi et bene agendi*. Quarta fuit *potentia non peccandi*. Quod August. eximie explicat lib. de Corrept. et Grat. c. xi. "Si bona ista differant, diligenter et vigilanter intuendum est, posse non peccare, et non posse peccare, posse non mori, et non posse mori, bonum posse non deserere, et bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere." Et postea: "Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare, novissima erit multo major, non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori, novissima erit multo major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere, novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere.

QUÆSTIO II.

An Adamus vires habuerit credendi in Christum?

I. Quæstio hæc nobis intercedit cum Arminianis, qui, ut hypothesim suam tuerentur de necessitate gratiæ cujusdam universalis sufficientis, hanc invexerunt opinionem, Adamum non habuisse unquam vires credendi in Christum; Ideoque eas non potuisse amittere per peccatum; nec proinde Deum posse fidem in Christum a nobis nunc exigere in Evangelio, nisi antea sufficientem ad eam gratiam largitus sit, quia ad impossibile nemo tenetur. Hinc pertendunt Deum aut dare, aut saltem paratum esse omnibus dare potentiam credendi si velint. Ita duo simul probare conantur: Primo, falso a nobis asseri Adamum amisisse vires credendi in Christum, quia nunquam eas habuerit; Secundo, Gratiam fidei debere esse universalem ex justitia et æquitate novi fœderis. *Armin.* resp. ad art. 19. "Dico et affirmo, assevero, profiteor et doceo, Adamum ante lapsum non habuisse potentiam credendi in Christum, quia fide in Christum non erat opus, ideoque Deum non potuisse ab illo fidem illam exigere post lapsum, hoc nimirum jure, quia Adamus potentiam illam credendi sua culpa amiserit." Idem statuit et probare satagit *Corvinus*, in Tilenum, et Molinæum.

II. Non quæritur, An Adamus habuerit fidem Actualem in Christum; Certum enim est objecto non revelato non credidisse actu; Sed, An potuerit illam habere, si hoc illi revelatum fuisset, id. An habuerit fidem potentialem, non tantum ad revelata, sed et ad revelanda? An quemadmodum per fidem actualem credebat omni Dei Verbo actu revelato, Ita per potentialem potuerit credere non modo Verbo jam revelato, sed etiam ulterius revelando, si ita Deo libuisset? Orthodoxi sic sentiunt; Adamum quidem in Christum tanquam Redemptorem actu non credidisse ante lapsum, quia Christus revelatus illi non fuit, nec tunc redemptione illi erat opus; sed tamen in creatione vires sufficientes a Deo accepisse, quibus omni Verbo revelato aut revelando credere potuit, ac proinde etiam in Christum futurum Redemptorem, si ei hoc a Deo fuisset revelatum, quod et lapsurus esset, et post lapsum Deus Filium suum in redemptionis pretium esset traditurus.

III. Rationes sunt, 1. Quia Adam accepit vires credendi omni Dei Verbo: Ergo etiam Verbo Evangelii si illi revelatum fuisset; quia fides

Digitized by Google

in Christum est pars et species, quæ continetur sub notione generali fidei. Accepisse autem vires credendi omni Dei Verbo, patet ex perfectione naturæ, in qua conditus est: Nam qui perfecte sanctus est, omnimodam fidem et obedientiam Deo præstare tenetur, alias defectus aliquis in eo daretur, quia sic non credendo Dei Verbo se infidelem, eoque non integrum, probasset. Deinde si non potuisset credere, id ideo factum esset, vel quia intellectus aliquo errore excœcatus, et voluntas aliqua rebellione præpedita fuisset: Sed neutrum dici potest de homine sancto, et ad imaginem Dei condito. Frustra *Corvinus* argutatur, Adamum vires quidem credendi omni Dei Verbo revelato habuisse, sed quod pertineret ad fœdus legale, non vero ad fœdus Evangelicum, quia hoc homini integro absolute non fuit credibile sine contradictione. R. Quia licet Verbum Evangelii non fuerit credibile, ut necessarium et salutare pro tunc, id. in statu integritatis, potuit tamen esse credibile respectu temporis futuri, quod secuturum esset ejus lapsum, si Deus illi eum revelasset; ut Petro revelatus est a Christo lapsus ejus, et post lapsum resurrectio. Deinde si credibile non fuit Evangelium pro statu integritatis, hoc non oriebatur ex defectu potentiæ, sed tantum revelationis objecti.

IV. 2. Quia ante lapsum habuit potentiam amandi Deum, eique in omnibus obsequendi; Amor enim fidem supponit, quæ pars est obedientiæ; Nam qui jubetur ex Lege amare Deum, et ei obtemperare, jubetur etiam ei credere loquenti. Nec valet quod excipitur, aliam esse potentiam qua Deo creditur, aliam qua Christo, quia Verbum Legis et Evangelii toto genere sunt opposita; et in Lege mandatum esse quidem, ut Deum amaret, et ei obsequeretur, sed tantum pro ratione status, in quo per creationem constitutus erat, ut Creatorem suum coleret, non in quo per redemptionem fuit restituendus, ut in eum crederet. Quia licet quoad formulam peculiarem differant inter se Lex et Evangelium; conveniunt tamen in eo, quod sint ex æquo Verbum Dei, atque adeo fidei nostræ objectum, et obedientiæ norma. Unde qui tenetur credere Deo loquenti in Lege, et vires habet ad id sufficientes, posset etiam et deberet credere Evangelio, si illi revelaretur. Nec major concipi potest amor vel obsequium eo quod in Lege nobis præcipitur.

V. Tertio, Angeli integri ex revelatione Dei cognoverunt Redemptorem promissum suo tempore exhibendum, et eo gavisi sunt, 1 Pet. i. 11, 12, et Eph. iii. 10. Ergo homo in statu integritatis potuisset ex revelatione Dei cognoscere futurum Redemptorem a lapsu, et in ipsum credere; Eadem enim est utrobique ratio.

VI. Quarto, Quæ est ratio misericordiæ, pœnitentiæ, et aliarum virtutum in statu integritatis, eadem et fidei in Redemptorem, quia illæ actualiter acceptæ, non minus repugnant statui integritatis, quam fides in Redemptorem; At nemo negare potest hominem integrum potuisse affici misericordia et pœnitentia, si objectum utriusque illi oblatum fuisset. Ergo et potuit habere fidem in Christum, si illi prædicatus fuisset.

Fontes Solutionum.

VII. Non ideo dicenda frustranea illa potentia, quæ non versatur circa speciale aliquod objectum ad illius ambitum pertinens, quia potest habere alia plura objecta circa quæ occupatur, et vires non semper insunt naturæ propter exercitium actus, sed sæpe propter perfectionem naturæ; Ut virtus misericordiæ et charitatis non fuit inutilis in Adamo integro, dum nulli erant miseri et egeni, quia Adamum perficiebat. Ita potentia credendi non fuit frustra in Adamo, licet circa certum aliquod objectum sese exercere non potuerit propter absentiam objecti, quia circa plura se occupavit. Tum dicitur

Digitized by Google

frustranea vel otiosa potentia, quando quæ debet agere et potest agere, non agit; quod hic non datur.

VIII. Quamvis Adamus integer non potuerit credere remissionem peccatorum præsentium, quæ nulla dum erant; hoc non obstabat, quominus potentiam haberet credendi remissionem futurarum, si Deo placuisset illi et futurum lapsum ejus, et restaurationem ex eo revelare; ἀσύστατον erat respectu ejusdem, credere se integrum et peccatorem, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, idem qui nunc est integer, potest credere se postea lapsurum, quique ideo egeat gratia Dei et fide in Christum.

IX. Quamvis fides in Christum non præscribatur *specifice*, et *expresse* in Lege, quæ Christum non novit, continetur tamen in ea *in genere*, et *implicite*, quatenus Lex jubet nos credere omni Dei Verbo, et omni promissioni ejus, ut nemo potuerit Legi obtemperare, qui non paratus fuerit etiam Verbo Evangelii credere, si a Deo revelatum fuisset.

X. Qui accepit vires resurgendi a lapsu, non opus habet novis viribus ad resurgendum, nisi lapsu suo eas vires amittat; quod factum ab Adamo, qui peccando potentiam illam omnem cum justitia originali perdidit: Si ergo post lapsum non potest propriis viribus resurgere, non inde oritur, quod vires illas in creatione non acceperit, sed quod eas per lapsum amiserit. Nec dici potest, eas amitti non potuisse, quia usus earum erat demum post lapsum; nam non minus se exerere debuerunt ante lapsum in eo præcavendo, quam in eo corrigendo, si in homine mansissent.

QUÆSTIO III.

DE FOEDERE NATURÆ.

An Fœdus aliquod cum Adamo Deus pepigerit, et quale?

I. Cum Fœdus inter homines dicatur vulgo *mutua pactio duarum pluriumve personarum de certis bonis et officiis mutuo præstandis communis utilitatis ergo;* Et has conditiones præcipue postulet, 1. ut personæ sint æquales, vel simpliciter, vel in certo saltem ordine, 2. ut in sua potestate habeant bona vel officia quæ sibi mutuo præstare debent, et ut quoad illa sint αὐτεξούσιοι, 3. ut non sint obligatæ absque illa pactione ad officia illa præstanda: Certum est fœdus Dei cum homine stricte loquendo intercedere non posse; 1. quia nulla datur inter Deum et hominem æqualitas vel proportio, ut nec inter bona quæ Deus suo fœdere promittit, et officia quæ homo præstare tenetur, ex quibus nihil utilitatis Deo αὐταρκιστάτῳ accedit, Ps. xvi. 2; 2. quia homo nullo respectu est αὐτεξούσιος, et tenetur etiam absque ullo pacto ad obsequium Deo præstandum; 3. quia homo ad id nihil ex se conferre potest, sed totum a Deo pendet, tam quoad bonum promissum, quam quoad officium præceptum, ad quod prestandum Deus homini vires largitur. Deus tamen per summam συγκατάβασιν cum Creaturis voluit fœdus aliquod inire.

II. Poterat quidem Deus pro jure suo obedientiam homini a se condito præscribere sine ulla præmii pollicitatione; sed ut supremum illud dominium bonitate sua temperaret, fœdus addidit, quod promissione præmii, et obedientiæ stipulatione constat, In quo, ut Jus suum in hominem fortius asserere voluit; Ita summam benignitatem demonstravit in eo quod ipse nullius rei indigus, creaturam sibi jam ex creationis jure subditam, et ex naturali obligatione omnia debentem, inito fœdere, ad propiorem sui com-

Digitized by Google

munionem invitare, et isto amoris et mutuæ obligationis nexu potentius allicere voluit; Ut jam homo promissione Dei excitatus, felicitatem, non ex mera solum ejus φιλανθρωπίᾳ, sed etiam ex pacto propter veritatem et fidelitatem ejus certo expectare possit.

III. Licet vero *fœdus* aliquando *latius* sumatur pro simplici Dei *promissione* citra ullius conditionis stipulationem ex parte creaturæ, quale est fœdus illud quod pepigit cum hominibus, et animantibus terræ, de illis non amplius diluvio perdendis, quod etiam Iride fuit obsignatum, Gen. ix. 9, 10, 11, et illud de quo loquitur, Jer. xxxi. 35, et xxxiii. 25, quod diei et noctis vices et statuta cœli et terræ disponit et tuetur, quod vocatur propterea μονόπλευρον, quia unius tantum partis dispositione et promissione constat: At *stricte* et *proprie* notat pactionem Dei cum homine, per quam Deus sua bona, et præcipue vitam æternam, illi promittit, et ab homine vicissim officium et cultum restipulatur, certis signis externis confirmationis causa adhibitis, quod δίπλευρον et *mutuum* vocatur, quia mutua constat partium fœderatarum obligatione, hinc promissione a parte Dei, inde conditionis stipulatione ab hominis parte.

Duplex fœdus, naturæ et gratiæ.

IV. *Fœdus* istud geminum nobis proponitur in Scriptura, *Naturæ et Gratiæ*, *Operum et Fidei*, *Legale et Evangelicum*. Cujus distinctionis fundamentum pendet, tum ex diversa σχέσει Dei contrahentis, qui modo ut Creator et Dominus spectari potest, modo ut Redemptor et Pater; tum ex diversa hominis conditione, qui vel ut Creatura integra, vel ut lapsa consideratur; tum ex diverso modo vitam et felicitatem consequendi, vel per obedientiam propriam, vel per alienam imputatam; tum ex diversis officiis homini præscriptis, scilicet operibus, vel fide. In illo enim Deus ut Creator obedientiam perfectam ab homine integro postulabat cum promissione vitæ et felicitatis æternæ; Sed in isto Deus ut Pater, salutem in Christo pollicetur homini lapso, sub conditione fidei. Illud opere hominis nititur; Istud sola Dei gratia. Illud a Creatore justo; Hoc a Redemptore misericordi pendet. Illud cum homine integro sine Mediatore; Hoc cum lapso, interventu Mediatoris, pactum est.

Quare fœdus naturæ dicatur.

V. *Fœdus naturæ* est, quod Deus Creator cum homine integro tanquam sua creatura pactus est, de illo felicitate et vita æterna donando sub conditione perfectæ et personalis obedientiæ: Vocatur *naturale*, non ab obligatione naturali, quæ nulla est Dei erga hominem; Sed quia in natura hominis, prout primitus a Deo condita est, et in illius integritate seu viribus, fundatur. Dicitur etiam *Legale*, quia conditio ex parte hominis fuit observatio legis naturæ, quam sibi habebat insculptam; Et *operum*, quia operibus seu obedientia ejus propria nitebatur.

Dari fœdus naturæ probatur.

VI. Fœdus naturæ cum Adamo initum esse negat *Episcopius*, *Insti. The.* l. ii. c. 1. et cum eo Remonstrantes; Sed tale fuisse probatur, 1. Quia dantur partes essentiales fœderis, Deus et homo; *Deus*, qui prout erat hominis creator, non poterat non esse ejusdem gubernator, et ex hoc legislator, et quia natura sua bonus est, etiam remunerator ipsum quærentibus, Heb. xi. 6, ut non modo legem illi poneret, qua regeretur, sed et præmium illam observanti statueret, licet nullo jure ad id obstrictus foret; *Homo*, qui cum esset creatura, non poterat etiam non totus dependere a Deo, et quia erat integra, poterat legem insculptam servare, et quia erat rationalis, non debebat aliter quam modo rationali, id. per intellectum et voluntatem, gubernari, tum legum præscriptione, tum præmiorum promissione, et pœnarum com-

Digitized by Google

minatione; Et quia erat ad imaginem sanctitatis divinæ conditus, etiam ad communionem beatitatis ejus, quæ individua sanctitatis est comes, perduci debebat.

VII. Secundo, Quia Lex Adamo posita fuit, quæ necessario importat pactum et contractum aliquem fœderalem, quia qui eam accipit, ex officio se obligat ad obedientiam sub pœna per eandem denunciata, et qui eam fert, eo ipso quod obedientiam exigit, tenetur obedienti præstare indemnitatem, et securitatem. Licet vero alteram tantum partem sanctionis istius fœderalis exprimat Moses, quæ refertur ad pœnam, Genes. ii. 17, priorem, tamen de promissione non esse excludendam probatur, tum ex Sacramento Arboris vitæ, quo obsignabatur, tum ex comminatione mortis, quæ a ratione contrariorum implicitam habuit promissionem vitæ, tum ex variis locis Scripturæ, quæ legis naturam et sanctionem clarius exprimunt, ut Lev. xviii. 5. *qui fecerit hæc, vivet in ipsis;* Deuter. xxvii. 26; Ezech. xx. 11; Matth. xix. 17; Galat. iii. 12.

VIII. Tertio, Hoc non obscure videtur innuere locus Hos. vi. 7, ubi Israëlitæ dicuntur transgressi fœdus sicut Adam, והמה כאדם עברו ברית, *Et ipsi sicut Adam violarunt fœdus.* Quamvis enim hæc verba possint etiam exponi de inconstantia hominum, ut dicantur transgressi fœdus, sicut homines facere solent, qui sua natura vani levesque sunt, et fidem sæpe fallunt. Nihil obstat tamen ea ad Adamum etiam referri, ut dicantur violasse fœdus ad instar Adami primi parentis, qui fœdus cum ipso a Deo contractum misere fregit; non absimilis locutio occurit Job. xxxi. 33. *Si texi*, inquit, כאדם *sicut Adam iniquitates meas*, ubi manifeste respicit ad factum Adami peccatum suum excusare et tegere conantis, Gen. iii. 12.

IX. Quarto, Tale fœdus postulabat, non modo Dei *bonitas* et φιλανθρωπία, quæ non potuit convenientius se exerere, quam hominem se quærentem ad se propius recipiendo et communione sua beando: sed et ipsius *hominis status*, et *felicitatis appetitus* ipsius cordi a Deo impressus; Cum enim dubitari non possit, quin rectus fuerit et legitimus, vanus et irritus esse non potuit; sed impleri debuit posita hominis obedientia, nisi velimus Deum inani desiderio voluisse hominem pascere, et illi illudere, quod vel cogitare blasphemum.

In fœdere hoc considerandæ sunt, 1. Partes contrahentes, Deus et Homo. Deus ut Creator et Legislator.

X. In isto fœdere consideramus, 1. *Subjectum*, seu *Partes contrahentes*. 2. *Pactionem* ipsam, quæ includit res utrinque pactas, tam a parte Dei in promissione beneficii, quam a parte hominis in restipulatione officii. *Partes contrahentes* sunt Deus, et Homo: *Deus* qua *Creator* et Dominus, sub qua σχέσει duo includuntur, legislatoria potestas, et bonitas in remunerando; Illa quidem, quia qua Creator non potest non creaturam gubernare, nec gubernare potest nisi congruenter ejus naturæ, id est λογικῶς, per legum idonearum positionem: Hæc vero, quia non potuit non creaturam suum officium præstantem amare, et remunerari;

Homo qua justus.

XI. *Homo* sub gemina σχέσει spectandus, vel qua *justus*, vel qua *primus*. Priori respectu, vires habuit præstandi officium præscriptum: Unde oriebatur obligatio illud implendi, quæ alias locum habere non potuisset; cum ad impossibile absolute nemo teneatur; Posteriori, Adamus universum genus humanum, quod ex ipso nasciturum erat, quodammodo inclusit, tum ut *radix*, et *principium seminale*, a quo debuit descendere totum genus humanum, Act. xvii. 26, tum ut *persona publica*, et *caput repræsentativum*, quod omnes homines ex se naturaliter oriundos repræsentaret. Unde fœdus istud non

Et qua primus.

Digitized by Google

ad Adamum solum, sed in illo ad omnes ejus posteros pertinuit. Quod Cl. Amyr. Disp. de tribus Fœder. th. 8, agnoscit, "Qua primus homo fuit," inquit, "universum genus humanum, quod ex eo nasciturum erat, veluti repræsentavit." Fundamentum autem istius communionis oritur ex duplici vinculo, quo homines cum Adamo colligantur, *naturali* uno, secundum quod Pater fuit communis omnium, et illi ejus filii, *forensi* altero, quo ex sapientissima Dei Providentia in Principem et Caput generis humani constitutus est, qui pro se et suis contraheret, et bona sibi collata, tanquam bona communia toti naturæ, et sibi et suis haberet vel amitteret.

2. Pactio ipsa quæ constat, 1. exactione officii, seu obedientiæ Legi debitæ.

XII. *Pactio* duabus partibus constat, hinc officii exactione, a parte Dei, et restipulatione a parte hominis, inde promissione beneficii a parte Dei, et acceptatione a parte hominis. *Officium* fuit partim generale, partim speciale, juxta duplicem legem ipsi latam, moralem seu naturalem, et symbolicam. *Generale* fuit cognitio et cultus Dei, cum justitia erga proximum, et omnimoda sanctitate; *Speciale* fuit abstinentia a fructu vetito, in qua totius Legis obedientia velut in compendio et specimine continebatur. Illud fundabatur in Lege naturali, quæ non in libro scripta, sed in corde insculpta et impressa fuit, de qua Paulus ait, "omnes natura facere quæ sunt Legis, et opus Legis scriptum esse in cordibus hominum," Rom. ii. 14, 15: Ita ut qui sunt sine Lege scripta, non sint tamen sine Lege sculpta, cum ipsi per conscientiæ dictamen sibi ipsis sint Lex; Istud in Lege symbolica et positiva. Illud præcipuum et primarium fuit, Hoc vero tantum secundarium. Quamvis enim speciali quoque præcepto, seu Legi isti symbolicæ ipsi datæ, parere teneretur; potissimum tamen Legis naturalis obedientia ab ipso requirebatur, cui explorandæ præceptum hoc symbolicum tantum inserviit, ut postea dicetur.

Qualis debuerit esse.

XIII. *Obedientia* quam Lex exigebat, characteres istos habere debuit; 1. ratione *principii*, *sinceritatem*, ut esset vera et sincera ex toto corde, non hypocritica, et externa tantum corporis; 2. *ratione objecti*, *universalitatem*, ut extenderetur, non ad quædam tantum, sed ad omnia Legis præcepta, nullo excepto; 3. ratione *graduum*, *intensionem*, ut esset perfecta, et omnibus numeris absoluta; 4. ratione *durationis*, *perseverantiam*, ut esset constans et perpetua usque ad finem sine interruptione.

XIV. Ad hanc vero obedientiam, licet homo obligatus jam esset *obligatione naturali*, qua creatura rationalis, quæ non potest non subesse dominio Dei, et ipsius Legi, fortius tamen obstrictus fuit *obligatione fœderali*, quam Deus ita stipulatus est, ut homo, viribus quas in creatione acceperat, eam præstare posset, quamvis ut illam actu præstaret, ipsi adhuc opus esset *auxilio Dei*, quo facultates illæ et vires tum actuarentur, tum a mutatione præservarentur. Quod auxilium non tendebat ad virtutem novam aliquam ipsi infundendam, sed tantum ad efficaciam illius virtutis exerendam, quam acceperat. Hoc autem non pertinebat proprie ad *fœdus naturæ*, sed a liberrima Dei εὐδοκίᾳ semper pendebat, alias fœdus naturæ fuisset immutabile, nec homo unquam peccasset.

2. Fœderis sanctione.

XV. Officii exactionem comitabatur *Fœderis sanctio*, quæ tum promissione præmii et mercedis, tum comminatione pœnæ constabat. *Promissio* fuit summæ *felicitatis*, et vitæ æternæ, non in terra sed in cœlo peragendæ. *Comminatio* fuit *mortis*, et quicquid mortis nomine venit in Scriptura, ad omne genus pœnæ exprimendum, in quam homo per peccatum suum merito incurrit.

XVI. Ex hac vero pactione nascitur *obligatio* mutua partium, quæ di-

Digitized by Google

versa est pro conditione earum·; Nam respectu *hominis*, non tantum fuit ex pacto, sed absoluta et simplex ex natura rei, tum propter Deum, cui homo tanquam creatura Creatori, beneficiarius benefactori seipsum totum, et quicquid erat Deo debebat, et illum toto corde amare tenebatur. Sed respectu *Dei*, fuit gratuita, utpote pendens ex pacto seu promissione gratuita, per quam Deus, non ipsi homini, sed sibi, suæque bonitati, fidelitati, et veracitati obstringebatur, Roman. iii. 3, 2 Tim. ii. 13; nullum ergo fuit *debitum* proprie dictum, ex quo homini jus posset nasci, sed tantum *fidelitatis debitum*, ex promissione ortum, quod ejus constantiam, et veritatem infallibilem et immutabilem ostendit. Quod si Apostolus jus sive *debitum* videtur agnoscere, Rom. iv. 4, non alio sensu intelligendum est, quam *respective*, non ad proportionem, et condignitatem officii, quod homo præstat Deo, Rom. viii. 18, Luc. xvii. 10, Sed ad *Dei pactum*, et *paciscentis justitiam*, id. fidelitatem.

XVII. Si quod ergo *meritum* homo integer in illo statu obtinuisset, non intelligendum est *proprie et in rigore*, quia cum homo omnia habeat a Deo, et Deo debeat, nihil jure tanquam suum potest ab illo repetere, nec Deus illi debitor esse potest: Non per condignitatem operis, et ex intrinseco ejus valore, quia qualecunque illud sit, nullam proportionem habere potest cum præmio vitæ infinito; Sed ex *pacto*, et liberali Dei promissione, juxta quam jus postulandi præmii homo habuisset, ad quod Deus ultro se obligaverat; Et *comparate ad fœdus Gratiæ*, quod solo merito Christi nititur, quo jus ad vitam nobis acquirit: Hoc vero obedientiam propriam et personalem postulabat antecedenter, ex qua et justificationem suam coram Deo, et vitam obtineret, tanquam mercedem pactam sui laboris.

QUÆSTIO IV.

DE ARBORE SCIENTIÆ BONI ET MALI.

Unde dicta sit Arbor scientiæ boni et mali, Et cur Legem de ea non gustanda Deus Adamo dederit?

I. Duæ sunt Quæstionis partes, 1. de *Nomine;* Unde Arbor scientiæ boni et mali nomen hoc sortita fuerit? 2. De ejus *Usu;* Quare Deus ea usus sit ad Legem symbolicam explorationis hominis?

II. Frustra quæritur, Quænam fuerit arbor, An *ficus*, ut quibusdam placuit, quia ex ea post lapsum folia ad subligacula homo petiit; An vero *malus*, ut aliis visum est ex Cantic. viii. 5, quia Sponsa dicitur sub malo suscitata et parta; Quia cum Scriptura nihil de eo tradat, nihil certi de eo statui potest, et temeraria esset curiositas non minus ac inutilis ea inquirere quæ Deus latere nos voluit.

Unde Arbor scientiæ boni et mali dicta.

III. Videndum potius, Cur nomen hoc sortita sit. Ita autem dictam putamus; Non *formaliter*, quasi in se λογικὴ rationalis esset, sciens bonum et malum; *Non effective*, quasi per se fuerit scientifica, quæ esu suo scientiæ vel productrix fuisset, vel adjutrix, ut quibusdam ex Judæis, et post eos Socinianis placuit; Non *putative* a fallaci Serpentis nomenclatione, et promissione, quod Ruperto, Tostato, et aliis visum, quia nulla ratio est, cur Adamus vel Moses voluissent arbori nomen imponere ex impudentissimo mendacio deductum, comperta impostoris fraude: Sed tum *sacramentaliter* quia erat signum exploratorium, et commonitorium de cavenda scientia experimentali mali æque

Digitized by Google

ac boni, tum *eventualiter* a posteriori per prolepsim, quatenus ex ejus esu homo revera experturus erat, quid interesset inter obedientiæ bonum, et inobedientiæ malum, ut qui illud discernere nollet per præceptum, discerneret per experimentum; suoque malo edocendus erat, quantum bonum amisisset, quantum contra malum sibi attraxisset, a quantæ felicitatis fastigio, in quam profundam miseriæ abyssum, per peccatum se præcipitasset.

IV. Hanc vero arborem selegit Deus ad explorandam obedientiam Adami, unde nata Lex specialis illi lata de non gustando ejus fructu, Gen. ii. 16, 17. "Ex omni arbore horti comedendo comedes; sed ex arbore scientiæ boni et mali non comedes, quia in die qua comedes ex ea, morte morieris;" quæ vocatur *Lex positiva*, quia non obligabat hominem ex natura rei, quæ in se erat indifferens, sed ex mero Dei arbitrio; et *Symbolica*, quia in symbolum et experimentum obedientiæ hominis data erat. Talis enim erat, ut in ea velut in matrice tota Lex naturalis includeretur, ut Tertull. loquitur lib. adv. Judæ. c. 2. "Primordialis illa Lex data Adamo in paradiso, quasi matrix fuit omnium præceptorum Dei." Ut enim illa impleta, amorem suum et obsequium erga Deum illibatum testatus fuisset: Ita illa violata, se Dei imperium detrectare, et propriam voluntatem, imo et vocem diabolicam voluntati et voci divinæ se præferre professus est.

Cur data sit Lex Symbolica.

V. Necessaria ergo fuit Lex illa exploratoria præter Legem naturalem, quæ hominis conscientiæ fuit impressa, 1. Ut Deus, qui homini dominium rerum omnium concesserat, declararet se hominis Dominum, homo autem intelligeret se servum, qui teneretur illi subesse et adhærere; Licet enim Lex naturalis id jam non obscure declararet, quia tamen potuisset quis arbitrari Legem naturalem esse proprietatem naturæ non autem Legem; Ideo peculiari Lege, quæ esset de re absolute indifferente hoc clarius declarare voluit; Ut hinc Dei dominium, qui arbitratu suo puro puto id vetat, cujus nulla alia præter voluntatem ejus ratio est indaganda; Inde vero hominis obsequium appareret, nullam jussi vel interdicti rationem indagantis, sed se ad morem gerendum componentis, ob solam imperantis voluntatem. 2. Ut peccatum luculentius in externo illo symbolo conspiceretur, et latentis ulceris malum in lucem pertraheretur, vel obedientiæ virtus longe clarius eluceret. Illustrior enim futura erat virtus obedientiæ, quæ ideo tantum mala esset, quia a Deo vetita. "Nec enim," inquit Aug. lib. viii. de gene. c. 13, "potuit melius et diligentius commendari, quantum malum sit inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus est homo, qui rem eam tetigit contra prohibitionem; quam si non prohibitus tetigisset, utique non peccasset." 3. Ut declararet hominem a se liberi arbitrii esse factum, quia si ea caruisset, talem legem illi non imposuisset. 4. Ut pulchræ arboris fructum interdicendo, beatitudinem suam in rerum terrenarum fruitione non consistere admoneret, quia alias Deus earum usu ipsum arcere non voluisset. 5. Ut doceret Deum solum, et ejus obsequium, posthabitis rebus omnibus, ut summum bonum quærendum fuisse, et in eo solo acquiescendum.

VI. Ad hoc experimentum de homine sumendum, potuisset quidem Deus magnum aliquid et arduum homini præcipere vel prohibere; ut tentavit fidem Abrahæ præcepto duro et difficili; sed voluit legem dare de re nec magna, nec difficili, ut facilis esset obedientia, et homo si transgrederetur omni prætextu careret. Unde August. lib. xiv. de C. D. c. 15. "Quisquis damnationem Adæ vel nimiam, vel injustum putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando ubi tanta erat non peccandi facilitas; Sicut ergo Abrahæ non immerito magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium res difficillima est imperata: Ita

Digitized by Google

et in paradiso tanto major inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est nullius difficultatis fuit."

VII. Deus autem hoc præceptum homini dedit ad ejus explorationem, non quod ejus mutabilitatem, vel eventum ignoraret; sed partim, ut homini ipsi suam patefaceret infirmitatem, ut eventu ipso cognosceret, quantum inter Creaturam et Creatorem interesset discriminis; partim etiam, ut Deus gloriam suam illustrius declarandi circa hominem occasionem haberet, quæ absque hoc præcipua sua parte latuisset, nimirum quoad exercitium misericordiæ et justitiæ, cui per peccatum hominis via aperta est.

QUÆSTIO V.

DE ARBORE VITÆ.

Unde dicta sit Arbor Vitæ?

I. Altera Arbor, qua Deus veluti Sacramento Promissionem datam Adamo obsignare voluit, fuit *Arbor vitæ*, circa cujus nomenclationem non una est omnium sententia.

Unde dicta sit Arbor vitæ? Non effective.

II. Quidam pertendunt ita vocatam fuisse *effective*, quod vim innatam haberet hominem vivificandi, id. non tantum morbos et languores, sed et ipsam mortem arcendi, et omnimodam immortalitatem ipsi conferendi, quod *Bellarmino*, et variis ex Pontificiis placet; Sed merito a *Scoto*, *Thoma*, et aliis hæc sententia rejicitur: Quia potentia finita non potuit habere efficaciam infinitam, vitam in infinitum tempus extendendi: Adde quod cum fructus ejus non minus ac succus corruptioni obnoxius esset, absolute non potuisset ab interitu hominem vindicare, nisi alia causa intercessisset. Probabiliter quidem statui potest, fructum ejus fuisse optimum et efficacissimum vitæ conservandæ alimentum, cui insita fuerit vis facultatem nutritivam corroborandi, et humidum radicale reparandi, et æquabilem sanitatis et vigoris statum conservandi, donec in cœlestem vitam eveheretur. Sed non propterea hoc nomine peculiari insigniri debuisset, quia aliæ etiam arbores eadem virtute, si non forte æqualiter, pollebant.

Sed sacramentaliter.

III. Longe ergo melius ab aliis statuitur nomen hoc præcipue sortitam esse istam arborem ratione *significationis*, quia sacramentum et symbolum fuit immortalitatis, quæ Adamo conferenda fuit, si in primo statu perseverasset. Unde *August.* lib. viii. de gene. ad lit. c. 4. *Erat*, inquit, *ei in cæteris lignis alimentum, in isto autem sacramentum.* Significatio autem hæc potest *triplicem σχέσιν* habere. 1. Respectu *vitæ præteritæ*, quia erat symbolum *μνημονευτικὸν* vitæ a Deo acceptæ; quoties enim de illo fructu gustabat, recordari debuit se non a seipso, sed a Deo vitam habere. 2. Respectu *vitæ futuræ*, quia fuit signum *σημαντικὸν* et *σφραγιστικὸν* vitæ beatæ in paradiso transigendæ, et in cœlestem postea transmutandæ, si in integritate perstitisset. 3. Ratione *status gratiæ*, quia fuit illustris typus felicitatis æternæ, quæ in cœlis nobis parata est, et Christi ipsius, qui eam nobis acquisivit et confert, qui ideo vocatur, "Arbor vitæ in medio paradisi Dei," Apocal. ii. 7, et xxii. 2. "Arbor vitæ fructus duodecim per singulos menses ferens, cujus folia sunt ad sanitatem gentium."

IV. Vita ergo quam arbor ista significabat et obsignabat, non fuit corporis solius proprie vel longævitas, vel immortalitas; sed æterna beatitudo

Digitized by Google

in cœlis tandem obtinenda, quæ vitæ æternæ nomine in Scriptura venit, quamque nulli cibi largiri possunt, sed cum qua cibi et potus usus potius pugnat: Unde Deus et ventrem et cibos dicitur abolituras, ut homo non in corpore hoc animali, sed spirituali Deum videat. Quod postea peculiari Quæstione probabitur.

V. Quum Deus, Gen. iii. 22, expellit hominem ex paradiso, "Ne homo extendens manum suam acciperet de fructu arboris vitæ, et viveret in æternum," non inde recte potest inferri, fuisse vim physicam in hac arbore tantæ efficaciæ, quæ potuerit suo fructu semel degustato etiam hominem peccatorem mortalitati eximere: Quia non alio verba ista respiciunt, quam ut justæ ejectionis ejus ex paradiso causa notetur propter peccatum suum, per quod ut vita ipsa, quæ fuit res significata, exciderat sua culpa; Ita nullum amplius jus habere debuit ad ejus Sacramentum: Et Deus sic loquitur non ad rem ipsam, vel ejus eventum respiciendo, quasi actu debuisset arbor illa vitam illi conservare etiam post peccatum; Sed relate ad præposteram opinionem Adami, qui hoc potuit cogitare, non intellecta vera nominis istius ratione. Ne ergo conaretur, licet frustra, irritam reddere Dei comminationem, expellitur ex paradiso, non quod immortalitatem, aut longiorem vitam homini Deus invideret; sed quia æquum non erat, ut signo immortalitatis quam ammiserat, ulterius frueretur. Quem in finem etiam Cherubim cum framea ignea ad portam paradisi apponere voluit, ut primi parentes, tam ab horto, quam ab arbore arcerentur.

Quomodo Arbor Vitæ Christum significavit?

VI. Sed quod ipsis interdictum in pristino illo statu, nobis jam non modo licitum factum est, sed et imperatum, et promissum in statu gratiæ, in quo ad Paradisum cœlestem, et ad Christum veram vitæ Arborem facilis nobis datur accessus. Is scilicet veritas est, et Mysterium veteri hoc typo adumbratum; *Arbor vitæ*, non terrena, sed cœlestis; non materialis et ἄλογος, sed mystica et rationalis; non tantum significativa et obsignificativa vitæ, sed ejus vere collativa. *In ipso vita erat*, Joh. i. 4, id. omnis vitæ fons et causa, tam *naturalis* in mundo, quia in ipso sumus, vivimus, et movemur, Act. xvii. 28, quam *spiritualis* in Ecclesia per gratiam, quia ut Mediator, est *Princeps vitæ*, qui dat vitam mundo, et *æternæ* in cœlo per gloriam, quia est *resurrectio et vita*, qui suis vitam æternam certissime est largiturus. Arbor vere *unica*, quia nullus præter Christum author vitæ æternæ, nec est in alio quoquam salus, Act. iv. 12, in medio Paradisi, Apoc. ii. 7, et plateæ Civitatis, c. xxii. 2, quia Christus est in medio Ecclesiæ, tanquam in loco honoratiori et commodiori, ut omnibus præsto sit, et vim suam vivificam in omnes diffundat, et ab omnibus conspiciatur, veluti centrum in quod lineæ omnes fidei et amoris confluere debent, ut in eo acquiescant. Arbor frugifera, Apoc. ii. 7, quæ suavissimos et exquisitissimos fert fructus ad sustentationem fidelium, Cant. ii. 3, fert illos *duodecim*, Apoc. xxii. 2, id est copiosissimos et uberrimos, qui possint sufficere duodecim tribubus Israëlis, id est omnibus Ecclesiæ membris, quæ ab ejus plenitudine hauriunt dona omnia ipsis necessaria: fert illos *singulis anni mensibus*, id. perpetuo, quia vis et efficacia justitiæ et Spiritus Christi est perpetua et indesinens ad consolationem et sanctificationem fidelium: ejus *folia* nunquam decidentia et perpetuo virentia ad *sanitatem gentium sunt destinata*, quia non tantum vim habet *alimenti* ad pascendas animas nostras, sed et *medicamenti* saluberrimi ad morbos nostros omnes sanandos, Isa. liii. 5, Matt. xi. 28.

VII. Hinc patet mysterio non caruisse duas istas arbores Paradisi. Nam ut prima fuit Sacramentum explorationis, quod officium homini præ-

Digitized by Google

scribebat, et secunda Symbolum præmii, quo ejus obedientiam remunerari Deus voluit; ita nobis utraque adumbravit optime modum agendi Dei in Ecclesia per *mandata* et *promissa:* Illa, quæ officium homini præscribunt, et quæ ejus obedientiam explorant, quæ arbore scientiæ boni et mali bene significantur: Ista vero, quæ beneficium Dei et mercedem amplissimam exhibent, qua vult obsequium nostrum coronare, quæ arbore vitæ commode exprimuntur. Secundo *Lex* et *Evangelium* possunt etiam sub gemino hoc symbolo contineri. *Lex* enim, ut arbor scientiæ boni et mali, ad explorationem obedientiæ nobis datur, et per peccatum non minus ac illa, fit occasio mortis, et ministerium condemnationis. *Evangelium* vero est arbor vitæ salutaris et vivifica, quia est *Verbum vitæ*, Jo. vi. 68. Tertio, Illa *Adami*, a quo peccatum et mors fluxit: Ista vero *Christi*, a quo justitia et vita oritur, 1 Cor. xv. 22, imaginem exhibet.

QUÆSTIO VI.

An Adamus promissionem habuerit vitæ æternæ et cœlestis, ut peracto obedientiæ curriculo in cœlum evehendus fuerit? Affirm.

Status Quæstionis.

I. Quæstio hæc a variis nobis movetur. Primo a *Socinianis*, qui ut mortalitatem primi hominis asserant, et mortem non esse pœnam peccati, sed sequelam naturæ evincant, pertendunt, fœdus Dei cum Adamo non fuisse spirituale, sed de animalis tantum et terrenæ vitæ commodis, nullamque illi aliam expectandam fuisse beatitudinem præter terrenam et animalem, qua fruebatur in Paradiso, obnoxiam esui et potui, et aliis vitæ necessitatibus, quæ etiam morte abrumpi debuerit. Unde promissum vitæ æternæ referunt ad bona N. T. Nec ullam spem ejus factam primo homini contendunt, vel subobscuram tantum aliquam significationem ex arboris vitæ ænigmate hauriendam. *Soci.* Prælect. c. i., *Volkel.* lib. iii. c. 11.

II. Secundo, ab iis qui triplex fœdus constituentes, Naturale, Legale et Evangelicum, ita promissionem unicuique fœderi additam exponunt, ut sola *Evangelica* fuerit vitæ æternæ in cœlis peragendæ, *Legalis* constiterit in beatitudine perfectissima, cum animi tum corporis fruenda in terra Canaan; Promissio vero fœderi naturali annexa non alio respexerit, quam ad "vitam perpetuam et affluentem omni bonorum genere, quæ cum in animam, tum in corpus hominis in statu integræ naturæ constituti competere possunt, eamque in Paradiso terrestri fruendam," ut loquitur *Cl. Amyraldus*, Disp. de tribus Fœder. Th. 11.

III. Recepta vero apud Orthodoxos sententia est, Promissionem Adamo datam, non fuisse tantum vitæ felicis continuandæ in Paradiso, sed cœlestis et æternæ, ad quam evehendus fuisset Adamus emenso obedientiæ perfectæ et perseverantis curriculo, quod Deus illi præscribere voluisset ad ejus obedientiam explorandam. Hinc patet, Non quæri, An Adamus immortalitatis privilegium habuerit in statu integro, quod antea contra Socinum probavimus: Non, An illi promissio data fuerit felicitatis et vitæ perpetuo duraturæ, si in integritate perstitisset; quod non negant Viri Docti, adversus quos hic agimus: Sed, An felicitas illa et vita transigenda fuerit in cœlis, An tantum in terra et Paradiso. Posterius affirmant; Nos prius.

IV. Rationes sunt, 1. Quia Lex operum habuit promissionem vitæ cœlestis et æternæ; Ergo etiam Lex præscripta Adamo, quia eadem est

Digitized by Google

Lex utrobique quoad substantiam: prius patet ex Levit. xviii. 5, *Qui fecerit ista, vivet in illis;* Matt. xix. 16, 17, *Si vis intrare in vitam*, nimir. cœlestem, *serva mandata*, et Rom. vii. 10, *Præceptum* dicitur *esse datum ad vitam*, non utique terrenam, sed cœlestem. Cum vero post lapsum Lex neminem possit justificare; necessario in Adamo integro hæc promissio locum habuisset.

V. Secundo, confirmatur ex eo, quod Christus vitam æternam et cœlestem, quam nobis confert, non aliter acquisivit, quam quia factus sub Lege, Legis δικαίωμα pro nobis implevit, Rom. viii. 4, Gal. iv. 5, quod fieri non potuisset, nisi Lex vitam cœlestem obedienti addixisset. Ut enim non aliam obedientiam Deo Patri præstitit, præter eam, quam Lex exigebat; Ita non aliam vitam acquisivit per impletionem Legis, quam quæ Lege promittebatur. Adde quod cum Christus mortuus sit, ut per ipsum recuperemus quod amisimus in Adamo, et vitam cœlestem nobis meritus sit; Necesse est illam nobis periisse in Adamo, et Adamum ad illam perventurum fuisse, si perseverasset in obsequio. Nec Christus arbor vitæ appellaretur, nisi eam vitam nobis restitueret, cujus promissionem hæc arbor protoplastis obsignabat.

VI. Tertio, Quia *comminatio mortis*, quæ denunciatur transgressori, complectitur et temporariam, et æternam mortem in inferis subeundam. Ea enim mors intelligitur, cujus propter peccatum imperium nactus est Diabolus, Heb. ii. 14. At is habet imperium mortis æternæ in gehenna patiendæ. Ergo et promissio vitæ illi opposita, vitam cœlestem et æternam includit; Consequentiæ ratio pendet ex Dei bonitate, quæ non minor est ejus justitia. Quod si Legislatores solent mitioribus pœnis transgressores plectere, et amplioribus præmiis obedientes remunerari; Quanto magis hoc de Deo optimo et munificentissimo Legislatore dicendum, qui tardus est ad iram, et multus misericordia? An Deus delectaretur pœnas aggravare, et præmia minuere? pœnas spirituales, æternas et infernales denunciare, et promissiones tantum terrenas largiri?

VII. Quarto, Hoc exigit summa Dei bonitas sui communicativa, quæ cum creaturæ rationali ad id conditæ, et inter omnes creaturas Dei capaci, non possit non se communicare, debet et se fruendam exhibere naturæ suæ convenienter, id. spirituali modo: Nam corporalia et terrestria bona possidere, non est illo frui ut Deo, id. ut solido et immutabili bono; maxime cum fœdus, in cujus societatem illum cooptat, non quævis, sed præstantissima bona in intima Dei communione polliceatur, quæ alia esse non possunt, quam æterna et cœlestia.

VIII. Idem postulat quinto, *Hominis ipsius dignitas*, qui cum nobilissima sui parte spiritus sit, originis proinde cœlestis, qui cœlestium bonorum desiderio vehementi tangitur, quibus solis appetitus ejus infinitus summi boni expleri potest; Non potuit in terra plenam suam felicitatem consequi, sed cœlo tandem donandus fuit, ubi plenissima et perfectissima Dei communione, in qua situm est summum ejus bonum, frui potuit. Nam licet in terris se utcunque homini fruendum dare potuerit; Certum est immediatam et absolutam omnibus numeris Dei fruitionem, extra beatificam visionem, quæ in cœlo demum expectari potest, quærendam non esse.

IX. Sexto, Quia alius debet esse *Status viæ*, et *Status Patriæ;* locus certaminis et explorationis, et locus præmii et mercedis. At paradisus terrestris fuit locus explorationis, et vita, qua in eo fruebatur, status viæ; Ideo debuit alius locus assignari statui patriæ, in quo præmium promittebatur, qui non potuit alius esse præter cœlum. Alias sequeretur nullum bonum illi promissum fuisse, cujus antea particeps non factus esset ante

Digitized by Google

perfectam obedientiam Legi præstitam, quia jam in paradiso vita beata, et omni bonorum genere cumulata fruebatur. Mitto, quod si Adam perseverasset in sua obedientia, impossibile fuisset ei et toti suæ posteritati perpetuo in terris manere. His enim numero crescentibus per generationem nemineque in cœlum translato, intra bis mille annos angustior fuisset terra, quam ut totum genus humanum continuisset. Quanto minus eos omnes capere et nutrire unus Hedenis hortus potuisset? Ex quibus omnibus patet promissionem Adamo datam non fuisse demum vitæ beatæ in terris peragendæ, sed cœlestis et æternæ, quod *Calvinus* in Gen. ii. 17, observat, "Terrena quidem vita illi fuisset temporalis, in cœlum autem sine interitu, et illæsus migrasset."

Fontes Solutionum.

X. *Fœdus naturale* non ideo dicitur, quod nihil conferat supra naturam, et conditionem, quam homo habuerat a Creatione, sed quia nitebatur naturæ viribus, et obedientia, quam juxta illas præstare debuit. Nec si proportio non datur inter officium præscriptum, et cœlestis vitæ beneficium, sequitur locum habere non posse talem promissionem; quia gratis et falso supponitur promissiones Dei regulari secundum proportionem meriti nostri, cum contra pendeant a voluntate et bonitate Dei; Ut nulla proportio fuit inter Angelorum constantiam, originem suam servantium, et infinitum confirmatæ vitæ cœlestis præmium. Ut enim Deus citra condignum punit, ita ultra condignum longe remuneratur.

XI. Licet Scriptura expressam mentionem non faciat vitæ cœlestis Adamo conferendæ, satis clare colligitur per legitimam consequentiam, ex opposita comminatione mortis gehennalis, et ex sacramentali promissionis istius obsignatione per arborem vitæ, cujus significationem homini non ignotam fuisse certo certius est. Quamvis enim Moses obscurius id tradat, sicut pleraque ad fœdus istud pertinentia, quæ tanquam fugientis imaginis umbram, tenui tantum luce spargit, ad repræsentandum ejus ἀφανισμὸν, dubium tamen esse non potest, quin distinctius hæc primo homini revelata fuerint.

XII. Christus solus dat nobis promissiones vitæ æternæ in statu peccati; Sed in statu naturæ Adamus potuisset illas habere per propriam obedientiam ex pacto Dei.

XIII. *Promissiones* novi fœderis dicuntur *meliores* promissionibus veteris, Heb. viii. 6, non quoad *substantiam*, quia eadem vita cœlestis et æterna utrobique promittitur; sed quoad *modum*, quia, ut longe nobiliori modo acquisitæ sunt per Christum; ita longe *clarius* et *efficacius* proponuntur, et certius ac firmius in manu Mediatoris applicantur, quatenus non datur tantum nobis *auxilium sine qua non* perseverare possimus, ut Adamo, sed *auxilium quo* certo perseveremus. Deinde possunt dici *meliores*, quoad objectorum conditionem; nam fœdus operum vitam tantum homini perfecte justo et merenti promittit; Sed fœdus gratiæ non vitam tantum, sed etiam salutem homini plane immerenti et indigno, puta peccatori, pollicetur.

XIV. Quamvis fœdus hoc naturæ caruerit Mediatore, non minus tamen potuit vitam cœlestem promittere et conferre Adamo perseveranti; Ut Angeli potuerunt sine Mediatore in bono confirmari.

XV. Alia debet esse beatitudo et perfectio viæ, alia vero patriæ. Licet nihil defuerit Adamo in paradiso ad beatitudinem et perfectionem, quæ convenit statui viæ, deesse tamen plura poterant, quæ requiruntur ad beatitudinem patriæ.

XVI. Quum Paulus, 1 Cor. xv. 45, 46, ait primum Adamum factum

Digitized by Google

fuisse in *animam viventem*, sed secundum in *spiritum vivificum*, illum *animalem* et *terrenum* fuisse, istum vero *spiritualem* et *cœlestem;* Non innuere vult quid Adamo promissum fuerit, vel non promissum; sed tantum quænam fuerit utriusque Adami conditio, et quid posteris communicare debuerint, nimir. Adamus vitam tantum animalem, sed Christus cœlestem et æternam per Spiritum suum vivificum. Sed ut secundus Adamus non fuit ita de cœlo respectu suæ Divinitatis, quin haberet etiam aliquid τοῦ χοϊκοῦ in carne nostra quam assumpsit: Sic nec primus ita fuit ψυχικὸς et terrenus respectu sui corporis e terra facti, et respectu functionum animalium, quæ spectant propagationem speciei, et conservationem individui, quin etiam moraliter spiritualis fuerit, sapientia, justitia, et sanctitate præditus, adeoque iis dotibus ornatus, per quas capax erat vitæ æternæ et cœlestis.

XVII. *Caro* et *sanguis* non possunt hæredare Regnum Dei, 1 Corinth. xv. 50, non quatenus spectantur simpliciter *physice*, et *substantive*, alias carnis resurrectio non esset credenda; sed tantum *moraliter*, et *qualitative*, ut sunt corruptioni per peccatum obnoxia, quod Adamo in statu naturæ non conveniebat. Quamvis vero Adamus in illo statu non potuisset vita cœlesti donari citra aliquam immutationem, ut a statu animalitatis, qui obnoxius est esui et potui, et somno et quieti, et aliis vitæ necessitatibus, transiret in statum gloriæ, in quo ab illis eximendus fuit; non necesse fuit statim modum et rationem istius immutationis illi revelari; sufficiebat Adamo nosse τὸ ὅτι, licet τὸ πῶς ignoraret.

QUÆSTIO VII.

DE PARADISO.

An Paradisus terrestris hodie adhuc supersit? Neg.

Status Quæstionis.

I. Non quæritur hic, Quis, Qualisve Hortus Hedenis extiterit, quemve locum in Orbe terrarum habuerit, de quo variæ et discrepantes sunt Doctorum sententiæ, quas *Bellarminus*, lib. de gratia primi hominis, cap. xii., operose refert et expendit. Licet facile sit ex Mosis narratione, et Topographia Paradisi quam proponit, colligere, non alibi quærendum esse, quam in Mesopotamia circa Babylonem. Sed agitur hic tantum de ejus præsente existentia. An hodierno die adhuc Hortus ille supersit, ubicunque terrarum sit?

II. Quæstio hæc nobis intercedit cum variis ex Pontificiis, qui asserunt ipsum Hortum adhuc superesse, "loco quidem nobis ignoto, definito tamen in terra nova, et a peccatorum consortio remoto, ubi Enoch et Elias degant tantisper, donec inde prodeuntes contra Anti-Christum eum tandem debellent." Quo fine vero hoc ita statuant, non est obscurum; nimirum ut vulgo persuadeant Pontificem suum non esse Anti-Christum, prout a nobis dici solet, utpote qui proditurus demum sit sub finem seculi, redeuntibus Enocho et Elia, qui nondum apparuerint, quæ est *Bellarmini* sententia, cap. xiv. de gra. primi hom., *Sixti Senensis* biblio, lib. v. anno. 36, et aliorum.

III. Non pauci tamen ex Pontificiis ab ipsis hac in parte discedunt, ut *Pererius*, *Jansenius*, *Suarezius*, *Viegas*, *a Lapide*, et alii, qui uno ore asserunt hortum illum aquis diluvii obrutum, adeoque ita eversum et dirutum fuisse, ut non amplius supersit. Nos locum quidem superesse non negamus circa Euphratem in Mesopotamia, sed hortum ipsum jam olim vasta-

Digitized by Google

tum et destructum statuimus universali diluvio, vel etiam singulari aliquo Dei judicio nobis incognito, ne reditum in illum homines affectarent, et scirent alium quærendum esse longe præstantiorem, nim. cœlestem, qui nullo diluvio deleri possit, sed in æternum ad felicitatem piorum sit perennaturus.

www.libtool.com.cn

Paradisum non superesse probatur.

IV. Rationes sunt, 1. Quia, Gen. vii. 19, 20, diluvii aquæ ita per totum orbem terrarum invaluisse dicuntur, ut altissimos quosque montes quindecim cubitis superarint. Ergo delere etiam hortum istum debuerunt. Quod vero Bellarm. ait, credibile esse aquas diluvii in paradisum non penetrasse, et quod de montibus quos superaverint aquæ narratur, intelligendum esse de illis montibus, qui a peccatoribus in terra habitata incolerentur; eadem facilitate rejicitur, qua gratis et sine fundamento proponitur. Imo Scripturæ aperte repugnat, quæ non loquitur tantum de quibusdam montibus, sed de omnibus, v. 19, "Operti sunt montes altissimi, qui sunt sub universo cœlo." At propositio universalis non debet restringi, nisi in ipsa Scriptura exceptio fiat, vel ratio necessaria eam exposcat, quæ nulla hic datur: Nam quæ affertur de Enochi salute postea refelletur. Imo ipse Bellarminus sua vineta cædens fatetur postea, aquas in Paradisum penetrasse, et si non omnino destructum, detrimentum tamen aliquod accepisse, sed non totale, *quia non mutaverit situm loci, nec aëris temperamentum, nec arbores omnes eradicaverit, vel arefecerit.*

V. Secundo, Quia nullum amplius existit, vel deprehenditur Paradisi vestigium, nec in Mesopotamia, in qua, ut diximus, probabilissimum est fuisse, quia est regio amœnissima, ubi reperiuntur flumina Paradisi Euphrates et Tigris, ubi est terra *Eden* quæ nomen dedit Paradiso, Gen. ii. 8, vicina Charan, 2 Reg. xix. 12, Ezec. xxvii. 23; nec uspiam alibi.

VI. Tertio, Si Paradisus speciali privilegio conservatus fuisset a Deo, et immunis ab aquis Diluvii; frustra Noachus tanto tempore et sumptu Arcam confecisset, in quam se reciperet, cum facile potuisset in Paradisum cum familia sua, et cæteris animantibus, migrare, ubi tutus fuisset ab inundatione.

VII. Quarto, Si Paradisus conservatus est, aliqua proculdubio de causa conservari debuit, et in aliquem finem. Sed nulla ratio potest ejus reddi. Nam ea quam Adversarii fingunt, nimirum ut Enoch et Elias eo transferrentur, ut congruentem suo statui sedem haberent, donec tempus esset, ut cum Anti-Christo congredientes, vitam cum morte commutarent, futilis est et absurda fabula, quæ nullo fundamento nititur. Dubium quidem non est Enochum et Eliam in Paradisum fuisse translatos, ubi in æternum vivere debent; sed cœlestis fuit, non terrenus; Paradisus scilicet ille, *in quo Paulus audivit verba ἀῤῥητα*, ut Irenæus loquitur lib. v. cap. 7, quia de Elia constat eum raptum esse in cœlum in turbine, 2 Reg. ii. 11, et de Enocho quod translatus sit, scilicet in cœlum, ne mortem videret, Heb. xi. 5; non fuisset autem mortalitati exemptus, si adhuc in Hedene asservaretur ad martyrium.

VIII. Locus Syracidis cap. xliv. 16, asserit quidem *Enochum placuisse Deo, et translatum fuisse*, scilicet ex mundo in cœlum, sed additamentum illud, quo dicitur *translatus in Paradisum*, non extat in Codice Græco, sed insertum est a V. Interprete, et a Concilio Tridentino perperam approbatum. Adde quod aliud est transferri in paradisum, aliud transferri in paradisum terrestrem; prius asseritur apud Syracidem ex V. Versione, sed non posterius.

IX. Frustra Bellarminus, ut probet Anti-Christum nondum venisse, ne

Digitized by Google

cogatur eum in suo Pontifice agnoscere, fingit li. iii. de Rom. P. cap. 6. Enochum et Eliam asservari in Paradiso, et inde redituros sub finem mundi, ad pugnandum cum eo, et ab ipso trucidandos; Cum talis commenti nec vola, nec vestigium in Scriptura occurrat. Quod dicitur de Eliæ adventu Malac. iv. 5, in Johanne Baptista impletum esse constat ex Luc. i. 17, et Christus ipse testatur Matt. xi. 14, "Si vultis credere, ipse est Elias qui venturus erat," et Marc. ix. 13, "Dico vobis Elias ille jam venit, et fecerunt ei quæcunque voluerunt." Judæi credebant Eliam mittendum fuisse, priusquam regnum suum Messias auspicaretur; fatetur Christus id quidem verum esse, sed factum jam fuisse testatur. Qui ergo dicunt Eliam, qui juxta Malachiæ oraculum ante Messiæ adventum primum mittendus erat, nondum venisse, iis necessario fatendum est, nondum venisse Messiam. Nec reponi potest Malachiam loqui de ultimo adventu, quia vocat illum diem Domini *magnum et horribilem;* quia vox נורא non significat tantum horribilem, sed etiam *reverendum*. Deinde adventus Christi primus ita dicitur, quia "magnus est sanctis, horribilis peccatoribus," ut ait Hiero. "Nisi enim venisset Christus ad Judæos non habuissent peccatum," &c. Joh. xv. 22. Sed cum Christum venientem respuissent, ille terram *eorum* excidio percussit ex oraculo Prophetæ Malac. iv. 6. Atque respectu hujus judicii et excidii, quod Christi adventum erat subsecuturum, adventus ipse Christi ut terribilis describitur Mal. iii. 2, et a Joh. Baptista, Matt. iii. 10. Nec si *Elias* dicitur *venturus* Matt. xvii. 11, hoc ita intelligendum est, quasi adhuc venturus esset, sed quia juxta Malachiam olim venturus erat, et restituturus omnia, quod *Abulensis*, in Matt. xi. ita exponit, qui venturus est, id est, "qui venturus erat; nam jam venerat: sed dicitur, qui venturus, quia venturus promittitur in Scripturis," ut Matt. xi. 3, Joh. Bapt. per discipulos suos Christum interrogat, *Tune es, qui venturus es?* Christus jamdudum venerat, ac proinde venturus dicitur, non quia tunc venturus, sed quia juxta prophetias S. Scripturæ venturus erat, ut sæpe solet Scriptura mutato statu retinere nomen antiquum.

X. *Bini testes* de quibus agitur Apoc. xi. 3, non possunt referri ad *Enochum* et *Eliam*, quia semel immortalitate donati ulterius morti obnoxii non sunt, ut vel neci possint tradi ab Anti-Christo, vel resurrectione opus habeant. Sed hoc refertur, vel ad V. et N. Testamentum, quod testimonium perhibet Christo, et quod impie prohibuit et fœdavit Bestia; Vel ad ipsius Verbi Præcones, qui Reformationem præcesserunt, et viam illi aperuerunt, qui aptius dicuntur *bestiæ sese opponere, occidi, habere cadavera, non sepeliri, reviviscere* in successoribus; qui *bini* dicuntur, sive propter paucitatem, numero certo pro incerto posito, sive, quia ut plurimum Deus ad Ecclesiam suam instaurandam binos et binos emisit, ut Mosem et Aaronem, Eliam et Elisæum, Zorobabelem et Josuam in Veteri Testamento, et in Novo, Discipuli bini et bini mittuntur ad prædicandum, Marc. vi. 7, in Reformatione excitavit Joannem Hussium, et Hieronymum Pragensem in Bohemia, Zuinglium et Oecolampadium in Helvetia, Lutherum et Melancthonem in Germania, Calvinum et Farellum in Gallia.

XI. Licet non pauci ex Veteribus commentum de Paradisi duratione, et de sede Enochi et Eliæ in illo adoptarint; Non sequitur statim recipiendum esse, cum destituatur Verbo Dei, imo non obscure illi repugnet: fons erroris videtur petendus, partim a Translatione Græca duobus in locis depravata, Malac. iv. 5, ubi secundum veritatem Hebraïcam legitur *Mitto vobis Eliam Prophetam*, Græca versio habet Ἠλίαν τὸν Θισβίτην, *Eliam Thisbitem*, quasi hoc de persona Eliæ Thisbitæ esset intelligendum; Et 2 Reg. ii. 1, 11, ubi juxta Hebr. legitur Eliam fuisse *assumendum*, vel

Digitized by Google

assumptum in cœlum, sed Græca ὡς εἰς τὸν οὐρανὸν, *tanquam in Cœlum*; partim a traditione quadam sublestæ fidei, quæ videtur originem duxisse a Papia Hierapolitano, qui eam a Senioribus Asiæ Apostolorum discipulis traditam, cum aliis multis fabulis et ineptiis, homo exigui judicii, et plurimarum fabularum inventor, teste Eusebio, lib. i. c. 39, posteritati commendavit, ut quod de quinquagenaria Christi ætate in terris, et millenario ejus Regno tradit.

XII. Non necesse est ut ramus oleæ, quem columba fregit, et ad Noachum in Arcam attulit, petitus fuerit ex Paradiso; quia jam imminutæ fuerant aquæ, et per multos dies Arca in montibus Ararat steterat immota, atque ita olea quæ semper viret potuit habere folia, quæ columba fregerit; *olea enim*, teste Plinio, lib. xvi. c. 20, *perpetuo virens, pinguedine sua folia nunquam dejicit.*

XIII. Cæterum non sine mysterio videtur Deus voluisse Paradisum hunc deleri, ut innueret, alium longe feliciorem jam nobis quærendum esse, paratum fidelibus a Deo per Christum, non in terra, sed in cœlo, Luc. xxiii. 43, Apoc. ii. 7, consitum innumeris arboribus mysticis et divinis fructus saluberrimos ferentibus, Apocal. xxii. 2, irriguum fluvio perenni aquæ vivæ, et torrentibus deliciarum, Ps. xxxvi. 8, unde peccatum et mors in æternum exulant: ex quo Satan semel pulsus, eo nunquam rediturus est, in quem fidelis receptus nunquam inde ejiciendus est, cujus aditum Angeli non prohibent, sed quo animas nostras deferunt, ut in visione Dei omnigena felicitate fruantur, et æternum sabbatum agant.

www.libook.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS NONUS.

DE PECCATO, IN GENERE ET SPECIE.

Digitized by Google

Ratio formalis peccati est ἀνομία.

V. Hinc sequitur rationem formalem peccati in ἀνομίᾳ et *privatione* consistere, quæ notat carentiam rectitudinis seu bonitatis secundum præscriptum Legis debitæ inesse Creaturæ rationali, sive ea naturæ sit, seu qualitatum, sive actionum ipsarum, privat enim utrasque conformitate cum Lege, atque ita peccati reas eas constituit. Sed *privatio* ista, non est *pura*, vel *simplex*, sed *corrumpens*, non *otiosa*, sed *actuosa*, non *puræ negationis*, sed *pravæ dispositionis*, qua non tollitur tantum rectitudo debita, sed ponitur etiam irrectitudo indebita, et prava qualitas, quæ singulas facultates inficit. Ut morbus physicus non est tantum sublatio temperiei humorum, sed etiam prava dispositio et δυσκρασία humorum. Ita peccatum, quod habet rationem morbi ethici animi, non est tantum negatio bonæ, sed positio pravæ dispositionis. Ut ergo quatenus est carentia justitiæ debitæ inesse, bene dicitur *Privatio:* ita quatenus animam inficit et corrumpit, *prava qualitas* vocatur; et per maculam et labem solet describi. Hinc Thomas 1. 2. q. 81, art. 1. "Ut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas sanitatis, et aliquid habet positivi, scilicet ipsos humores inordinate dispositos: Ita peccatum originale, &c. non est pura privatio, sed quidam habitus corruptus," &c.

VI. Hoc respectu sunt qui peccato aliquod *esse positivum* tribuunt, non *absolute* et *physice*, quasi sit subsistens aliquid, quod habeat entitatem aliquam physicam, et a Deo sit conditum; Sed tum *logice*, quia vere affirmatur de subjecto, tum *ethice*, quatenus est corruptus quidam habitus inficiens facultates morales, et actus ex illis promanantes, opposite ad merum nihil, quia aliud est nihil agere, aliud male agere, vel ad simplicem privationem, quæ subjectum quidem rectitudine debita privat, nullam tamen qualitatem contrariam ponit.

VII. Non omne quod includit aliquid positivi cum bono vel Ente convertitur: sed quod proprie et omni modo est positivum, præcipue substantiale, et quod in conceptu suo non implicat privationem, vel defectum, Tale etiam solum est a Deo, et est expetibile; Sed eadem non est ratio illius, quod positivum tantum vocatur secundum quid, vel logice, vel ethice, quale est peccatum.

VIII. Licet peccatum in conceptu suo privationem involvat; non desinit tamen discrimen esse inter peccata omissionis et commissionis: Nam illa in præcepta affirmantia; Ista in negantia incurrunt. In illis privatio tollit totam substantiam actus, et bonitatem illius objectivam; In istis substantia actus non tollitur, sed ejus bonitas tantum actualis. Privatio omissionis immediate existit in potentia, per quam homo debuisset operari, sed altera est immediate in actione, quæ caret debita honestate.

IX. Quamvis infantes non sint Legis capaces quoad actum, sunt tamen quoad habitum, utpote Creaturæ rationales, quibus Lex præscribit omnimodam sanctitatem tam habitualem, quam actualem. Unde peccatum originale recte dicitur esse contra Legem, quia est privatio rectitudinis originalis quam Lex in homine exigit.

X. Virtutes Gentilium possunt esse secundum Legem ratione *substantiæ operis;* licet sint contra Legem ratione *modi operandi*, qui aberrat multifariam.

www.hathitrust.org
Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An τὸ ἑκούσιον sive voluntarium, quatenus est illius, qui sciens et volens aliquid agit, sit de essentia peccati? Neg., contra Pontif. et Socin.

I. *Pontificii* et *Sociniani* litem hanc nobis movent, ut facilius veram peccati originalis naturam obscurent, et motus primos naturæ, utcunque fœdos et turpes, qui non sunt ἐφ' ἡμῖν, ac pleno animi assensu carent, peccata esse negent. Ideo nihil volunt peccati rationem habere, nisi quod pariter sit voluntarium, nimirum quod fit scienter et ἐκ προαιρέσεως, *Bell.* lib. i. de Amiss. gra. c. 1, *Socin.* Disp. ii. cont. Frantz.

Status Quæstionis.

II. Nos quæstionem duplici distinctione solvimus. Primo, *Voluntarium*, vel *stricte* dicitur, vel *late;* Priori sensu pro eo quod fit per actualem motum voluntatis; posteriori pro eo quod quomodocunque vel voluntatem affecit, et illi inhæret, vel a voluntate pendet. Hic vero non agitur de voluntario late dicto; Non negamus enim peccatum esse in voluntate, et hactenus voluntarium posse dici saltem subjective. Sed agitur de voluntario stricte dicto, quod involvit actum προαιρέσεως et voluntatis, quo sensu negamus omne peccatum esse ἑκούσιον.

III. Secundo, *Involuntarium* bifariam dicitur, vel *positive*, vel *negative*. Illud idem est cum invito, quod tale est per *nolitionem positivam;* hoc sensu damus nullum peccatum posse esse involuntarium; Istud est, quod fit cessante actu voluntatis, cum agere debuisset, quod tale dicitur per *nolitionem negativam*. Hoc sensu non necesse est ut omne peccatum sit voluntarium.

IV. Ratio est, Quia hoc requisitum, nec omni peccato, nec soli, nec semper convenit. Non *omni*, quia nec dici potest de *peccato originis*, quod antecedit omnem voluntatis et libertatis usum, et quod licet sit in voluntate *subjective*, non est tamen ab ea *originaliter*. Non *peccatis ignorantiæ* et *imprudentiæ*, quæ vocantur a 70. Numer. xv. 27, ἁμαρτίαι ἀκούσιοι, tam ex ignorantia accersita, qualis fuit Noachi et Lothi, qui ebrii peccarunt, quam ex simplici, qualis fuit Abimelechi rapientis uxorem Abrahami, et Pauli, 1 Tim. i. 13. Non *soli*, quia τὸ ἑκούσιον est affectio communis omnium actionum, quæ fiunt ἐκ προαιρέσεως. Non *semper*, quia quandoque datur lucta in actionibus peccaminosis, ut quum Paulus peccatum facit, quod nonvult et odit, Ro. vii. 16.

V. Motus primo primi concupiscentiæ non desinunt esse peccata, licet nec sint plene voluntarii, nec in nostra potestate; *peccatum non cognovi nisi per Legem: Nam ipsam quoque cupiditatem non novissem esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces*, Rom. vii. 7; imo effrænatos ipsos concupiscentiæ motus non modo vocat *peccatum*, sed *peccatum καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν*, v. 13. Quamvis vero motus illi non sint in nostra potestate, quia tamen fuerunt in principio ἐφ' ἡμῖν, et debent esse ex hominis officio, non desinunt esse peccata.

VI. Cupiditas contradistinguitur peccato, non simpliciter, sed certæ ejus speciei, nempe peccato consummato, quod membris externis peragitur, Jac. i. 14, 15.

VII. *Ignorantia* excusare quidem potest *a tanto*, sed non *a toto*, eaque non *juris*, sed *facti*, non *vincibilis*, *affectata*, et ἐπίτηδευτος, sed *invincibilis* et *involuntaria*, non *pravæ dispositionis*, quæ culpabilis et error dicitur, sed *puræ negationis*, quæ *nescientia* vocatur.

VIII. Quum Augustinus ait lib. de Vera Relig. c. 14. "Usque adeo voluntarium esse peccatum, ut nequidem peccatum sit, nisi voluntarium

Digitized by Google

sit," hoc non intelligendum est de quolibet peccato, sed tantum de actuali, ut exponit, lib. iii., cont. Julian. c. 5, "Frustra putas ideo in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in iis nulla est, esse non potest. Hoc enim recte dicitur propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium."

IX. Voluntarium duplex est, vel *radicaliter* in *actu signato*, vel *actualiter* in *actu exercito*. Peccatum non semper est voluntarium actualiter et in actu exercito, quia datur peccatum originale; Sed potest dici voluntarium radicaliter, quia propria sedes peccati est voluntas in omni peccato.

X. Quod est necessarium necessitate physica, vel coactionis, non potest habere rationem peccati; Sed quod est necessarium necessitate hypothetica et rationali, non statim tollit peccatum.

QUÆSTIO III.

An reatus sit formale peccati, vel adjunctum ejus inseparabile? An vero tantum ejus effectus? Et An bene distinguatur in reatum culpæ et pœnæ?

Duo effecta peccati, Macula et Reatus.

I. Duo vulgo peccati effecta dicuntur, *Macula* et *Reatus*. *Macula* est pollutio spiritualis et ethica, qua hominis anima inficitur. *Reatus* est obligatio ad pœnam ex prævio delicto. Illa est inhærens in homine, Iste vero adhærens coram Deo: Illa pravum facit hominem, Iste miserum. Juxta primam σχίσιν *peccata* vocantur *sordes*, *morbi*, *vulnera*; Juxta posteriorem vero *crimina*, *offensæ*, *debita*. Illa potest manere isto sublato. Posterior respondet *justificationis* beneficio, quo Christus aufert a nobis reatum ex imputatione justitiæ suæ; Prior vero *sanctificationis gratiæ*, qua macula eluitur per Spiritus S. efficaciam.

Quid sit Reatus et quotuplex.

II. *Reatus* politice nihil aliud est, quam status et conditio in qua sunt rei, donec vel absolvantur, vel condemnentur. Theologice vero dicitur *obligatio ad pœnam ex peccato*. Ut vero obligatio illa potest considerari, vel in *actu primo* pro obnoxietate, seu merito pœnæ, vel in *actu secundo* pro ipsa obligatione, seu ordinatione actuali ad pœnam ex judicio Dei; Hinc duplex oritur

Potentialis et actualis.

reatus; alius qui *potentialis* dicitur, qui notat meritum intrinsecum pœnæ, quod a peccato inseparabile est; alius vero *actualis*, qui per Dei misericordiam ab eo separari potest, per remissionem scilicet, quæ proprie est reatus actualis ablatio. Ille pertinet ad peccati *demeritum* et τὸ κατακριτικὸν seu *condemnabilitatem*, quæ semper peccato adhæret; Iste vero ad *demeriti judicium*, seu τὸ κατάκριμα, *condemnationem*, quæ tollitur in iis, quibus venia peccati facta est.

Reatus non est formale peccati.

III. Unde patet non satis accurate *Reatum* a Scholasticis dici *formale peccati*, cum sit tantum ejus consequens, quod ex ἀνομίᾳ oritur. Ut enim Lex potest spectari, vel respectu mandati, vel respectu sanctionis, seu comminationis additæ, Peccatum duplicem σχίσιν ad eam habet; respectu prioris, quatenus refertur ad sententiam Legis aliquid præcipientem, vel interdicentem, dicitur ἀνομία, quatenus vero refertur ad comminationem, *reatus*. Hinc fit, ut reatus, saltem actualis, de quo præcipue agitur, a peccato separari possit; Nam in renatis est ἀνομία et non reatus, Rom. viii. 1; In Christo contra, est reatus, Isa. liii. 5, 2 Cor. v. 21, quia Sponsor noster; sed nulla tamen ἀνομία, 1 Pet. ii. 22, 1 Joan. iii. 5, Joan. viii. 46. Aliud ergo est ἀνομία,

Digitized by Google

Aliud vero κεῖμαι, quod eam comitatur; Illa peccati naturam constituit; Istud vero eam consequitur, et ab ea necessario pendet.

IV. Consequitur vero peccatum reatus, partim ex jure Dei naturali et indispensabili, quod fundatur in ejus Justitia, et intrinseco peccati demerito, quia res est natura sua mala et turpis, quam Deus non potest non odisse, Rom. i. 32, Habac. i. 13, partim ex sanctione Legis divinæ, quæ pœnam peccato denunciat, et quæ non potest non impleri.

V. Quamvis vero sanctio Legis necessario impleri debeat, atque hoc sensu reatus nunquam separetur a peccato; quia tamen potest substitui sponsor in locum peccatoris, qui reatum ejus in se recipit; hinc fit ut separari possit a *persona peccante*, non sane per *naturam*, vel *ex Lege*, quæ talem substitutionem ignorat; sed per *gratiam ex Evangelio*.

VI. Perperam vero a Pontificiis distinguitur *reatus*, in *reatum culpæ et pœnæ*. *Reatus culpæ* illis dicitur, quo peccator ex se indignus est Dei gratia, dignus autem est ipsius ira et damnatione, *Pœnæ* vero, quo obnoxius est damnationi, et ad eam obligatur: Priorem reatum tolli aiunt per Christum; Posteriorem vero remanere posse, saltem quoad reatum pœnæ temporalis. Sed vanitas distinctionis patet ex natura utriusque; Cum enim culpa et pœna relata sint, et reatus nihil aliud sit quam obligatio ad pœnam, quæ nascitur ex culpa, se mutuo ponunt et tollunt, ita ut sublata culpa et ejus reatu, necessario auferri debeat ipsa pœna, quæ nonnisi propter culpam potest infligi: alias culpa remissa dici non potest, vel ejus reatus ablatus, si peccatori pro ea adhuc aliquid luendum superest.

VII. Licet fidelibus post culpam remissam pœnæ adhuc quædam a Deo imponantur, ut Davidi et aliis, quia sunt tantum improprie ita dictæ, id. *medicinales* et *castigatoriæ*, ad correctionem ipsorum, non vero proprie dictæ, et *satisfactoriæ*, ad eorem ultionem; non sequitur remissa culpa vel sublato ejus reatu, remanere adhuc reatum ullum pœnæ.

QUÆSTIO IV.

DE PECCATO VENIALI ET MORTALI.

An omnia peccata per se et natura sua sint mortalia? An vero aliquod detur veniale? Prius Affir., Post. Neg., contra Pontificios.

Sententia Pontificiorum de Peccato mortali et veniali.

I. Notum est Pontificios inter varias partitiones peccati, hanc præ cæteris urgere, dum *Peccatum* distribuunt in *mortale* et *veniale*. Scopus ipsorum in eo non est obscurus, nimir. perfectioni Justitiæ, operibus supererogatoriis, meritis operum, et Purgatorio, patrocinium quærere. Licet vero variis inter Pontificios displiceat, ut *Gersoni*, *Almayno*, *Roffensi*, et aliis, quod non dissimulat Bellarm. lib. i. de amis. gr. c. 4, a pluribus tamen recipitur, et a Synodo Tridentina confirmatur, Sess. xiv. c. 5.

II. *Mortalia peccata* ipsis sunt, quæ hominem plane avertunt a Deo, et quibus pœna debetur æterna, similia vulneribus lethiferis, quæ statim vitam extinguunt. *Venialia* vero, quæ non quidem plane avertunt a Deo, cursum tamen ad Deum impediunt, et facili negotio expiantur, vel quæ ex se et sua natura sunt tam levia et minuta, ut non valeant aliquem privare gratia divina, aut facere illum Dei inimicum, aut reddere dignum morte æterna. Hæc vero talia esse volunt, vel ex *genere suo*, vel ex *imperfectione operis*; Illa quæ habent pro objecto rem malam quidem et inordina-

Digitized by Google

tam, non tamen charitati sive Dei sive proximi repugnantem, quale est verbum otiosum, vel jocosum, risus nimius, mendacium officiosum; Ista quæ ob imperfectionem operis venialia esse judicantur, quæ iterum duplicia. 1. Ex *subreptione*, quæ non sunt perfecte voluntaria, quales subiti motus cupiditatis, iræ, vindictæ, &c., qui in animo existunt, priusquam ratio plene deliberare potuerit, an sint admittendi necne. 2. Ex *materiæ parvitate*, quæ in re parva admittuntur, v. g. furtum oboli, quod nec proximum notabiliter lædit, nec hujusmodi est, ut apud homines æquos tollere queat amicitiam.

Status Quæstionis.

III. Hinc patet, Non quæri de peccatorum *paritate*, vel *imparitate graduali*, sed de eorum *demerito essentiali*. Non, An peccata omnia inter se sint paria, quod fuit olim Stoïcorum paradoxum, et quod perperam nobis impingitur ab Adversariis: Nec enim si peccata omnia conveniunt in eo quod sint mortalia, sequitur protinus esse paria in omnibus, quia differre possunt inter se quoad gradus demeriti, ut majorem vel minorem pœnam mereantur; Sed tantum quæritur, An sint ex æquo mortalia.

IV. 2. Non quæritur, An Peccata possint dici *mortalia*, vel *venialia*, ex *eventu:* Fatemur enim, quoad eventum per gratiam Dei multa peccata esse venialia, quæ scilicet remittuntur a Deo, et eo sensu censemus omnia peccata fidelium posse dici venialia, quia nullum est quod eventualiter per Dei misericordiam non condonetur; Et omnia peccata reproborum esse mortalia, quia nullum eorum veniam obtinet: Sed, An talia sint *per se* et *natura sua*, ut quædam mortalia sint, id. morte digna, quædam vero venialia, quæ veniam ex se mereantur.

V. 3. Non quæritur, An admitti possit distinctio relate ad Providentiæ divinæ administrationem in fœdere gratiæ in puniendis peccatis fidelium; An quædam peccata in fidelibus, mortalia possint dici, quia gravia sunt et atrocia, quæ altius vulnerant et vastant conscientiam, quæ actum fidei justificantis impediunt, et præsentem habitudinem tollunt ad Regnum cœlorum, quibus ideo iram et indignationem denunciet, imo exclusionem a Regno cœlorum et mortem æternam interminetur, qualia sunt ea de quibus agitur, 1 Cor. vi. 10; Coloss. iii. 5; Alia vero venialia, quæ sunt leviora et quotidianæ incursionis, quæ gratiæ regimen et operationem non impediunt, nec sensum favoris Dei, aut fiduciam de remissione peccatorum a fidelibus auferunt, qualia sunt, rebelles concupiscentiæ motus, de quibus conqueritur Paulus, Rom. vii., et defectus et nævi, qui etiam optimis renatorum operibus adhærescunt: Hoc sensu non desunt e Nostris, qui peccati mortalis et venialis distinctionem retineri posse censeant, ut Rob. Baro post Theologos M. Britanniæ, in Judicio suo de Perseverantia: quanquam non satis commoda videatur propter Adversarios, et melior sit distinctio peccatorum gravium et levium: Sed quæritur simpliciter de natura peccatorum in se, et juxta rigorem Legis, quæ mortalia omnia esse censemus, nullum vere veniale.

VI. Quæstio ergo eo redit; An peccata omnia per se et natura sua sint mortalia, non ut semper actu morte plectantur, sed ut ea sint digna, et juste plecti possint; An vero quædam mortalia, quædam vero venialia, non ex eventu et per gratiam, sed natura sua et secundum Legem. Posterius volunt Adversarii; Nos prius statuimus.

Nullum dari peccatum veniale probatur. 1. ex Ro. vi. 23.

VII. Rationes sunt. 1. Quia *stipendium peccati mors est*, Rom. vi. 23, et *anima quæ peccavit morietur*, Ezech. xviii. 20, ubi agitur non de aliquo peccato in specie, sed in genere, et indefinite mentio fit peccati, ut quodvis notetur; ideo vel peccatum veniale non est peccatum, vel mortem meretur,

Digitized by Google

adeoque veniale non est. Gratis vero supponitur Paulum agere tantum de peccato graviori pugnante cum gratia et cum justitia; Quia disserit de quovis peccato, etiam de reliquiis peccatorum in regenitis, ut exemplo suo comprobat, Ro. vii., exclamans sub finem, *Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Et scopus ejus hoc evincit, qui est Christianos dehortari a peccatis, non quibusdam tantum, sed omnibus, quia non aliud stipendium habent quam mortem.

www.hubod.com.cn

2. ex Deut. xxvii. 26. VIII. Secundo, Hoc ipsum probat horrendum Legis carmen; *Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scriptæ sunt in libro Legis hujus*, Deut. xxvii. 26, Gal. iii. 10. Si omnis aberratio a Lege maledictionem meretur, et omne peccatum est *ἀνομία*, nullum datur peccatum etiam minimum, quod maledictionem non inferat: Nec dici potest Mosem agere tantum de peccatis quibusdam gravioribus, de quibus egerat in vers. præcedent., puta de idololatria, incestu, homicidio. R. Quia particula universalis omnia complectitur, ut Paulus explicat, Gal. iii. 10, ubi ad sensum magis quam ad sonum respiciens, ex LXX. addit syncategoremata universalia *omnis* et *in omnibus*, et *Legis* simpliciter mentionem facit, non *Legis hujus*, ut comminatio ad totam Legem extendatur. Nec si reipsa et de facto omnes peccatores non maledicuntur, sequitur peccatum omne illam non mereri; sed tantum veniam illius ex gratia obtinere.

3. ex Jac. ii. 10. IX. Tertio, Quia *qui impingit in uno præcepto, reus est omnium*, Jacob. ii. 10, ubi non solum de criminibus agere Apost., sed de peccatis quibuslibet indefinite, et verba ipsius generalia testantur, *quisquis impegerit in uno*, et exemplum *πεφωπολυτίας* ab ipso adductum probat. Cur vero unum præceptum violando homo fiat reus omnium, ratio multiplex redditur. 1. Ab *authore*, quia idem est author omnium præceptorum, ideo in unius violatione offenditur Legislatoris majestas. 2. A *connexione peccatorum*, quia omnia præcepta revocantur ad unum præceptum charitatis, quo violato tota Lex violatur. 3. A *fine Legis*, quæ non partialem, sed universalem obedientiam postulat; ideo qui unum violat, reus est totius Legis violatæ, nec amplius ex Lege vitam potest obtinere.

4. ex Matt. xii. 36. X. Quarto, Quia etiam verbi otiosi ratio reddenda est in die judicii, Matt. xii. 36, tanquam de eo quod per se potest esse causa damnationis, unde v. 37, ut innuat verba illa otiosa, de quibus v. 36 loquebatur, quæ ex Adversariorum hypothesi sunt peccata venialia, sufficientem esse causam condemnationis, addit, *Ex sermonibus tuis justificaberis, et ex sermonibus tuis condemnaberis.* Scopus Christi idem confirmat; qui est ostendere Peccatum in Spiritum Sanctum nunquam remissum iri, argumento a minori, quia si verbum otiosum condemnationem meretur, quanto magis tam atrox blasphemia?

5. Quia gloriæ Dei adversatur. XI. Quinto, Quia omne peccatum gloriæ Dei adversatur, et majestatem ejus infinitam lædit, atque adeo culpam habet suo modo *infinitam*, si non intensive et intrinsece, saltem *objective*, quatenus committitur contra bonum infinitum, et *extensive*, ratione *durationis*, quia labes ejus seu macula durat in æternum, quantum est ex parte peccantis, quia is per se seu propriis viribus expurgare eam nunquam potest, unde seclusa Dei condemnantis misericordia, peccantem in æternum Regno cœlesti excluderet, et pœnis infernalibus subjiceret, quia nihil inquinatum in illud admitti potest. Si ergo culpa est infinita, pœna etiam quæ illi debetur infinita sit oportet, si non *intensive*, quod repugnat creaturæ finitæ; at *objective*, quia separat a bono infinito, nimir. Deo, et *extensive*, ratione durationis.

Digitized by Google

XII. Sexto, Quia peccata levissima possunt non remitti, siquidem remissio quæ fit electis, est plane gratuita, a qua proinde posset Deus abstinere sine injustitia; Ergo possunt in æternum juste puniri, quod dici non posset nisi pœna æterna digna essent. Septimo, Quia Christus pro omnibus peccatis etiam levissimis mortuus est: Ergo omnia sunt mortalia.

www.libtool.com.cn

Fontes Solutionum.

XIII. Aliud est *peccatum mortale*, Aliud *peccatum gignens mortem*. Illud designat quid mereatur peccatum; Hoc quo nos ducat peccatum, si patiamur nos ab eo abstrahi, et inescari. Omne peccatum mortale est natura sua; Sed non omne tamen reipsa et de facto ad mortem ducit, propter gratiæ interventum.

XIV. Peccatum consummatum dicitur *gignere mortem*, Jaco. i. 15, non exclusive ad peccatum conceptum, vel partum, sed ut causa proxima; at concupiscentiæ tribuitur ut causæ remotæ: Ut ergo quod est causa causæ, est etiam causa causati, quia concupiscentia causa est peccati actualis mortem generantis, ipsius etiam mortis causa merito habetur. Jacobus non distinguit varias species peccatorum, sed ejusdem peccati diversos gradus, et progressus tentationis, in quibus ab actu primo ad secundum, ab interno ad externum, adeoque ipsam mortem, pervenitur. Primus gradus ponitur in tentatione concupiscentiæ, seu primo ejus motu; Secundus in conceptione peccati per consensum ejus imperfectum; Tertius in partu per consensum plenum et perfectum; Quartus in consummatione peccati per opus externum, quod mortem generat.

XV. *Fœnum et stipulæ*, de quibus agitur, 1 Cor. iii. 12, non notant peccata venialia, sed doctrinas novas, vanas, et curiosas, quæ licet fundamentum non evertant, non sunt tamen illi homogeneæ; ideo examen Judicii divini, sive lucem Verbi, et efficaciam Spiritus, quæ *per ignem probantem opus uniuscujusque* notantur, v. 13, sustinere nequeunt. 2. Quamvis qui ædificant talia super solidum fundamentum, non damnentur, non inde sequitur peccatum ipsorum non fuisse morte dignum; sed gratiam Dei illud condonasse.

XVI. Peccatum in Spiritum Sanctum dicitur ad mortem κατ' ἐξοχήν, 1 Jo. v. 16, non tantum quia mortem meretur, sed quia ut est plane irremissibile, mors necessario et infallibiter illud sequitur. Cætera vero non sunt ad mortem; non quod per se mortalia non sint et morte digna, sed quia ex gratia Dei remissibilia sunt, et veniam sæpe consequuntur.

XVII. Christus Matth. v. 22, 23, nihil habet quod faveat peccatis venialibus, licet videatur quædam tantum addicere gehennæ ignis; Quia scopus ejus quidem est ostendere inæqualitatem dari pœnarum ex inæqualitate peccatorum, et in specie homicidium non consistere tantum in actu externo, ut pertendebant Pharisæi, teste *Josepho*, Antiq. lib. xii. cap. 13, sed etiam in iracundia interna, et in irritantibus contumeliis; Sed non peccata ulla dari venialia; cum vel minimus pœnæ gradus ibi capitalis sit, ut minimus peccati gradus est ἄνομος. Imo docere vult, vel primum iracundiæ gradum coram Deo morte esse dignum, quia qui eo obstrictus est, dicitur ἔνοχος τῇ κρίσει, eodem scilicet sensu, quo Pharisæi volebant homicidam esse ἔνοχον τῇ κρίσει, ut dicitur vers. præcedenti, nimirum quoad mortis pœnam. 2. Verba Christi non sunt ad literam urgenda, quasi ageretur proprie in duobus primis gradibus pœnæ, *judicii* scilicet, et *concilii*, de judicio humano, in tertio vero, *gehennæ ignis*, de divino tantum, seu morte æterna: Quia sic sequeretur iram intus conceptam, nec in actum erumpentem humano judicio esse obnoxiam, et aliquod dari peccatum, quod peccatorem judicio Dei non redderet obnoxium, quod absurdum. Sed figurate sunt intelligenda, ut diversitas gradus pœnarum in judicio Dei describatur per analogiam

Digitized by Google

et allusionem ad diversos gradus judiciorum et pœnarum capitalium usitatos inter Judæos; Nam præter judicium infimum quod erat triumvirale, quod judicabat de mulctis, seu pœnis pecuniariis, dabantur adhuc tres gradus pœnarum capitalium inter eos. Primus erat *Judicii*, scilicet XXIII Virorum, quod in singulis civitatibus constitutum erat, ad quod pertinebant דיני נפשות, *judicia animarum*, id. causæ capitales. Secundus erat *Concilii magni*, sive *Sanhedrim*, quod constabat LXX Viris ad imitationem LXX Assessorum Mosis, de quibus Num. xi. 16, quod Hierosolymis tantum conveniebat, et de gravissimis criminibus cognoscebat. Tertius erat *Gehennæ ignis*, qui erat cruciatus omnium maximus, qui et gladium et lapidationem quæ a Judicio et Synedrio decernebantur excedebat: sive hoc referatur ad שרפה, *vivicomburium*, sive ad abominanda sacrificia, quæ in illa valle filiorum Hinnom fiebant, ubi ex κακοζηλίᾳ sacrificii Abrahami Idolo Ammonitarum Molecho humanus sanguis et liberorum quidem a parentibus offerebatur, dum vel inter duos rogos traducebantur infantes, ut lenta morte perirent, vel candentibus statuæ Molechi brachiis innexi horrendis cum cruciatibus ibi ustulabantur. Unde locus ille infamis habitus est, ubi continuus erat ignis comburendis cadaveribus damnatorum destinatus, 2 Reg. xxiii. 10, et Jer. vii. 31, &c. et ea de causa symbolice pro inferno sumitur non raro in Scriptura. Sensus ergo verborum Christi is est, Vos hac lege *Non occides* putatis homicidium tantum externum damnari: Ego vero sensum Legis istius vobis declarans dico, quoslibet actus tam internos quam externos in Legem istam impingere, et affectum etiam iræ temere exardescentem in fratrem, etsi internum, esse speciem quandam homicidii, et pœnam mortis gravem mereri, qualis erat ea quæ judicio XXIII Virorum infligebatur; Si vero in injuriam et contumeliam erumpat, gravius esse peccatum, graviori etiam pœna plectendum, qualis est ea quæ in Synedrio decernebatur; Et si in convitium atrox prosiliat, ut frater stultus vocetur, gravissimo cruciatu dignum sit, huic analogo, qui videbatur in valle filiorum Hinnom. Ita *Gehenna* hic non sumitur simpliciter pro inferno, quasi huic solum gradui iræ deberetur pœna inferni, seu mors æterna; Sed allusive notat supplicium gravissimum. 3. Non pauci ex Pontificiis nobis hic adstipulantur. *Maldonatus* in h. l. agnoscit gradus distingui pœnarum, non genus, et utrobique capitales esse. *Salmero* ingenue docet phrasim *reum esse judicio* intelligendam esse non solum de judicio mortis temporariæ, sed etiam damnationis, et interitus æterni in divino judicio; *Barradas* tres hos gradus supplicii pœnam significare gehennalem, cuilibet lethifero crimini destinatam.

XVIII. Quum peccata conferuntur *festucæ* et *trabi*, Luc. vi. 41, et *camelo* et *culici*, Matth. xxiii. 24, hinc quidem evincitur, alia aliis graviora vel leviora esse, quod non negamus: sed non potest inde elici quædam esse venialia. 2. Pharisæi dicuntur *excolare culicem, et deglutire camelum*, proverbiali locutione, quia perperam in minimis, puta in cæremonialibus, erant superstitiosi, dum maxima mandata, id. moralia, negligebant.

XIX. Paulus Ephes. v. 4, 5, non distinguit quædam vitia ab aliis tanquam mortalia a venialibus, sed potius omnia ut homogenea particula copulativa conjungit, quæ etiam ab eodem verbo in constructione dependent. Unde ad universa pertinet quod dicitur v. 6. *propter hæc venit ira Dei in filios contumaciæ*, et Gal. v. 19, recensentur omnia tanquam opera Carnis. Quod vero *Scortationem*, *Avaritiam*, et *Immunditiem*, dicit excludere a Regno cœlorum, non inde fit, quod ista tantum sint mortalia, sed quod cæteris sint graviora.

XX. Licet *formalis* et *expressa aversio* a Deo non occurrat in omni

Digitized by Google

peccato, datur tamen *virtualis* et *implicita*, etiam in levissimo, quia præfertur Creatura Creatori, et plusquam Deus diligitur, dum homo ad eam convertitur, tanquam ad bonum suum et finem ultimum.

XXI. Qui peccata extenuant, nec Dei majestatem, nec Legis justitiam, nec peccati fœditatem, nec suam conditionem abjectissimam coram Deo, probe expendunt. Ut nulla parva est rebellio, nullum parvum læsæ Majestatis crimen; Ita exiguum non potest censeri peccatum quod adversus optimum et maximum Deum, adeoque infinitum committitur. Licet enim sæpe parva sit res circa quam peccatur, non desinit tamen gravis esse reatus, qui non ex objecti parvitate, sed ex Legislatoris majestate æstimatur, quæ dum violatur, eo ipso in iram et maledictionem ejus incurritur, si non de facto, saltem de jure et demeritorie. Hæc est statera Sanctuarii, ad quam appendenda sunt peccata, ut vera eorum gravitas et reatus agnoscatur; non stateræ dolosæ et fallaces hominum, quæ pietatem relaxant, et lethargum ac securitatem carnalem inducunt.

QUÆSTIO V.

DE LAPSU ANGELORUM.

Quodnam fuerit Peccatum Angelorum, quo defecisse dicuntur a Deo?

I. *Peccatum in specie* distinguitur ratione Subjectorum quibus inhæret, in *Peccatum Angelorum*, qui per illud evaserunt Diaboli, et *Peccatum hominum;* quia illi soli, ut Creaturæ rationales, sunt Peccati capaces. De Peccato Angelorum prius dicendum, sed brevius; quia paucissima de eo tradit Scriptura.

Status Quæstionis.

II. Frustra quæritur, Quomodo peccare potuerint Angeli; cum ex Scriptura constet eos peccasse, et ratio suadeat, potuisse eos in peccatum prolabi, cum labiles creati fuerint. Frustra etiam inquiritur de tempore lapsus; An diu in integritate perstiterint; An vero ab initio Creationis ceciderint, ut quibusdam Scholasticis visum: Cum Scriptura nihil de eo tradat. Hoc tantum in genere constat, lapsum eorum hominis lapsum antecessisse. Aliquam vero inter creationem Angelorum, quæ Dei opus, et defectionem quæ Dæmonum est actio, moram intercessisse, non sine ratione asseritur; ne si prima eorum operatio vitiosa statueretur, vitii causa Deo Creatori, tanquam efficienti proximo, videretur impingenda. Nec verisimile est eos ante Creationis opus absolutum defecisse, quia tunc quæcunque Deus creaverat erant adhuc valde bona, Gen. i. 31. Nec si Diabolus dicitur peccasse *a principio*, 1 Joh. iii. 8, statim sequitur ab ipso creationis initio peccasse, quia tractus aliquis temporis non obstat, quominus ab initio aliquid factum dicatur.

III. Non quæritur de modo et ordine peccati istius, An peccarint omnes simul, An vero unus aliquis rebellionis cæteris dux et author fuerit. Quamvis enim posterius multis arrideat, nec improbabile videatur, unius hortatu et suasu, qui Princeps Dæmoniorum dicitur, peccasse alios, qui Angeli ipsius vocantur; nulla tamen solida ratione, vel firmo ex Scripturis documento colligi potest, et Scriptura tacente, satius est in medio relinquere, quam curiosius sine necessitate et fructu inquirere. Sed quæritur hic de *specie* istius peccati.

IV. Circa quam variæ sunt Theologorum et Scholasticorum inprimis

Digitized by Google

sententiæ. Nam ut nihil de *luxuria*, quod tamen eorum peccatum fuisse, non modo *Josephus* et *Philo* cum Judæis, sed varii ex Patribus, Justinus, Clemens Alex., Tertull., Lactantius, et alii, ex loco Gen. vi. 2 perperam intellecto absurde existimarunt; Duæ sunt præcipuæ Doctorum sententiæ, Prima eorum qui *livorem et invidiam* in hominem fuisse censent, ortam ex decreto ipsis revelato, de natura humana supra Angelicam in Christo evehenda, qui non Angelos, sed semen Abrahæ per incarnationem assumere debuit; Altera, quæ communior est apud Scholasticos, eorum est, qui *superbiam* fuisse pertendunt, ut *Anselmus*, de Casu Diab. c. 4, et ex eo *Lombardus*, lib. ii. dist. 5, cap. 1.

V. Cum vero Scriptura speciem istius peccati expresse definire noluerit, sed genus tantum ejus proponat, quum eos peccasse asserit, nihil de eo certum potest statui, nec nimiæ curiositati indulgendum; sufficit ut teneamus ultroneam fuisse eorum desertionem, per quam *in veritate non steterunt*, Jo. viii. 44, quæ fuit, non *veritas Evangelica*, quasi acquiescere noluerint veritati Evangelii de Christo ab initio ipsis propositi, quod parum verisimiliter quibusdam visum, cum hoc decretum non ante lapsum sit revelatum; Sed veritas *fidelitatis*, quam debebant Deo, ut subditi Regi suo, et *integritatis*, in qua conditi erant, adeoque in Dei ipsius, qui summa est veritas, communione. Eo pertinet quod, Jud. 6, dicuntur *originem suam deseruisse, et proprium reliquisse domicilium*, sive per originem intelligatur Deus ipsorum Creator, sive originaria sanctitas et rectitudo in qua fuerant creati, a qua apostasia sua ultronea deficiendo, sedem beatam cœli, in qua tanquam proprio domicilio cum Angelis aliis collocati erant, amiserunt, ita ab ea dejecti, ut nunquam in æternum eo redire possint, Luc. x. 18.

VI. Non diffitendum sane in isto peccato *superbiam* præ cæteris eminere, per quam non modo jugum Dei excutere voluerunt, contumaciter adversus Deum et Legem ipsis impressam insurgendo, sed etiam in affectatione æqualitatis cum Deo, quod non obscure videtur insinuare Paulus, 1 Tim. iii. 6, dum non vult promoveri *νέφυτον, μὴ τυφωθεὶς ne inflatus incidat εἰς κρῖμα in judicium et condemnationem Diaboli*, id est in pœnam peccati Diabolici. Adde quod cum hoc semper præcipuum fuerit Diaboli studium, qui ut Deum et principem se gessit in mundo, et talis haberi ac coli voluit a principio, 2 Cor. iv. 4, Joh. xii. 31, non sine causa est, quod in illud peccatum dicatur incidisse. Tertio, quia ad hoc peccati genus Adamum tentavit a principio, et quotidie homines impellit.

VII. Ita tamen superbiam hic sese exeruisse putamus, ut illam incogitantia, et minor attentio circa contemplationem Dei præcedere debuerit, per quam Angelus factus ad contemplandum Deum remissior, cœpit aciem intellectus a Deo ad seipsum convertere, et seipsum admirari, ex admiratione vero et nimio sui amore in superbiam efferri, quam rebellio statim consecuta est; Ut hic *error* quidam necessario admittendus sit, non quidem speculativus, quasi ignoraverit quod scire tenebatur, sed *practicus*, quo amore sui excœcatus bonum delectabile anteposuit honesto. Nec mirum videri debet, si in intellectum Angelicum, qui non fuit actus purus, et immutabilis, talis obrepere potuerit incogitantia et error, qui rebellionem et superbiam peperit.

VIII. Peccatum hoc gravissimum fuisse, severissima pœna quæ illud comitata est satis arguit; per quam exclusi sunt a Dei communione, ut nulla in æternum vel veniæ vel restitutionis in integrum spes supersit, sed in horridam et caliginosam tartari custodiam conjecti, et catenis tenebrarum ligati, asserventur ad judicium magnæ diei, Jud. 6. Unde quidam, sed minus solide, colligere voluerunt fuisse peccatum in Spiritum Sanctum;

Digitized by Google

cum talis peccati objectum non aliud sit ex usu Scripturæ, quam gratia Evangelii. Falluntur vero *Thomas, Caietanus*, et alii qui censent, non potuisse eos, si Deo ita libuisset, restitui in integrum, *eo quod natura sua sint inflexibiles.* Nam quod natura sua inflexibile est, si Deo ita visum fuisset, flecti poterat per potentem gratiæ divinæ efficaciam, ut respectu hominum peccatorum factum. Vera ergo severitatis istius causa non alibi quærenda est, quam in liberrimo Dei beneplacito, qui ut in hominibus lapsis suam misericordiam; Ita in Angelis apostatis suam justitiam et ἀποτομίαν demonstrare voluit. Vide supra L. IV. Q. 8, th. 18.

IX. Quamvis vero lapsus iste non sine Providentiæ divinæ interventu contigerit, vera tamen ejus causa in solis Angelis quærenda est, nequaquam vero in Deo, Vel ratione *Præscientiæ*, quæ rem ut futuram prævidet tantum, non facit; Vel *decreti* ejus, quod fuit permissivum tantum, non effectivum; Vel *permissionis* ipsius actualis, quæ non est ethica, sed physica, per non impeditionem ad quam non tenebatur; Vel *defectus sustentationis*, quia gratia hæc est plane indebita, quam nemini ex officio debet, sed quibus visum ex solo beneplacito largitur. Unica ergo causa fuit propria cujusque Dæmonis voluntas, qua singuli ultro a bono ad malum desciverunt. Defecerunt, quia deficere voluerunt: Potuerunt autem deficere, quia mutabiles et labiles conditi fuerant. Quænam ipsorum pœna fuerit, Vide supra L. IV. Q. 8, th. 20.

QUÆSTIO VI.

DE LAPSU ADAMI.

Quodnam fuerit primum Hominis peccatum: An infidelitas, An superbia?

I. Primum Hominis peccatum, a quo cætera tanquam a fonte manarunt, est voluntaria apostasia hominis primi a Deo Creatore suo, qua comedendo ex arbore scientiæ boni et mali, non modo interdictum hoc speciale, sed et in illo totam Legem naturæ cordi ejus insculptam, transgressus est, quod a Scriptura in genere, et κατ' ἐξοχήν, vocatur παρακοὴ, παράβασις, παράπτωμα.

II. In specie ejus assignanda mire inter se discrepant Doctores; Sed duæ præ cæteris sunt communiores sententiæ, prima plerorumque ex Pontificiis, qui ad *superbiam* illud referunt, Posterior, quæ in *incredulitate*, et infidelitate collocat; quæ inter Nostros recepta est.

Peccatum primum non fuit simplex, sed aggregatum ex variis peccatis.

III. Certum est non spectandum esse lapsum istum, ut peccatum aliquod particulare, quale est furtum, vel adulterium, sed ut apostasiam generalem et defectionem a Deo, non tantum Legis specialis positivæ de non comedendo fructu vetito, sed totius Legis moralis violationem quæ in ea includebatur, adeoque et obsequii, quod homo Deo Creatori, præsertim ratione fœderis initi, debebat: Ut hic sit veluti morbus complicatus, et totum aggregatum ex variis actibus, tum internis, tum externis, quibus in utramque Legis tabulam incurrit. Nam ut incredulitate et contemptu verbi divini, ingratitudine, superbia, et nominis divini profanatione, primam tabulam; Ita secundam ἀσωτείᾳ in liberos, homicidio quo se et posteros in mortem præcipitavit, intemperantia, et gula, furto et contrectatione rei alienæ invito domino, illicito amore, et prava concupiscentia, transgressus est.

Digitized by Google

Unde gravitas ejus colligitur.

IV. Atque hinc peccati istius gravitas facile colligitur, contra eos, qui illud veniale et leviusculum fuisse asserunt; Tum ex parte *personæ peccantis*, quæ tot dotibus erat ornata, tot beneficiis affecta, omnis vitii expers, et omnis boni ipsi necessarii particeps; Tum ex parte *objecti*, circa quod peccavit, a quo facile abstinere potuisset in tanta aliorum fructuum copia, ut magna fuerit in peccando iniquitas, ubi tanta erat non peccandi facilitas, ut loquitur *Augustinus;* Tum ex parte *Legis violatæ*, quæ fuit non specialis, sed universalis, quam violando et in Deum, et in posteros, et in seipsum, graviter peccavit; Tum ex parte *actus*, cujus summa fuit pravitas, totalis puta, conculcato fœderis symbolo, a Deo apostasia, et cordis, oris, ac operis conjuncta ab officio declinatio; Tum ex parte *loci*, et *temporis*, quia vix e Creatoris manibus egressus, et in paradiso amœnissimo positus, ad tentationis impetum statim concidit; Tum ex parte *effectorum* et *pœnarum* tristissimarum, quæ illud consecutæ sunt, sub quarum pondere etiamnum hodie universa natura gemit.

V. Si quæritur porro quodnam fuerit initium, seu primus gradus istius peccati, non consentiunt Theologi, dum alii in sensualitate constituunt, alii in voluntate, alii in intellectu. Quamvis vero anxie litigandum non censeamus, super ordine istorum actuum, vel primo istius peccati gradu, quod in plurium actuum, ut jam dictum, complicatione consistit, et inter quos naturæ potius quam temporis diuturni intervallum intercessit; Possumus tamen tuto asserere primum gradum istius peccati, nec quærendum esse in *actibus externis* locomotivæ, qui ad executionem tantum pertinent; nec in *actibus internis*, vel appetitus, vel voluntatis, quia obnoxii in illo statu adhuc erant intellectui, cujus est τὸ ἡγεμονεῖν; Sed ascendendum esse ad *actus facultatis directivæ*, scilicet intellectus, ad quem pertinet judicare de rei veritate vel falsitate, et in quem proprie cadit error, et incredulitas, quæ in isto peccato primas tenet. Licet autem homo judicium istud non invitus, sed lubens et volens fecerit, non sequitur propterea fuisse actum voluntatis, non intellectus.

Primus gradus peccati incredulitas.

VI. Hinc patet initium peccati potius ad incredulitatem referendum esse, quam ad superbiam, licet in eo utraque conjungatur. 1. Quia is debet esse ordo in peccato, qui fuit in tentatione. At in tentatione homo prius sollicitatus fuit ad incredulitatem, quam ad superbiam. Nam Gen. iii. 1, per interrogationem Tentator eum sollicitat primo ad dubitationem de Verbo Dei; deinde ad ejus negationem, v. 4, *non moriemini*, antequam ad superbiam incitet per promissionem *divinitatis, scientiæ boni et mali*, v. 5.

VII. 2. Quia superbia in homine locum habere non potuit nisi posita incredulitate: nam quandiu homo constans mansisset in fide Verbi Dei, nunquam ad superbiam impelli potuisset, nec jugum Dei excutere, vel gradum superiorem, partim scientiæ, partim excellentiæ, affectare ausus fuisset, nisi interminationem mortis interdicto adjectam non credidisset veram, vel saltem de ea dubitasset.

VIII. 3. Quia Scriptura peccatum hominis per *seductionem* exprimit, 2 Corinth. xi. 3, et 1 Timoth. ii. 14, et *calliditatis* serpentis mentionem facit, Genes. iii. 1, quæ tota pertinet ad decipiendum. Quarto, quia primus homo sine insigni errore non potuit credere pulchrum et bonum illi esse non pendere a Deo, cum hoc sit omnium pessimum. Quinto, si Diabolus primo sollicitavit hominem ad superbiam, vel credidit ipsius verbis, vel non; si credidit, eo ipso erravit; si non credidit, non potuit affectare illud quod a Diabolo proponebatur.

Digitized by Google

IX. Cæterum incredulitas non potuisset in homine locum habere, nisi prius per *incogitantiam* cessasset a consideratione interdicti Dei, et ipsius veracitatis et bonitatis: Nam si ad illud mentem serio semper applicuisset, maxime momento tentationis, nunquam ab ejus fide dimoveri potuisset, ut aures præberet Tentatori. Hinc ergo fluxit primo *incredulitas* seu diffidentia, per quam homo fidem Verbo Dei, quam habere debuit, non habuit, sed dubitatione primum, mox negatione excussit, non credens serio sibi interdictum fructum, nec se moriturum: Deinde *credulitas*, qua verbis Diaboli cœpit auscultare, fidem falsam concipiendo ex ejus mendaciis, Deum sibi invidere fructum, et se Deo similem futurum et omniscium, atque ita judicium fecit erroneum, quo statuit objectum a Diabolo propositum sibi bonum esse: Unde mox appetitus ejus in voluntate, et inclinatio concupiscentiæ ejusque motus extitit ad illum fructum comedendum: et tandem externa actio. Ita hæc incogitantia bene potest dici initium, seu primus gradus peccati, quæ, ut potuit cadere in hominem mutabilem, ita in actum non potuit exeri ab homine stante, sed jam incipiente deficere a Deo, et semet corrumpere per suam mutabilitatem, et seductionem Diaboli.

Fontes Solutionem.

X. Quamvis in lapsu Adami, quem Apostolus appellat *inobedientiam*, Rom. v. 19, includatur superbia, ut ante dictum, non sequitur fuisse primum ejus gradum: Imo ut primus actus superbiæ fuit nolle obedire Deo; Ita primus superbiæ fons fuit nolle credere verbis Dei: Superbia enim cor hominis nunquam potuisset subire, nisi prius fide verborum Dei labefactata et excussa.

XI. Ut in omni motu terminus a quo prior est termino ad quem, Ita aversio a bono increato, quæ est infidelitatis, præcedere debet conversionem ad bonum creatum, quæ est superbiæ; nam quandiu bono increato, nimir. Deo, adhæsisset, ad creaturas et ad seipsum per superbiam nunquam se convertisset.

XII. Licet in electione bene ordinata, et ratiocinatione directa, primo finis obversetur menti, antequam cogitetur de mediis; non semper hoc locum habet in ratiocinatione obliqua, quæ seductionis est, in qua ordo iste sæpe invertitur; hac autem usum fuisse Satanam in tentatione hominis constat; 2. Quamvis superbiæ actus versatus sit circa finem, non sequitur infidelitatem habuisse rationem medii, sed potius causæ, ex qua superbia orta est: nam nisi homo in fide fluctuasset, appetitio Deitatis, quæ est actus superbiæ, cor ejus subire non potuisset; nec ille finis potuit obversari primo homini, sine magno errore et incredulitate.

XIII. Locus Syraci. x. 12, *Initium superbiæ est defectio a Deo*, præterquam quod Apocryphus est, nihil habet quod sententiæ nostræ repugnet; nam si apostasia est initium superbiæ, necesse est infidelitatem, in qua illa posita est, præcessisse superbiam: Nec quod additur, v. 13, *Initium omnis peccati superbia*, contrarium evincit, quia non est absolute et simpliciter intelligendum de quovis peccato, etiam primo, et illo quod dixit esse initium superbiæ; sed secundum quid de aliis ortis, quæ a superbia utplurimum originem ducunt.

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

Quomodo labi potuerit homo integer? Et quænam ejus lapsus vera causa fuerit?

I. Duæ hic Quæstiones moventur; Prima de possibilitate lapsus, Altera de vera ejus causa: Utraque explicatu difficilis; et in qua expediendа diversimode peccatum fuit.

Prima Quæstio, de possibilitate lapsus.

II. Quoad primam, Difficultas non est magna in assignanda origine peccatorum omnium, quæ orta sunt ex lapsu Adami, quia cum homines sint corrupti, nihil proclivius est concipere, quam cur quotidie peccent, quia concupiscentia prava non alios quam pravos et inordinatos motus edere potest. Sed in homine integro, in quo nullus dum error in mente, nec ulla ἀταξία in voluntate locum habuit, in quo justitia originalis erat, quæ lapsum impediebat, et cum illo erat ἀσύστατος, difficillimum est captu, quo tandem modo labi potuerit homo integer.

Non potest solvi per sententiam Pelagianorum de inclinatione ad peccandum.

III. Ut ex hac difficultate se expediant, *Pelagiani* veteres et recentiores, *Pontificii*, *Sociniani*, et *Remonstrantes*, homini integro prout a Deo conditus est, tribuunt præcipitem ad vitia inclinationem, ex qua ortum sit primum peccatum, licet non ita vehementem ac inordinatam prout nunc est. Sed sententia hæc in Deum manifeste est injuria, et falsitatis facile potest revinci. 1. Quia si inclinatio ad peccandum fuit in homine a natura; Ergo Deum authorem habebit, atque ita ipsum peccatum in Deum ipsum refundetur, ut antea probatum L. V. Q. 11. th. 9. 2. Quia inclinatio ad amandum et colendum Deum, qualem habebat Adamus per justitiam originalem, est ἀσύστατος cum inclinatione ad peccandum. 3. Quia omnia fuerunt valde bona in homine ante lapsum, utpote facto ad imaginem Dei; At inclinatio ad peccandum non potest esse bona, quia est Legi repugnans: Unde patet mutabilitatem quæ fuit in Adamo sine ulla labe, non confundendam esse cum tali inclinatione ad peccandum, quæ non potuit non esse vitiosa.

Sed per mutabilitatem ejus.

IV. Alia ergo quærenda est ratio tollendi istius scrupuli, quæ non alia potest dari commodior, quam si recurramus ad hominis primi *mutabilitatem* et *libertatem*, quippe qui justus quidem et sanctus conditus est, sed mutabiliter, ut posset quidem stare si vellet, sed posset etiam si vellet ad malum deficere; quod si nihil aliud doceret, eventus ipse satis comprobat.

V. Licet autem mutabilitas ista possibilitatem lapsus indicet, et sit *causa sine qua non* seu antecedens lapsus; Non potest tamen censeri ejus causa propria et per se; Non modo quia fuit conditio concreata homini integro a Deo, quæ fuit etiam in Angelis electis ante eorum confirmationem, sine ulla vitiositate; Sed etiam quia est quidem negatio alicujus boni, sed non est privatio boni debiti creaturæ, sed indebiti, adeoque non sustulit perfectionem aliquam in statu naturæ requisitam. Ita hic accurate distinguendum est inter *mutabilitatem* ipsam, quæ est conditio creaturæ conveniens, et *actum mutabilitatis* istius, quo homo ad mutationem inclinavit. Illa potentiam notabat, quæ poterat inclinari ad malum, sed quæ nondum erat inclinata; Iste vero inclinationem ipsam actualem ad malum designat, Lege Dei damnatam, et omnis peccati fontem.

Digitized by Google

Vera causa peccati libera hominis voluntas.

VI. Causa ergo proxima et propria peccati non alibi quærenda est, quam in *libera hominis voluntate*, qui se a Diabolo decipi passus est, et suadente Satana, licet non cogente, libere a Deo defecit. Ita nec qua integer proprie lapsus est, nec qua corruptus; sed qua falsi specie imbutus, semetipsum corrumpens, et neglecta cognitione habituali a Deo indita, errorem a Diabolo suggestum suscipiens. Nec mirum videri debet, si homo qui labilis et mutabilis conditus erat, mutatus sit et lapsus; non magis, quam si perfecte quiescenti initium motus accidat: nam ubi datur potentia ad mutationem, facilis est transitus a potentia ad actum.

VII. Quamvis vero homo lapsus sit, non deerant tamen illi vires ad standum si voluisset, alioqui conditionem impossibilem illi tulisset Deus. Unde duplex *auxilium*, vel *adjutorium*, vulgo distingui solet, *auxilium sine quo non*, seu potentia non peccandi, qua vires habuit sufficientes ad standum si voluisset; Et *auxilium quo*, seu efficax gratia, quæ non dabat tantum *posse si vellet*, sed *velle quod posset*. Illud se habebat ad modum habitus et facultatis in homine; Hoc vero ad modum actionis, seu efficacis motus ad bonum. Prius necessarium erat ad τὸ posse perseverare, sed posterius ad τὸ perseverare actu. Adamo nunquam defuit prius auxilium, nequidem in ipso momento quo peccavit; sed posterius libere illi denegavit Deus, ut ad illud non obligabatur: Unde tamen non potest Vel excusari homo, quia sponte, et nulla vi adactus peccavit; Vel accusari Deus, quia ut liberrimus bonorum suorum dispensator, nulla lege ad gratiæ istius collationem tenebatur; ut postea fusius dicetur.

VIII. Solus ergo homo mali sui causa fuit, quia volens peccavit, et sponte et ultro citra ullam coactionem aut vim externam transgressus est Dei mandatum, et iis erat instructus viribus et subsidiis, quibus peccatum facile vitare potuisset, si voluisset. Hanc vero spontaneitatem, nec *Providentia* tollit, quæ infallibilitatem eventus infert, sed naturæ conditionem non mutat, nec *tentatio* Satanæ, quæ quantumvis admota nihil profecisset, nisi ultro ab ipso homine *admissa* fuisset, quam retundere tamen illi difficile non fuit, si voluisset.

Causa externa peccati, Diabolus.

IX. Præter *causam* istam *internam* moventem, fuit et alia *externa* adjuvans: quæ iterum duplex, alia *principalis*, alia *instrumentalis*. *Principalis* est *Diabolus*, qui Deo gloriam, hominibusque felicitatem invidens, protoplastos ad apostasiam instigavit; *Instrumentalis*, *Serpens*, quo ad hoc opus uti voluit, in quo non vi sed astu hominem aggredi voluit, qui quo fuit astutior, eo fuit aptior ad hoc ministerium, et Diabolo propter similitudinem gratior; Quamvis præcipua ratio petenda sit a Dei providentia, qui rem ita direxit, ut Diabolus tale animal seligeret, in quo et insidiosæ calliditatis Satanæ, et odii summi, quo genus humanum prosequitur, et maledictionis in quam tentatione illa incurrit, et victoriæ a Semine mulieris tandem aliquando de Satana reportandæ, perpetuum aliquod extaret monumentum, quale quid non potuisset fieri circa animal quod usibus humanis fuisset necessarium. Hinc *August.* de C. D. l. xiv. c. 11, "Lubricum animal et tortuosis anfractibus mobile operi suo congruum per quod loqueretur elegit," &c.

X. Authorem tentationis fuisse Diabolum, dubitare nos non sinit Scriptura, quum eum *Serpentem antiquum*, *Draconem*, Apoc. xii. 9, et xx. 2; *homicidam*, *et mendacem ab initio*, Johan. viii. 44; *Tentatorem κατ' ἐξοχήν*, 1 Thess. iii. 5, 2 Cor. xi. 3, vocat, qui mortis imperium habet, Heb. ii. 14, ad cujus opera destruenda Christus venit, 1 Jo. iii. 8. Licet vero Moses historicum agens, et visibilibus ac sensibilibus hærens, satis

Digitized by Google

habuerit referre, quid mulier tentata viderit et audiverit, adeoque non tentatorem Diabolum, sed solum serpentem sub quo latebat in scenam producat; satis tamen ex historia tentationis colligi potest: Cum enim serpenti loquela a natura non inesset, multo minus peritia argumentandi, necessario debuit proficisci a creatura aliqua intelligente, quæ nulla potuit tunc esse præter Diabolum. Adde quod effectus moraliter malus, qualis fuit tentatio et seductio protoplastorum, causam debuit habere moraliter malam, quæ extra Diabolum quærenda non fuit. Denique pœna Tentatori inflicta, ita externum serpentem spectat, ut longe verius et plenius Dæmoni conveniat, qui a Christo contritus est, Heb. ii. 14; Col. ii. 15; et Rom. xvi. 20.

XI. Diabolum vero non solum hic adfuisse, sed sub Serpente vero latuisse et locutum esse, multa probant: Tum simplex et nuda Mosis relatio, quæ temere in allegoriam non est vertenda: Tum Serpentis ipsius tanquam callidissimi inter bestias agri descriptio; Tum denique pœna, quæ illi ceu seductionis instrumento non minus ac Diabolo inflicta est; quemadmodum Judex falsarium una cum calamo damnat, et sicarium cum suo telo, et bovem cornupetam Deus una cum domino occidi voluit, si quem feriiset per domini negligentiam, Exod. xxi. 29. Unde patet admittendam non esse eorum sententiam, qui post *Cyrillum* et *Eugubinum* pertendunt Serpentem verum nullum hic fuisse, sed Diabolum sub istius animantis carne primis parentibus illusisse; Vel eorum qui post *Cajetanum*, nequidem externam serpentis imaginem hic admittunt, sed a solo Diabolo serpentis nomine hic indigitato rem totam peractam volunt; reclamante licet tota tentationis historia, quæ frustra Serpentis mentionem injecisset, et eorum omnium quæ ab eo gesta aut dicta sunt ad oculos et aures primorum parentum pulsandas, si Satan tentatione interna solus hoc executus fuisset.

XII. Neque hoc ipsos Ethnicos penitus latuit: Nam eo non obscure videntur respicere, quæ a Pherecide Syro referuntur de *Ophioneo*, quem vocat ductorem Dæmonum, quos cœlo Jupiter exturbavit; et quæ ab aliis dicuntur de Serpente Pythone confecto ab Apolline; et de eo, cui Sibylla Cumana apud Virgilium minatur interitum redeunte Virgine, et chara Dei sobole, magno Jovis incremento, Saturnia regna revocante; Quæ etiam narrantur de Dracone vigili in Hesperidum horto aurea mala custodiente. Nec alia de causa Diabolus tanto studio videtur curasse cultum religiosum deferri Serpentibus ab Ægyptiis et aliis, nisi quia feliciter serpente usus erat ad hominis seductionem. Hinc veteres *Ophitæ*, de quibus August. hær. 17, et Epiphanius, hær. 17, serpentem summa veneratione sunt prosecuti, quod primorum parentum oculos aperuisset, et eos ad sapientiam traduxisset.

XIII. Quia vero nec Homo, nec Diabolus quicquam potuissent sine Dei providentia; Videndum superest, quomodo hic sine ulla tamen peccati causalitate versata sit sanctissime: Nec enim eventus tanti momenti, ex quo mundi facies tota pene immutari debuit, eo vel inscio, vel invito, vel otioso tantum spectatore, contigisse dici potest, quod non aliud foret, quam universi mundi regimen Deo abrogare. Diversimode autem lapsus potest cadere sub Dei Providentiam; Vel ratione *præscientiæ*, quia illum præscivit infallibiliter, Vel ratione *decreti*, quia decrevit ejus futuritionem immutabiliter, Vel ratione *permissionis* actualis in tempore, quia permisit fieri liberrime et direxit sapientissime. Sed quomodocunque circa illud versata sit, sanctissime semper se in eo exeruit; ut nulla ideo vel minima peccati labes ipsi adscribi possit: Nec quia *præscivit*, quia præscientia non est re-

Digitized by Google

rum causa, nec ideo res fiunt quia præsciuntur, sed præsciuntur, quia futuræ sunt; Nec quia *decrevit*, quia decrevit quidem permittere, sed non efficere: Nec quia tentationem *permisit*, quia nec voluntatem tentandi diabolo inspiravit, nec illum ad id impulit; sed tantum permisit *physice*, non impediendo, ut id præstare nulla lege tenebatur, non *ethice*, approbando et consentiendo.

www.libtool.com.cn

XIV. Fateor hic cum permissione accessisse negationem gratiæ et auxilii efficacis, quo actu staret: Nam si tale auxilium dedisset, Adamus lapsus non fuisset. Sed neque sic in peccati consortium potest dici venisse; Tum quia nullam gratiam internam antea datam ipsi subtraxit; nec eum ad tentationis admissionem vel assensum impulit vel coëgit; sed novam tantum confirmationis gratiam non dedit, vel efficaciam per quam actuaretur gratia quæ in ipso erat, quam nec dare tenebatur, nec dare voluit sapientissimo consilio, ad explorandum obsequium creaturæ. Nec si sine tali auxilio lapsus vitari ab Adamo non potuit, sequitur eum a culpa immunem fuisse; quia necessitas illa non abrogavit ejus libertatem, nec obstitit quominus libere peccarit et maxima cum spontaneitate, nulla naturæ necessitate vel coactione ad id impulsus.

XV. Sunt qui hanc gratiæ negationem, per *desertionem* solent exprimere, *non privativam*, quasi gratia interna et habitualis jam data, ablata fuerit, sed *negativam*, qua suspenditur nondum data. Sed quum desertio proprie videatur supponere deserti culpam aliquam antecedentem, præstat uti voce *negationis*, vel *non donationis*, ut dicatur Deus non dedisse homini gratiam actualem efficaciter Adamum determinantem ad standum, ex qua negatione sequutum quidem fuerit peccatum necessario necessitate consequentiæ et hypothetica a parte Dei, sed libere tamen a parte hominis, qui sibi conscius fuit, sola voluntate et nulla interna necessitate ad peccandum impulsum fuisse.

XVI. Non negandum sane hic sapientiæ Dei βάθος occurrere, admirandum potius quam rimandum, quod rationis captum longissime superat; Qui scil. voluerit Deus gratiam istam homini adhuc immerenti denegare, sine qua prævidebat eum lapsum vitare non posse. Unde sunt, qui, ne Deus videatur deseruisse hominem, priusquam ab homine desertus fuerit, statuunt Deum Adamo paratum fuisse gratiam confirmationis largiri, si homo voluisset ad eam confugere, et ea uti, sed cum auxilium, quod illi præsto erat, et cujus usum arbitrio suo Deus permiserat, neglexerit adhibere, mirum videri non debere, si a Deo denegatum fuerit. Sed difficultas quæ hic occurrit, non potest hac ratione sufficienter solvi; quia neglectus ille usus auxilii divini, vel refugii ad Deum ad illud impetrandum, peccatum fuit, vel non: Si non fuit peccatum, non debuit ideo suspendi Dei auxilium; Si fuit peccatum, ergo datum est peccatum aliquod prius primo. Deinde cum ad omnem actum homini necessaria sit Dei gratia, quæstio redit de usu istius auxilii, An ad ejus exercitium, gratia Dei efficax data fuerit a Deo, necne? Nam si data fuit, non potuit non ea uti homo: Si vero negata est, jam negatio præcedet neglectum hominis. Satius est ergo hic acquiescere in solo liberrimo Dei beneplacito, gratiam suam vel dantis vel negantis pro libitu, sine cujusquam injuria. Quod eo tutius est, quia non modo jam ab æterno constituit gratiam suam non dare, etiam antequam homo potuisset illam negligere vel abjicere; sed etiam quia nisi talis ponatur denegatio gratiæ, antecedenter ad hominis neglectum, non poterit salvari futuritionis lapsus certitudo, et veritas præscientiæ divinæ: Nam si penes hominem positum fuit uti gratia ista, vel non, cum homo fuerit indifferens natura sua, non potuit determinari certo ad

Digitized by Google

talem eventum, nisi a causa aliqua superiori. Nec propterea impingi potest Deo peccati causalitas; non magis, quam ex decreto ejus æterno, vel permissione temporali, ad quam sequitur necessario et infallibiliter peccatum, potest hæc illi adscribi.

XVII. Hinc patet bene dici Adamum potuisse non peccare, et non potuisse tamen non peccare. Prius respectu gratiæ habitualis et internæ Adami, et virium ipsi a creatione collatarum, quæ tales erant, ut facultatem haberet præstandi legem ipsi datam; si modo illis bene uti voluisset; Posterius ratione decreti et suspensionis gratiæ actualis externæ, seu concursus divini sine quo nulla actio ab ipso fieri potuit. *Possibile* ergo fuit Adamum non peccare *in sensu diviso*, et ratione sui, sed *impossibile* fuit *in sensu composito*, quum spectatur relate ad Dei decretum, et permissionem peccati et gratiæ negationem. Quod Celeb. *Twissus* non male explicat in Animadversio. ad Collatio. Arminii cum Junio, "Nos dicimus adfuisse Adamo gratiam sufficientem, qua potuit præstare legem ipsi datam; negamus adfuisse ei gratiam efficacem, qua efficeretur, ut de facto præstaret legem. Habere facultatem præstandi legem, et fieri non posse ut lex præstetur, non sunt contradictoria; quemadmodum militibus non defuere vires frangendi Servatoris ossa, posito tamen ex adverso decreto Dei, fieri non potuit ut frangerentur. Pari ratione licet Adamus habuerit facultatem præstandi Legem Dei, posito tamen decreto Dei de neganda gratia efficaci, fieri non potuit ut præstaret Legem. Deus non removit gratiam quam concesserat, nimirum sufficientem, tantum non gratificatus est gratiam ad vitandum peccatum efficacem. Deo autem non dante gratiam efficacem, necesse fuit ut peccaret Adam," &c.

XVIII. Si quid porro in hac Dei dispensatione adhuc occurrat, quod facile a nobis percipi non possit, meminerimus Vias Dei non esse vias nostras, et sobrie nobis esse hic sapiendum, ne scrutantes Majestatem, opprimamur a gloria. Sufficiat duo ista arcte tenere, lapsum istum funestissimum non sine Dei providentia contigisse; Sed ad ejus causalitatem eam nihil contulisse, solum hominem ex Diaboli tentatione motum, veram et propriam ejus causam fuisse.

QUÆSTIO VIII.

An Adamus per lapsum suum amiserit Dei imaginem? Affirm.

I. Ut gravissimum fuit Adami peccatum, Ita non potuit non pessimos effectus post se trahere, tum in ipso, tum in posteris ejus, qui pro ratione facultatum hominis, in *morales*, vel *physicos* distingui possunt; *morales* sunt *reatus*, et *macula;* per illum in maledictionem et iram Dei cum suis incurrit, per istam universalem corruptionem et fœditatem contraxit sibi et suis. *Physici* sunt omnigenæ miseriæ, quæ agmine facto illi incubuerunt, et mors ipsa tam temporalis quam æterna, cui obnoxius factus est.

II. Quia vero inter effectus morales solet reponi *amissio imaginis divinæ*, seu *justitiæ originalis*, de qua litem nobis movent post Socinianos, Remonstrantes, Veritas Orthodoxa paucis adversus eos confirmanda est.

Status Quæstionis.

III. Per Imaginem autem divinam non intelligimus generaliter quicquid donorum homo integer a Deo acceperat, de qua Genes. i. 26, 27, vel specialiter reliquias quasdam ejus in mente et corde hominum post lapsum superstites, quo sensu sumitur, Gen. ix. 6, et Jac. iii. 9; Sed *stricte* præcipuam partem Imaginis

Digitized by Google

istius, quæ in Sapientia et Sanctitate posita erat, quæ justitiæ orginalis nomine solet designari; quo sensu in præsenti Quæstione de ea agitur.

IV. *Sociniani* quidem imaginem istam per lapsum Adami ullo modo amissam esse negant, utpote quam integram superesse adhuc contendant, *Soci.* prælect. c. 3, *Smalzi.* cont. Frantz. Disp. 7. *Remonstrantes* vero fatentur Adamum lapsu suo meruisse, ut Deus ab ipso auferret justitiam originalem; Sed negant eum actu ipso illam amisisse; Quod ideo asserunt, ne cogantur agnoscere hominem omnem justitiam originalem amisisse, adeoque ei non amplius superesse liberum arbitrium.

V. Nos vero Amissionem Imaginis divinæ, seu Justitiæ originalis, dupliceter lapsum Adami secutam fuisse statuimus, tum *meritorie* et *moraliter*, propter ordinationem divinam, tum *efficienter* et *realiter*, propter peccati istius gravitatem.

VI. Rationes sunt. 1. Quia fuit aversio et apostasia totalis a Deo tanquam a summo bono et ultimo fine; mutato autem fine ultimo, qui in moralibus principii universalissimi, unde reliqua pendent, rationem habet, moralia omnia mutari necesse est, ut jam homo a Deo plane aversus et in seipsum conversus, de statu suo beato absolute deturbatus, nec in integrum restitui nisi per Dei singularem misericordiam valeat.

VII. Secundo, Quia peccatum istud non particulare fuit, sed universale, quod totius Legis violationem post se traxit; unde non potuit non omnem rectitudinis habitum excutere, et conscientiam ejus vastare, ut nihil superesset residui, nisi infelicis naufragii tabulæ et rudera quædam, quæ Deus superesse adhuc voluit; tum ut ex iis integræ olim imaginis præstantia agnosceretur, tum ut esset vinculum extèrnæ disciplinæ in societate politica, ne mundus in latrocinium abiret; tum ut ex illis veluti ruinis novum opus exerueret, et novum hominem formaret ad imaginem eandem ad quam prius eramus conditi, Col. iii. 10.

VIII. Tertio, Quia nuditas hominum lapsorum notavit amissionem seu privationem bonorum, quibus gaudebant antea. Et nuditatis istius sensus et pudor, aliquid in homine pudendum arguebat, quale in Dei opere sine Creatoris Contumelia cogitari non potest, quod non tam fuit nuditas Corporis, quæ per se indifferens fuit, imo quæ potuit esse gloriosa, quam nuditas animæ ex privatione dotium eximiarum quibus veluti induta et exornata fuerat; propter quam merito pudore suffundi debuit.

IX. Quarto, Quia Deus hanc privationem illi interminatus est; mors enim quam illi peccanti denunciavit, non minus spiritualem in privatione justitiæ originalis, et statu peccati, quam temporalem et æternam complectebatur, ut suo loco videbitur.

X. Quinto, Quia qualis homo nascitur hodie, talis fuit Adamus post lapsum, siquidem quicquid habet a natura, ab ipso Adamo originem ducit. At nascitur cum universali corruptione, non tantum privativa boni antea accepti, sed etiam positiva mali accersiti, sive quoad cœcitatem mentis, sive quoad ἀτραξίαν voluntatis; unde non modo cœcus, sed cœcitas ipsa et tenebræ vocatur, non modo corruptus et æger, sed *mortuus* dicitur, id. in totali ad bonum impotentia.

XI. Quod dicitur *unum actum non posse tollere integrum habitum*, non potest universaliter admitti, nequidem secundum Philosophos ipsos, juxta quos dantur actus quidam adeo enormes, ut totum tollant habitum antegressum, v. g. actus incestus totum habitum castitatis, actus patricidii amorem paternum tollit, et sim. 2. Hoc vel minimi peccati meritum est, ut hominem a Dei communione removeat, istiusque pacem et amicitiam rumpat. Homo autem extra Dei communionem positus, nullaque Spiri-

Digitized by Google

tus luce collustratus, hoc ipso corruptissimus est, et nihil boni præstare potest. 3. Quamvis axioma concederetur quoad alia peccata, peculiaris tamen est ratio istius, quo fœdus fractum est, ac proinde beneficia omnia fœderis amissa. 4. Confirmatur a pari in Angelis, qui peccato suo ita excusserunt habitum sanctitatis et justitiæ, in veritate non stando, Joh. viii. 44, ut malum ἀνίατον sibi accersiverint. 5. Ipsi Adversarii fatentur, quovis graviore peccato amitti Spiritum Sanctum.

XII. Si in regenitis per ipsorum peccatum non excutitur habitus sanctitatis licet imperfectus, qui excussus fuit per Adami lapsum licet perfectus esset, hoc non pendet a natura peccati, sed a gratia perseverantiæ, quia fideles habent promissionem perseverantiæ, quam Adamus non habuit.

QUÆSTIO IX.

An actualis inobedientia Adami omnibus ejus posteris naturali generatione ab eo oriundis imputetur imputatione immediata et antecedente? Aff.

I. Licet omnes Christiani consentiant in agnitione peccati Adami, non parum tamen inter se dissident quoad ejus effecta, potissimum vero quoad imputationem, quæ a variis vel in dubium vocatur, vel aperte negatur.

Quinam negant imputationem peccati.

II. Hæc fuit jam olim *Pelagianorum* veterum sententia, qui pertendebant Peccatum Adami ipsi soli nocuisse, non vero aliis hominibus ipsius posteris, unde locum Apostoli, Rom. v. 12, ad imitationis exemplum restringebant. Quorum in hoc capite, ut in cæteris fere omnibus, vestigia premunt *Sociniani*, qui diserte negant totum genus humanum peccasse et lapsum esse in Adamo, aut voluisse Deum, ut propter unum illum lapsum totum genus humanum reum esset peccati, ut *Socinus* loquitur de statu primi homi. cap. x. et de Servato. pag. 3, cap. 8, "Tametsi omnes ab Adamo prognati, morti perpetuæ sint obnoxii, non ideo fit, quod ipsis Adami delictum imputetur, sed quia ab eo progeniti sunt, qui morti perpetuæ divino decreto fuit addictus. Et ita non propter peccati imputationem id illis contigit, sed propter generis propagationem."

III. A quibus non recedunt *Anabaptistæ*, qui negant posteros propter lapsum primorum parentum esse reos. Nec alia est *Remonstrantium* sententia; Quamvis enim ab initio ambigue loquerentur, ut incertum esset quid statuerent, postea tamen, Apol. c. vii., non obscure se Socinianis favere testati sunt, imputationis quidem nomen retinentes, sed rem ipsam tollentes, dum scribunt, "Peccatum Adami a Deo imputari posteris ejus, non quasi revera censeat reos ipsos ejusdem cum Adamo peccati et culpæ, sed quatenus eos eidem malo cui Adamus per peccatum obnoxium se reddidit, obnoxios nasci voluit." Quod clarius adhuc confirmat *Curcellæus* lib. de Jure Dei, ubi rejicit omnem illam peccati imputationem.

IV. Nec modo οἱ ἐξ ἐναντίας Imputationem istam impugnant; Sed etiam inter nostros R. et Cl. Vir. *Jos. Placæus* Professor Salmuriensis hoc Adversariorum commentum adoptavit, et dum totam rationem labis originalis constituit in habituali, subjectiva et inhærente corruptione, quæ ad singulos per generationem ordinariam propagatur, imputationem istam rejicit, et magno molimine oppugnare conatur in *Thesibus Salmuriens.* de Statu hominis lapsi ante gratiam, et in variis Tractatibus super eo argumento editis.

Digitized by Google

V. Cui oppositum fuit Decretum Synodi Nationalis Carentoniensis ann. 1644, quo sancitur et confirmatur recepta in Ecclesiis nostris doctrina de primi peccati Adæ imputatione, et hæreditaria corruptione, quæ ad omnes derivatur. Cujus hæc sunt verba, "Cum relatum esset ad Synodum, scripta quædam, alia typis evulgata, alia manu exarata, prodiise, quæ totam rationem peccati originalis sola corruptione hæreditaria in omnibus hominibus inhærente definiunt, et primi peccati Adami imputationem negant: Damnavit Synodus doctrinam ejusmodi, quatenus peccati originalis naturam ad corruptionem hæreditariam posterorum Adæ ita restringit, ut imputationem excludat primi illius peccati, quo lapsus est Adam: Adeoque censuris omnibus Ecclesiasticis subjiciendos censuit, Pastores, Professores, et quoscunque alios, qui in hujus quæstionis disceptatione a communi sententia recesserint Ecclesiarum Protestantium, quæ omnes hactenus et Corruptionem illam et Imputationem hanc in omnes Adami posteros descendentem agnoverunt," &c.

VI. Ut vero vim Decreti istius Synodici declinaret V. D., distinxit postea *Imputationem*, in *immediatam et antecedentem*, et *mediatam et consequentem:* Illam vocat, qua actio Adami ejus posteris omnibus, Christo excepto, proxime, immediate, hoc ipso quod sunt filii Adami, imputatur, tam ad privationem justitiæ originalis, quam ad mortem æternam, antecedenter ad corruptionem inhærentem: Istam vero, quæ hæreditariæ corruptionis in nos ab Adamo derivatæ intuitum consequitur, eaque mediante *fit;* hujus enim corruptionis participatione statuit nos communicare peccato Adami, eique habitualiter consentire, ac propterea dignos esse qui Adamo peccatori annumeremur. Hanc vult Synodum asserere, et se cum illa agnoscere, sed non illam. Verum si penitius res attendatur, non obscure patebit distinctionem istam ad fucum faciendum esse excogitatam, quæ nomen imputationis retinendo, rem ipsam de facto tollit. Nam si ideo tantum Adæ peccatum nobis imputari dicitur mediate, quia apud Deum rei constituimur, et obnoxii pœnæ simus propter corruptionem hæreditariam quam ab Adamo trahimus, nulla erit imputatio proprie peccati Adami, sed tantum labis inhærentis; Quod Synodus proscriptum voluit, quia peccati originalis duas partes constituit, corruptionem inhærentem, et imputationem; quod dici non posset, si imputatio non aliter fieret quam corruptionis interventu. Aliud enim est subesse iræ Dei et condemnationis reatui propter corruptionem inhærentem et nativam, quæ per generationem propagatur; Aliud propter ipsum peccatum Adami nobis imputatum.

Status Quæstionis.

VII. Ad Statum Quæstionis, Observandum. 1. Non agi hic de quovis peccato Adami, sed de primo, nec de *primo habituali*, quod in ipso hæsit, sed *primo actuali*, quo Legem primordialem violavit, et fœdus secum a Deo initum fregit.

VIII. 2. Non quæritur De omnibus posteris, qui quoquomodo sunt ab eo oriundi, sed tantum de illis qui via ordinaria generationis ab eo descendunt, ut ita eximatur Christus, qui non via ordinaria, sed extraordinaria et supernaturali conceptus est per vim Spiritus Sancti, non vi benedictionis ante lapsum datæ, sed vi promissionis specialis lapsum secutæ, de Semine mulieris contrituro caput Serpentis, non secundum personalitatem, sed secundum humanitatem tantum, et plane extraordinarie.

IX. 3. Non quæritur, An peccatum Adæ imputari nobis dicatur, quia ob peccatum originale nobis inhærens digni sumus, qui eo loco habeamur, ac si actualem ipsam inobedientiam commisissemus, quomodo *præputium* ab Apost., Rom. ii. 26, dicitur *imputari in circumcisionem*, id. eodem loco haberi ac si circumcisum esset: quia sic ageretur tantum de collatione

Digitized by Google

diversorum peccatorum in diversis personis existentium, vel de paritate inter diversa peccata ratione pœnæ, aut reatus. Sed quæritur, An actuale peccatum Adami ita omnibus reipsa imputetur, ut propter illud omnes rei censeantur, et vel pœnas dent, vel saltem pœnis digni existimentur.

X. *Imputatio* vel est *rei alienæ*, vel *propriæ;* Aliquando imputatur nobis id quod nostrum est personaliter, quo sensu Deus imputat peccata peccatoribus, quos propter propria crimina punit, et in bonis dicitur *zelus Phineæ illi imputatus ad justitiam*, Psal. cvi. 31; Aliquando imputatur id quod est extra nos, nec a nobis est præstitum, quomodo Justitia Christi dicitur nobis imputari, et peccata nostra ipsi imputantur, licet nec ipse peccatum in se habeat, nec nos justitiam. Hic vero agitur de ista imputatione, non de illa, quia agitur de peccato ab Adamo commisso, non a nobis.

XI. Quando autem peccatum alterius imputari dicitur alicui, non est intelligendum peccatum quod simpliciter et omni modo sit alienum, sed quod aliqua ratione ad eum pertinet, cui imputari dicitur, si non proprie, singulariter, et *personaliter*, at *communiter*, propter communionem quæ illi intercedit cum proprio ejus authore: Nulli enim potest dari imputatio peccati alieni, nisi posita peculiari aliqua unius cum alio conjunctione. *Communio* autem illa triplex potest esse, 1. *naturalis*, qualis est inter Patrem et liberos, 2. *moralis* et *politica*, qualis inter Regem et subditos, 3. *voluntaria*, qualis inter amicos, et inter reum et Sponsorem: Atque hinc patet fundamentum duplicis imputationis inter Christum et nos, qua peccata nostra ipsi imputata sunt, et ejus Justitia nobis vicissim imputatur, 2 Cor. v. 21. Nos hic postremam communionem non attendimus, in qua fatemur necessarium esse consensum prævium, sed tantum duas priores, in quibus non necesse est, ut justa sit imputatio, ut qui pœnam peccati alterius sustinet, in illud vel consentiat actualiter, vel aliquando consenserit. Adamus enim duplici isto *vinculo* nobiscum junctus est; 1. *Naturali*, quatenus Pater est, et nos ejus filii; 2. *Politico* ac *forensi*, quatenus fuit Princeps et Caput repræsentativum totius generis humani. Fundamentum ergo Imputationis non est tantum communio naturalis, quæ nobis cum Adamo intercedit, alias omnia ipsius peccata deberent nobis imputari, sed præcipue *moralis* et *fœderalis*, per quam factum est, ut Deus cum illo, ut cum nostro Capite, fœdus pepigerit. Unde Adamus se habuit in illo peccato, non ut *persona privata*, sed ut *publica* et *repræsentativa* quæ omnes suos posteros in actione illa repræsentavit, cujus proinde demeritum ad omnes pertinet.

XII. Ut Adamus esset persona publica et repræsentativa, non necesse fuit, ut munus illud a nobis ipsi demandaretur, ut tam nostro quam suo nomine ageret; sufficit intercessisse justissimam Dei ordinationem secundum quam voluit Adamum esse stirpem et Caput totius Generis humani, qui ideo non sibi tantum, sed et suis bona acciperet, vel amitteret; Unde omnes dicuntur fuisse unus homo. "Quicunque," inquit August. ep. 106, "ex illo uno multi in seipsis futuri erunt, in illo uno, unus homo erant," unitate non specifica, vel numerica, sed partim *unitate originis*, quia omnes ex uno sunt sanguine, partim *unitate repræsentationis*, quia unus omnium personam repræsentabat, ex ordine Dei.

XIII. Talem fuisse Dei ordinationem multa probant. 1. *Fœdus* cum Adamo pactum, de quo supra, quod non fuit particulare cum Adamo solo, sed generale et publicum cum universo Genere humano initum, quod proinde in illo primo parente ruptum, universam ejus sobolem eidem calamitati involvit; alias Deus cum singulis personis pacisci debuisset. 2.

Digitized by Google

Ratio *Imaginis* divinæ, et Justitiæ originalis, quam Adamus pro se et suis acceperat, non ut bonum personale, et sibi peculiare, sed ut bonum commune, quod transmittendum fuit ad posteros, si stetisset in integritate, sed quo etiam privanda fuit ejus posteritas, ubi semel lapsus fuisset; ut hic Adamus fuerit instar beneficiarii, qui feudum accipiens a domino accipit illud et sibi et posteris, sed ea lege, ut si rebellet adversus dominum, beneficium non sibi duntaxat, sed et posteris suis amittat. Quod Confess. Galli. art. 10. clare exponit, "Quæ Deus Adamo largitus erat, non ipsi soli, sed etiam toti ipsius posteritati fuerunt data: ac proinde nos in ipsius persona spoliati bonis illis omnibus, in omnem hanc miseriam et maledictionem incidimus." 3. *Communio pœnarum* tam generalium, quam specialium, quæ in posteros non minus ac in Adamum dimanarunt, quæ juste non possent infligi, nisi supponeretur communis Lex, et communis reatus; nam si pœna infracti fœderis ad omnes extenditur, fœdus quoque et lex ad omnes extendi debet. 4. *Collatio Adami et Christi*, quam instituit Paulus Rom. v., et 1 Cor. xv., quæ non potest sufficienter salvari, nisi posita imputatione peccati, quæ respondeat imputationi justitiæ, ut postea probabitur.

XIV. Pœna quam peccatum Adami in nos accersit, vel est *privativa* vel *positiva*. Prior est carentia et privatio justitiæ originalis, Posterior est mors tum temporalis, tum æterna, et in genere mala omnia, quæ peccatoribus inmittuntur. Etsi secunda necessario sequitur primam ex natura rei, nisi intercedat Dei misericordia, non debet tamen cum ea confundi. Quoad primam dicimus Adami peccatum nobis imputari immediate ad pœnam privativam, quia est causa privationis justitiæ originalis, et sic corruptionem antecedere debet, saltem ordine naturæ; Sed quoad posteriorem potest dici imputari mediate quoad pœnam positivam, quia isti pœnæ obnoxii non sumus, nisi postquam nati et corrupti sumus.

XV. Quæstio redit ad hos terminos, An peccatum Adami, non quodlibet, sed primum, non habituale, sed actuale, posteris ejus omnibus naturaliter ab eo oriundis imputetur, imputatione, non mediata et consequente, sed immediata et antecedente. Illi cum quibus hic agimus, vel negant absolute imputationem, vel mediatam tantum admittunt; Nos vero cum Orthodoxis utrumque affirmamus, et dari imputationem, et eam esse immediatam et antecedentem.

Probatur Peccati imputatio 1. Ex Rom. v. 12.

XVI. Rationes sunt. 1. Quia Paulus ad Rom. cap. v. 12, 13, 14, &c., imputationem istam clare adstruit, "Sicut per unum hominem peccatum introiit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt, &c." Ex quibus varia petuntur argumenta. 1. Ex scopo Apostoli, qui est probare illustri typo justificationis doctrinam per imputationem justitiæ Christi, de qua locutus fuerat cap. iii. et iv.; quia enim mirum videri poterat et insolitum aliena justitia aliquem justificari, Apostolus per collationem Adami et Christi *fundamentum* ab opposito istius mysterii probat ex condemnatione, quam Deus voluit in omnes derivari propter unius peccati imputationem, ut quemadmodum Adamus a Deo Caput et Stirps generis humani constitutus est, et reatus peccati sui, et ex eo mors in omnes derivaretur: Ita Christus alter Adamus Caput factus sit omnium Electorum, ut per ejus obedientiam justificatio in omnes electos veniret. 2. Loquitur de *peccato* quod *introiit in mundum, et per quod mors in omnes pervasit*, quod non ad originale et inhærens potest referri, quod supponebat jam actuale, sed ad primum actuale, per quod revera mors et in Adamum et in posteros ejus pervasit, quod patet ex v. 18, ubi apodosis similitudinis redditur, et mentio

Digitized by Google

fit *unius illius peccati*. 3. Illud peccatum debet intelligi, de quo dici potest, quod omnes peccarint, quum peccatum introiit per unum hominem in mundum, et per peccatum mors, quæ est vis ratiocinationis Paulinæ: *Sicut per unum hominem peccatum introiit in mundum et per peccatum mors, et ita mors pervasit in omnes* ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *in quo*, vel *quia*, *omnes peccarunt*. At verbum ἥμαρτον proprie non potest trahi ad habitum peccati, vel ad corruptionem habitualem et inhærentem, sed proprie peccatum aliquod actuale notat, idque præteritum, quod non potest aliud esse, quam ipsum Adami peccatum; aliud quippe est peccatorem esse vel nasci, aliud vero reipsa peccare; Qui ergo, cum nondum essent in rerum natura, dicuntur in alio peccasse, censentur proculdubio eo committente peccatum, et ipsi etiam commisisse. At Paulus dicit de omnibus cum nondum essent, eos in Adamo peccasse; Ergo eo peccante censentur et ipsi peccasse, quod sine imputatione peccati dici non posset. 4. Paulus non tantum loquitur de peccato, sed de *uno peccato*, et de *unius offensa* cujus reatus in omnes diffusus est, v. 17, 18, "ut per unum peccatum reatus in omnes venit ad condemnationem: Ita et per unam justitiam gratia transit in omnes in justificationem vitæ;" et v. 19, "ut per unius inobedientiam multi constituti sunt peccatores; Ita et per unius obedientiam multi constituentur justi." Quare vero toties Apostolus mentionem faceret *unius hominis peccantis, et unius offensæ ac inobedientiæ in singulari*, cujus reatus in omnes venerit in condemnationem, non semel, sed quinquies in paucis versibus, nisi hæc una inobedientia, quæ non potest alia esse ab actuali transgressione Adami, posteris imputaretur? Nam si rei sumus, non imputatione peccati Adæ, sed tantum vitiositatis propagatione, non jam ex uno peccato reatus et condemnatio potest dici in omnes transire, sed ex innumeris inhærentibus. 5. Hoc fortius confirmatur ex collatione Adami et Christi, quam hic Apostolus instituit resp. justificationis de qua agit, cujus causa vocat *Adamum* τύπον τοῦ μέλλοντος, *typum futuri*, v. 14. Eadem quippe ratione constituimur peccatores in Adamo, qua justi constituimur in Christo: At in Christo justi constituimur, per justitiæ imputationem: Ergo et peccatores in Adamo per peccati ipsius imputationem, alias luxaretur ejus comparatio. 5. Mors quæ per peccatum regnavit, ambitu suo mortem spiritualem complectitur ex Dei comminatione, quæ nihil aliud est, quam privatio justitiæ originalis cum corruptione hæreditaria; unde præter eam peccatum aliquod prius debet agnosci quod fuerit ejus causa, quod aliud non potest esse præter Adami peccatum actuale.

XVII. Frustra hic excipitur, I. ἐφ' ᾧ non reddendum esse *in quo relative*, sed *causaliter* pro *eo quod*, vel *quia*, ut *Calvin.*, *Martyr*, *Versio Gallica*, et alii reddunt. R. Nam quomodocunque reddatur ἐφ' ᾧ, sive *relative*, *in quo*, quod Veteres magno consensu tam Græci quam Latini retinent, et Aug. urget contra Pelagianos, lib. vi. in Juli. c. 12, ut insolitum non est præpositionem ἐπὶ sumi pro ἐν, ut patet ex Marc. ii. 4, Act. ii. 38, Heb. ix. 10, 17, Matt. xiii. 14, quo sensu etiam alibi dicimur in Adamo mori, 1 Cor. xv. 22, sive *causaliter*, res eodem redit; Quia causa redditur ab Apostolo, cur mors in omnes et singulos pervaserit, quia scili. omnes peccarunt, non utique actualiter et personaliter in se, quia nondum erant, sed in Adamo peccante, peccato scilicet illo primo quod per ipsum introiit in mundum, ut supplenda sit necessario sententia Apostoli, et ita reddenda, *eo quod*, scilicet in uno illo homine, *omnes peccaverunt*, quod Versio Gallica in margine notat, quum addit, vel *in quo*, nempe *quatenus comprehensi sunt in persona Adami, in quo unusquisque fuit.* II. *Similitudinem Adami et Christi esse in re, sed non in modo rei*, id. docere quidem Apostolum Adamum in

Digitized by Google

posteros transferre reatum et condemnationem; Christum vero justificationem; Sed non docere id ab utroque fieri per imputationem; Alias manus dandas esse Pontificiis, et agnoscendum cum ipsis justificationem nostram pendere ex imputatione justitiæ Christi, et infusione justitiæ inhærentis, ut condemnatio nostra oritur, tam ex peccato propagato, quam imputato, quod Bell. urget lib. ii. de Justifi. c. 3. R. Verum hæc exceptio jam eo nomine non parum suspecta esse debet, quod *Socinum* authorem habeat, lib. iv. de Serva. c. 6, ut vim argumenti nostri eludat, quod hinc desumimus ad confirmationem doctrinæ de imputata Christi justitia. 2. Gratis hic supponitur Apostoli similitudinem tantum esse in re, non in modo rei, cum modus ipse ingrediatur naturam rei de qua quæritur: quia hic, ut antea observatum, scopus Apostoli est agere de justificationis negotio, id. non tantum de communicatione reatus vel justitiæ in genere, sed de communicationis istius modo, quatenus fit per unius offensam, vel obedientiam, id. per ejus imputationem. Nec tamen propterea quicquam Pontificiis accedet; quia Pauli verba non sunt ultra ejus scopum extendenda, qui non est agere de justitiæ inhærentis communicatione, quæ fit per sanctificationem, de qua c. vi. aget ex professo, sed tantum de justitia imputata. III. Illud peccatum intelligi ab Apostolo, quod potest dici introiisse in mundum, et transiisse in homines, quod de actuali Adæ peccato commode dici nequit, sed tantum de corruptione inhærente. R. Nam peccatum actuale non minus introiisse in mundum, et transiisse dicitur in homines, quam corruptio, si non ratione *actus* qui transit, at ratione *reatus* qui manet, quatenus propter actionem illam alius reus habetur, et pœnæ subjacet: Nec mirum videri debet si Ap. actuale hoc peccatum potius intelligat, quam habituale, quia de justificatione, non de sanctificatione, hic agere illi propositum est. IV. Eo modo dici omnes peccasse, quomodo peccatum dicitur fuisse in mundo ab Adamo usque ad Legem, v. 13, quia prius illud ex isto posteriori probat: At peccatum quod fuit in mundo non posse dici actuale imputatum, (cum Apostolus addat peccatum istud non imputari, non existente Lege,) sed tantum inhærens. R. Quia tantum abest ut Apost. velit negare peccatum illud imputatum fuisse, ut contrarium potius intendat probare, quod colligit ex v. 14. ex mortis imperio, quæ *regnavit etiam in eos qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adæ*, nimirum infantes, qui non possunt dici actualiter instar Adami peccasse. Quia vero imputatio peccati ad pœnam non potest fieri non existente Lege, siquidem peccatum est *ἀνομία*, et ubi non est lex, ibi nec transgressio, Rom. iv. 15, Paulus inde elicit, legem ergo aliquam datam fuisse ante Legem scriptam Mosis, juxta quam peccatum potest dici imputatum; quæ non potest alia esse, quam Lex primordialis lata Adamo et in eo omnibus posteris ejus. V. *Multos*, non omnes, dici *constitutos peccatores*, Rom. v. 19. R. Sed illi *multi* omnibus æquipollent, ut docet collatio v. 15 et 19, cum v. 12, 18, et 1 Cor. xv. 22; dicuntur vero *multi*, non ad restringendum subjectum, et vim peccati contrahendam: quasi opponantur aliis, qui ab eodem parente orti insontes remanserint: sed Adamo ipsi, qui unus solum erat, et cui tam multi quam omnes bene opponuntur, et ut antithesim melius instituat inter multitudinem fidelium, qui per Christi obedientiam justi constituuntur, et multitudinem peccatorum, qui ab Adamo reatum trahunt.

2. Ex 1 Cor. xv. 22. XVIII. 2. Quia *in Adamo omnes moriuntur*, 1 Cor. xv. 22, id. mortis ac damnationis reatum contrahunt. Ergo in eodem etiam peccarunt, et cum eo communi culpa tenentur: Nemo enim potest in aliquo pœnam mortis mereri, nisi cum eo, et in eo peccatum, quod causa est mortis, commune habuerit. Nec sufficit

Digitized by Google

dici omnes in Adamo mori, *efficienter*, quia ab Adamo peccatum originale, quod est mortis causa, trahimus; Quia eadem ratione possemus dici mori in Parentibus et majoribus nostris, a quibus peccatum immediate haurimus, quod tamen nuspiam dicit Scriptura, sed de Adamo tantum, quia peculiari ratione in ipso fuimus, non tantum ut principio seminali sed etiam ut capite repræsentativo, atque adeo in eo peccasse dicimur, non tantum ratione *efficientiæ*, quia est causa a qua peccatum ad nos propagatur, sed etiam ratione *demeriti*, quia culpa sua reatum in nos attraxit: Eodem modo quo *omnes* dicuntur ibidem *vivificari* in Christo, non tantum *efficienter* per Spiritum vivificum, sed etiam *meritorie* per justitiæ ejus imputationem.

3. Ex imputatione peccatorum alienorum.

XIX. 3. Quia proximorum parentum peccata justo Dei judicio non raro transeunt in liberos, et iis imputantur. Ergo multo magis hoc dici potest de primo, quod et gravius est omnibus ortis, quodque non particulare est personæ Adami, sed universale totius naturæ. Talem autem dari imputationem probat, non modo comminatio Legis, Exod. xx. 5, qua Deus denunciat se ut "fortem et zelotypum peccata parentum visitaturum in filios, usque ad tertiam et quartam generationem;" Sed et exempla varia evincunt, In Achane, Jos. vii. 24, 25; Hamalekitis, 1 Sam. xv. 2, 3; Filiis Saulis, 2 Sam. xxi.; Jeroboamo, 1 Reg. xiv. 9, 10; Achabo, 1 Reg. xxi. 21, 22, et aliis; Unde Lament. v. 7, Ecclesia agnoscit se criminum a Patribus commissorum pœnas ferre. Et Christus, Matt. xxiii. 35, interminatur Judæis superventuras iis pœnas eorum criminum, quæ ab ipsorum Majoribus longe ante patrata fuerant, "ut veniat super vos omnis sanguis justus effusus super terram a sanguine Abelis justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ," &c. Ex quibus luculenter patet imputationem alieni peccati non esse traducendam, vel quasi insolitam et inauditam, cum tot exemplis probari possit, vel quasi absurdam, injustam et crudelem, cum Deus ipse vindicem se profiteatur paternorum criminum in liberos. Nec hoc ipsis Ethnicis ignotum, quorum plerique fatentur hoc juris in Divinitatem competere, ut pœnam alieni peccati ab aliis exigat. *Plutarch.* l. de sera Numinis vindicta variis rationibus hoc probat. *Proclus* in Hesiod. hoc Jovis opus esse ait, commune supplicium urbibus inferre, ob injusta Magistratuum supplicia, et varia in eam rem exempla affert; Hinc Hesiodus introducit Δίκην Justitiæ Deam rogantem Jovem,

Ὄφρ' ἀπερίσῃ Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλήων,

Et ibid. inquit,

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
Multoties tota civitas ob malum virum punitur.

Et Horatius,

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Atque hinc proculdubio factum, ut inter ipsos Ethnicos, non raro imputatio criminum locum habuisse legatur. *Cicero* ad Brut. ep. 15, in Græcis civitatibus liberos Tyrannorum opressis illis eodem supplicio affici notat. *Curtius*, lib. vi., Macedonibus Legem observatam ait, ut qui Regi insidiati essent, illi cum cognatis et propinquis suis morte afficerentur: Et apud omnes fere populos in more positum fuit in criminibus perduellionis sive læsæ Majestatis, liberos cum parentibus reis ad pœnam deposcere. Eo respicit Arcadii et Honorii Sanctio L. Quibus C. ad L. Jul. Majest. "Filii vero ejus, quibus vitam Imperatoria lenitate concedimus (paterno enim perire debebant supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarii, criminis

Digitized by Google

exempla notantur), a materna vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni: testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes, et pauperes, infamia semper paterna eos comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant, sint postremo tales, ut iis perpetua egestate sordentibus, sit et mors solatium et vita supplicium." Unde patet nec apud Deum, nec apud homines simpliciter injustum esse, ut quis puniatur propter alienum peccatum. Quod Cl. *Amyraldus* lib. de Relig. p. 3. c. 7, variis rationibus et exemplis probat.

XX. Frustra hic obtenditur, 1. Varia esse discrimina inter imputationem peccati Adamici, et imputationem aliorum peccatorum. R. Quia licet non per omnia conveniant, inde tamen liquido constat imputationem peccati alieni, nec insolitam esse, nec justitiæ divinæ contrariam, quod unum istis exemplis quæritur. 2. Filios qui puniuntur propter peccata parentum non meliores esse Patribus, ideo mirum videri non debere, si ex occasione peccatorum patrum, puniantur propter propria peccata. R. Quia aliud est puniri ex occasione peccati alieni, aliud vero pœnam ejus ferre. Et quamvis nemo nisi nocens et corruptus in se plectatur propter alienum peccatum; tamen dum alieni peccati pœnam luit, non spectatur qua nocens in se, sed in aliena persona; nec peccati sui sed alieni pœnam ferre dicitur. 3. Non filios proprie, sed parentes in filiis, qui sunt pars eorum, puniri. R. Nam licet patres in liberis puniantur, hoc non obstat tamen, quin filii ipsi etiam puniri dicantur, dum pœnæ ex ordine justitiæ divinæ propter peccata parentum illis imponuntur; qui pœnam autem fert alterius peccati, illi necessario tale peccatum debet imputari.

4. Ex propagatione peccati.

XXI. Quarto, Quia negata imputatione immediata primi peccati, præcipuum fundamentum justitiæ propagationis peccati tollitur. Nec sufficiens ratio reddi potest, cur Deus labem illam hæreditariam et inhærentem voluerit a parentibus transmitti ad posteros: Cum enim rationem habeat non tantum *mali turpis*, seu maculæ, sed etiam *mali tristis* seu pœnæ; necessario supponere debet peccatum aliquod antecedens ob cujus reatum irrogetur a Dei justitia; pœna enim nulla nisi a peccato, nam et solum peccatum punitur, et id solum quod punitur peccatum est; Non potest autem esse peccatum nostrum proprium et personale, quia nondum fuimus actu: Ergo peccatum est Adami quod nobis imputatur. Unde patet non sufficere ad salvandam veritatem et justitiam propagationis solam *naturæ legem*, secundum quam ut homo hominem generat, et leprosus leprosum, ita corruptus corruptum: quia hic non ordo tantum naturæ, sed *exercitium justitiæ* attendendum est, et aliquod sanctissimum, licet arcanum et admirabile, Dei judicium. Quare enim Deus, qui poterat propagationem istam impedire si voluisset, vel homines independentes a se invicem, non secus ac Angelos creando, vel alia quavis via, voluit tamen omnes ex uno homine corrupto corruptos nasci et sic totum genus humanum per peccatum a seipso separari, et maledictionem æternam incurrere, id est maximæ pœnæ subjici; nisi jam justitiæ actum in homine propter peccatum aliquod antea commissum exerere voluisset? Rursus, si sola Lex naturæ hic locum habet; Unde fit, quod illa labes originalis ex primo peccato in posteros potius transeat, quam alia peccata singularia parentum in filios? Unde fit, quod animæ hominum, quæ non traducuntur per generationem, sed immediate a Deo creantur, non creentur cum justitia originali, ut animæ primorum parentum, sed destitutæ hoc ornamento? Nulla discriminis istius ratio potest afferri, nisi ascendamus ad occultum Dei judicium, quo filios Adami plectere vult prop-

Digitized by Google

ter peccatum parentis, quod Calvinus optime explicat, Insti. lib. iii. c. 23, s. 7, " Nec enim factum est naturaliter, ut omnes a salute exciderent, unius parentis culpa." Et postea : " Cunctos mortales in unius hominis persona morti æternæ mancipatos fuisse Scriptura clamat. Hoc quum naturæ adscribi nequeat, ab admirabili Dei consilio profectum esse nemini obscurum est." Ibidem : " Iterum quæro, unde factum est, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus æternæ morti involveret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum est ? Hic obmutescere oportet tam dicaces alioqui linguas. Decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo potest, quin præsciverit Deus quem exitum habiturus esset homo antequam ipsum conderet, et ideo præsciverit, quia decreto suo sic ordinarat."

XXII. Quod autem privatio justitiæ originalis, et labes hæreditaria non tantum peccatum sit, sed etiam pœnæ rationem habeat, exinde facile colligitur. 1. Quia inflictio mali maximi tum damni tum sensus non potest non esse pœnæ irrogatio. At per istam propagationem infligitur maximum *malum* creaturæ, tum *damni* per privationem justitiæ et boni inesse debiti, et separationem a Deo, tum *sensus* per depravationem totius naturæ, et horrendam facultatum hominis ἀταξίαν. 2. Quia eandem rationem utrumque hoc malum in nobis sortitur, quam habuit in Adamo, siquidem ab eo in nos derivatur, tanquam ejus hæredes. At habuit rationem pœnæ in Adamo, siquidem fuit mors spiritualis, quæ a peccato ejus actuali fluxit ex interminatione Dei. Nec obstat quod privatio ista justitiæ respectu hominis rationem habet peccati, quia privat eum rectitudine debita inesse ; quia non desinit habere rationem pœnæ a parte Dei illam ordinantis ad damnum creaturæ propter peccatum, si non proprium et personale, at publicum et commune : Ut induratio, quæ a parte hominis seipsum indurantis peccatum est, a parte Dei hominem indurantis, pœna est gravissima ; utrumque autem simul subsistere posse infra probabitur.

XXIII. 5. Quia Adam fuit stirps, radix, et Caput Generis humani, non tantum in *sensu physico*, et *ratione seminali*, sed *moraliter*, et in *sensu repræsentativo*, qui pro se et posteris suis fœdus pepigerat, ut supra visum, qui proinde ut pro se et suis dona quæ habebat acceperat, ita sibi suisque ea amisit ; Principiata enim in principiis contineri, et eorum conditionem referre constat. Et sicut Adamus vitæ conditionem et promissionem non sibi tantum, sed etiam suis posteris acceperat, si staret : Ita debuit mortis reatum suo lapsu, non sibi tantum, sed etiam suis omnibus contraxisse : Nam ad quem pertinent commoda, ad illum quoque onera et incommoda pertinere æquissimum est.

XXIV. 6. Negata imputatione peccati Adami, non parum labefactatur imputatio justitiæ Christi, quæ ex adverso sibi respondent, et quibus nititur præcipua pars antithesis, quam Paulus instituit inter Adamum primum et secundum ; cum facillimus sit lapsus a prioris negatione, ad posterioris inficiationem. Unde nemo est ex hæreticis, qui imputationem peccati negarunt, qui non eadem ratione imputationem justitiæ Christi oppugnarit, ut visum in Pelagianis, Socinianis, Arminianis. Hinc fit ut rationes, quibus imputatio peccati Adæ oppugnatur, non minus retorqueri possint adversus imputationem justitiæ Christi, et illæ quibus adstruitur imputatio Christi, faciant etiam ad asserendam imputationem peccati Adami. Nec obstat quod imputatio justitiæ Christi sit ex gratia, imputatio vero peccati ex justitia, possit autem gratia tribuere alteri id quod ei non debetur, Justitia non possit, quia gratia dat beneficium immerenti, Justitia pœnam non irrogat nisi merenti. Nam in imputatione peccati Adæ, Justitia Dei non irro-

Digitized by Google

gat pœnam immerenti, sed merenti, si non merito proprio et personali, at participato et communi, quod fundatur in communione naturali et fœderali, quæ nobis cum Adamo intercedit.

XXV. 7. Ut Levi decimatus fuit a Melchisedeco διὰ Ἀβραάμ, Heb. vii. 9, id. vel *per Abrahamum*, tanquam intermediam personam, vel *in Abrahami persona*, quatenus in lumbis ejus adhuc erat potentialiter, ut propterea in eo et cum eo, qui totius prosapiæ suæ personam tunc gerebat, jure decimatus censeatur; Ita multo magis censeri possunt in Adamo peccasse ejus posteri, utpote qui in eo essent ut rami in radice, massa in primitiis, et membra in Capite. Non quod fundamentum imputationis in illo facto quæratur, quod in multis differt ab ea; sed tantum ut a simili per analogiam illustretur. Nec verba quæ addit Apost., ὡς ἔπος εἰπεῖν, rem tropicam et figuratam innuunt, quasi Levi figurate tantum, non proprie, in Abrahamo diceretur decimatus, quod est contra mentem Apostoli, qui vult ex ista decimatione inferioritatem Sacerdotii Aaronici præ Melchisedeciano colligere, quia qui decimas solvit inferior est eo qui eas accipit; sed vel emolliunt phrasem duriusculam de Levi decimatione, cum bona proprie decimentur, non personæ; vel significant Apostolum uno verbo velle rem totam absolvere, nec se ulterius in ea explicanda diffundere: *ut uno verbo et breviter dicam*. Nec si fides Abrahami aut ejus peccata non fuerunt imputata Levi, quamvis in eo decimatus fuerit, sequitur inde non bene colligi imputationem peccati. Quia Abrahamus sustinebat personam Levi sive ordinis Sacerdotalis Aaronici ex se orituri, in illa solemni actione, qua decimas dedit Melchisedeco; sed non in particularibus suis actionibus, quæ vel fidei vel peccati respectu erant mere personales.

Fontes Solutionum.

XXVI. Alia est ratio *peccatorum* mere *personalium*, Alia vero *communium* et *publicorum*; Illa non debent imputari posteris, et de illis intelligenda Lex, Deut. xxiv. 16, "Ne morte efficiantur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccatis suis morte afficiatur;" sed ista nihil obstat imputari, quale fuit peccatum Adami. 2. Alia ratio est Legis quæ hominibus ponitur; Alia vero Legis, cui Deus ipse adstringitur. Hic metæ ponuntur vindictæ humanæ, quia in ea potest dari abusus, sed non justitiæ divinæ; ostendit nimirum hoc loco Deus quid ab hominibus velit ordinarie præstari; sed non statim quid ipse velit præstare, quidve ex ordine justitiæ possit exequi, alias non potuisset dicere in Lege se visitaturum peccata patrum in filios, nec exemplis variis hoc confirmasset.

XXVII. Locus Ezech. xviii. 20, ubi protestatur Deus "Filium non portaturum iniquitatem Patris, sed animam quæ peccavit morituram," non est absolute et simpliciter intelligendus prout sonat, alias contradictio daretur cum Lege, et neganda esset substitutio Christi in nostri locum: Sed debet exponi, 1. *De filiis adultis*, qui recedunt a peccatis parentum, et illa non imitantur, ut patet ex v. 19, "quare filius non fert iniquitatem patris? quia facit justitiam et judicium, ideo vivendo vivet." At tales non sunt filii Adæ, qui ab utero sunt transgressores. 2. *De peccatis personalibus* et particularibus, non communibus et generalibus, quæ multos possunt involvere, quale est peccatum Adæ. 3. Non hic constituitur *regula generalis* providentiæ et justitiæ, ad quam Deus vel ante semper exegerit, vel in posterum exacturus sit omnia sua judicia; aliter enim in Lege sancitum, et in exemplis observatum liquet; sed agitur *negotium peculiare cum Judæis*, quibus hoc Deus ex *speciali concessione* largitur, ut non cum ipsis agat ex illo justitiæ rigore, quem posset observare, ut aliena peccata ipsis imputet, sed ut propria peccata in ipsis plectat, ut os illis hoc

Digitized by Google

pacto penitus obstrueret. Hoc enim prætextu judicia divina Judæi carpebant, quod immerentes propter parentum peccata plecterentur, ut constat ex proverbio quod usurpabant, *Patres omphacem comederunt, et filiorum dentes obstupuerunt*; Respondet Deus se id minime erga ipsos præstiturum, sed unumquemque propter propria peccata puniturum, ut habetur v. 30. Vult ergo in rem præsentem eos deducere, et ad eam confessionem adigere, ut agnoscant Deum esse in suis judiciis justum, nec opus esse ut quærat in patribus peccata ad filios plectendos; satis esse in ipsis criminum, etiam seposita alieni peccati imputatione, ut et iis quas passi fuerant, et gravioribus etiam pœnis mulctarentur. Ita non hic fit ulla *Juris definitio*, sed tantum *pacti specialis declaratio;* non dicit quid *jure possit*, sed adversus criminationes populi, quid *facere velit.* Eo nos ducunt scopus Prophetæ et series verborum. Denique aliud est *jus summum*, aliud *jus ἐπιεικείᾳ temperatum.* Ex illo Deus potest visitare peccata parentum in filios; Sed ex isto non ulterius quam ad peccatores ipsos pœnam extendit; Unde Jer. xxxi. 29, Propheta loquens de tempore Novi Testamenti inter alia hæc habet, "In diebus istis," inquit, "non dicent, Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in peccato suo morietur," &c. ut doceat Deum mitius quam antea cum ipsis acturum.

XXVIII. Actus unius non potest esse et dici universorum, si sit actus mere personalis, cujusmodi sunt peccata quæ quotidie a singulis admittuntur: sed non potest intelligi de actu communi seu universali, qui ad totum genus humanum pertinet, qualis fuit actus Adami peccantis. Adam sane fuit unus individuo, et persona singularis, sed in hoc actu, non spectatur ut persona singularis, sed potius ut principium et Caput totius generis, cum quo Deus in ipso fœdus contraxit. *Voluntas* ergo *Adami* potest dici *singularis actus proprietate, universalis repræsentationis jure*, singularis, quia ab uno ex individuis humanis profecta est, universalis, quia individuum illud universum genus humanum repræsentabat. Sic justitia Christi est actus unius, et bene tamen dicitur omnium fidelium per divinam imputationem; ut quod unus fecit, omnes censeantur fecisse, "si unus mortuus est, omnes sunt mortui," 2 Cor. v. 14.

XXIX. Licet omnium personam sustinuerit Adamus peccando, non pariter remissionem obtinendo, ut ut essemus æque in ejus lumbis; Quia status quo excidit, naturalis fuit, ideo omnes implicuit ejus lapsus; sed ad omnes non debuit pertinere ejus restitutio, quæ supernaturalis et gratuita, ac proinde etiam personalis.

XXX. Qui nullo modo fuit in Adamo, nec potentia, nec actu, non potest dici peccasse in Adamo. Sed quamvis non fuerimus actu, et personaliter in ipso, fuimus tamen potentia, tum *seminaliter*, quatenus in ipso tanquam totius speciei radice continebamur, Act. xvii. 26, tum *repræsentative*, quatenus ex ordine Dei personam nostram referebat, et Deus in ipso cum toto genere humano fœdus pepigerat. Ita quamvis non fuerimus actu in Christo, quum pro nobis mortuus est, mors tamen ejus nobis bene imputatur propter unionem quæ nobis cum ipso intercedit.

XXXI. Repugnat justitiæ divinæ, punire aliquem ob alienum peccatum quod sit simpliciter et omni modo alienum; sed non quod, licet sit alienum ratione personæ, commune tamen est repræsentationis et communionis alicujus jure, quo fit ut reatus ejus multos involvat: hoc enim et comminatio Legis, et judicia varia Dei, quibus impletur, et exemplum Christi, cui peccata nostra vere imputata sunt, justissime fieri demonstrant.

XXXII. Quamvis inobedientia Adami nobis imputata sit, non sequitur

Digitized by Google

pariter et mortem ejus nobis imputari debere; Quia morte sua, quæ fuit pœna ejus personalis, nihil nobis procurat, ut inobedientia sua; ideo non potuit nobis communicari moraliter et per imputationem sicut ista, sed tantum reali et physica transmissione.

XXXIII. Licet peccatum primum non sit voluntarium respectu nostri realiter, quia propria voluntate non peccavimus, potest tamen voluntarium dici moraliter, quatenus voluntas Adami censetur quodammodo nostra propter nostri cum ipso communionem.

XXXIV. Ut δικαίωμα Christi, quod unicum est, potest tamen innumeris communicari per imputationem; Et ut reatus peccatorum parentum, quæ imputantur posteris, unus est et æqualis, qui transit in omnes: Ita nihil obstat reatum peccati Adami unicum esse et æqualem qui transeat in omnes per imputationem, quia non transit ad eos per divisionem, sed per communionem, quatenus omnes dignos pœna ea reddit.

XXXV. Licet Deus sit author fœderis illius quod cum Adamo initum est, ad quod sequitur peccati Adamici communio et imputatio; Non propterea potest aut debet censeri author peccati. Quia peccatum non ortum est per se ex illo fœdere, sed tantum per accidens propter hominis ἀνομίαν: Nec magis potest censeri ejus peccati author, quam censetur ejus causa, eo quod peccatum fiat, vel ad nos propagetur, quia voluit illud permittere, et ad nos propagari.

XXXVI. Non eadem est ratio peccatorum aliorum, quæ ab Adamo commissa sunt, et primi quod nobis imputatur; Quia cætera fuere ipsi *personalia* simpliciter, tam *inchoative*, quam *terminative*, post violatum fœdus, quod Deus cum illo pepigerat, et depositam personam publicam, quam sustinebat. Nam licet post primum peccatum Adamus non desierit esse *Caput* ratione *originis*, desiit tamen esse *Caput repræsentativum* relatione *fœderis*. Sed primum licet sit personale inchoative, quia a persona singulari ortum est, non tamen tale fuit *terminative*, quia pluribus commune fuit.

XXXVII. Carentia justitiæ originalis spectari potest, vel *passive* quatenus *subjective* est in homine, vel *active* quatenus *judicialiter* a Deo immittitur; Vel respectu *mali turpis*, quod includit, Vel respectu *mali tristis*, quod post se trahit, nimirum ratione deformationis creaturæ, et separationis a Deo. Priori sensu peccatum recte dicitur, quia est privatio rectitudinis debitæ inesse, quæ repugnat Legi, sed posteriori pœnæ rationem induit.

XXXVIII. Cum imputatio ad pœnam sit tantum *actus moralis*, mirum videri non debet, si, ut primus actus peccandi nobis imputatur, ita primus *actus generandi* qui est mere *naturalis*, pariter non imputetur.

XXXIX. Licet actus inobedientiæ Adami nobis potuerit imputari ad condemnationem; non statim sequitur actum ejus obedientiæ debuisse nobis imputari ad justificationem, quia reatus oritur ex uno actu inobedientiæ, sed justitia requirit complementum et perseverantiam integram obedientiæ. Deinde Adami justitia utpote finita, et ab ipso debita, non potuit aliis communicari ad eorum justificationem; maxime cum non debuerit alia esse conditio posterorum, quam Adami, qui mutabilis semper fuit, et cujus perseverantiæ tantum promissa fuit justificatio et vita.

XL. Cæterum hanc de imputatione peccati Adæ doctrinam receptam esse in Ecclesiis nostris fuse demonstrarunt Celeberrimi Viri et de Ecclesia optime meriti *Andreas Rivetus*, singulari tractatu super ea edito, ubi probat Protestantes omnes in hanc doctrinam consentire, et *Antonius Garissolius* Professor Podiolaurensis, eximio libro, quem ad defensionem Decreti Synodici adornavit; Ut hic non opus sit in eam rem operose testimonia

Digitized by Google

hinc inde colligere. Quia tamen subinde Viri docti cum quibus hic agimus, gravissimorum Theologorum, et *Calvini* inprimis, *Martyris*, et *Chamieri* authoritatem obtendere solent, quasi illi hanc imputationem silentio suo tacite, vel etiam aperte et disertis verbis, improbaverint; Non abs re futurum est, si paucis quam a vero aberrent probatum dederimus.

XLI. Hanc fuisse *Calvini* sententiam multa probant. Licet enim non ubique imputationis mentionem faciat, quando de peccato originali loquitur, sive quia nondum illa in controversiam vocabatur, sive quia adversus *Albertum Pighium* et *Ambrosium Catharinum* disputabat, qui totam peccati originalis naturam sola imputatione primi peccati definiebant, nullam inhærentem corruptionem agnoscentes, ubi proinde non illi laborandum fuit in probanda imputatione, quam solam agnoscebant Adversarii, sed tantum in asserenda labe inhærente: facile tamen est ostendere non ignotam fuisse, sed probatam summo Viro istam doctrinam. Pauca e multis, quæ afferri possunt, loca damus. In formula Confessionis fidei ab ipso conscripta, cui se adstringere tenentur omnes studiosi publicæ Scholæ Genevensis: "Confiteor omnem nostram corruptionem, et vitia quibus laboramus, inde profluxisse, quod Adam communis hominum pater sua rebellione sese a Deo alienavit, et vitæ bonorumque omnium fonte derelicto sese omnibus miseriis obnoxium fecit. Quo fit, ut singuli nascantur originali peccato infecti, et ab ipso matris utero maledicti, et a Deo damnati, non propter alienum delictum duntaxat, sed propter improbitatem, quæ intra eos est." Et tr. adversus Franciscanum: "natura æternæ damnationis hæredes sumus, quoniam omne humanum genus in Adam maledictum est." Et postea, "Dicimus Deum justo judicio nobis in Adamo maledixisse, ac voluisse nos ob illius peccatum corruptos nasci, ut in Christo instauremur." Et Responsi. ad Calumnias nebulonis de occulta Dei Providentia: "Quod si Deum naturæ legibus subjicere tibi propositum est, injustitiæ eum damnabis, quod ob unius hominis culpam omnes æternæ mortis reatu teneantur impliciti. Peccavit unus, omnes ad pœnam trahuntur; neque id modo, sed ex unius vitio contagionem omnes contrahunt." Et statim, "Etsi se et suos perdidit Adam, corruptionem tamen et reatum arcano Dei judicio adscribere necesse est, quia nihil ad nos unius hominis culpa, nisi nos cœlestis Judex æterno exitio addiceret, &c. Unde hæc conditio, ut non solum temporalibus miseriis, sed morti quoque æternæ simus obnoxii, nisi quia hominis unius culpa Deus in communem reatum nos conjecit?" In Ezech. xviii. 20, "Si quæratur causa maledictionis, quæ incumbit omnibus posteris Adæ, dicitur esse alienum peccatum, et cujusque proprium; Alienum, quia ubi defecit Adam a Deo, in ejus persona totum humanum genus spoliatum fuit rectitudine et intelligentia; Deinde corruptæ sunt omnes animæ partes, ita ut quisque in seipso sit perditus." Plura sunt istiusmodi, et in Instit. lib. ii. cap. 1, s. 1, 5, et lib. iii. cap. 23, s. 7, et in Genes. ix. 25, Homil. liii. in Jobum xiv. In Rom. v. 12 et 17, et alibi, quæ huc faciunt, quæ brevitatis studio mittimus.

XLII. Hanc Calvini sententiam *Beza* secutus est, et sæpius confirmavit, in Apolog. pro Justificatione. "Tria sunt quæ hominem reum constituunt coram Deo. 1. Culpa promanans ex eo quod omnes peccavimus in Protoplasto, Rom. v. 12. 2. Corruptio quæ est pœna istius culpæ, imposita tam Adamo, quam posteris. 3. Peccata quæ perpetrant homines adulti." Idem fortius asserit in Rom. v. 12, et seq. "Duo considerari debent in originis peccato, Reatus et Corruptio, quæ ut non possunt separari, distingui tamen accurate debent," &c. Nec alia fuit mens eorum qui

Digitized by Google

eum exceperunt, et in hac Ecclesia docuerunt. Quod vel ex suffragio Celeberr. Theologorum ad Synodum Dordracenam Deputatorum, *Joan. Diodati* et *Theod. Tronchini*, in Artic. 1. Th. 1, abunde liquet, quum aiunt, "Deum ab æterno, ex mero voluntatis suæ beneplacito, certas personas, ex semine et posteris Adæ, in et cum eodem lapsas, reas et corruptas, decrevisse in Christo, per et propter Christum ex eadem ἰδιότητα in hunc finem ipsis singulariter a Patre destinatum vocare," &c., quam sententiam et fidem esse Ecclesiæ Genevensis profitentur.

XLIII. *Martyr* aliud sensisse non legitur. Quamvis enim agens contra Pighium, Cl. ii. Lo. de pecc. orig., totus sit in adstruenda corruptione quam ille negabat, et nihil de imputatione tradat, satis tamen clare eam alibi statuit, quum docet corruptionem nostram originalem esse pœnam peccati Adæ. In Rom. cap. i., "Profecto nemo est qui ambigat," inquit, "peccatum originale nobis infligi in ultionem et pœnam primi lapsus." Et in Rom. v. 14, "Adamo peccante perinde fuit ac si omnes præsentes adfuissent, et simul cum eo peccavissent." Vid. in 1 Cor. xv. 21, 22.

XLIV. *Chamierus* clarius hoc ipsum adstruit, to. iii. l. 21, c. 2, s. 9. "Negamus posse nos fieri injustos injustitia inhærente per unum hominem, nisi hujus unius hominis injustitia nobis imputetur." Et cap. xvii. sect. 11, "Concedimus et inobedientiam Adami et obedientiam Christi constituere nos et efficienter et meritorie justos et injustos, sed non imputari nobis utramque constanter negamus. Imo negamus, posse nos meritorie efficere sive justos, sive injustos, nisi prius imputenter." Et mox: "Itaque ipsum Adami peccatum, ipsam, inquam, illam inobedientiam necesse fuit imputari posteris, ac proinde etiam Christi obedientiam. Illam quidem, quia Adamus is fuit, in quo censebatur esse genus universum humanum per naturam: Istam vero, quia in Christo est universa multitudo fidelium per gratiam. Inde factum, ut non tantum per Adamum peccatores facti sint omnes, sed et in ipso peccasse dicantur, quod longe aliud est."

XLV. Nec tantum Vir iste Celeberrimus cum cæteris Orthodoxis hic facit; verum et alii Viri Docti, qui in cæteris ab hypothesibus Cl. *Placæi* non sunt alieni, a communi sententia non recedunt, ut Celeberr. *Amyraldus* lib. de Relig. p. 3, c. 7, qui fuse probat peccatum alienum posse juste imputari iis qui cum authore aliquo vinculo juncti sunt, licet culpam non participarint. Et lib. Galli. de Prædesti. cap. v. "Sicut in criminibus Læsæ Majestatis ita puniuntur qui ea commiserunt, ut miseria pœnæ ipsorum transeat usque ad posteros, puta ædificiorum eversio, munerum privatio, famæ jactura, et alia ejusmodi; Ita, ut nihil consideremus, pœna primi hominis propter peccatum suum extendi debuit usque ad posteros ejus in complurium miseriarum eam consequentium sensu." Et lib. de Justi. contr. Milleter. c. iii. "Ex eo," inquit, "clarum esse potest, quomodo Apostolus intelligat doctrinam justificationis, nempe quod ut condemnatio qua condemnamur in Adamo, non significat qualitatem inhærentem, sed vel obligationem ad pœnam, vel obligationis illius declarationem a potestate superiori; Ita justitia qua justificamur in Christo, non sit etiam qualitas inhærens, sed vel jus obtinendæ in judicio divino absolutionis, vel absolutio ipsa a Judice," quod clarius adhuc in sequentibus probat. Ita Celeberr. *Mestrezatius*, lib. de Commun. cum Christo, c. ii. "Justitia Dei non potuisset nobis imputare peccatum Adami nisi in Adamo fuissemus, et quasi in lumbis ejus, Adamum scilicet considerando tanquam posteritatis suæ caput." Et lib. de gra. contr. Milleter. "Corruptio quædam Adami transit in nos realiter et nobis inhæret, sed dico præcedere actum imputationis inobedientiæ ipsius, ideoque corruptionem in

Digitized by Google

nos transmitti per generationem, quia in Adamo peccavimus, ut in capite nostro." Sic Cl. *Testardus* Synopsi de na. et gra. th. 12, "Primus homo fuit stirps generis humani, et naturaliter respectu speciei et œcomice respectu fœderis: debuit scilicet non modo naturam humanam, sed aut beatitudinem, aut miseriam, hanc peccando, illam perseverando in rectitudine divina, quia cum eo fœdus iniit Deus, non tanquam cum *privato* homine aliquo, sed tanquam cum *Capite* et *Sponsore* totius generis."

www.libook.com.cn

QUÆSTIO X.

DE PECCATO ORIGINALI.

An detur Peccatum aliquod originale, seu labes et vitiositas inhærens, quæ per generationem ad nos traducatur? Affir., contra Pelag. et Socin.

I. Quamvis *Peccato originali nihil ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum sit secretius*, ut loquitur August. de morb. Eccl. Catho. c. xxii.; Cum tamen summa sit doctrinæ istius utilitas ad miseriam hominis, et gratiæ salutaris necessitatem et efficaciam, certius percipiendam, merito inter primarias Religionis Christianæ reponitur.

II. *Peccatum originale* modo *latius* sumitur, prout complectitur peccatum imputatum et inhærens, quibus tanquam duabus partibus absolvi dicitur, quomodo usurpatur ab *Ursino* et *Zanchio*, et aliis; modo *strictius*, ut solum inhærens connotet, non excluso, sed supposito imputato, tanquam causa et fundamento, quo modo *Bucerus*, *Calvinus*, *Bullingerus*, de eo sæpius loquuntur. Et hoc sensu hic a nobis nunc usurpatur.

III. Tria circa ipsum quæri solent. 1. Ejus *existentia*, seu An sit. 2. Ejus *natura*, seu Quid sit. 3. Ejus *propagatio*, seu Quomodo ad nos transeat. De primo agitur in hac Quæstione, de aliis postea.

IV. Nomen *Peccati originalis* primus *Augustinus* in Ecclesiam invexit, a Pelagianis in quæstionem de Peccato vocatus, ut haberet certum aliquem terminum, quo posset inter disputandum contra eos uti, quod Scholæ tanquam apprime peccati istius naturæ exprimendæ conveniens retinuerunt. Ita vero dicitur, non ratione *originis primæ*, quam habuit homo a Deo creatus, sed ratione *originis secundæ*, quam habet a primo parente, tum ratione *principii sui*, quia est a peccato originante, tum ratione *modi propagandi*, quia ab origine nobis inhæret, tum ratione *effectorum suorum*, quia est origo peccatorum actualium.

An detur Peccatum originale?

V. Ad Quæstionem *An sit*, Peccant hic varii hæretici qui negativam sequuntur. 1. *Pelagiani* veteres, qui Pelagium Britannum Magistrum suum secuti, Peccatum originale secundum omnes partes suas negabant, peccatum Adami nemini nocuisse nisi ipsi statuentes, vel si nocuisse diceretur aliis, hoc factum tantum quoad *exemplum* et *imitationem*, non quoad *propagationem*. Vide *August.* de hæres. c. 88. 2. *Sociniani*, qui licet in omnibus possibilitatem ad peccandum agnoscant, quia Deus voluntatem liberam et ad bonum et ad malum dedit, negant tamen expresse ullum dari peccatum originale. Socin. prælect. cap. iv. "In homine," inquit, "dum nascitur, propter lapsum Adæ, nulla sive culpa sive pœna locum habere potest," &c. Et mox, "concludimus igitur, nullum, improprie etiam loquendo, peccatum originale esse." Idem statuit *Volk.* lib. v. cap. 18. Sed clarius *Cateches. Racovi.* illorum mentem exponit tit. de libero arbit. cap. 18, ubi ad quæs-

Digitized by Google

tionem propositam, Annon peccato originis liberum arbitrium vitiatum sit, Respondet, "Peccatum originis nullum prorsus est, quare nec liberum arbitrium vitiare potuit, nec enim a Scriptura id peccatum originis doceri potest, et lapsus Adami, cum unus actus fuerit, vim eam quæ depravare ipsam naturam Adami, multo minus vero posterorum ipsius possit, habere non potuit." 3. Nec ab iis alieni sunt *Remonstrantes*, qui in Apologia sua pro certo statuunt, quicquid in contrarium Augustinus aliique judicaverint, Deum nullos infantes cujuscunque sortis aut prosapiæ, sine actualibus et propriis peccatis morientes, æternis cruciatibus destinare velle, aut jure destinare posse ob peccatum quod vocatur originis; alienam esse hanc opinionem a divina bonitate et recta ratione, imo incertum, utrum in ea major absurditas an crudelitas præponderet. *Curcell.* aperte idem negat Dissert. 2, de Peccato originali. 4. Inter Pontificios *Pighius* et *Catharinus* peccatum originale ad solam imputationem restringunt, propagationem negantes. Anabaptistæ priorum vestigia sequentes peccatum originale *Augustini figmentum* vocant. Colloq. Francotha. Actio ii. art. 4. Hisce vero omnibus Ecclesia Orthodoxa semper se opposuit, et affirmativam constanter retinuit.

Status Quæstionis.

VI. Quæstio ergo inter Nos et Adversarios est, Non, An detur peccatum aliquod primum originans in Adamo, a quo Ilias illa malorum, quæ generi humano incumbit, ad nos vel exemplo et imitatione, vel propagatione dimanaverit; Sed, an detur vitium aliquod inhærens, quod peccatum originale dicitur, quod ab Adamo ad omnes ipsius posteros naturali generatione ab eo oriundos propagetur. Negant illi, Nos affirmamus.

Peccatum originale probatur, ex Gen. vi. 5.

VII. Rationes sunt. 1. "Quia omne figmentum cogitationum cordis hominis dicitur tantum malum, omnibus diebus, et a pueritia," Gen. vi. 5, 6, et viii. 21, ubi occurrit Dei ipsius judicium de opere suo, sed corrupto et fœdato, quo notatur non tantum corruptio hominum, sed corruptio universalis, tam habitualis cordis, quam actualis cogitationum, et quidem ab ipso vitæ primordio nobis connata et perpetua. Nec si ista dicuntur de primi mundi incolis, *exclusive* intelligenda sunt ad alios homines, et naturalem eorum constitutionem. Imo hypothesis illa transferenda est ad thesim, et idem de aliis inferendum, quia eandem naturam omnes in statu peccati habent in se, sine gratia coërcente, vel convertente, quod vel ex eo patet clarissime, quod cap. viii. 21. eadem dicuntur non amplius de mundo illo prisco, quem aquis ultricibus ob scelera deleverat, sed de novo mundo, quem ex superstite Noachi sobole proseminaturus erat. Nec ita peccata actualia innuuntur, quin habituale cum illis conjungatur, quia principiata corrupta esse non possunt, quin ipsa principia sint etiam corrupta; unde non tantum agitur de actionibus vel cogitationibus malis, sed etiam de figmento cordis malo, quod Judæi יצר הרע, dicunt, quo exprimere solent originale peccatum. Eo magis quod non dicitur tantum malum aliquo tempore, sed omni, et ab ipsa infantia, hoc enim מנעוריו etiam significat, Thre. iii. 27, Jere. xxii. 21, Ezech. iv. 14, et xvi. 22, Ose. ii. 15, non vero tantum adolescentiam, ut vellent Sociniani: Et ratio suadet, quia agitur de causa Diluvii, quo perierunt etiam ipsi infantes, in quos malitia actualis non cadit, qui tamen non sine causa et injuste puniti sunt. Ergo malitia originalis cum actuali debet connotari. Fingere hic Spiritum Sanctum hyperbolice veteris mundi flagitia exaggerare, non quasi omnes fuerint flagitiosi, sed quod maxima ex parte corrupti fuerint, est supponere gratis quod probandum est. Nam hyperbolis demum locus est in sacris, ubi verba ad literam accepta, vel

Digitized by Google

rationi, vel sensui, vel experientiæ, vel aliis locis parallelis repugnant. Sed hic contraria omnia.

2. Ex Gen. v. 3. VIII. Secundo, idem evincitur ex Gen. v. 3. ubi Adamus dicitur genuisse Sethum *ad imaginem suam*, id. corruptus corruptum: corrumpi autem in generatione alia ratione non potuit, quam ex contracta labe originali. Ubi notanda antithesis inter imaginem Dei, ad quam formatus fuerat Adamus, de qua v. 1, et imaginem Adami, ad quam formatus Sethus. Ut ergo illa moraliter designabat, tum sapientiam mentis, tum sanctitatem voluntatis: Ita ex opposito imago Adami debet notare corruptionem inhærentem et hæreditariam tam mentis, quam voluntatis, ut Apostolus hoc exprimit 1 Corint. xv. 49, ubi opponit imaginem Adami primi et secundi; illam quidem terrenam et corruptibilem, istam vero cœlestem et incorruptibilem. Frustra vero hoc refertur, Vel ad imaginem physicam et specificam Adami, Vel ad similitudinem in forma, figura, et lineamentis externis: Quia non alia ratione debet intelligi imago, ad quam Adam formavit liberos suos, quam quo sensu sumitur, quum homo dicitur factus ad imaginem Dei, non physice, sed moraliter. Quid vero opus fuit διαφορικῶς tam emphatica phrasi, et geminata voce id commemorare, quod per se certum erat, et homini cum brutis commune? Sed ratio fuit peculiaris cur de Setho hoc prædicaret potius quam de Abele qui fuit ἄτεκνος, et de Caino, cui propter vitam flagitiosam potuit censeri hoc proprium fuisse: nim. ut designaret Spiritus Sanctus prærogativam Seminis sancti, cujus Caput debuit esse, non obstitisse, quominus corruptus natura esset, utpote ex Adamo corrupto ad ejus similitudinem genitus.

3. Ex Job. xiv. 4. IX. Tertio, Ex Jobi xiv. 4. *Quis edat mundum ex immundo? ne unus quidem.* Ubi ab hominibus omnibus ne uno quidem excepto removetur puritas, et illis tribuitur immundities, non externa corporis simpliciter, quæ potest facile tolli, sed interna animi, quæ est inevitabilis, et quæ purgari nequit per naturam, quæ obnoxium reddit judicio Dei, v. 3, non actualis tantum et transiens, sed permanens et hæreditaria, derivata a parente in sobolem, quæ alia esse nequit a peccato originali, quicquid subintelligendum sit nomine זרע, sive *semen*, sive *homo*. Neque hic excipi debet, Vel immunditiem illam non esse universalem, quia Jobus alibi, cap. xxxi., talem se non fuisse satis ostendit. R. Quia licet talis non fuerit per gratiam ex qua regenitus est, talis tamen erat per naturam, ex qua genitus fuit; Vel immunditiem esse comparatam, qualis tribuitur Angelis, non absolutam. R. Quia sermo est de tali impuritate, quæ Dei non potest ferre judicium, ut constat ex verbis immediate præcedentibus. Ista autem impuritas est simpliciter peccaminosa, non comparata creaturæ sive essentiæ unius respectu alterius imperfectio. Hanc enim non adducit Deus in judicium, nisi condemnet opus suum.

4. Ex Ps. li. 5. X. Quarto, Ex Psal. li. 5, "Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccato fovit, vel calefecit, me mater mea." Ubi David ascendendo a consideratione peccati actualis a se admissi, ad primam mali labem, fatetur coram Deo se inde ab utero corruptum fuisse, et peccato obnoxium, unde invictum pro Peccato originali fluit argumentum; Nam qui in iniquitate conceptus fuit et in peccato fotus, non potest esse sine originali peccato. Nec ad vim istius loci eludendam valet quod Volkelius hic reponit cum sociis; Vel Davidem non agere de quibusvis hominibus, sed de se tantum, nec simpliciter, sed habita ratione lapsus sui. R. Nam quamvis loquatur de se, quidni possit etiam ad alios qui sunt ejusdem conditionis extendi, et qui pari modo concipiuntur et nascuntur, ut genitura ipsius erat illi cum cæteris communis, sic et nativa corruptio?

Digitized by Google

Imo a majori, si David vir secundum cor Dei in peccato conceptus est, quanto magis alii? Vel eum loqui non de peccato suo originali, sed de peccato actuali, vel parentum suorum communiter, vel præcipue matris suæ singulariter. R. Quia certum est Davidem confessionem edere de peccato suo, cujus veniam pro se petit, non de alieno, ut tota series orationis clare demonstrat, quæ omnino periret, si ad alienum peccatum transitum faceret. Præterquam quod falso supponitur peccasse parentes ejus in ejus generatione, quasi ex illegitimo concubitu natus esset. Nec verba eo trahi possunt: Nam verbum חוללתי *conceptus sum*, referri non potest ad actionem gignendi parentum, sed ad corporis geniti formationem in utero, et יחמתני non significat gignere aut concipere, quod parentum est, sed *calefieri* et *foveri*, quod spectat ad fœtum jam formatum, et in peccato calefactum.

5. Ex Jo. iii. 5. XI. Quinto, Quia omnes natura sunt *caro*, et *nati ex carne*, Jo. iii. 5, 6, nam "nisi quis regenitus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum Dei; quicquid natum ex carne caro est." Ubi 1. Notatur *necessitas regenerationis* supernaturalis, quæ supponit generationem naturalem corruptam. 2. *Universalitas corruptionis*, quæ in omnes grassatur quia omnes sunt caro. 3. *Universalitas traductionis*, dum caro nascitur ex carne. Nec dici potest *carnem* hic *physice* intelligi pro fragilitate naturæ. Nam licet nonnunquam eo sensu sumatur in Scriptura, non potest tamen hic ita usurpari, sed *moraliter*, quia agitur de carne opposita spiritui, et quatenus opus habet regeneratione, id. pro natura nostra irregenita, opposita illi qua regenitæ, quo modo passim sumitur. Deinde fragilitas ista physica supponit necessario corruptionem moralem, tanquam causam, unde ab ea separari nequit.

6. Ex Eph. ii. 3. XII. Sexto, Quia omnes tam Judæi quam Gentiles sunt *filii iræ*, Ephes. ii. 3, "Et eramus filii iræ natura, sicut et cæteri," ubi non tantum notantur peccata actualia per quæ dicuntur *fecisse cupiditates carnis*, sed etiam originale, quia dicuntur *filii iræ*, id. iræ divinæ obnoxii, non imitatione et consuetudine, sed φύσει natura, non integra, sed corrupta, ut innuatur malum esse inhærens ab utero, et non tantum superveniens a peccatis actualibus. Nec dici debet nos filios iræ appellari, quia geniti sumus ab Adamo, cum jam filius iræ propter peccatum factus esset. Quia non de Adamo, sed de ejus posteris dicitur, quod sint filii iræ natura, quod dici non posset nisi a natura jam peccatores essent.

7. Ex Ro. v. 12. XIII. Septimo, "Quia per unum hominem peccatum introiit in mundum et per peccatum mors," &c. Rom. v. 12, ubi Apostolus assurgit ad primam mali labem, et originem peccati et mortis aperit, nimir. primum hominis peccatum, quod in mundum introiit, nim. in homines, tum per imputationem, tum per propagationem; quod Apostolus probat ex morte peccati effecto necessario, quia in omnes regnat, tum *externa* et temporalis, tum *interna* et spiritualis, tum *æterna*, nec tantum mors actualis, sed etiam obnoxietas et obligatio ad mortem. Nec dici potest transiisse per *imitationem*, ut volebat Pelagius, quia non posset dici transire in infantes, qui imitationis non sunt capaces. 2. Quia sic debuisset omnibus innotescere, cum tamen innumeri de Adamo nihil audiverint. 3. Quia non magis posset dici transiisse per unum hominem, quam per Diabolum, qui peccantium est Pater.

8. Ex Necessitate mortis. XIV. Octavo, Rationes variæ idem probant. 1. *Necessitas universalis mortis* omnibus imposita, etiam infantibus; Nam si mors regnat in omnes, Ergo peccatum necessario debet in ipsis regnare, quia illa est istius stipendium, nec illi locus dari potest, ubi non datur peccatum. Recurrere hic ad sequelam naturæ, ut

Digitized by Google

vellent Sociniani, quasi mors sit naturalis, non pœnalis, est πρῶτον ψεῦδος ipsorum Redemptionis. quod antea a nobis est confutatum Loc. V. 2. *Necessitas Redemptionis* omnibus salvandis, quia redemptione opus non esset, nisi supposito peccato. 3. *Necessitas regenerationis*, Regenerationis. sine qua nemo potest videre regnum Dei, Joan. iii. 3; cur enim renovari deberet homo per regenerationem, nisi quia corruptus est a natura per generationem? 4. *Necessitas Sacramenti* administrandi infantibus recens natis, *Circumcisionis* in Veteri, et *Baptismi* in N. Testamento, quo haudquaquam iis Circumcisionis et Baptismi. opus foret, nisi ob demeritum et inhærentiam peccati et rei forent et mali. Huc facit etiam *necessitas purificationis*, quæ puerperis præscribebatur in Veteri Testamento, quæ locum non habuisset, nisi aliqua corruptio, et immundities in ipsa hominis generatione existeret. 5. *Lex communis*, ut omne genitum simile sit gignenti, tam quoad speciem, quam quoad accidentia speciei propria, quia generatio est communicatio non modo essentiæ, sed et qualitatum et accidentium speciei propriorum: ut ergo homo hominem generat: Ita peccator non alium quam peccatorem potest generare. 6. *Experientia*, quæ latens illud vitium in infantibus ipsis esse docet etiam ante rationis usum; unde propensio ad mendacium, vindictæ cupiditas, luxus amor, stimulus gloriolæ, et ludibunda vanitas, et sim. in plurimis ita apparent, ut parentes in sua prole corruptionis et perversitatis suæ nativæ imaginem deprehendere possint.

Fontes Solutionum. XV. Quod est involuntarium per nolitionem positivam, non potest esse peccatum; Sed quod non est voluntarium per volitionem positivam non desinit esse peccatum, si modo sit contra Legem, ut supra probatum. Quamvis peccatum originale non sit voluntarium *actu*, est tamen *ortu; voluntate* ejus *a quo* est, etsi non proprie *voluntate* ejus *in quo* est; *inhærenter* et *subjective*, quia hæret in voluntate, et eam inficit, licet non *elicitive*, quia non elicitur per aliquem voluntatis actum; *radicaliter* ratione principii, licet non *formaliter* ratione *exercitii*.

XVI. Si infantibus tribuitur quandoque innocentia in Scriptura, ut Ps. cvi. 38, et Jonæ iv. 11, hoc non absolute intelligendum est, et in se, quasi destituantur omni peccato, alias nec morti obnoxii forent; Sed secundum quid et comparate ad adultos qui peccant actualiter. Gemelli de quibus loquitur Paulus, Rom. ix. 11, nihil fecerant adhuc boni et mali, quo inter se distinguerentur, sed erant tamen ambo concepti in peccato in massa corruptionis.

XVII. Licet Lex nemini prohibeat nasci cum peccato originali, quia hominem sanctum supponit, damnat tamen ut ἀνομίαν corruptionem hæreditariam et inhærentem hominis, quia adversatur illi justitiæ et sanctitati, quam Lex exigit ab omnibus.

XVIII. Joan. ix. 3, Quum Christus ait cœcum natum non peccasse, non asserit absolute illum immunem fuisse ab omni peccato, cujus pœna fuerit hæc illius calamitas, sed tantum comparate negat illum peccasse præ cæteris, ut ita affligeretur, et nativam illam ejus cœcitatem pœnam fuisse alicujus peccati specialis, vel ipsiusmet cæci, ex falsa hypothesi Judæorum, qui putabant infantem in utero peccare posse, vel qui Pythagoricam μετεμψύχωσιν, seu transmigrationem animarum credebant, vel parentum ejus, juxta doctrinam in Scholis Judaïcis traditam, qua liberos ob peccata parentum nasci sæpe mancos et tortos credebant. Christus ergo ne quidquam vel cæco ipsi vel parentibus imputaretur singularis et personalis peccati, dicit hoc factum esse, ut opera Dei manifestentur, id. Deum voluisse in hoc exemplo, opera tum justitiæ et potestatis in puniendo, tum misericordiæ et omnipotentiæ in sanando patefacere.

Digitized by Google

XIX. Quamvis peccatum remittatur parentibus, non minus tamen potest transmitti in posteros, quia remisso reatu, manet semper macula, si non ex toto, saltem ex parte; unde ut circumcisus generat præputiatum, ita homo fidelis et regenitus generat corruptum et irregenitum, quia non generat per gratiam, sed per naturam, ut ex grano a palea purgato, nascitur granum cum palea.

www.ertool.com.cn

XX. Liberi fidelium sunt sancti, 1 Cor. vii. 14, non ratione immunitatis ab omni peccato, quo sensu nemo est mortalium qui sine peccato vivat, 1 Jo. i. 8; Sed ratione communionis cum Ecclesia, a qua qui excluduntur censentur profani et immundi. *Sanctitas* ergo ista est potius *relativa* et *fœderalis*, quam inhærens. Et quamvis sancti diserentur inhærenter, non everteretur ideo veritas peccati originalis, quia sanctitas ista esset beneficium gratiæ, non privilegium naturæ, quam habent non a se, vel a parentibus, sed a Spiritu Christi fideles renovante.

XXI. Quamvis B. Virgo revera fuerit κεχαριτωμένη, et præ cæteris fœminis a Deo dilecta et electa, ut gestaret in utero et pareret Dei Filium, et vere propterea Θεοτόκος, *Deipara*, dicatur; Non obstat tamen eximium illud et plane singulare privilegium, quo in maximum felicitatis gradum evecta est, quominus communi more cæterorum hominum, in et cum peccato originali concepta et nata sit. 1. Quia labes illa omnibus in universum hominibus tribuitur in Scriptura, nemine nisi solo Christo excepto, qui ideo non genitus est via ordinaria sed extraordinarie conceptus ex Spiritu Sancto, et ab Adamo ortus ut *principio materiali* tantum, non ut *principio activo*. 2. Quia ipsa opus habuit Servatore, quem ut suum celebrat, Luc. i. 47. 3. Quia veteris Legis sacrificia, quæ non sine peccati confessione peragi potuerant, offerre debuit. 4. Quia effecta peccati istius in ea deprehenduntur, ut peccata actualia propter quæ etiam a Christo objurgata legitur, Joan. ii. 4, Luc. ii. 49, et viii. 19, 20, 21, calamitas et ærumnæ, quæ sunt peccati fructus, quæ animam ejus transfigere debuerunt, Luc. ii. 35. Quantæ fuerint super hoc argumento contentiones in E. R. inter Dominicanos, Franciscanos, et Jesuïtas, istis immaculatum B. V. conceptionem asserentibus, illis vero negantibus, nemini ignotum esse potest: Error videtur primum ortus a Canonicis Lugdunensibus circa an. 1136, ex immodico in B. Virginem cultu, et a Bernard. epist. 174, et Scholasticis illius ævi refutatus. Lis vero renovata postea acrius circa an. 1300, et porrecta usque ad an. 1439, quo Consilium Basileense Sess. 36, in gratiam Franciscanorum pronunciavit, quod postea Sixtus IV. an. 1476 confirmavit, et a Concilio Tridentino approbatum, tandem ab Alexandro VII. an. 1661 per novam Bullam sancitum est, ut pro Ecclesiæ dogmate in posterum habeatur. Qui plura voluerit, adeat Celeb. *Heideg.* Dissert. xviii. de Conceptione Mariæ, qui historiam istius litis fuse persequitur.

XXII. In peccati propagatione accidens non transit de subjecto in subjectum, quia subjectum immediatum peccati non est persona, sed natura humana, per actualem personæ transgressionem vitiata, qua posteris communicata, communicatur etiam in ea hæc inhærens corruptio. Ut ergo in Adamo *persona* infecit *naturam:* Ita in posteris *natura* inficit *personam.*

XXIII. Licet modus propagationis peccati sit obscurus, et explicatu difficilis; Non ideo ipsa propagatio, quam Scriptura tam clare asserit, et experientia confirmat, neganda est. Quid autem de modo propagationis sit sentiendum peculiari Quæstione exeutietur.

Digitized by Google

QUÆSTIO XI.

An Peccatum originis ipsam Animæ substantiam corruperit? Et an sit mera privatio, An etiam positiva quædam qualitas?

www.tiroot.com.cn

I. Duo sunt extrema circa naturam Peccati originalis ex æquo vitanda. 1. In *excessu*, eorum qui peccatum originale censent situm esse in ipsa substantiæ animæ corruptione. 2. In *defectu*, eorum qui volunt consistere in mera carentia et privatione Justitiæ.

Error Flaccii Illyrici.

II. Primum errorem *Flaccius Illyricus* superiori seculo propugnavit, qui ut fortius pugnaret contra Victorinum Strigelium Collegam suum, liberum hominis arbitrium in conversione extollentem, et corruptionem extenuantem, peccatum ipsam hominis substantiam infecisse pertendit; quem secutus est Cyriacus Spangenberg, cum quo videtur monstrosa hæc opinio evanuisse. Unde non sine calumnia Bellar., l. v. c. 1, errorem hunc tribuit illis, qui adversus illam decertarunt.

III. Orthodoxi enim constanter statuunt *Peccatum* a *Substantia* ipsa distinguendum esse, ut accidens et qualitatem vitiosam a subjecto suo. 1. Quia omnis substantia creata est a Deo, et eo sensu bona est Gen. i. 31, 1 Tim. iv. 4. 2. Quia Scriptura distinguit naturam et peccatum ipsi adhærens, quum vocat illud ὑπερίστατον, παρακείμενον, et quod habitat in nobis, et vestem quæ exuenda est. 3. Quia sic sequeretur Christum assumendo naturam, assumpsisse etiam peccatum et corruptionem ipsam, et hominem post sanctificationem et resurrectionem alium esse quoad essentiam ab eo qui erat antea. 4. Peccatum non potest prædicari de homine in quæstione *quid est*, quia esset vel genus vel species, sed tantum in quæstione *quale quid*.

IV. Quicquid est ἄνομον in abstracto, seu ἀνομία, revera peccatum est, sed non statim quod dicitur ἄνομον in concreto, quia peccatum in se habet; Quo sensu natura humana dicitur ἄνομος, non quod sit ipsum peccatum, sed quia peccatum in se habens bene dicitur *peccatrix*.

V. *Novum cor* dicitur fieri in nobis per regenerationem non *physice*, sed *ethice*, quia eadem substantia quæ infecta fuit peccato, debet restaurari per gratiam; Nec si exuendus dicitur *vetus homo*, et *novus induendus*, aliud innuitur, quam corruptionem peccati, quæ moraliter *vetus homo* dicitur, quia a veteri Adamo descendit, esse abjiciendam ab homine, ut opus regenerationis, quod per *novum hominem* significatur, inchoetur et promoveatur. Idem dicendum de aliis phrasibus peccatum vel gratiam connotantibus, ab ipsa hominis substantia petitis; quæ sumuntur *ethice*, non *physice*, nec tam in abstracto, quam in concreto, ad magnitudinem corruptionis nostræ eo efficacius exprimendam.

VI. Justitia originalis et peccatum sibi invicem opponuntur; sed imago Dei latius aliquando usurpatur, quatenus ad ipsius animæ substantiam spiritualem et immortalem extenditur.

Sententia Pontificiorum de natura peccati originalis.

VII. In *defectu* peccant *Pontificii*, qui totam naturam peccati originalis restringunt ad meram carentiam seu privationem justitiæ originalis, quatenus corruptionem naturæ sola amissione doni supernaturalis, sine ullius malæ qualitatis accessu definiunt, quod *Anselmus*, libro de *Peccato originali* capite 25, et post eum Scholastici plerique statuunt, quæ communior est apud Pontificios sententia. Scopus eorum est, evincere hominem post lapsum, non

Digitized by Google

plus differre a seipso ante lapsum, quam languidum seu ægrotum a vegeto vel sano, ligatum a soluto, ut ea ratione liberum arbitrium ad bonum stabiliant, et non tam impotentiam in eo esse, quam difficultatem bene agendi, præsertim cum justitiam originalem faciant supernaturalem. Nos vero duo hic necessario includi censemus; Primo privationem justitiæ originalis; Secundo positionem contrarii habitus injustitiæ.

Sententia Orthodoxorum.

VIII. Rationes sunt. 1. Quia Scriptura Peccatum istud describit non tantum στερητικῶς et per *modum negationis*, Rom. iii. 23, et vii. 18; 1 Cor. ii. 14; Eph. iv. 18; Sed etiam θετικῶς, et per *modum affirmationis*, quum illud vocat "carnem, concupiscentiam, Legem membrorum, peccatum inhabitans, corpus mortis, veterem hominem," &c. Jo. iii. 6; Rom vii. 18, 20, 23, 24; Eph. iv. 22.

IX. 2. Quia actu et subjective inhæret homini, et prava desideria in eo continuo excitat, et reipsa per generationem transit ad posteros, quod de mera carentia vel privatione dici nequit.

X. 3. Quia homines non tantum sunt justitia vacui, sed et injustitia pleni, inepti ad bonum, sed et propensi ad malum, aversi a Deo, ut incommutabili et æterno bono, sed et conversi ad creaturas, et ad omnia vitia inclinati. Ut morbus et prava corporis dispositio quæ dolorem parit, non dicit meram privationem sanitatis, sed etiam temperamenti et humorum δυσκρασίαν, ut lepra non tantum est privatio puri sanguinis, sed etiam ejus corruptio; Ita peccatum quod cum morbo confertur non est tantum privatio rectitudinis, sed etiam positiva corruptio, quæ universalem naturæ et omnium ejus facultatum ἀταξίαν invehit, et per stultitiam, cœcitatem ac ignorantiam in mente, malitiam et contumaciam seu rebellionem in voluntate, et inordinationem seu πάθεσιν in affectibus solet describi, quibus homo non tantum a bono aversus, sed et ad omne malum fit pronus.

XI. 4. Quia justitiæ originali non modo privative opponitur, sed etiam contrarie tanquam originalis injustitia, ut apud Philosophos vitia virtutibus, non tantum ut privationes, sed etiam ut contrarii habitus opponuntur.

XII. 5. Quia effectus peccati originalis non tantum sunt privativi, sed etiam positivi, non tantum peccata omissionis, sed etiam commissionis, quæ ideo causam ejusdem generis postulant. Hinc Tit. iii. 3. peccatores ante gratiam dicuntur "amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus variis," et Matt. xv. 19, ex corde dicuntur exire "cogitationes pravæ, cædes, adulteria, falsa testimonia," &c., et caro dicitur "concupiscere adversus Spiritum," Gal. v. 17.

XIII. 6. Pontificii non pauci hoc observant, Thomas 1. 2. q. 82. art. 1. vocat "habitum corruptum in quo sit aliquid privativum, nempe privatio originalis justitiæ, et aliquid positivum, nempe inordinata dispositio partium animæ." Caietanus ad h. l.: "privatio dicit negationem in subjecto apto nato, corruptio vero addit positivum contrarium fundans illam negationem." Hanc sententiam Bellarm., lib. v. cap. 15, tribuit Lombardo, Henrico, Gregorio Ariminensi, quos propterea erroris accusat, et refutare conatur.

XIV. Aliud est *positivum physice*, quo sensu Ens et bonum convertuntur, et nihil est positivum quod non sit a Deo; Aliud *positivum ethice et logice*, quod affirmatur de subjecto, cui inhæret, sive sit bonum sive malum. Peccatum positivum dicitur, non priori sensu, sed posteriori; atque ita potest habere causam positivam non physice, quia sic est tantum causa deficiens, sed logice et ethice, quia positivam qualitatem inducit.

XV. Peccatum originale non ideo non est habitus vitiosus, quia nec infusus est nec acquisitus; dantur enim habitus varii congeniti, ut liquet

Digitized by Google

exemplo conscientiæ, justitiæ originalis, communium notionum de Deo et de discrimine honesti et turpis.

XVI. Nihil obstat quominus peccatum originale possit esse privatio, et simul positiva qualitas; Quia privatio non est nuda et simplex, vel puræ negationis, sed actuosa et efficax, et pravæ dispositionis, quæ non tollit ipsum subjectum, sed illud privando rectitudine debita inesse male disponit, et corrumpit, nec extinguit interna actionum principia, sed ea depravat, ut morbus in corpore, et putredo in pomo.

XVII. Porro labes illa hæreditaria non partem tantum inferiorem animæ, seu τὸ αἰσθητικὸν et *sensualitatem* infecit, ut vellent Pontificii, libero arbitrio patrocinaturi, sed etiam partem superiorem, seu τὸ λογικὸν, intellectum nimirum et voluntatem. Hinc cœcitas et ignorantia menti, rebellio et contumacia voluntati tribuitur, et homo totus quantus quantus est corruptus dicitur, ut nihil vel veri cognoscere, vel boni præstare queat, atque adeo regeneratione et sanctificatione egeat, quoad utranque sui partem.

XVIII. Vox *carnis* aliquando *stricte* pro corruptione sensualitatis vel corporis sumitur, ut 2 Corinth. vii. 1, aliquando *late* pro universali animæ corruptione, quæ mentem ipsam infecit: Unde φρόνημα tribuitur carni, Rom. viii. 6, et *hæreses* dicuntur *opera carnis*, quæ tamen sunt in intellectu, et hæretici dicuntur inflati *carnis suæ* intelligentia, Coloss. ii. 18: hoc sensu peccatum originale vocatur *caro*.

XIX. *Concupiscentia*, vel *philosophice* sumitur, et idem notat cum appetitu concupiscibili, vel *theologice* et *populariter*, quo sensu malæ propensiones voluntatis ad eam pertinent; hoc sensu *caro* dicitur *concupiscere adversus Spiritum*, Galat. v. 17, et peccatum originale ab *Augustino* definitur per *concupiscentiam*, ex qua, ceu mala et corrupta radice et arbore, pullulant corrupti surculi, et pessimi fructus.

XX. Hæc autem concupiscentia non modo in infidelibus et irregenitis peccatum est, sed etiam in fidelibus et renatis, quicquid asserant Pontificii, qui pertendunt languorem et morbum naturæ, et depravationem, quæ effectus peccati sit et causa peccatorum, dici posse, sed negant habere rationem peccati proprie dicti. Sic sancit Synod. Trident. Sess. 5, Can. 5, "Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi, et non imputari, anathema sit," &c. Et mox, "Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, Anathema sit."

XXI. Quamvis vero per regenerationem statuamus tolli *peccati originalis reatum* et *maculam* quoad *dominium*, quia nec ipsis imputatur amplius ad damnationem, nec in iis dominatur; Negamus tamen absolute tolli quoad *existentiam*, et quicquid in eo peccati rationem habet. Quia Paulus subinde nomen *peccati* illi tribuit, Rom. vi. et vii., quod non potest alio quam ad peccatum proprie dictum referri, quia agitur de peccato pro quo Christus traditus est, cui mortui sumus in baptismo, Rom. vi. 3, quod cum Christo crucifixum est, v. 6, cujus stipendium mors est, Rom. vi. 2, 6, 12, 23, quod repugnat Legi, cap. vii. 7, quod generat omnem cupiditatem, v. 8, et fit peccatum peccans, et hominem reddit carnalem et venundatum sub peccato, v. 14; Cujus φρόνημα est inimicitia adversus Deum, et quod nec Legi subjicitur, nec subjici potest, Rom. viii. 7, quod pecca-

Digitized by Google

torum omnium est causa et origo, Jac. i. 15 : Quæ omnia peccato proprie dicto conveniunt. Unde Aug., lib. v. cont. Juli. cap. 2, statuit concupiscentiam "Esse *et peccatum*, quia illi inest inobedientia adversus dominationem mentis, *et pœnam peccati*, quia reddita est meritis inobedientis, *et causam peccati* defectione consentientis ut et contagione nocentis."

XXII. Licet *concupiscentia* dicatur *gignere peccatum*, Jac. i. 15, scilicet actuale, consummatum et externum, non desinit esse peccatum ; Imo contra peccatum esse debet, quia partus sequitur ventrem, et ejusdem est cum parente naturæ ; malus effectus necessario arguit causam malam, ut arbor æstimatur ex fructu.

XXIII. Aliud est in renatis nullam esse *condemnationem ;* Aliud nihil *condemnabile*, et odio dignum, prius dicit Paulus, Rom. viii. 1, quia actualis reatus sublatus est per gratiam justificationis, sed non posterius, quia quandiu remanet peccatum in nobis, quod fit usque ad mortem, tamdiu remanet reatus potentialis, seu meritum intrinsecum peccati, per quod revera odio est dignum, et condemnabile natura sua, quamvis per accidens gratiæ actu non condemnet.

QUÆSTIO XII.

DE PROPAGATIONE PECCATI.

Quomodo Peccatum originale propagetur a Parentibus in Liberos ?

Quæstio de modo Propagationis peccati difficilis.

I. Quæstionem hanc peperit hæreticorum improbitas, et avida omnia scrutandi curiositas, quam eo fortius ursерunt Pelagiani, ut ex propagationis peccati difficultate, facilius ejus veritatem negarent. Tam ardua et explicatu difficilis est visa *Augustino*, ut in ea enodanda nunquam sibi potuerit satisfacere. Unde, libro v. advers. Julia. capite 3, propositis duobus propaginis modis, vel ut utrumque vitiatum ab homine trahatur, vel ut alterutrum in altero, tanquam in vase vitiato corrumpatur, addit, *Quid autem horum sit verum libentius disco, quam dico, ne audeam docere quod nescio.* Ideo alibi scribens ad Hieron. epist. 29, eo devenit ut dicat, dispiciendum esse potius quomodo ab eo malo per Christum liberemur, quam quomodo id ab Adamo traxerimus disputandum ; ut qui in puteum prolapsus est, non tam sollicitus esse debet de cognoscendo modo quo in illum inciderit, quam de investiganda ratione per quam istinc evadere queat.

Ad eam respondetur.

II. Quamvis vero in quæstione obscurissima, non possint scrupuli omnes removeri, Ea tamen ex Verbo Dei possunt tradi, quæ modestis ingeniis possint satisfacere, ut rem firmiter et indubitate teneamus, licet modum plene et clare non possimus assequi. Bifariam autem ad Quæstionem propositam responderi potest, vel *generalius*, vel *specialius*. Primo, *generalius*,

1. Generaliter, esse impuram generationem.

modum propagationis istius esse *impuram generationem*, qua ex corruptis et peccatoribus corrupti et peccatores nascimur. Nam ut homo hominem generat, et leprosus leprosum ; mirum videri non debet, si peccator peccatorem etiam sibi similem procreat. Hoc et natura et conditio omnium generantium postulat, qui gignunt sibi simile specie, quoad substantiam et accidentia speciei, et Lex generationis a Deo posita, non minus post lapsum, Gen. ix. 1, quam ante eum, exigit.

Digitized by Google

Ut ergo ante lapsum voluit Deus propagari naturam integram; Ita post lapsum naturam corruptam, in pœnam peccati.

III. Sic Peccatum proprie nec in animam nec in corpus seorsim sumpta, sed in hominem propagatur, quia nec anima nec corpus seorsim, sed homo in Adamo peccavit prout in ipso potentia fuit, *corpore* ratione substantiæ, *anima* ratione subsistentiæ.

IV. Nec obstat quod generatio naturalis non videtur posse propagare illud quod est morale. Nam labes ista hæreditaria ita est moralis objective, ut non desinat esse naturalis originaliter, quia est individua comes naturæ corruptæ; Ut justitia originalis quæ moralis erat, propaganda tamen fuit per generationem naturalem, si homo perstitisset in integritate.

V. Licet vero modus iste propagationis generalis evidens sit, et possit sufficere ad veritatem traductionis peccati adstruendam; (Unde cum Julianus peteret per quas rimas peccatum esset ingressum, siquidem non peccat ille qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat qui condidit, Augustinus respondet, lib. ii. de nup. et conc. cap. 28, "Quid quærit latentem rimam, cum habeat patentem januam? Per unum hominem, &c. Quid quærit amplius, quid quærit apertius, quid quærit inculcatius?") Quia tamen Adversariorum importunitas modum istum tanquam impossibilem exagitare solet, quia nec per animam transire potest peccatum, quæ a Deo creatur et a corpore non trahitur, nec per corpus quod est brutum et incapax peccati; Videamus quid hic specialius dici possit ad nodum istum quem insolubilem putant solvendum.

VI. Quidam non melius posse expediri difficultatem arbitrati sunt, quam per animæ traducem, quam non pauci ex Veteribus crediderunt, et ipse Augustinus non semel eo propendere videtur. Nec dubium est quin hac ratione omnis sublata videretur difficultas; sed quia, ut supra diximus, nec Scripturæ, nec sanæ rationi sententia illa convenit, et magnis difficultatibus est obnoxia, non putamus eo deveniendum esse.

VII. Alii, ut Lombardus et plerique Scholastici, statuunt animam a corpore vitiari, lib. ii. dist. 31, puram quidem creari a Deo, sed a corpore cui infunditur peccato inquinari, ut quum liquor purus in vas impurum infusus inquinatur. Sed Bellarm., lib. iv. de pecca. cap. 12, hanc sententiam impugnat, hac potissimum ratione, quod intelligi non possit, quomodo caro, quæ corpus est, animam inficiat, quæ spiritus est. Et fatendum est, non usquequaque illum satisfacere, si nihil ulterius additur.

2. Vel specialiter, per tres gradus propagationis peccati.
1. In conceptione ex semine immundo.

VIII. Ut ergo modum istum utcunque explicemus, Tres gradus statuimus istius propagationis. 1. In *conceptione corporis* ex semine immundo. 2. In *creatione animæ* rationalis cum carentia justitiæ originalis. 3. In *constitutione totius compositi*, per unionem animæ cum corpore. Primus est in *conceptione corporis ex semine immundo*, nam qualis est materia, talis debet esse materiatum, *Quis edet mundum ex immundo?* Job. xiv. 4. *Quod genitum est ex carne caro est?* Joan. iii. 6. Licet autem corpus per se non sit subjectum διατικὸν peccati, ut dicatur esse in eo *consummate*, *formaliter* et *perfecte;* nihil obstat tamen quominus in eo dicatur esse *inchoative*, *dispositive*, et *radicaliter*, tanquam in proprio animæ domicilio, mox in eandem hypostasim cum anima coalituro. Quia fomes hujus peccati hauritur in ipsa conceptione, et fœtui mediantibus spiritibus vitalibus et animalibus imprimitur, ut liberi ex parentibus haurire solent, non quidem ipsos morbos actu, ut podagram et calculum, sed eorum semina, et impressiones quasdam, quæ sunt principia illorum morborum.

Digitized by Google

2. In creatione animæ justitia originali destitutæ.

IX. Secundus gradus est *in Animæ Creatione*, quæ licet sine ulla labe creetur a Deo, non creatur tamen cum justitia originali, qualis anima Adami, ad imaginem Dei, sed cum ejus carentia in pœnam primi peccati. Ut hic distinguendum sit inter *Animam puram*, *impuram*, et *non puram*. Illa *pura* dicitur, quæ ornata est habitu sanctitatis; *impura*, quæ contrarium habitum injustitiæ habet; *non pura*, quæ licet nullum habeat habitum bonum, nullum tamen habet malum, sed creatur simpliciter cum facultatibus naturalibus; qualis supponitur creari a Deo post lapsum, quia imago Dei amissa semel per peccatum non potest amplius restitui nisi regenerationis beneficio per Spiritum Sanctum.

X. Quamvis autem animæ creentur a Deo destitutæ justitia originali; Non propterea Deus potest censeri author peccati, quia aliud est impuritatem infundere, aliud puritatem non dare, qua homo se indignum reddidit in Adamo. Nec tenetur Deus creare animas puras, imo justissime potest eas in pœnam peccati Adami tali dono privare: Quæ privatio licet a parte hominis sit culpabilis, quia est privatio rectitudinis debitæ inesse, non tamen respectu Dei, quia est actus justitiæ vindicatricis, quo primum peccatum ulciscitur.

XI. Licet autem Animæ non fuerint in Adamo, quoad *essentiæ originem*, quia a Deo creantur, recte tamen dicuntur in ipso fuisse quoad *originem subsistentiæ*, quatenus conjungendæ fuerunt cum corporibus, ut partes constitutivæ illorum hominum qui sunt filii Adæ, quæque proinde hoc respectu bene censentur reæ in Adamo.

XII. Nec indignum debet censeri bonitate divina, ut in corpus corruptum infundatur anima, quia sic ab initio certa et immota lege sanxit, ut in omne corpus humanum organizatum infunderet animam; quæ lex non debuit aboleri propter hominis peccatum.

3. In unione animæ cum corpore.

XIII. *Tertius propagationis gradus* est in *Unione animæ cum corpore;* tunc enim peccatum quod fuerat tantum *initiative* et *radicaliter*, fit tale *formaliter* et *consummate*. Ut homo per istam unionem constituitur in esse hominis; Ita et peccatum completur, non tantum privative, per carentiam justitiæ, sed etiam positive, per contrarii habitus injustitiæ positionem.

XIV. Mirum autem videri non debet, si anima inficiatur a corpore, cum Scriptura et experientia testentur, tantam esse inter animam et corpus *συμπάθειαν*, ut sicut corpus ab anima afficitur; ita et vicissim anima a corpore. Unde mores animi dicuntur sequi temperamentum corporis. Et Scriptura animum a corpore vitiato gravari asserit, Luc. xxi. 34, "Cavete vobis ne quando graventur corda vestra crapula et ebrietate, et sollicitudinibus hujus vitæ." Et Sapi. ix. 15, "Corpus corruptum," inquit, "aggravat animam, et terrenum domicilium plenam curarum mentem deprimit."

XV. Si vero quæritur, quomodo anima, quæ spiritualis est, possit infici a corpore, quod est res bruta et materialis, non potest solvi nodus, ut fit a nonnullis, dicendo, animam indigere corpore organizato, et non posse operari nisi per organa corporea; itaque si bene temperata sint organa, actionem animi fieri rectam, sin contra corrupta sint et male disposita, animi operationem etiam corrumpi. Quia hoc posset utcunque facere ad corruptionem actualem operationum animæ demonstrandam, sed non ad ejus corruptionem habitualem, de qua quæritur; et ita peccatum originale nullum extaret in anima infantium, sed demum oriretur quum anima per corpus inciperet operari.

Digitized by Google

XVI. Longe commodius et verius loquuntur, qui pertendunt hoc non fieri per *actionem aliquam corporis in animam*, quasi corpus agendo, anima vero patiendo paulatim depravetur, quia peccatum originale naturæ est, non actionis, nec corpus supra sphæram activitatis suæ assurgere potest, ut agat in spiritum immediate et physice; Non etiam per *contactum physicum*, qualis est liquoris in vase, qui non cadere potest in animam immaterialem: Sed per *arctissimam animæ et corporis conjunctionem in unam hypostasim*, et intimam utriusque συμπάθειαν, mutuumque ad se invicem appetitum, et ῥοπὴν, qua fit ut se arctissime complectantur et afficiant, et ut corpus tendit in animam tanquam in perfectionem et bonum suum, ita anima tendat in corpus tanquam in proprium domicilium suum, et organum actionum suarum; Et ut anima corpori suas affectiones communicat, ita corpus suas dispositiones animæ, unde etiam resultat diversitas inclinationum in diversis hominibus.

XVII. Hoc vero eo facilius fieri potest, quod cum anima privata sit justitia originali, non amplius corpus regere et sibi subjectum retinere possit, quod in statu integritatis facile potuisset; sed jam amissa Dei imagine, quæ illi hanc ὑπεροχὴν præcipue largiebatur, naturalis ordo perturbatus sit, ut caro quæ parere debuit jam imperet, anima vero quæ ad imperandum facta erat, jam in alterius potestatem quodammodo transierit, et carni subjiciatur, ac deorsum trahatur. Ubi non tam ordo naturæ, quam Lex justitiæ divinæ agnoscenda est et justissima ejus sanctio, hoc malo pœnæ ulciscentis malum illud culpæ, quo primus parens noster spiritum carni subigendum ultro prostituit.

XVIII. Hoc autem pacto Deus non potest censeri author peccati, sed vindex. Author est conjunctionis tanquam operis sui; sed non peccati tanquam vitii alieni; Animam conjungit corpori ad conservationem speciei; et animam privatam justitia corpori corrupto conjungit in pœnam peccati. Nec Deus est corruptionis causa, si in conjunctione animæ cum corpore naturæ institutam legem tuetur, a qua proprie homo, ex accidenti vero tantum peccator, oritur.

XIX. Quamvis vero non omnis sublata videretur difficultas, quæ in isto modo propagationis explicando occurrit; ejus *veritas* tamen quæ tam clare in Scriptura traditur, et per experientiam confirmatur, non minus certo retinenda esset; Nec si τὸ πῶς assequi non possimus, τὸ ὅτι propterea negandum est, vel in dubium revocandum. Satius hic est cum Augustino *modum* hunc, qualiscunque sit, *justum* agnoscere, *occultum* vero fateri.

QUÆSTIO XIII.

De Peccato Actuali, et variis ejus Divisionibus.

Quid sit Peccatum actuale.

I. *Peccatum actuale* est aberratio a Lege Dei in actibus internis et externis, procedens a peccato originali, tanquam effectus a causa, rivus a fonte, et actus secundus a primo. Vel ut alii, concupitum, dictum, factum, aut omissum contra Legem, quia tam omissione faciendorum, quam commissione prohibitorum patratur, vel *corde* per cogitationes et desideria illicita, vel *ore* per verba impura, vel *opere* per actiones pravas. *Actuale* dicitur non tam quod actu existat, quia hoc non minus peccato originali competit, quam quod sit in actionibus, non in habitu.

Digitized by Google

Quotuplex. 1. Ratione objecti, in Deum et proximum.

II. Ut multiplicia sunt peccata actualia; Ita variæ sunt eorum divisiones. Præcipuas hic obiter notamus, in quibus aliqua videtur subesse difficultas. 1. Ratione *objecti*, Aliud in *Deum*, Aliud in *proximum*, sub quo homo ipse qui peccat continetur, quia non potest vel in Deum vel in proximum peccare, quin in seipsum peccet. Illud in primum Legis tabulam admittitur, Istud vero in secundam. Hoc vero de objecto *materialiter* sumpto intelligendum est, non autem *formaliter*, quia sic solus Deus est objectum proprium peccati, Psal. li. 4.

www.libipol.com.cn

2. Ratione formæ, in peccatum commissionis et omissionis.

III. 2. Ratione *formæ*, primo in *peccatum commissionis* et *omissionis*; isto omittitur bonum præceptum, illo committitur malum vetitum. Licet vero utrumque positum sit in privatione, non desinunt tamen inter se distingui, quia peccatum commissionis incurrit in præcepta negantia, omissionis vero in affirmantia. In illo substantia actus non tollitur, sed tantum ejus bonitas actualis; In isto tollitur ipsa actus substantia. Illud est immediate in actione, quæ caret debita honestate; Istud vero in ipsa facultate per quam homo debuisset operari. Quamvis vero omissio actus præcepti, non sit actus; atque adeo nec videatur esse peccatum actuale, recte tamen ita vocatur. 1. *Directe* et *univoce*, dum est conjunctum cum actu interno mentis et voluntatis, quo peccator cogitat et vult omissionem actus externi, Jac. ii. 15, 16. 2. *Analogice* et *reductive*, quatenus ad actum aliquem antecedentem reducitur, qui sit vel causa, vel occasio, vel impedimentum actus omissi, prout crapula est causa neglecti cultus divini, qui ideo ad illam reducitur. 3. Si peccatum omissionis non est peccatum actuale *naturaliter*, est tamen tale *moraliter*, quatenus propter illam omissionem homo incurrit in Legem, et reatum contrahit.

Peccatum per se et per accidens.

IV. Secundo, Peccatum aliud est *per se*, aliud *per accidens*; Illud quoad *substantiam*, sive quoad *actum* tale, quod per se Lege prohibetur, quando vel actus prohibitus patratur, vel præceptus omittitur: Istud quoad *modum*, quando actus de cætero bonus fit male. Illud reperitur in actibus per se malis et lege vetitis; Istud vero in actibus in se bonis, sed non bene præstitis. Sic opera pietatis et justitiæ fidelium sunt per se bona, sed per accidens fiunt peccata, quando non fiunt eo modo quo Deus jubet; et vitium est, vel ratione *principii*, si non oriantur ex corde per fidem purificato, vel ratione *finis*, quando non referuntur ad Dei gloriam, vel ratione *modi*, quando non sincere et integre exercentur. Huc pertinent virtutes Gentilium, quæ licet bonæ fuerint quoad substantiam actus, vitiosæ tamen erant quoad modum, et nihil aliud quam *splendida peccata:*

3. Ratione principii, in peccatum ignorantiæ et scientiæ.

V. 3. Ratione *principii*, In *peccatum ignorantiæ*, vel *scientiæ*. *Ignorantia* autem illa, non intelligenda est *late:* sic enim omne peccatum ex ignorantia oritur, quia cum voluntas non possit appetere malum sub ratione mali, sed sub idea boni, sed falsi et apparentis, non potest non errorem in mente supponere; Unde Scriptura peccatores omnes stultos et ἀνοήτους vocat, et peccata per ἀγνοήματα designat, Heb. ix. 7: Sed *stricte*, prout notat specialem ignorantiam quæ prævalet in peccante, quale fuit peccatum Pauli, 1 Timot. i. 13, qui dicitur peccasse ignorans, et Judæorum qui dicuntur Christum crucifixisse δι' ἄγνοιαν, *per ignorantiam*.

VI. Rursus, ignorantia quæ peccatum dicitur, non est *meræ negationis*, quæ *nescientia* potius est quam ignorantia, nec in vitio poni solet, quum quis ignorat quod scire non tenetur, sed *pravæ dispositionis*, seu *privativa*

Digitized by Google

et culpabilis, quæ removet cognitionem quæ debuit homini inesse; non ignorantia plane invincibilis et involuntaria, quum quis ignorat quod scire non potest, quantumvis vellet, quia objectum illi non est revelatum, sed vincibilis, et affectata, quum quis ignorat quod potest scire si vellet; non tam *facti* et personæ, ut qui occidit hominem credendo esse feram, quam *juris*, quum quis ignorat quæ scire tenetur ex officio.

VII. Peccatum *contra scientiam* est quod committitur a scientibus, quale est peccatum servi mali, qui novit voluntatem domini, Luc. xii. 47. Quod iterum duplex est, vel contra scientiam evidenter et distincte judicantem, et magis ex contemptu Dei et Legis divinæ, quam ex aliqua passione et perturbatione animi: quale cadit in irregenitos, et in eos qui dicuntur ἑκουσίως *peccare post acceptam cognitionem veritatis*, Heb. x. 26: vel contra scientiam judicantem ex passione et perturbatione, vel ex metu, et infirmitate, non vero ex præfracto Legis vel Dei contemptu, quale cadit etiam in regenitos.

VIII. Peccatum ignorantiæ negat omnem cognitionem tam theoreticam quam practicam. Sed peccatum contra scientiam non negat quidem cognitionem theoreticam, sed non habet practicam. Peccatum contra conscientiam habet cognitionem theoreticam et practicam, sed absolutam, non comparatam.

Peccatum infirmitatis et malitiæ.

IX. *Peccatum* vel est *infirmitatis*, vel *malitiæ*; vel plane *voluntarium*, vel secundum quid *involuntarium*. Sic in Veteri Testamento distinguebantur peccata, quæ fiebant בשגגה, per *errorem* et *infirmitatem*, Num. xv. 25, ab iis quæ fiebant ביד רמה, *elata manu*, Numer. xv. 30, quum scilicet peccator addit malo quod perpetrat contumaciam et superbiam, per quam pleno consensu et deliberata malitia peccat, et in peccato suo gloriatur. Sic Ps. xix. 13, errores et peccata occulta distinguuntur a *superbiis*, id. peccatis pervicaciæ et rebellionis manifestæ. Paulus de se loquens dicit se "facere malum quod non vult," Ro. vii. 19, sed alibi Hebr. x. 26, loquitur de "illis qui peccant ἑκουσίως, voluntarie."

Peccatum infirmitatis.

X. Ita *Peccatum infirmitatis* et voluntarium est, quod oritur ex ignorantia, subreptione, vel gravi aliqua passione subitanea judicium antevertente, qualis est metus mortis, vel cum lucta seu resistentia, sed inefficaci ob passionem vel tentationem: vel quod fit absque certo proposito committendi, quod in peccatis regenitorum quæ quotidie committuntur, apparet.

Peccatum malitiæ.

XI. *Peccatum* vero *malitiæ* illud est, quod non ex ignorantia, vel infirmitate, aut metu committitur, sed ex malitia et contumacia, et cum aliquo proposito committendi, vel actuali tantum, orto ex aliqua vehementiori passione, quæ rationis judicium quasi opprimit, et hominem transversum abripit, quod etiam in regenitos cadit; vel habituali et actuali simul, quum non cum resistentia et lucta, sed deliberato et pleno animi consensu contra veritatis cognitionem perpetratur, quale est eorum qui Apostolo dicuntur peccare ἑκουσίως loco citato Hebr. x. 26, non *late*, sed *stricte* et maxime proprie, quod videtur in Apostatis plurimis, et illis præsertim qui peccant in Spiritum S., de quibus postea.

4. Ratione adjunctorum, in Peccatum habitans et regnans.

XII. 4. Ratione *adjunctorum;* Aliud *est habitans* tantum, Aliud *regnans*. Illud cui peccator et in ipso actu et extra illum resistit, quamvis illi propter infirmitatem succumbat, quod non fit sine quadam lucta, vel antecedente, vel concomitante, vel subsequente, quale est in regenitis; Istud vero quod fit sine lucta, et cui peccator omnimode servit, tum antecedenter, per propensionem seu propositum tam habituale quam actuale, tum con-

Digitized by Google

sequenter, partim per delectationem, partim per actus peccaminosi continuationem, quale in illis reperitur, quos Christus vocat servos peccati, Johan. viii. 34, et qui dicuntur *facere peccatum*, 1 Jo. iii. 8, qui scil. artem peccandi exercent, et quorum hoc velut ἔργον est continuum.

XIII. *Regnum peccati*, vel est *absolutum* et *totale* quoad *statum*, vel *partiale* et comparatum quoad *actum*. Prius cadit in solos irregenitos; Sed posterius aliquandiu cadit in ipsos fideles, quum in gravia peccata incidunt, et in illis aliquandiu hærent, ut in Davide, Solomone, et aliis visum.

Remissibile et irremissibile.

XIV. Secundo, Aliud est *remissibile*, Aliud *irremissibile;* Illud quod remitti potest ex Dei gratia, Istud vero quod nec remissionem obtinet, nec obtinere potest ex Justitia: qualis est finalis impœnitentia, quæ reprobis omnibus communis est, et præcipue peccatum in Spiritum Sanctum, cui præ cæteris tribuitur quod sit irremissibile, cui nec venia conceditur unquam, nec vero concedi potest, de quo aget sequens Quæstio. Distinctio *Peccati venialis* et *mortalis* antea excussa fuit.

QUÆSTIO XIV.

In quo consistat ratio formalis peccati in Spiritum S.; Et cur sit irremissibile?

Status Quæstionis.

I. Non quæritur, An detur aliquod peccatum, quod singulariter dicatur in Spiritum Sanctum: Hoc enim ita clarum est ex Scriptura, ut de eo dubitari nequeat; cum expresse Christus meminerit "peccati et blasphemiæ in Spiritum Sanctum," Matt. xii. 31; Marc. iii. 29, 30; Et Johannes c. v. primæ, v. 16, loquatur de *peccato ad mortem*, pro quo orandum non est, quod aliud non potest esse quam peccatum in Spiritum S.: Sed quænam sit ejus *natura*, circa quam variæ sunt Theologorum sententiæ; Et de qua August. Serm. 11. de Verbis Domini ait, *Quæstionem nullam in Scripturis majorem et difficiliorem inveniri.*

Cur vocetur peccatum in Spiritum S.

II. Quum Spiritus Sanctus dicitur objectum istius peccati, non tam sumitur ὑποστατικῶς ratione *personæ*, quam ἐνεργητικῶς ratione *officii* et *operationis:* Ut enim trium Personarum divinarum communis est essentia, ita est ἀμέριστος ἀξία, *indivisa dignitas*, ut loquitur Athanasius, ita ut una seorsim ab aliis nec offendi nec glorificari possit: Verum, ut in œconomia salutis peculiares dantur operationes, quæ singulis personis competunt per appropriationem, ut Filio *redemptio*, Spiritui Sancto *illuminatio*, hinc fit, ut peccata, quæ specialius committuntur contra operationem Filii, aut Spiritus S., dicantur, committi contra Filium, aut Spiritum S., nimir. ratione illorum operationis.

In quo non consistat.

III. Non potest dici Peccatum hoc consistere simpliciter in *impœnitentia finali*, ut August. voluit, quia reprobi omnes in ea moriuntur, qui tamen non possunt dici peccare in Spiritum Sanctum: Multo minus sex species ejus constitui possunt, ut plerique ex Pontificiis statuunt, Præsumptio, Desperatio, Oppugnatio veritatis agnitæ, Invidentia fraternæ gratiæ, Obstinatio et Impœnitentia, quia unius speciei Scriptura facit hoc peccatum, nec debent vel partes alicujus peccati, vel gradus et dispositiones ad illud, in illius species permutari.

In quo versetur.

IV. Nobis dicitur esse apostasia universalis a vero Christianismo, seu veritatis Evangelicæ, de qua quis in conscientia sua convictus est, totalis et perseverans abnegatio, detestatio, et oppugnatio, seu sophistica seu tyrannica, non ex communi infirmitate humana, sed ex singulari et deliberata malitia, et illius odio prorsus diabo-

Digitized by Google

lico profecta, conjuncta cum contemptu omnium mediorum salutis, et finali impœnitentia.

1mo Character, ut sit adversus veritatem Evangelicam.

V. Hinc patet varios esse characteres istius peccati. Primus ut committatur adversus *cognitionem veritatis* non Legalis tantum, sed præcipue *Evangelicæ*, non tantum *theoreticam* et historicam, nam quicunque peccant contra scientiam peccarent in Spiritum Sanctum, sed *practicam*, et *convictivam*, licet non *persuasivam*. Convictio est quando quis non tantum cognoscit veritatem Evangelii, sed et in mente sua convictus est de ejus bonitate, adeo ut ne hiscere quidem possit contra, quamvis velit; Persuasio est, quum quis ita persuasus est, ut non modo non possit contradicere, sed ne velit quidem. Ideo qui peccant ex ignorantia, ut Paulus, quum Christum blasphemavit et Ecclesiam persecutus est, et Judæi qui Christum crucifixerunt, non peccarunt in Spiritum S., quia δι' ἄγνοιαν fecerunt, ex ignorantia et sine convictione.

VI. Ut vero clarius constet quænam cognitio hic requiratur, et quomodo differat a cognitione salutari fidelium; distinguendum est triplex *judicium* intellectus practici: Primum *absolutum* et *simplex*, Secundum *comparatum primum*, Tertium *comparatum ultimum*, quod *ultimo practicum* vocatur. Nam ut objecta sub variis respectibus repræsentantur intellectui et cum variis circumstantiis, quæ rem mirum in modum variare solent: Ita diversa judicia formare solet, modo absolutum, si res simpliciter et in se consideretur, seu in *thesi*, modo comparatum, si conferatur cum aliis in *hypothesi*; quia vero collatio potest multifariam fieri, hinc judicium comparatum potest esse multiplex, aliud prius, aliud posterius. Cum ergo voluntas ad executionem rei sequi soleat judicium ultimo practicum intellectus, inde fit, ut veritas cognita et apprehensa non modo a judicio practico absoluto, sed etiam comparato, rejici possit, modo non sit ultimum. Qui ergo peccant in Spiritum Sanctum in eo differunt a fidelibus, quod habeant quidem cognitionem aliquam practicam comparatam, sed non ultimam, quæ voluntatem necessario post se trahit ad sanctificationem, qualis est in regenitis, quos ita irradiat Spiritus Sanctus, ut licet gravis sæpe sit lucta in intellectu, tamen vincat tandem ultimo cognitio practica salutaris, per gratiam quippe invictam et irresistibilem producta.

VII. Rursus, Lumen Spiritus S. quadruplex potest concipi. 1. Mere *theoreticum* et *instruens*, quod sistit in illuminatione. 2. *Coërcens*. 3. *Convincens*. 4. *Convertens* et sanctificans. Lumen *theoreticum* irradiat mentes hypocritarum; *Coërcens* afficit animum πρόχειρον, ut a crassioribus peccatis abstineant, et aliquam honestatem moralem saltem externam retineant; *Convincens* penetrat corda peccantium in Spiritum Sanctum, et ea convincit de veritate et bonitate Evangelii, quod illis proponitur, additis motivis variis quibus impelli deberent ad illud amplectendum; Sed *lumen persuadens* et *convertens* solis datur fidelibus, et eo pertingit, ut non modo mentibus aliquam notitiam theoreticam infundat, non modo coërceat affectus intus æstuantes, et reprimat intra certos honestatis externæ limites, non modo convincat de veritate ista salutari; sed et persuadeat intime, et ad veram sanctitatem ducendo solida consolatione perfundat.

VIII. Si quæratur porro unde oriatur diversitas istius cognitionis, quæ est convictiva, non persuasiva? Ratio peti potest ex diversa σχέσει, sub qua Evangelium obversatur hominum mentibus, sub idea, vel *boni honesti*, vel *utilis*, vel *jucundi*. In fidelibus idea *boni honesti* prævalet, sensus puta intimus misericordiæ Dei in remissione peccatorum, et in sanctificationis gratia; Sed in aliis idea *boni utilis*, vel *jucundi*, dum scilicet Evangelium apprehen-

Digitized by Google

dunt et sequuntur ad tempus, vel tanquam bonum aliquod jucundum, et delectabile, quod vel novitate, vel suavitate, et libertate, vel quadam dogmatum ipsorum admirabilitate hominum animos ad se allicit, et inusitata quadam voluptate perfundit, unde dicuntur excipere Verbum *μετὰ χαρᾶς*, Matt. xiii. 20, vel respiciunt illud ut bonum aliquod sibi utile et commodum, quod memorabile aliquod bonum in hac vita ipsis potest afferre. Sed non assurgunt ad veri et salutaris boni rationem, quod in communione cum Deo per sanctitatem et æternam felicitatem consistit. Nam tanta est ejus efficacia erga hominem reum et miserum, ut qui semel illud sub tali *σχήματι* rite apprehendit, non possit a se impetrare, quin illud statim amplectatur, et constanter retineat.

2us Character, Defectio totalis a veritate.

IX. Secundo ad hoc peccatum constituendum requiritur *defectio totalis a veritate, ejusque malitiosa rejectio et abnegatio;* Non ex *metu* simpliciter et *carnis infirmitate*, ut qui metu mortis aut gravis alicujus mali impendentis Christum abnegat, vel Idolis thus adolet, ut Petrus Christum abnegavit, et multi in veteri Ecclesia deficiebant a fide, et hodie etiamnum deficiunt ex metu perdendæ vitæ vel facultatum et dignitatum quibus fruuntur; Non ex *lucri cupiditate*, et spe consequendæ lautioris fortunæ, qualis Demas, qui præsens seculum amavit, et illi *πρόσκαιροι* in quibus fallacia divitiarum et sollicitudo seculi extinguit bonum semen. Quamvis enim gravius omnino peccent isti, et longe sint inexcusabiliores aliis, qui ex metu abnegant, et propius accedant ad peccatum de quo agimus; unde ut rarior solet esse eorum pœnitentia, ita difficilius veniam peccati sui obtinent: Tamen non est absolute *ἐκ τῶν ἀδυνάτων*; quia licet non tantum gradum *ἀκουσίου* participet peccatum istud, quantum observatur in eo quod ex metu oritur, habet tamen semper aliquem; siquidem cupiditas illa qua illectus est homo, et quæ non est sine perturbatione aliqua, videtur vim quandam inferre rationi et lucem ejus extinguere; unde non plane *ἀκουσίως* peccatum illud committi videtur. Superest ergo ut abnegatio illa veritatis fiat ex pura malitia et petulantia, quæ ex odio ejus internecino, et pertinaci contemptu proficiscitur.

X. Dico *odium* et *contemptum* veritatis hic locum habere, quia quæ maxime aversamur, et despicatui habemus, rejicere solemus, et a nobis amovere quantum possumus. Et de contemptu quidem res non obscura videtur: nam si Evangelium rite pro dignitate sua æstimarent, nunquam eo adduci possent ut rejicerent, ergo quod rejiciunt et abnegant, ideo fit quia aspernantur, et pro nihilo ducunt. Quo pertinet quod Paulus, Heb. x., ait de *conculcatione Filii Dei*, et *sanguinis ejus profanatione*, quod sine intolerando contemptu fieri nequit. Idem arguit exemplum Esavi, qui tanquam typus istorum peccatorum proponi solet, cujus crimen in eo ponitur, quod pro edulio jus primogenituræ vendiderit, pro nihilo scil. illud ducens. Verum quia Evangelium istis non modo pro re nihili et vilissima habetur, sed etiam pro re molestissima et infami, atque adeo affectibus eorum adversa et odio digna; hinc fit ut cum contemptu odium adsit, ex quo *oppugnatio* et *insectatio* Evangelii oritur, quæ in hoc peccato etiam continetur. Nec enim alia insectari et oppugnare solemus, quam quæ aversamur. Huc facit exemplum Pharisæorum, quibus a Christo impingitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia ex ferali ejus odio doctrinam et miracula ipsius proterve respuebant, et personam persequebantur; et nomen ipsum *blasphemiæ* quo designari solet hoc necessario infert, ut et vox *ὕβρεως*, qua Apostolus, Heb. x., contumeliam Spiritui Sancto illatam exprimit, quæ odium et detestationem rei gravissimam secum trahit.

Digitized by Google

3us Character, pertinax ejus oppugnatio.

XI. Tertius character est, non modo abnegatio veritatis cognitæ, sed etiam *pertinax ejus oppugnatio*. Ut enim odio summo illam prosequuntur, non mirum est, si totis viribus eam evertere conentur, sive arte per sophisticam insectationem, sive marte per tyrannicam persecutionem; quod in Pharisæis, Porphyrio Philosopho, Juliano Apostata, et aliis hujus peccati reis patuit. Quo pertinent, quæ de Juliano refert Theodo. lib. iii. cap. 20, ipsum scilicet equestri hasta impetitum in medio suorum, manum plenam sanguinis versus cœlum projecisse cum blasphemis his in Christum verbis, *Vicisti Galilæe*.

4us Impœnitentia finalis.

XII. Quartus denique character est *obfirmatio animi*, et *perseverantia in scelere ad finem usque*, quo spectant ista Athan. to. ii. q. 71, "Non dixit Deus, blasphemanti et pœnitentiam agenti non remittitur, sed blasphemanti, nimi. in blasphemia perseveranti;" quæ ratio impulit Augustinum ut essentiam istius peccati in impœnitentia finali constitueret, quod licet non usquequaque admitti possit, quia commune hoc illi est cum omnibus peccatis reproborum, dubitari non potest tamen eam in hoc peccato includi.

Unde oritur irremissibilitas.

XIII. Atque hinc oritur *irremissibilitas* istius peccati, quod ejus adjunctum est inseparabile, quod Matth. innuit cap. xii. 31, 32, quum asserit blasphemiam in Spiritum Sanctum non *remitti, nec in hoc seculo, nec in futuro*, id. *nunquam in æternum*, ut Marcus interpretatur, cap. iii. 29. Atque ea de causa peculiariter vocatur *peccatum ad mortem*, 1 Johan. cap. v. 16, 17, non tantum quia mortem meretur natura sua, sic enim omnia peccata sunt ad mortem, non modo quia est irremissum et morte tandem actu punitur, quod omnibus reproborum peccatis competit; sed quia tale est, ut absolute sit irremissibile ex se.

XIV. *Irremissibilitas* autem ista non est tantum *comparata* et *secundum quid*, quia magna difficultate remittitur, quod vult Bellar., lib. ii. de pœni. cap. 16, et Grego. de Valen., to. iii. disp. 1, q. 14, post Thomam, 1, 2, q. 14, qui licet ex parte sui irremissibile esse velint, Deum tamen illud remittere posse censent; sed *absoluta* et *simplex*, non modo quod nunquam actu remittatur, sed quod remitti absolute non possit a Deo.

XV. Irremissibilitas autem ista non oritur, vel ex defectu misericordiæ Dei, vel meriti Christi, quasi illa non esset immensa, vel istud pretii et valoris infiniti; sed ex natura ipsius peccati, quæ talis est, ut conditionem ipsam ad remissionem requisitam, puta pœnitentiam, excludat, *impossibile est enim talis renovari ad pœnitentiam*, Heb. vi. 6. Nam ut nemo excluditur a remissione qui pœnitentia ducitur; Ita qui non potest ad pœnitentiam renovari, non potest veniam consequi. Si vero quæras, Cur pœnitentia a tali peccato sit impossibilis? Facile respondetur, hoc pendere, tum a gravitate peccati ipsius, quod unicum pœnitentiæ ipsius principium, nimir. Spiritum gratiæ, rejicit, tum ab ipsa Dei voluntate, qui juxta ordinem in dispensatione salutis positum a se impetrare non potest, ut gratiam ad id necessariam largiatur. Cum enim unicum sacrificium Christi a Deo constitutum sit ad expiationem peccatorum, et unica detur regeneratio per Spiritum Sanctum, qui utrumque beneficium semel rejecit, ut fit a peccantibus in Spiritum Sanctum, nullum amplius medium habere potest, quo vel remissionem consequatur, vel ad pœnitentiam renovetur. Et hoc Apostolus innuit, Heb. x. 29, quum duplex hoc crimen Apostatis impingit, quod *Filium Dei conculcent*, et quod *Spiritum gratiæ contumelia afficiant*, ut doceat eos et vim sacrificii Christi, et efficaciam Spiritus rejicere; atque hac de causa asserit nullam superesse pro ipsis hostiam, et nullam veniæ

Digitized by Google

spem, quæ in sacrificii oblatione demum fundatur: Ut desperatus est illius morbus, qui omnia remedia quibus sanari potest rejicit, et in Medicum ipsum insurgit. Huc pertinet, quod Apostolus ibidem, c. vi. 6, "Fieri non posse," ait, "tales renovari ad pœnitentiam, ut qui rursus crucifigant sibi Filium Dei, et ignominiæ exponant;" quia enim isti emansores proterve sacrificium Christi abjiciunt, aliquod aliud sacrificium ἱλαστικὸν ipsis quærendum esset quo servarentur, quod cum extra Christum dari non possit, opus foret ut Christum denuo crucifigerent, et illum opprobrio exponerent; quod cum sit impossibile, impossibile est pariter eos ad pœnitentiam renovari.

XVI. Hoc vero clarius adhuc patet ex diversitate operationum, quæ singulis Personis competunt in œconomia salutis. Nam ut Pater majestatem Numinis læsi refert, et Legum sancitarum custos est et vindex; Filius locum habet Mediatoris et Vadis, qui pro peccatis nostris satisfecit; Et Spiritus Sanctus vices sustinet Sanctificatoris, qui ultimam manum operi salutis admovet, nos ad Christum, et per Christum ad Patrem adducendo: Ita qui Patris leges violavit, remedium habere potest in satisfactione Filii; Qui Filii personam et satisfactionis ejus dignitatem per incredulitatem et ignorantiam læsit, illi spes aliqua superest in gratia Spiritus qui potest ejus ignorantiam sanare, et incredulitatem corrigere; Sed qui Spiritum Sanctum contumelia afficit, ejusque operationem rejicit, nihil ei superest amplius unde spes aliqua oriatur, quia nulla datur alia Persona divina, quæ illi succurrere possit, et Spiritus operatio ultima est in negotio salutis, post quam nullum ulterius potest expectari gratiæ remedium.

XVII. Ubi abundat peccatum ibi superabundat gratia, si homo ad eam recurrat per fidem et pœnitentiam; sed si peccator gratiam istam pertinaciter rejicit, non potest vim suam in eo exerere. Christus sanat omnem morbum in populo, sed positis ponendis, in iis scilicet qui Pharmacum proterve non rejiciunt.

XVIII. Peccatum hoc in nullum cadit ex electis Dei, quorum salus est in tuto, tum propter electionis immutabilitatem, et amoris Dei æternitatem, Matt. xxiv. 24, 2 Timot. ii. 19, tum quia per Christi intercessionem, Joh. xvii. 20, et custodiam Dei perpetuam, 1 Petr. i. 5, et regenerationis Spiritus beneficium, præstantur immunes a quolibet peccato regnante, adeo ut nec peccent, nec peccare possint, 1 Joh. iii. 9, peccato quod est ad mortem. Nec si Apostatæ illi de quibus agit Paulus Heb. vi. dicuntur *sanctificati*, et *gustasse bonum Dei Verbum*, et *virtutes futuri seculi*, sequitur eos veros fideles fuisse; Cum *sanctificati* dicantur potius *sacramentaliter* et *externe*, quam *interne* et *spiritualiter*, quia recepti in Ecclesiam per Sacramentum baptismi, qui vocatur metonymice *sanguis fœderis*, quia ejus est sigillum, non censebantur amplius pagani, et immundi, ut sanctificati dicebantur qui sanguine taurorum aspergebantur, Heb. ix. 13. Ita *gustasse* dicuntur *bonum Dei Verbum*, gustu labiali et superficiali, non intimo et radicali, et *virtutes futuri seculi*, id. non delicias paradisi, primitias vitæ æternæ, sed *virtutes miraculorum*, et donorum extraordinariorum, quæ Ecclesiæ tunc conferebantur, quæ vocatur *seculum futurum*, Hebr. ii. 5.

XIX. Quamvis vero peccatum hoc in solos reprobos cadat, non tamen est omnium: sed eorum tantum, qui veritatem Dei sibi oblatam, et de qua sufficienter convicti sunt apud se, vel tyrannice ut Julianus, vel sophistice ut Porphyrius, ex odio et destinata malitia rejiciunt et persequuntur. Licet autem certum sit id præcipue committi sub Evangelio, quia longe copiosius lumen affulget hominibus, potuit tamen locum etiam ha-

Digitized by Google

bere sub Lege, et in iis qui veritatem nondum sunt professi. Unde *tres gradus* ejus possunt constitui. *Primus* in iis, qui sub Veteri Testamento doctrinam Mosis ut exitialem conculcabant, et obfirmato animo conspuebant, ad quos accessisse videntur illi, qui dicuntur peccare *elata manu*, et *per superbiam*, et qui Spiritum sanctitatis contristasse leguntur, Isa. lxiii. 10. *Secundus* in Pharisæis et Scribis, qui licet Evangelium non recepissent, tamen Christum ejusque doctrinam et miracula ut diabolica, ex destinata malitia insectabantur, Matt. xii. 24. Quamvis vero dicantur non novisse Christum, 1 Cor. ii. 8, *quia si illum novissent, non crucifixissent;* hoc de cognitione practica et salutari intelligendum est, non de theoretica et historica, quia quod sciebant, malitiose negabant et abominabantur. *Tertius* est in iis qui Evangelium aliquandiu professi, contra lumen Spiritus S. quo de ejus excellentia et suavitate convincuntur, illud postea ex odio et obstinatione aspernantur, eique ex professo bellum indicunt, Filium Dei et sanguinem ejus conculcando; et sic totum Dei fœdus rejiciunt, quod in insignes potissimum quadrat Apostatas de quibus loquitur Paulus, Hebr. vi. et x.

XX. Hoc scelus nemini temere est impingendum, et facilius definiri potest in abstracto, quam detegi in concreto, tum ob internorum sive principiorum sive actuum ignorantiam, tum ob diversas gratiæ vocantis horas. Non negandum quidem cognoscibile esse, quia in Scriptura cum omnibus circumstantiis describitur, et quia alias Scriptura non prohibuisset orare pro talibus. Cognitio autem ista, vel est divina, quæ fit per Dei revelationem, et extraordinarie per donum discretionis spirituum, quod obtinebat in Ecclesia Apostolica; vel est humana, quæ oritur ex effectis et circumstantiis; prior hodie cessavit, altera adhuc superest. Ut vero petitur tantum ex signis externis, ex quibus non potest infallibilis ejus notitia haberi; Ideo caute admodum in eo procedendum, ut proniores simus ad bene sperandum ex charitate, quam ad damnandum ex rigore.

QUÆSTIO XV.

An Peccatum possit esse pœna peccati? Affirm.

I. Occasionem Quæstioni dederunt Pelagiani Veteres, qui peccatum esse pœnam peccati præfracte negabant, ut constat ex Aug. contr. Juli. lib. iii. cap. 3, tum ut nudam et otiosam Dei permissionem circa peccatum assererent, tum ut evincerent peccatum originale non esse proprii nominis peccatum, sed tantum pœnam antecedentis, defectum et languorem naturæ. Illos sequuntur hodie Jesuitæ, Sociniani, et Remonstrantes; Ad quos accedunt ex Nostris, qui Peccati primi imputationem negant, ut facilius inde colligant, Peccatum originale inhærens non esse pœnam primi illius peccati, ut ab Orthodoxis vulgo asseritur.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur, An Peccatum *formaliter* et *reduplicative qua peccatum*, et relate ad *Legem* cui repugnat, sit pœna; quia sic est *malum turpe* Legi contrarium: Sed, An Peccatum *materialiter* et *specificative* spectatum, id scilicet *quod peccatum est*, ratione actus substrati, et relate ad *subjectum* quod inficit, possit esse pœna; quod negant Adversarii, affirmant Orthodoxi.

III. Peccatum autem pœna dici trifariam potest, vel respectu *sui ipsius*, vel respectu *peccati antecedentis* in eo qui plectitur, vel respectu *alterius*.

Digitized by Google

1. Pœna est *sui ipsius*, quia ut virtus merces sibi est optima, Ita peccatum sibi ipsi est pœna. Unde Aug. lib. i. confess. c. 12, "Jussisti Domine, et sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus," quia est accidens disconveniens subjecto, et nocivum, quod maximum damnum infert creaturæ, separando eam a Deo summo nostro bono, et privando illam sanctitate, potissima felicitatis nostræ parte, et maculam fœdissimam inurendo hominis conscientiæ, qua non tantum malus, sed et miser redditur. 2. Pœna est peccati præcedentis, ut idololatria Gentilium punitur per fœdas libidines, quibus traditi sunt, Rom. i. 3. Ratione alterius, ut peccatum Davidis punitur incestu Absalomi.

Peccatum esse pœnam peccati probatur, 1. Ex 2 Sam. xii. 11, 12.

IV. Peccatum recte pœnam dici evincitur. 1. Quia Scriptura hoc expresse statuit, 2 Sam. xii. 11, 12, ubi incestus Absalomi proponitur ut pœna Davidis a Deo immissa: "Sic ait Jehova, Ecce ego suscitaturus sum contra te malum e domo tua, et accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam proximo tuo, qui cubabit cum iis coram isto Sole. Quia tu fecisti clam, etiam ego facturus sum coram toto Israële et coram Sole." Nec potest excipi "nihil hic fuisse pœnale, nisi nudam permissionem, non autem ipsum incestum fuisse formaliter pœnam." R. Quia pœna Davidis debuit esse publicum dedecus et damnum Davidi inflictum coram Sole et toto Israële, et fuit pollutio tori Davidici. At permissio divina, nec fuit Davidis damnum formaliter, nec facta publice coram Sole, sed clam in impuro corde Absalomi. Deinde Deus non interminatur permissionem istam Davidi ut pœnam, sed rem permissam, nempe damnum et ignominiam polluti tori. Verba enim ista continent justam proportionem ex lege talionis inter peccatum et pœnam; Tu hominis innocui unicam uxorem violasti; Ego tuas multas violandas tradam: Tu clam et inscio Israële et marito hoc adulterium patrasti; Ego palam, cœlo et Sole coram Israële testibus te puniam: Tu adulterio læsisti proximum; Ego te incestus damno plectere volo. Nulla autem hic esset compensatio, si pœna illa sisteret in nuda permissione.

2. Ex Rom. i. 24, 25, 26.

V. Secundo, ex Rom. i. 24, 25, 26, ubi Deus in pœnam idololatriæ Gentilium dicitur eos tradidisse fœdis libidinibus et in reprobum sensum, διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς, "Propterea," nempe propter idololatriam, de qua, v. 25, "tradidit eos Deus fœdis suis affectibus, &c. ἀντιμισθίαν, compensationem erroris sui in se recipientes." Unde ita colligo; Quæ transmutatio usus naturalis corporum in fœdam libidinem præter naturam est ἀντιμισθία, *justa compensatio* transmutationis idololatricæ gloriæ Dei in gloriam creaturæ, et veritatis Dei in mendacium, ea est peccatum, et simul pœna peccati. Atqui talis ἀκαθαρσία et ἀσχημοσύνη, quæ fœdissimum est peccatum, dicitur ἀντιμισθία præcedentis sceleris. Huic affinis est locus alter 2 Thess. ii. 11, ubi Deus dicitur "immisisse efficaciam erroris, ut credant mendacio, et ut damnentur omnes, qui veritati non crediderunt, quia amorem veritatis non receperunt;" quod enim Deus infligit hominibus, quia amorem veritatis non receperunt, ut damnentur non credentes veritati, non potest non pœnale esse. Nec dici potest talia peccata vocari pœnam metonymia causæ, quia sunt majoris pœnæ demeritoria, ut vult *Arminius;* Quia aliud est mereri novam pœnam, aliud vero esse ipsam pœnam, et compensationem sceleris, quod hic dicitur de sceleribus Gentilium.

3. Ex 1 Reg. xxii. 20.

VI. Tertio, Ex 1. Reg. xxii. 20. Spiritus mendacii qui fuit in ore Pseudo-prophetarum, et mendacium cui credidit Achabus ad suscipiendum bellum injustum, fuit gravissi-

Digitized by Google

mum peccatum; Et tamen fuit pœna a Deo immissa ad eum perdendum: "Quis pelliciet," inquit Deus, "Achabum, ut ascendat et corruat apud Ramoth Gilead?" v. 23, "Quare nunc indidit Jehovah spiritum mendacii ori omnium Prophetarum tuorum: Propterea contra te Jehovah locutus est malum," quæ verba ita clara sunt ut *Vorstio* vel invito extorserint veritatis confessionem, *Ami. dupli. c. Pisca.* c. iii. "Sermo," inquit, "istic est de judiciali, sive mavis pœnali quadam Dei punientis actione, eaque rara et extraordinaria, quæ voluntatem Dei consequentem semper arguit, qua impium Regem, gravesque pœnas commeritum decipi permisit, imo aliquatenus curavit."

4. Ex locis qui peccatum et pœnam conjungunt.

VII. Quarto, Ex aliis locis Scripturæ, quæ in eadem actione rationem peccati et pœnæ conjunctam habent. Defectio decem Tribuum fuit grave peccatum proculdubio, sed simul pœna idololatriæ Solomonis, 1 Reg. xi. 31, 33. Oppressio populi per Assyrios et Chaldæos fuit horrendum peccatum a parte hostium populi Dei, Isa. x. 7, et xiv. 3, Jerem. l, 6, 7, 8; eadem tamen a parte Dei fuit pœna defectionis et idololatriæ populi, Is. vii. 17, 18, et xxxix. 6, 7, 8. Jer. i. 12, 13, 14. Judæ *αὐτοχειρία* fuit teterrimum scelus, et simul justa pœna proditionis Salvatoris. Idem de induratione Pharaonis, Exod. iv., Recensione populi, 2 Sam. xxiv. 1, et Excœcatione Judæorum, Isa. vi. et Joan. xii. 40, et ix. 39, dici potest. August. lib. v. cont. Juli. cap. iii. loca istiusmodi plura colligit, in quibus recensentur peccata, quæ sunt etiam pœnæ. "Annon peccatum est et pœna peccati, ubi legitur 'Dominus miscuit eis spiritum erroris?' &c. Non est peccatum et pœna peccati, ubi Deo dicit Propheta, 'Quid errare fecisti nos Domine?' &c. Isa. lxiii. 17. Non est peccatum et pœna peccati, ubi legitur de gentibus quas debellavit Josuë, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum contra Israël ut exterminarentur? Jos. xi. 20, &c. Multa alia," inquit, "enumerare possemus, in quibus liquido appareat, occulto judicio fieri perversitatem cordis, ut non audiatur quod verum dicitur, et inde peccetur, et sit ipsum peccatum præcedentis pœna peccati."

VIII. Quinto, Quia Deus in pœnam transgressionis Legis non denunciat tantum calamitates et ærumnas, quæ sunt pœnæ simplices, sed varia etiam peccata, puta cœcitatem mentis, vertiginem, indurationem et sim., Deut. xxviii. 28, 29, et Levit. xxvi., quæ sunt pœnæ mixtæ.

IX. Sexto, Quia justitia et sanctitas potest habere rationem boni moralis et physici: Ergo nihil obstat in peccato duas hasce *σχέσεις* culpæ et pœnæ conjungi. Ut creaturæ summum bonum est Deo uniri per sanctitatem; Ita summum malum ejus est a Deo separari per peccatum.

Fontes Solutionum.

X. Non est absurdum ut unius ejusdemque rei contrariæ sint differentiæ, si contrarii sunt et diversi respectus, secundum quos *κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο* possit utrumque dici de ea: Ut homo potest dici mortalis et immortalis diverso respectu. Sic eadem actio potest dici et laudabilis et justa a parte Dei eam decernentis in pœnam, et vituperanda et injusta a parte hominis eam committentis ut peccatum. Nefandæ Gentium libidines justæ sunt respectu Dei, quatenus Gentes illis tradidit in *ἀντιμισθίαν* peccatorum præcedentium, unde additur eos *oportuisse* illam pati, sed fuerunt injustæ respectu Gentium, unde dicuntur fecisse *τὰ μὴ καθήκοντα, quæ minime oportuit.* August. adv. Julia. lib. v. cap. 3, hoc Pelagianorum argumentum refert et refellit, dum ait Deum ad puniendos homines Satanæ et hominum malitia uti, quam nemo tamen laudabilem dixerit; nim. admirabilem Dei sapientiam ex tenebris lucem eruere, et creaturarum peccata materiam facere judiciorum suorum. Sic peccatum

Digitized by Google

potest spectari, vel ratione *causæ producentis internæ*, vel ratione *ordinationis seu judicii divini externi.* Injustum est et culpabile respectu prioris, quatenus ad hominem inobedientem refertur. Posteriori vero ratione potest habere laudabilitatem, quatenus ad Deum ordinantem et judicantem pertinet. Hinc Biel, "Eadem privatio quæ peccatum est ordinat et deordinat, culpabilis est et laudabilis; deordinat, quatenus peccator per eam recedit a rectitudine Legis, et ab ordine justitiæ præmiantis, ordinat, quatenus peccator punitur sub ordine justitiæ punientis; culpabilis est quantum ad peccatorem voluntarie deserentem, laudabilis quoad Deum juste cadere permittentem."

XI. Aliud est bonum honestum et morale, quod respondet Legi, et opponitur malo turpi; Aliud bonum utile et commodum justitiæ. Alia est complacentia approbativa voluntatis signi: Alia complacentia permissiva et directiva voluntatis beneplaciti; Peccatum non potest Deo placere, ut bonum honestum et morale, complacentia approbativa; Sed hoc non impedit, quominus placeat complacentia permissiva, ut bonum conducibile ad justitiæ manifestationem.

XII. Actio et passio sunt unum et idem realiter et modo tantum differunt: hinc peccatum diverso respectu potest esse et actio et passio, actio in quantum committitur, passio in quantum infligitur, et malum triste est; ut verberatio est actio quatenus proficiscitur ab agente, et passio quatenus recipitur in patiente.

XIII. De ratione pœnæ est, ut sit mala punito, vel in se et actu primo, vel punito sic opinanti et actu secundo. Licet pœna non semper sentiatur ab homine ut quid nocivum et damnosum, sed apprehendatur ab eo ut quid gratum et jucundum, per falsum intellectus judicium, non ideo tamen minus pœna debet in se censeri; quin gravior debet haberi, quod pœnam esse haud sentiat, imo pro bono utili et jucundo eam æstimet. Sic Deum non punire Virginum Israëlitarum scortationes, denunciatur a Deo in pœnam scortationum, Hos. iv. 14, sed non puniri a Deo est inprimis jucundum.

XIV. Non est de essentia pœnæ semper ut sit voluntaria, ut nec de ratione peccati est semper ut sit voluntarium; sufficit ut talis sit cui voluntas repugnare debeat, si recte æstimatur. Unde Becanus, p. 2, tr. 2, c. 8, "Non necesse est ut pœna talis sit, cui voluntas actu repugnet; satis est esse talem cui repugnaret si illam recte æstimaret et perpenderet," et Greg. de Valent. in 1, 2, to. i. q. 84, "Satis est," inquit, "ut pœna suapte natura adversetur inclinationi hominis, adeoque sit involuntaria in actu primo."

XV. Id quod est *ἀνομία*, non potest esse *ἐνομία* eodem respectu; sed diverso. Peccatum est *ἀνομία* in ordine ad *Legis mandatum*, et eo respectu verum est nunquam posse esse *ἐνομίαν*; sic enim et vetitum esset et jussum, quod implicat. Sed potest tamen dici *ἐνομία*, relate ad *Legis sanctionem*, ut quod est contra Legem præcipientem, sit tamen secundum Legem sancientem. Ita dicitur pœna, quatenus dicit malum nocivum creaturæ juxta sanctionem Legis, quæ vult creaturam affligi ob culpam.

XVI. Nullus justus Judex ulciscitur transgressionem et injuriam sibi factam, alia transgressione vel injuria quam ipse faciat vel quam fieri permittat, quia tenetur omnem injuriam impedire: Sed nihil obstat Deum ulcisci injuriam sibi factam per aliam injuriam, quam ipse sapientissimo et justissimo consilio permittat fieri ad damnum creaturæ; quia nulla Lege adstringitur ad eam impediendam; imo gravissimas rationes habet eam permittendi ad majorem justitiæ suæ illustrationem.

XVII. Licet Magistratus civilis non puniat peccata peccatis, Non se-

Digitized by Google

quitur neque Deum id juste posse; quia aliud est longe forum humanum, et divinum; tum respectu justitiæ Dei quæ severior, tum respectu potentiæ, quæ longe major, se extendens ad ipsas animas, atque ita ad pœnas ipsas spirituales. Nec modus iste puniendi potest dici repugnare gloriæ Dei, eo quod hac ratione in immensum cumulantur peccata, quæ per pœnas æternas non possunt elui, imo videtur dari processus in infinitum, et gloria Dei lædi magis, quam promoveri. Quia si cumulantur peccata, hoc non fit culpa Dei punientis, sed subjecti patientis vitio. Nec possunt elui peccata, quia nunquam reprobi desinunt peccare. Atque ita promovetur gloria Dei, non emendatione vitii in subjecto, sed continuatione et duratione pœnæ in eo; unde non mirum, si dum in æternum continuantur peccata, in æternum etiam continuantur pœnæ.

XVIII. Absurdum est solutione debiti augeri debitum, et per idem crescere et minui reatum; sed falsum est dari ullam plenam solutionem debiti, quum peccata peccatis puniuntur, vel reatum minui aut tolli; quia hoc fit tantum per pœnam simplicem, et ubi datur perfecta satisfactio, quod hic non occurrit.

XIX. Omnis pœna simplex est a Deo *effective*, sed sufficit ut pœna mixta sit ab eo *directive*. Ut vero in peccato tria distinguenda sunt; 1. *Actus physicus*, qui habet rationem materialis; 2. Ipsa ἀνομία, quæ habet rationem formalis; 3. *Judicium Dei*, seu pœnalitas, quæ adjunctum est utriusque; Ille provenit a Deo motore, Ista proficiscitur tantum a Diabolo et peccatore, Hoc vero pendet a Deo judice.

XX. Licet Christus omnem pœnam in genere nobis debitam sustinere debuerit loco nostro; non sequitur omnes species pœnarum statim ferre debuisse; ut factus quidem est pro nobis maledictio, Galat. iii. 13, sed non propterea omnes species maledictionis enumeratas Deut. xxvii., xxviii., ferre debuit. Sic morbos nostros pertulisse dicitur Is. liii. 4, et Matt. viii. 17, non tamen omnes morborum species potest dici vel tulisse, vel sanasse. Hinc defectus pœnales in διαβλήτους et culpabiles distingui solent, quibus Christus obnoxius esse non potuit, et ἀδιαβλήτους et innoxios, quos Christus assumere potuit, sed neque innoxios quoscunque, ut personales, qui ex particularibus causis in certas personas competunt, sed naturales tantum et communes, in totum genus grassantes. Ita recte dicitur sustinuisse omnem pœnam simplicem, sed non necesse est ut tulerit pœnam mixtam. Imo nec potuit, nec debuit eam ferre: Non potuit, quia illa non cadit nisi in subjectum corruptum et vitiosum; Non debuit, quia patiendo debuit tollere peccatum, non cumulare. Sufficit ergo ut pœnam simplicem ferendo, mixtam etiam sustulerit.

XXI. Quamvis peccatum sit pœna peccati, non potest inde colligi justitiam Dei exigere ut violetur, et ut offendatur Deus ad sui satisfactionem; Sed tantum Deum posse pro sapientia et justitia sua, ex ipsius justitiæ directricis quæ in Lege revelatur violatione, elicere contra peccantium intentionem et peccati ipsius naturam, justitiæ vindicatricis manifestationem. Idem argumentum potest fieri contra permissionem peccati; Nam si Deus permittit peccatum ad suam gloriam, ergo gloria Dei requiret ut peccatum fiat, et sic per illud manifestaretur gloria Dei, per quod obscuratur, quod tamen perperam concludi constat, quia peccatum non per se sed per accidens facit ad gloriam Dei, quam proprie et per se obscurat.

Aliæ Quæstiones quæ moveri possunt de Pœna Peccati suo loco excutientur, quum de Morte agetur.

www.lutpol.com.cn
Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

LOCUS DECIMUS.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO IN STATU PECCATI.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

LOCUS DECIMUS.

www.libtool.com.cn

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO

IN STATU PECCATI.

QUÆSTIO PRIMA.

An nomen Liberi Arbitrii seu αὐτεξουσίου retinendum sit in Scholis Christianis? Et ad quam facultatem animæ, intellectum vel voluntatem, proprie pertineat?

I. Quanta per peccatum in Genus humanum invecta sit corruptio in præcedentibus aperuimus. Vidimus mali fontem in Peccato originali, et rivos lutulentos inde fluentes in Peccatis Actualibus. Jam propius miserrimus hominis status, et teterrima liberi arbitrii sub peccato servitus expendenda est. Triste fateor spectaculum, sed utilissimum tamen, et summe necessarium, ut magnitudinem miseriæ nostræ penitus agnoscamus, et gratiæ medicinalis necessitatem certius capiamus et ardentius expetamus. Atque eo diligentius id exequendum est argumentum, quod gravissimæ ab omni fere ævo a variis Adversariis circa illud motæ sint et etiamnum hodie moveantur Controversiæ, quæ magna ingenia subinde exercuerunt et exercent. Et ne hic Philosophorum Gentilium errores vanissimos commemoremus, qui naturæ corruptionem ignorantes, hominem fortunæ suæ fabrum et architectum esse posse contendebant, et faciendo homines liberos faciebant sacrilegos: Quis nescit Pelagianorum et Semipelagianorum giganteos hac in parte conatus, ut naturæ impuritatem vel penitus negarent, vel mirum quantum extenuarent, et liberi arbitrii vires extollerent? Quos non ita vel Conciliorum variorum authoritas, vel summorum Ecclesiæ Luminum, Hieronymi, Augustini, Prosperi, Hilarii, Fulgentii, et aliorum, qui huic pestilentissimo errori sese opponere sategerunt, diligentia et industria fregit, quin labentibus deinceps seculis identidem renovarentur et repullularent, adeo ut triumphatos potius quam plene victos hosce hostes a Patribus diceres. Nec aliud agunt hodie Jesuitæ, Sociniani et Remonstrantes, quam ut hoc in capite, ut et in variis aliis, Pelagianismum et Semipelagianismum, vel aperte vel clanculum et per cuniculos, reducant, et Idolum liberi Arbitrii in arce collocent. Hæc est Helena, quam tantopere depereunt, et pro qua tanquam pro aris et focis decertare non dubitant. Multum ergo refert, ut veri et genuini Gratiæ Discipuli, exitialibus istis erroribus sedulo se opponant, et ita hominis miseriam et gratiæ necessitatem adstruant, ut tota exitii causa in hominem, tota vero salutis gloria in Deum solum refundatur. Quo pertinet Doctrina de *Libero Arbitrio*, de qua nunc disputamus.

Nomen liberi arbitrii unde sit ortum.

II. Quia vero lis moveri nobis solet hic a Pontificiis, quasi nomen liberi arbitrii non minus ac rem ipsam ferre non possimus, pauca de nomine præmittenda sunt. Vox

Digitized by Google

liberi Arbitrii, ut et αὐτεξουσίου, qua Patres Græci illud exprimere solent, in Scriptura non occurrit; sed a Scholis Christianis recepta est, tanquam commodior ad designandam facultatem illam animæ rationalis, qua quodcunque libet sponte agit præeunte rationis judicio. Nam quod quidam illam invenisse se putant in eo quod Paulus, 1 Cor. vii. 37, vocat ἐξουσίαν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, frustra sunt; Siquidem illi ἐξουσία non libertatem arbitrii, sed exequendi facilitatem significat, nec τὸ θέλημα voluntatis actum, sed objectum, ut sæpe alibi, notat. Origo ergo istius vocis videtur potius deducenda a Schola Platonica, cujus sectatores varii ex Patribus erant antequam ad Christum converterentur; Nam quod Peripatetici vocabant ἐλευθέραν προαίρεσιν, et Stoïci τὸ ἐφ' ἡμῖν, Platonici αὐτεξούσιον dicebant.

III. Quamvis vero nomen hoc nimis superbum videatur, si præcise in se spectetur, quasi potestas sui ipsius penes hominem esset, quod soli Deo competit proprie, qui propterea vere αὐτεξούσιος et ἀνυπεύθυνος est, ita sui juris, ut a nullo absolute pendeat, vel pendere possit; homo vero sit semper ὑπεύθυνος et ἐπεξούσιος; Atque hac de causa quidam optarint illud removeri ab usu Ecclesiæ ad tollendum abusum Pelagianorum, qui sub eo virus suum spargebant; Quia tamen longo usu jam in Ecclesia receptum est, non putamus illud ad Philosophos, a quibus profectum videtur, ablegandum; sed utiliter retineri posse censemus, si dexter ejus sensus doceatur, et abusus caveatur. Unde non sine calumnia nobis impingi potest, quod nec nomen nec rem liberi arbitrii ferre possimus. Nam ut quoad rem postea demonstraturi sumus nos longe verius Adversariis liberum arbitrium stabilire: Ita scripta Nostrorum abunde docent, nos nomen hoc bene intellectum haudquaquam repudiare.

IV. *Subjectum* liberi arbitrii nec est intellectus, nec voluntas seorsim, sed utraque facultas conjunctim; nam ut ad intellectum pertinet ratione arbitrii seu προαιρέσεως; Ita ad voluntatem ratione libertatis; Unde facultatem mixtam recte dixeris, sive utriusque, tam intellectus quam voluntatis, connubium et συγκυρίαν. Non tamen facile dixeris in utra potius facultate consistat; Sicut enim arbitrium intellectus terminatur in voluntate; Ita libertas voluntatis radicem habet in intellectu; Unde Philosophus hoc in medio relinquens, ait vel esse νοῦν ὀρεκτικὸν, *intellectum appetentem*, vel ὄρεξιν διανοητικὴν, *appetitum intelligentem*, Ethi. l. v. c. 2.

V. Nec mirum hoc videri debet, cum intellectus et voluntas tam arcta necessitudine inter se copulentur, ut a se invicem separari nunquam possint, nec reale et intrinsecum hic videatur esse discrimen, sed extrinsecum tantum ratione objectorum, ut una eademque animæ facultas et judicet intelligendo, et volendo amplectatur quod bonum judicavit, et *intellectus* dicatur, quando in rerum cognitione et judicio occupatur, *voluntas* vero, quando ad earum amorem vel odium fertur. Ita quod est in intellectu affirmatio et negatio, id in voluntate est desiderium et fuga, ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ' ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή, ut ait Philosophus.

VI. Ut in anima præter animæ essentiam tria tantum occurrunt, *facultas*, *habitus*, *actus*, vulgari notione arbitrium *actum* mentis notat; Sed hic nec *actum* nec *habitum* significat proprie, quod et ab homine separari possint singuli, et eum ad unum duntaxat contrariorum determinent: Sed *facultatem*, non vegetativam et sensitivam, quæ nobis sunt communes cum brutis, in quibus nullus virtuti vel vitio locus est, sed rationalem, ex qua boni vel mali non sumus quidem sed esse possumus per illius actus et habitus.

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An Voluntatis libertati repugnet quævis necessitas? Neg., contra Pontif. et Remonst.

www.libtool.com.cn

I. Antequam de natura et ratione formali Liberi Arbitrii dicamus, excutienda est quæstio proposita propter Adversarios, quorum hoc est πρῶτον ψεῦδος, cui superstruunt dogma suum erroneum de essentia libertatis sita in indifferentia; nimirum *Necessitatem quamvis libertati voluntatis adversari, et necessitatem ac libertatem esse ἀντιδιαιρούμενα oppositas: Nec liberum arbitrium concipi aut intelligi posse cum determinatione ad unum sive cum necessitate illud antecedenter determinante.* Scopus non alius est, quam voluntatem hominis eximere a necessitate determinationis et gubernationis divinæ, et ἀδέσποτον ac Dominam suorum actuum constituere.

Non omnis necessitas repugnat libertati. Sed quædam tantum.

II. Huic Pelagianorum assertioni, opponitur Orthodoxa veritas, quæ statuit, Non omnem necessitatem pugnare cum libertate, Nec omnem etiam cum ea subsistere, sed aliquam cum ea esse ἀσύστατον, aliquam vero cum ea amice conspirare, quod supra jam obiter observatum Loc. VIII. Qu. 1. paulo distinctius est explicandum.

III. Varii varie Libertatem distinguunt. Quidam ut *Bernardus*, de Grat. et lib. arbi., et ex eo *Lombar.*, lib. ii. dist. 25, triplicem facit *Libertatem*, primam a *necessitate*, secundam a *peccato*, tertiam a *miseria*. Illam vocat *naturæ*, quam contulit nobis in conditione naturæ; Istam *gratiæ*, quia restauramur ad eam in gratia; Hanc *gloriæ*, quia reservatur nobis in gloria. Per primam præstamus cæteris animantibus, per secundam carnem, per tertiam mortem subjicimus. Prima sic naturalis est homini, ut nequeat ullo modo eripi, aliæ duæ per peccatum sunt amissæ. Hanc distinctionem facile recipimus, modo sub necessitatis voce intelligamus tam necessitatem physicam quam coactionis, quæ cum libertatis natura sunt ἀσύστατα.

IV. Sed ut clarius res tota pateat, libertatem et necessitatem in sex capita tribuimus: Nimirum ut Voluntas potest spectari, Vel ratione *agentis externi*, Vel ratione *materiæ et sensus interni*, Vel ratione *Dei*, Vel ratione *intellectus practici*, Vel ratione *bonitatis aut malitiæ objecti* propositi, Vel ratione *eventus et existentiæ*. Hinc sextuplex oritur necessitas, Prima *necessitas coactionis*, quæ oritur ab agente externo, nihil conferente eo qui cogitur. Secunda *necessitas physica et bruta*, quæ occurrit in inanimatis et brutis, quæ cæco naturæ impetu, vel bruto instinctu et innato appetitu, nullo autem rationis lumine agunt, ut necessitas ignis ad urendum posito objecto combustibili, necessitas in equo ad edendum posita herba vel fœno, sine ulla προαιρέσει. Tertia est *necessitas dependentiæ* creaturæ a Deo, tam quoad *jus*, et Legem ab illo positam, quam quoad *factum*, gubernationem scilicet providentiæ, 1. in antecedente decreto, 2. in subsequente executione; quæ necessitas dicitur hypothetica, tum infallibilitatis, ratione præscientiæ, tum immutabilitatis, ratione decreti, et actualis concursus. Quarta *necessitas rationalis, determinationis ad unum* ab intellectus practici judicio, cui refragari non potest voluntas. Quinta *necessitas moralis*, seu *servitutis*, quæ oritur ex habitibus bonis vel malis, et appulsu objectorum ad facultates suas: Ea enim est habituum moralium ratio, ut quamvis in nostra potestate eorum acquisitio fuerit, ubi tamen voluntas nostra iis imbuta est, neque non exerceri neque deponi possint, ut Philoso. recte docet

Digitized by Google

Eth. l. iii. c. 5. Hinc fit, ut voluntas in se libera ita determinetur vel ad bonum vel ad malum, ut non possit non vel bene vel male agere. Unde fluit *servitus* peccati, vel justitiæ. Sexto, *necessitas existentiæ rei*, seu *eventus*, per quam fit, ut quando res est, non possit non esse.

www.libtool.com.cn

Necessitas coactionis et physica repugnat libertati.

V. Ut duo sunt præcipui characteres Liberi Arbitrii, in quibus ejus ratio formalis consistit, 1. ἡ προαίρεσις, ut quod fit, prævio rationis judicio fiat, 2. τὸ ἑκούσιον, ut quod fit, sponte et sine coactione fiat; prior ad intellectum, posterior ad voluntatem pertinet: Duæ etiam necessitatis species cum ea pugnant. Prima est *necessitas physica* et *bruta*, Altera *necessitas coactionis*; illa προαίρεσιν tollit, ista vero ἑκούσιον. Nam quæ fiunt ex necessitate physica ab agentibus naturalibus ad unum natura et sine ratione determinatis, non possunt censeri fieri libere, id. prævio rationis lumine; Et quæ fiunt per vim et coacte, non possunt dici sponte fieri. Et de his nulla inter Nos et Adversarios est controversia. Hoc tantum obiter monendum, Bellarmin., lib. iii. de gra. et lib. arb. cap. 4, et alios ex Pontificiis Nostros calumniari, dum illis imponunt, quod sentiant libertatem a coactione sufficere ad constitutionem liberi arbitrii; Quia præter illam requirunt etiam immunitatem a necessitate physica; Et si quando dicunt hominem a coactione, non a necessitate liberum esse, *necessitatis* voce non intelligunt eam quæ dicitur *physica*, de qua nulla erat controversia, et quæ satis per se excluditur, tum conditione subjecti, quod est rationale, tum ex actibus judicandi et volendi, qui cum ea sunt ἀσύστατοι; sed necessitatem dependentiæ, servitutis, et rationalem.

Sed convenit cum ea, 1. necessitas dependentiæ a Deo.

VI. Sed si duæ istæ necessitatis species a nobis commemoratæ, cum libero arbitrio pugnant; non eadem est ratio aliarum, quæ cum eo subsistere possunt, et quibus non tam destruitur, quam conservatur et perficitur, quod sigillatim quoad quatuor necessitatis species ante notatas ostendi potest. Primo, quoad *necessitatem dependentiæ a Deo*, Liberum arbitrium eam non excludit, sed supponit, sive intelligatur *dependentia ethica juris*, ratione Legis divinæ, a qua creatura rationalis nunquam eximi potest, sive *dependentia physica facti*, quoad concursum Providentiæ, per quam res a Deo ut summo Rectore et causa prima ita pendent, in esse, fieri, et operari, ut nec esse nec quicquam agere nisi dependenter ab ipso possint, sive *dependentia futuritionis*, quoad præscientiam et decretum ex quibus nascitur *necessitas infallibilitatis* et *immutabilitatis*: Quantacunque enim sit creaturæ libertas in operationibus suis, necessariæ tamen sunt hoc utroque respectu, alias præscientia Dei posset falli, et decretum ejus mutari.

2. Necessitas rationalis.

VII. Secundo, quoad *necessitatem rationalem* determinationis ad unum ab intellectu practico. Cum enim voluntas sit appetitus rationalis, ea est ejus natura, ut non possit non sequi ultimum intellectus practici judicium; alias posset appetere malum sub ratione mali, et aversari bonum sub ratione boni, quod est ἀσύστατον. Nam si ultimum judicium intellectus practici eo fertur, ut judicet hoc objectum, hic et nunc, expensis omnibus circumstantiis, esse optimum, et voluntas huic judicio refragaretur, tum aversaretur bonum sub ratione boni. Nec opponi debet voluntatem non raro malum appetere; Quia non appetit illud sub ratione mali, sed sub specie boni apparentis, vel utilis, vel jucundi.

3. Necessitas moralis.

VIII. Tertio, quoad *necessitatem moralem*, quæ oritur ex habitibus. Nam ut voluntas *libera* potest dici, si est habitu vacua. Ita *serva* recte dicitur, si per habitum

Digitized by Google

ad certum agendi modum fuerit determinata. Quæ *servitus* tamen veram et essentialem libertatis rationem haudquaquam evertit; alias sequeretur habitus destruere voluntatem, quam perficiunt potius et facilitant ad operationem. Hinc fit ut duplices sunt habitus morales, alii boni, alii mali; duplex etiam inde nascatur *servitus*, alia *justitiæ* in bono, alia *peccati* in malo et miseria; Ista quæ convenit homini in statu peccati, de qua Joh. viii. 34, "Quisquis dat operam peccato, servus est peccati," et Rom. vi. 17, "Eratis servi peccati;" Illa quæ illi competit in statu gratiæ, de qua Rom. vi. 18, "nunc liberati a peccato, servi facti estis justitiæ," quæ servitus vera libertas est, ut servitute peccati nulla verior, nulla miserior occurrit; minime enim facit quod vult, qui peccato servit, facit enim inclinatione particulari, quod minime vult universali, omnes enim universali et naturali appetitu sibi bonum et beatitudinem semper appetunt.

IX. Atque hinc patet perperam adversarios, et præsertim Bellarm., lib. iv. de gra. et lib. arbi. c. 6, Nostros criminari, quod *servum* dixerint *arbitrium* in statu peccati, quasi eo ipso destrueretur ejus libertas; Quia ita nuncupatur prævia Scriptura, et quidem cum duplici limitatione, 1. Ut servum intelligatur non *absolute* et *physice*, sed *relate*, *post lapsum* in statu peccati; 2. Non simpliciter circa omne objectum naturale, civile, aut morale externum, sed præcipue circa objectum spirituale per se bonum, quomodo ἀδυναμία ad bonum fortius asseritur, sed essentia libertatis non destruitur; quia licet peccator ita sit mancipatus malo, ut non possit non peccare, non desinit tamen liberrime et summa cum lubentia peccare. Hinc Jansenius, li. iii. de Sta. nat. lap. c. 5, agnoscit Lutherum non primum nomen Servi arbitrii invenisse, sed secutum fuisse Augustinum, qui de eo jamdiu ita locutus fuerat, Enchir. ad Laur. c. 30, et lib. iii. cont. duas ep. Pela. c. 8, et suis succenset qui nomen servi arbitrii ante Lutherum ignotum fuisse pertendebant. Aug. de Corrept. et Grat. c. 13: "Arbitrium Liberum, sed non liberatum, liberum justitiæ, peccati autem *servum*, quo volvuntur per diversas noxias cupiditates, alii magis, alii minus, sed omnes mali." Et Enchi. c. 30, "Homo libero arbitrio male utens, et se perdidit et ipsum."

4. Necessitas eventus.

X. Quarto, Quoad *necessitatem eventus*. Nam etsi quicquid est, quando est, necessario est, ita ut non possit amplius non esse; non minus tamen libere vel contingenter fieri dicitur, prout a causis liberis vel contingentibus pendet: quia certitudo et veritas existentiæ rei non potest essentiam ejus mutare.

Fontes Solutionum.

XI. Quamvis voluntas libera sit; hoc non obstat quominus determinetur a Deo, et illi semper subsit, quia libertas ista non est absoluta et independens, ac ἀδιάστατος, quæ soli Deo competit, sed limitata et dependens: alias si nulla facultas libera datur, nisi quæ nulli subsit, aut non dabitur in creaturis voluntas libera, aut omnis causa secunda erit prima.

XII. Voluntas dicitur domina suorum actuum, non absolute et simpliciter, quasi ab ipsa penderet semper eos elicere vel non elicere; hac enim ratione non potest non subesse et Deo et intellectui: sed secundum quid, ratione actuum imperatorum, quos imperat potentiis inferioribus, non ratione elicitorum, qui non possunt dici proprie voluntatis imperio subesse, cum sint ipsissimum voluntatis imperium, quo aliarum facultatum sibi subjectarum actus imperat.

XIII. Voluntas potest spectari, vel relate ad decretum et concursum Dei, vel contradistincte ad intellectum; Priori sensu recte dicitur ita determinari a Deo, ut seipsam etiam determinet; quia ut supra visum, sic Deus movet creaturas, ut suum illis motum relinquat: Sed posteriori non

Digitized by Google

potest dici seipsam determinare; quia determinatur ab intellectu, cujus non potest non sequi ultimum intellectus practici judicium.

XIV. Si voluntas semper determinatur a Deo, potest dici *instrumentum* ejus sensu populari, quo modo ratio instrumenti tribuitur in Scriptura hominibus impiis, quando vocantur *securis*, *malleus*, *virga Dei;* sed non sensu Philosophico et proprio, quo dicitur agens quod intra se nullam habet causalitatem principalem, et hanc habet indolem, ut producat effectum se nobiliorem, ut calor Solis qui est inanimatus, producit animalia animata. Nam voluntas non producit Ens se nobilius, et non desinit esse causa principalis, si non absolute, at in suo genere, scil. causæ secundæ.

XV. Quamvis voluntas possit refragari judicio theoretico intellectus, vel judicio absoluto et simplici intellectus practici, quo pertinent ista Medeæ apud Poëtam, *video meliora, proboque, deteriora sequor;* Nunquam tamen refragari potest judicio comparato et ultimo.

XVI. In primo peccato voluntas Adami non est secuta primum et absolutum judicium intellectus, quo judicabat non esse manducandum fructum, quia Deus ejus esum prohibuerat sub pœna mortis, Gen. iii. 3, sed secuta est comparatum et ultimum, quo dicitur, v. 6, vidisse mulier bonum esse sibi fructum arboris in cibum, et judicasse desiderabilem esse oculis, scil. juxta promissionem fallacem Satanæ, ut similes essent Deo.

XVII. In Peccato contra Spiritum Sanctum voluntas refragatur quidem judicio intellectus practici, etiam comparato primo, alias non diceretur fieri contra conscientiam, et cognitionem veritatis; sed non repugnat tamen judicio comparato ultimo, in quo caro omnibus expensis hic et nunc judicat Evangelium abnegandum esse, et Christum deserendum.

QUÆSTIO III.

An ratio formalis Liberi Arbitrii in indifferentia posita sit? An vero in lubentia rationali? Prius Neg., Posterius Aff., contra Pontificios, Socin. et Remonstr.

Liberum Arbitrium in genere Entis.

I. *Liberum Arbitrium* potest spectari vel *in genere entis*, et absolute, prout competit Enti rationali in quovis statu; vel *in genere moris*, et relate ad varios status, vel peccati, vel justitiæ. In hac Quæstione agitur de eo priori sensu, in sequentibus agetur de eo, posteriori.

Non est positum in indifferentia, sed in lubentia.

II. De ratione formali liberi arbitrii potest disputari, 1. κατ' ἄρνησιν et *negative*, ut videatur in quo non consistat; 2. κατὰ θέσιν et *positive*, ut constet in quo proprie sita sit. Quoad prius oppugnandus est error Adversariorum, qui rationem ejus formalem collocant in indifferentia. Quoad posterius confirmanda est veritas Orthodoxa, quæ illam in lubentia rationali positam asserit.

III. Res nobis hic est cum Jesuitis, Socinianis et Remonstrantibus, qui Pelagium sequentes liberi arbitrii essentiam in ἀδιαφορίᾳ constituunt, et illud definire vulgo solent, *facultatem, qua positis omnibus ad agendum requisitis, voluntas potest agere vel non agere.* Requisita autem illa dicuntur ad actionem, sine quibus actio non potest produci, qualia sunt decretum Dei, et concursus ejus, judicium mentis, et cæteræ circumstantiæ, quæ huc pertinent.

Status Quæstionis.

IV. Unde patet, Non hic quæri de *indifferentia* in *actu primo*, seu in *sensu diviso*, quoad *simultatem potentiæ*, quæ *passiva* et *objectiva* dicitur; An scilicet voluntas abso-

Digitized by Google

lute spectata ex naturali sua constitutione, sepositis requisitis ad agendum, sit determinabilis ad varia objecta, et indifferenter se ad ea habeat: Non negamus enim voluntatem ex se ita esse comparatam, ut possit vel actum elicere, vel suspendere, quæ *libertas* est *exercitii* et *contradictionis*, vel ad utrumque oppositorum ferri, quæ *libertas* est *contrarietatis* et *specificationis*; Fatemur etiam voluntatem indifferenter se habere, quandiu intellectus hæret dubius et incertus quo se vertat: Sed de indifferentia in *actu secundo* et *in sensu composito*, quoad *potentiam simultatis*, quæ *activa* et *subjectiva* dicitur; An voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis, v. g. decreto Dei, et ejus concursu, judicio intellectus practici, &c., ita semper sit indifferens et in æquilibrio posita, ut possit agere vel non agere? Hoc Adversarii pertendunt, ut sua relinquatur voluntati libertas; Nos negamus.

Libertas non est posita in indifferentia.

V. Primo, Quia talis indifferentia ad opposita in nullo agente libero sive creato sive increato deprehenditur; Nec in *Deo*, qui liberrime quidem bonus est, non tamen indifferenter, quasi possit esse malus, sed necessario et immutabiliter; Nec in *Christo*, qui liberrime Deo obedivit, et tamen maxime necessario, quia non potuit peccare; Nec in *Angelis* et *Beatis*, qui summa cum lubentia Deum colunt, et ab bonum tamen necessario sunt determinati; Nec in *Dæmonibus* et *Reprobis*, qui non possunt non peccare, quamvis libere peccent. Ita nec illorum constantia et immutabilitas in bono destruit eorum libertatem, sed perficit; Nec istorum ineluctabilis pertinacia et obfirmatio in malo obstat quominus gravissime peccent, adeoque summo digni sint supplicio.

VI. Quid hic excipi potest? 1. An aliam esse rationem libertatis divinæ, aliam nostræ? R. Sed quo libertas Dei perfectior est nostra, eo remotior debet esse ab indifferentia, quæ non tam virtus est, quam defectus libertatis. 2. An Christum, licet nunquam peccaverit, non fuisse tamen absolute impeccabilem, nec repugnasse ejus naturæ, voluntati, aut muneri, peccare potuisse? Quam blasphemiam Episcopius et alii Remonstrantes eructare non erubuerunt. R. Sed absit a nobis, ut tale quid de sanctissimo Dei Filio vel cogitemus vel dicamus, quem novimus fuisse ἄκακον, ἀμίαντον, separatum a peccatoribus, qui nullum commercium cum peccato non solum habuit, sed nec habere potuit; tum quia Dei Filius, tum quia Redemptor noster, qui si peccare potuit, potuit etiam nos non servare. Nec si miser esse potuit, potuit eadem ratione esse peccator. Quia miseria ad tempus non refragatur naturæ ejus sanctissimæ, et faciebat ad muneris executionem, quia debuit solvere peccati nostri pœnas, adeoque eas ferre patiendo; sed non potuit eas mereri. 3. An aliud esse loqui de libertate viatorum et comprehensorum? R. Sed cum eadem debeat esse quoad essentialia ratio formalis libertatis, si isti libertatem habent perfectissimam sine indifferentia, non potest dici ad essentiam ejus pertinere.

VII. Secundo, Quia voluntas nunquam potest esse sine determinatione tam extrinseca a Dei providentia, quam intrinseca ab intellectus judicio, ut antea probatum fuit; (Et Bell. ipse hoc probat variis rationibus lib. iii. de gra. et lib. arbi. c. 8.) Ergo non potest positis omnibus ad agendum requisitis agere vel non agere. Alias nec esset creata, quia non penderet a Deo; Nec rationalis, quia contra rationis judicium ageret, et malum sub ratione mali appeteret. Nec obstat quod dicitur esse de ratione voluntatis liberæ, ut seipsam determinet, quia subordinata non pugnant: De ratione quidem voluntatis est, ut a se determinetur, sed non a se sola; sic determinatio voluntatis non excludit sed supponit determinationem Dei.

Digitized by Google

VIII. Tertio, Quia volitio summi boni et ultimi finis non potest esse sine summa lubentia; Et tamen non est sine magna et ineluctabili necessitate: Cum ex Adversariorum ipsorum consensu et Philosophorum plácitis ab appetendo summo bono abstinere non possimus, quia nemo a se impetrare potest, ut velit esse miser. Nec dici potest liberum arbitrium non versari circa summum bonum, seu ultimum finem, sed tantum circa electionem mediorum. Quia cum in appetitione summi boni veri vel falsi, ratio virtutis vel vitii præcipue sita sit: necesse est ut libertas sine qua nulla datur vel virtutis vel vitii ratio, circa illud non minus ac circa media versetur. Deinde cum media dentur, quæ necessariam connexionem habent cum fine, et circa quorum electionem voluntas versatur, libere quidem in illis eligendis, sed tamen necessario, occupabitur.

IX. Quarto, Posita indifferentia voluntatis, 1. Tollitur *precum et hortationum usus*, quia frustra oratur Deus, ut nos convertat et sanctificet, frustra hortationes adhibentur, si posita qualibet Dei actione, voluntas non potest dimoveri ab æquilibrio, et manet semper in ejus potestate se convertere vel non. 2. Vanæ redduntur *promissiones Dei* de effectione sanctitatis et efficacia gratiæ, quia non posset præstare quod promisit; quicquid enim præstaret circa voluntatem, maneret semper in æquilibrio et ἀδιαφορίᾳ. Quomodo vero sic posset dici dare velle et perficere, et cor novum facere? 3. Perit omnis *consolatio* nostra, quia quomodocunque Deus agat in nobis, nunquam certi erimus de gratia, si pendet semper a voluntate illam admittere vel rejicere, et sic omnem Dei operationem frustraneam reddere. 4. Abrogatur *imperium Dei in voluntatem*, quæ fiet independens et sui juris, si positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere. Ita homo author erit et causa principalis suæ conversionis, non Deus, quia positis omnibus gratiæ operationibus voluntas semper erit in æquilibrio, nec aliunde determinabitur quam a seipsa.

Libertas posita est in lubentia.

X. Cum ergo ratio formalis libertatis non posita sit in indifferentia; non potest alibi quæri, quam in *lubentia rationali*, per quam *homo facit quod lubet prævio rationis judicio:* Ut hic necessario duo conjungenda veniant ad eam constituendam, 1. τὸ προαιρετικὸν, ut quod fit, non fiat cæco impetu, et bruto quodam instinctu, sed ἐκ προαιρέσεως, et prævio rationis lumine et intellectus practici judicio. 2. τὸ ἑκούσιον, ut quod fit, sponte et libenter fiat et sine coactione. Unde Philosophus illud vocat ἑκούσιον προβουλευμένον, Ethic. lib. iii. c. 2.

XI. Hanc autem esse rationem formalem liberi arbitrii, ex eo non obscure colligitur, quod *omni*, *soli*, et *semper* conveniat; Ita ut nullum sit agens liberum, vel creatum, vel increatum, in quo duo isti characteres non deprehendantur: nec ad tempus tantum, sed semper, ut posita lubentia ista rationali ponatur libertas, et sublata tollatur. Unde sequitur adjunctum esse inseparabile agentis rationalis, quod illud in quovis statu comitatur, ut non possit esse rationale, quin eo ipso sit liberum, nec spoliari queat libertate, quin privetur etiam ratione. Quod evincit etiam liberum arbitrium absolute spectatum et in genere Entis nunquam ab homine tolli posse in quocunque versetur statu. Quod si a nonnullis denegatur homini in statu peccati, intelligi debet non tam *physice* et absolute, quam *ethice* et relate, nec tam quoad essentiam, quam quoad vires, ut postea ostenditur.

Fontes Solutionum.

XII. Principium electionis sua natura potest esse indifferens et indeterminatum in sensu diviso, et quoad actum primum, et simultatem potentiæ; Sed non in sensu

Digitized by Google

composito, et quoad actum secundum, seu potentiam simultatis. Electio, ut sit libera, debet esse immunis a coactione et necessitate physica; sed non a necessitate extinseca dependentiæ a Deo, et intrinseca determinationis ab intellectu. Et tantum abest ut determinatio ad unum, quæ fit a ratione, electionem liberam tollat, ut eam potius perficiat; quia ideo eligit hoc vel illud, quia a judicio intellectus ad id determinatur.

XIII. Quod est *naturale brutum*, et sui nescium, non habet rationem vitii aut virtutis; sed tantum quod est *naturale rationale*. Peccatum autem naturale dicitur, non ut natura opponitur libero arbitrio, sed ut natura opponitur gratiæ. Datur locus obedientiæ vel inobedientiæ etiam sine indifferentia et cum determinatione ad unum, ut in Christo immutabiliter determinato ad obediendum Patri, et in Diabolis necessario determinatis ad inobediendum, et tamen liberrime peccantibus, et gravissimo supplicio dignis. Obedientiæ ratio non in eo posita est, ut homo possit obedire vel non obedire, sed in eo, ut homo libenter et sine coactione ex prævia ratione obediat.

XIV. Tantum abest, ut ex sententia nostra tollatur usus hortationum et præceptionum, ut fortius potius asseratur. Nam si certum est voluntatem determinari ab intellectu, intellectum prius persuaderi necesse est, antequam voluntatem flectat. At quomodo persuadebitur nisi rationibus et hortationibus? Licet vero impossibilis sit hortationis impletio ex nobis sine gratia; Non minus tamen potest rite ad nos dirigi, quia est officium a nobis debitum.

XV. Ut detur præmio vel pœnæ locus, non necesse est ut detur indifferentia in voluntate ad utrumque oppositorum; Sufficit ut sit spontaneitas et lubentia, quæ pendeat a rationis judicio, qualis est in omnibus hominibus.

QUÆSTIO IV.

An Liberum Arbitrium in statu peccati ita sit servum et mancipatum peccato, ut nihil possit quam peccare: An vero vires adhuc habeat sese inclinandi ad bonum, non tantum civile et morale externum, sed internum et spirituale, quod præscriptæ in Lege Dei voluntati accurate respondeat? Prius Affi., Poster. Neg., contra Pontificios, Socinianos, et Remonstrantes.

I. Actum est præcedenti Quæstione de Libero Arbitrio absolute quoad *naturam* in genere Entis: Nunc de eodem agitur relate quoad *statum* peccati, et *vires* ejus in genere moris. Ibi visum est *quid sit;* Jam videndum *quid possit* circa bonum; quæ primaria est Controversia, quæ nobis in hoc doctrinæ Capite intercedit cum Pelagianis et Semipelagianis.

Status Quæstionis.

II. Non quæritur de *Libertate essentiali* a coactione et necessitate physica, quæ talis dicitur ratione *subjecti* et *principii*, quia eadem est semper utrobique in quolibet hominis statu, ut antea dictum; Sed de *libertate accidentali* a servitute peccati, ratione *objecti*, circa quod voluntas versatur, An sit malum tantum, An etiam bonum.

III. Non quæritur de *bono civili* et *morali externo:* Non negamus enim aliquas vires in homine adhuc post lapsum superesse quoad opera illa externa et civilia bona, ut justitiam et temperantiam exerceat, misericordiæ et charitatis actum edat, ut manus a furto et homicidio abstineat, et simi-

Digitized by Google

lium virtutum operationes edat, antecedente concursu Dei et auxilio ejus generali, quo spectant virtutes Gentilium, de quibus postea; Sed quæritur de *bono spirituali* et *supernaturali*, quod gratum et acceptum sit Deo: An homo in statu peccati ita sit corruptus, ut liberi ejus arbitrii vires quoad bonum istud, non modo sint labefactatæ et attritæ, sed plane deperditæ, ut nihil vel veri salutaris cognoscere, vel boni præstare queat; An vero voluntas ejus semper sit ἀμφίρροπος, et ad utrumque oppositorum indifferens. Prius affirmant Orthodoxi; Posterius Adversarii.

IV. Non quæritur de *potentia* seu *facultate naturali* voluntatis, a qua est ipsum velle vel nolle, quæ *potentia prima* vocari potest, et *principium materiale* actionum moralium. Hæc enim semper in homine manet, et a brutis per eam distinguitur: Sed de *dispositione* ejus *morali* ad bene volendum, quæ *potentia secunda* seu *principium formale* dicitur illarum actionum: nam ut a potentia naturali fluit τὸ velle, ita a dispositione morali τὸ bene velle.

V. Eo redit ergo Quæstio, An homo irregenitus eas vires liberi arbitrii adhuc habeat, ut sit indifferens ad bonum et malum, et possit non peccare sine gratia regenerationis. Affirmant Adversarii; Nos negamus.

VI. Adversarios hic habemus Pelagianos veteres et novos, qui Liberi Arbitrii Idolum in arce reponunt, et ut faciant homines liberos, faciunt sacrilegos. Licet vero recentiores odiosum nomen et dogma Pelagii a se sollicite amovere studeant, nec exerte profiteri audeant quod ille statuebat, Hominem suis viribus aliquid ad vitam cœlestem posse: Non minus tamen cum eo faciunt, dum non pudet ipsos, hominem ac Deum in salutis negotio tanquam causas partiales consociare; atque ita Liberi Arbitrii vires etiam ad bonum in homine lapso superesse volunt. Et de *Socinianis* quidem res non obscura est. "Nam si in primo homine," inquit Soci., Prælect. cap. v., "ante lapsum liberum arbitrium fuit, nulla causa est, cur propter lapsum eo privari debuerit, quandoquidem nec rei ipsius natura id postulat, nec Dei justitia patitur." Licet vero postea fateatur, in homine post peccatum dari magnam ad peccandum proclivitatem, et exiguas vires ad ea præstanda quæ Lex jubet; Non ita tamen exiguas esse vult, "ut homo, Dei ope accedente," id. auxilio externo, ut interpretatur, "si sibi ipsi vim facere velit, Legi divinæ parere non possit." Idem Volkeli., lib. v. c. 18, statuit, et alii cum eo.

VII. Quoad Pontificios, licet videantur nonnunquam naturæ depravationem agnoscere, et gratiæ necessitatem urgere, non desinunt tamen liberi arbitrii vires supra modum extollere. Sic Bellarm. qui lib. vi. de grat. et lib. arbit. cap. 4, asserit, "Non posse hominem sine speciali Dei gratia aliquid facere aut velle in iis rebus quæ ad pietatem et salutem pertinent;" Item, "Non posse hominem propriis viribus ad gratiam se disponere, sive aliquid facere propter quod gratia divina ei conferatur:" Alibi tamen larvam hanc sibi detrahit, lib. v. cap. 9, quum statuit et probare conatur, "Hominem posse sine auxilio speciali bonum aliquod morale perficere, si nulla tentatio urgeat." Nec alio respicit Concil. Trident. quum Canon. 4 et 5, Sess. 6, anathema denunciat illi qui dixerit "Liberum arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentienti atque vocanti, quo ad gratiam justificationis se disponat et præparet, nec posse dissentire si velit;" Item, "Si quis post Adæ peccatum liberum arbitrium amissum et extinctum esse dixerit;" Ne jam hic referamus similitudines, quibus ad peccatorem describendum uti solent, qualis est *hominis ægroti et læsi*, cujus vires attritæ quidem sint et fractæ, sed non penitus amissæ, et ejusdem *ligati et vincti*, qui vires quidem habeat, sed quas exerere nequeat, nisi solva-

Digitized by Google

tur. Nec aliud possunt sentire, qui voluntati suam ἀδιαφορίαν semper superesse pertendunt; et qui bonas dispositiones et merita de congruo in homine esse volunt ad gratiam. Certum tamen non paucos ex Pontificiis, ut varios ex Thomistis, Dominicanis, et præcipue Jansenistas, reclamare, qui totam hominis ἀδυναμίαν agnoscunt, et strenue contra Idolum liberi arbitrii pugnant.

www.libtool.com.cn

VIII. Ad *Remonstrantes* vero quod spectat, tam speciose quidem hominis corruptionem, et gratiæ necessitatem stabiliunt, ut supra nihil dici posse videatur, quum Artic. 3. Coll. Hagi. confitentur, "Hominem in statu defectionis et peccati, nihil boni, quod quidem vere sit bonum, quale quid est fides salutaris, ex se posse cogitare, velle, aut facere, sed necessarium esse eum a Deo in Christo per Spiritum Sanctum ejus regigni, renovari mente, affectibus, seu voluntate, et omnibus facultatibus, ut aliquid boni possit intelligere, velle et perficere," &c. quia scilicet res odiosa erat, gratiam Dei aperte impugnare. Verum si penitius in eorum mentem inquiritur, non obscure patebit eos idolo liberi arbitrii non minus ac Pontificios litare, ac Pelagianismum revocare; Quum voluntatis libertatem in ἀδιαφορίᾳ constituunt, et liberum arbitrium flexile esse in utramque partem etiam sine gratia asserunt, apud Armin. cont. Perk. pag. 244; Quum gratiam semper resistibilem statuunt, ut penes voluntatem hominis sit semper eam admittere vel rejicere; Quum vitam spiritualem in homine animali non penitus a mente separari, nec vere ac proprie a voluntate agnoscunt; et voluntatem sic liberam in sese manere, ut excitari possit ad bonum antequam proprie vivificetur, aut ullas novas vires accipiat, in Colla. Hagi. pag. 298; Quum gratiam Dei et liberum arbitrium simul esse *causas partiales*, seu *concausas* dixerunt apud Grevincho. pag. 209, 210, ut liberum arbitrium quidem nihil possit a se, id est solum, sed possit tamen aliquid cum gratia. Quæ omnia satis produnt, quicquid de naturæ corruptione jactant, ad fucum faciendum dicere, ut lectori incauto palpum obtrudant, et genuinam eorum mentem esse, liberum arbitrium sat virium adhuc habere, ut cum gratia salutem suam operetur. Nec tam operose omnibus argumentis, quibus ἀδυναμίαν probare solemus, obviam ire satagerent, nisi se peti sentirent; ut eos causam suam agere facile possis agnoscere. Sed Orthodoxi contra, licet liberum hominis arbitrium semper in homine quoad essentialia manere statuant, nullas tamen in eo ad bonum vires superesse censent.

Liberi arbitrii impotentia probatur, 1. a servitute peccati.

IX. Rationes sunt. 1. Quia homo *servus* dicitur peccati, Jo. viii. 34, et talis servus, qui concupiscentiæ laqueis ita constringitur, ut sistat membra sua serva impuritati εἰς ἀνομίαν, et subsit dominio peccati, Rom. vi. 12, 14, qui a Diabolo devictus ei in servitutem addictus est, 2 Pet. ii. 19, sub quo ut hujus mundi Principe desideria mala implet, et facit quod illi placet, cui nihil nisi malum placet, Joha. viii. 44, et in quo efficacissime operatur, Eph. ii. 2, qui denique in libertatem asseri non potest nisi assertore Christo, Johan. viii. 36. Quis vero dixerit miserrimam istam servitutem in malo cum aurea ad bonum stare posse libertate; et peccatorem carni mancipatum aliquid posse quo se a tyrannidis jugo cui se sponte addixit liberet? Maxime cum servitus illa, licet durissima, illi tamen grata sit, et tantum abest, ut libertatem expetat vel quærat, ut vincula sua potius osculetur, et liberationem fugiat. Ut vero duritiem istius servitutis Scriptura fortius exprimat, omnia servitutis genera nobis tribuit, tam eorum qui in servili conditione domi nascebantur, qui *Vernæ* dicebantur, dum ait nos *natura filios esse iræ*, Eph. ii. 3, ideoque servos pœnæ,

Digitized by Google

quam eorum qui pretio empti et bello capti erant, quum nos *venditos esse sub peccatum*, et a corruptione et Diabolo in captivitatem actos asserit, Rom. vii. 14; 2 Pet. ii. 19; 1 Tim. iii. 7; Heb. ii. 14, 15.

X. Frustra hic reponitur, 1. Servitutem peccati non opponi libertati peccatoris, quia non necessario, sed libere servit. R. Nam licet non opponatur libertati naturæ, per quam differt a brutis animantibus, quia agit semper sponte quod ipsi adlubescit; opponitur tamen libertati a peccato, de qua disputamus, quia ita constrictus tenetur a vincentibus et vincientibus cupiditatibus, ut licet liberrime, necessario tamen peccet, et non possit non peccare. 2. Fideles servos justitiæ dici, qui non sunt tamen omnis peccati expertes; Ita homines posse servos peccati esse, licet aliqua ad bonum in illis supersit libertas. R. Diversa quippe est utriusque servitutis ratio. Nam servitus justitiæ quæ vera est libertas, non est perfecta in hoc seculo, propter reliquias peccati nobis adhærentes, a quibus non liberamur ante mortem: Sed servitus peccati plena est et integra, ut homo peccato perfecte serviat et in eo totus sit. Adde quod quum Paulus ita loquitur, Rom. vi., non tam vitam ipsam fidelium, quam eorum officium respicit, nimi. ut liberati a peccato in totum se Deo mancipent, ac ne levissime quidem peccato indulgeant, non secus ac ante peccato prorsus addicti erant, nec de Deo ne per somnium quidem cogitabant. 3. Servitutem illam impedire ne homo possit suis viribus jugum peccati excutere: Sed non obstare, quominus possit per liberum arbitrium adjuvante gratia liberari a peccato. R. Sed hominem posse liberari per liberum arbitrium adjuvante Deo ambigue dicitur; nam, vel intelligitur de *liberatione passiva*, ut liberum ipsum arbitrium a gratia liberetur, quod concedimus; vel de *activa*, per quam liberum arbitrium Dei gratiæ adjuvanti sese applicet, et suis viribus, licet non solis, cum ea cooperetur, quod negamus.

2. A morte spirituali, Eph. ii. 1.

XI. Secundo, Quia homo *in peccatis mortuus est*, Eph. ii. 1, non tantum propter afflictiones, quæ mortes totidem in Scriptura appellantur, 2 Cor. xi. 23, non modo propter mortalitatem corporis, quod propter peccatum mortuum dicitur, Rom. viii. 10, aut propter æternæ mortis reatum, quo sensu incredulos in peccato morituros Dominus pronunciat, Johan. viii. 21 et 24, sed potissimum propter dissolutionem unionis cum Deo, et privationem sanctitatis, quæ vere est vita, ut quæ vivitur in peccato vita, vita non est, et mortui sunt quotquot in deliciis mundi vivunt, 1 Timot. v. 6. Qualis ergo est in mortuo ad vitam ex se recuperandam impotentia, eadem dicenda est in peccatore ad bonum seu vitam spiritualem obtinendam.

XII. Ut teli istius quod graviter eos premit cuspidem frustrentur et declinent; Varia hic excipiunt Adversarii. Primo, similitudinem non esse urgendam, eo quod varia sint discrimina inter mortuum et peccatorem. R. Sed ut non negamus simile istud in variis esse dissimile: Ita in hoc quod præcipue hic urget Spiritus Sanctus optime quadrat, nimirum ut mortuus vita naturæ, atque adeo omni sensu et motu privatur. Ita peccator vita gratiæ destituitur, et omnem sensum et motum spiritualem amittit; ut nihil vel veri cognoscere, vel boni præstare possit, haud magis quam mortuus in vitam se revocare. 2. Mortem istam non obstare, quominus reliquiæ lucis spiritualis in homine peccatore supersint ad Deum cognoscendum, et utcunque colendum. R. Sed tales reliquiæ vitam spiritualem non accendunt, nec mortem animi proprie dictam impediunt, quia non sunt ejusdem ordinis et speciei cum vita spirituali quam nobis largitur Christus, et cadere possunt in induratos, imo et in Dæmonem ipsum, qui quamvis sit oculis acutissimis, non desinit esse mortuus suo sensu in peccato.

Digitized by Google

3. Eos qui dicuntur mortui, *dormientes* et *ægros* etiam indigitari, ut innuatur superesse in iis vires, sed ligatas et impeditas. R. Sed hoc mirum videri non debet, cum in Scriptura mortui dicantur dormire, et resurrectio eorum quasi excitatio a somno, Ephes. v. 14. *Excitare qui dormis, et resurge a mortuis*, quo sensu mors ipsa Christi, plaga, vibex et vulnus appellatur. Ita Scriptura variis similitudinibus utitur ad rem eandem describendam, non ut una vel altera seorsim spectetur, vel una per alteram deteratur, sed magis ut quod in una desideratur altera suppleat. Istæ ergo non ita sunt opponendæ, ut scopum ejus evertant, sed componendæ sunt, ut plena Dei veritas habeatur. Atque ita idem peccator, qui ægro et dormienti confertur in nonnullis, respectu aliorum per mortuum bene exprimitur; ut sciamus, non ligationem tantum sensuum vel vitæ languorem hic esse, sed totalem vitæ extinctionem, et virium privationem. 4. *Mortem in peccato* designare potius *statum condemnationis*, et pœnam mortis qua afficiendi sunt, quam statum corruptionis in quo jacent, Ezec. xviii. 24. *Si justus defecerit, morietur in peccato suo.* Et Joh. viii. 24. *In peccatis moriemini.* R. Sed aliud est esse mortuum in peccato in præterito, aliud esse moriturum in futuro; istud notat statum pœnæ inferendæ, illud vero statum corruptionis præsentis. 5. Denique, *fideles mortuos peccato* dici, qui tamen viribus ad peccatum non destituuntur; sic in peccatis mortuos dici posse, quibus tamen vires ad bonum aliquæ supersint. R. Quia aliud est *mori peccato*, aliud *mortuum esse in peccatis.* Illud dicitur de fidelibus qui veterem hominem ita crucifigunt, ut aboleatur corpus peccati, et nihil amplius commercii cum eo habeant, nec ejus dominio ulterius subsint, ut leges in mortuum non valent: Sed istud de peccatoribus, qui destituti vita Dei ambulant in peccatis, et toti in iis jacent. Cum ergo phrases sint ex diametro sibi invicem oppositæ, non temere una ex altera exponenda est. Deinde *mori peccato* totalem abolitionem peccati innuit, 1. Tam quoad *justificationem*, ut reatus ejus plane sublatus sit, et nulla amplius sit condemnatio fidelibus, Rom. viii. 1, quam quoad *sanctificationem;* si non quoad complementum, at quoad *baptismum*, qui est plenæ regenerationis symbolum. 2. Quoad *officium*, ut perfecti et sancti fideles dicuntur, quia tales esse debent; Sic mortui peccato vocantur, quia tenentur peccatum in seipsis extinguere, et neci dare. 3. Quoad *eventum*, quia hoc certo et indubie futurum est; sic enim de talibus non aliter Scriptura loquitur, quam si jam reipsa contigissent.

3. Ex cæcitate et induratione hominis.

XIII. Tertio, Quia Homo nullas ad cœlestia vires, vel in intellectu, vel in voluntate habet, ex quibus facultatibus liberum oritur arbitrium. Nam quoad intellectum, qui oculus est animæ, non modo *cæcus* dicitur, et *obtenebratus mente*, Eph. iv. 18, sed et *tenebræ ipsæ*, cap. v. 8. *Eratis olim tenebræ.* Et quoad voluntatem, non modo dicitur habere cor *pravum* et *fraudulentum* quod corrigi, *immundum* quod purgari, *clausum* quod aperiri, *incircumcisum* quod circumcidi, sed *lapideum*, Ezech. xxxvi. 26, quod frangi et auferri debeat, potius quam emolliri, et vitam admittere possit. Ut ergo qui cæcus est, maxime a natura, nullas habet ad videndum vires, et qui lapideum cor gerit, expers est sensus et motus: Ita peccator nihil veri cognoscere, vel boni præstare potest; non magis quam penes cæcum est videre, vel penes lapidem sentire aut moveri.

XIV. Nec obiter intuendum est cordis lapidei emblema, de quo Ezec. xxxvi. 26, quod est ἀφυτιπάτητον, sive a *rebus naturalibus* petitum sit, ut ab *agrorum cultu et semine*, quod in loca petrosa jactum radicem non habet, vel a *natura spiritus et vitæ*, cujus lapis non est subjectum ἀυτικὸν, vel ab

Digitized by Google

aquarum origine, quæ ex lapidibus exprimi non possunt nisi per miraculum; sive ab *artificialibus*, ut ab *arte fabrili*, quia lapis non est ductilis, nec malleo cedit, sed durus est, qui potius frangitur quam emolliatur. Nam sicut lapis nec subjectum est δεκτικὸν vitæ, nec sentire vel moveri vel flecti aut emolliri potest, sed inflexibilis, insensibilis, et impenetrabilis est: Ita cor irregenitorum induratum in peccato, nec vitam spiritualem habet, nec ad eam se potest disponere, sed inflexibile est Spiritui, insensibile Verbo, et judiciis Dei, impenetrabile gratiæ, quod non modo gratiam non recipit, sed illi resistit et reluctatur cum obstinatione. Atque hujus rei symbolum non obscurum dare voluit Deus in inscriptione Legis in tabulis lapideis, ut innueret Legem cordi lapideo ferri, nec, quia destituta est Spiritu, illud posse flectere, sed Evangelium in tabulis carneis cordis, quia spiritu vivifico animatum corda renovat, et ad obsequium flectit, 2 Cor. iii. 3.

XV. Frustra ad elevandam vim istius argumenti opponitur, 1. *Cæcos* eos etiam vocari, qui credunt Evangelio, ut Laodicenses, Apoc. iii. 17, non quia nullo modo intelligere poterant, sed quia negligentiores erant in officio faciendo. R. Quia alia est *cæcitas comparata*, et secundum quid, quæ tribuitur Angelo Laodicensi, ob inanem gloriationem, qua se jactabat, quasi dives esset et oculatus, cum tamen natura se pauperem, nudum et cæcum debuisset profiteri: Alia vero *absoluta* et *totalis*, quæ irregenitis tribuitur, quæ omnem cognitionem salutarem illis adimit. 2. Fideles vocari lucem in Domino, Eph. v. 8, qui tamen suis tenebris obnubilantur. R. Quia a piis ad impios non valet consequentia. Illi *Lux* dicuntur, non in se, sed *in Domino*, scilicet quatenus sunt novæ creaturæ ab ipso factæ, licet non sine tenebris, quia nondum perfecte regeniti sunt. At in impiis non est duplex homo, sed unica natura tota irregenita, et meræ tenebræ.

XVI. Non solidius est quod affertur adversus similitudinem cordis lapidei, figuratam esse locutionem quæ non sit urgenda. R. Quia figuratæ locutiones vim habent propriarum, quando ab ipsa Scriptura exponuntur, et quando clarum est in quem sensum et finem adhibeantur. Ut apud Ezechielem multæ voces simplices occurrunt, quæ figuram ipsam exponunt, ut quod ibidem Deus promittit se daturum *cor novum* et *novum spiritum*, per quem efficiat, ut in viis Dei incedamus. Frustra vero Arnoldus anxie congerit discrimina inter cor et lapidem; Quia una in re de qua hic agitur aptissima est comparatio: nimirum non secus ac saxum non potest seipsum mollire, vel caro per se fieri, ita nec cor irregenitum posse ipsum se convertere aut disponere ad regenerationem, sed id fieri sola Spiritus Dei efficacia.

4. Ex locis quæ impotentiam homini tribuunt.

XVII. Quarto, Quia Scriptura passim Peccatoribus tribuit ἀδυναμίαν ad bonum, quum figmentum cogitationum hominis dicitur malum omni tempore a juventute, Gen. vi. 5, cujus loci vim supra attigimus. Ita Christus *sine me*, inquit, *nihil potestis facere*, Joh. xv. 5; non dicit, sine me parum potestis, vel difficulter potestis aliquid facere, sed sine me nihil potestis; non dicit, sine me nihil facitis, vel facturi estis, sed nihil potestis, quod non tantum actum, sed ipsam potentiam excludit. Sic Paulus, "Homo animalis non capit ea quæ sunt Dei, nec potest ea cognoscere, quia discernuntur spiritualiter," 1 Corinth. ii. 14. "Non sumus idonei ad cogitandum aliquid ex nobis ipsis, ut ex nobis," 2 Corinth. iii. 5. "Prudentia carnis non subjicitur Legi, et nequidem potest," Rom. viii. 7. "Arbor mala," quales sunt homines natura, "non potest bonos fructus ferre," Matt. vii. 18; non tantum non fert, sed non potest ferre, quia qualis causa, talis effectus,

Digitized by Google

Et Matt. xii. 34. "Quomodo potestis bene loqui, cum sitis mali?" Sic Joh. vi. 44. "Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit ipsum." Quorsum vero toties Spiritus Sanctus illam impotentiam urgeret, nisi ut homini vires omnes ad bonum adimantur, et soli gratiæ salutis et regenerationis opus in solidum tribuatur?

XVIII. Perperam hic dicitur, 1. τὸ *non posse* non semper notare absolutam ἀδυναμίαν, sed tantum ejus insolentiam, id. rem non solere fieri ordinarie, vel non facile fieri. R. Quia loca ipsa evincunt totalem impotentiam designari, et quam non magis possibile sit homini vincere, quam mortuo seipsum suscitare, Æthiopi pellem, et Pardo maculas mutare, et arbori malæ bonos fructus facere. Alias si difficultatem tantum rei notare voluisset Spiritus Sanctus; Cur non semel aut iterum hoc dixit, præsertim ubi absoluta potentiæ negatio videbatur injicere scrupulum, et errori occasionem præbere? Cur non satis habuit asserere hominem animalem non capere ea quæ sunt Dei, sed addit statim, *et non posse*, carnem non modo Legi non subjici, sed ne *id posse quidem*, et similia, quæ clare innuunt Paulum non modo actum, sed et potentiam ipsam benefaciendi homini auferre?

XIX. Nec melius elabuntur, qui pertendunt *impotentiam* istam *moralem* esse, non *naturalem*, atque ita rem non absolute et simpliciter homini esse impossibilem, sed illam hominem posse si velit. R. Nam sive naturalis, sive moralis dicatur impotentia ista, (de quo postea;) Certum est esse homini ineluctabilem, et frustra dici hominem hoc vel illud posse si velit, cum constet eum non posse velle; non quod destituatur potentia naturali volendi, quia sic differt a brutis; sed quod careat dispositione ad bene volendum, de qua in hac quæstione unice agitur.

5. Ex. 1 Cor. iv. 7.

XX. Quinto, Quia Homo seipsum ab alio secernere non potest, et nihil habet boni, quod aliunde non acceperit. "Quis te discernit," inquit Paulus, 1 Cor. iv. 7, "Quid habes quod non accepisti? Et si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?" At si post lapsum liberum arbitrium vires adhuc aliquas habet, quibus ad bonum se disponere possit, et gratiam oblatam admittere; homo seipsum discernet ab alio, et habebit quod non acceperit, et de quo glorietur, quia admissio gratiæ quæ fit ab ipso, ipsum ab alio qui eam rejicit discriminat, atque ita homo recte dicetur salutis suæ faber, et præcipua conversionis suæ et discretionis ab alio causa. Nec juvat excipere, hoc non posse hominem sine gratia Spiritus Sancti operantis per Verbum. R. Nam qualiscunque statuatur actio Spiritus Sancti per Verbum, eum Verbum ex æquo offeratur et electo et reprobo, et communia non faciant discrimen, ratio discretionis unius ab alio, cur ille credat, iste non, non potest a Verbo vel a Spiritu per Verbum solum operante pendere, idem enim in utroque efficere debuisset; Sed a libero arbitrio, quod in illo se determinat ad gratiam recipiendam; in isto vero ad eam rejiciendam. Atque eo certius hoc evincitur quod ex hypothesi Adversariorum, qualicunque posita operatione gratiæ, voluntas semper manet in æquilibrio, ut possit ea uti vel non; quam ergo ea bene utitur, hoc debet sibi, non gratiæ, quæ communis est. Quod non dissimulat Bellarminus, dum Molinam et qui ipsum sequuntur suppresso nomine perstringit, lib. i. de Gra. et lib. arb. c. xii. "Nonne," inquit, "dicere poterit is qui credidit, se discerni ab infideli per liberum arbitrium, quia ipse inspirationem recepit, quam alter rejicit? Nonne gloriari poterit contra infidelem, quod ipse Dei gratiæ cooperatus sit quam ille contempsit? sed Apostolus hæc omnia prohibet," &c. Non felicius se expediunt qui motionem divinam volunt considerari bifariam,

Digitized by Google

vel præcise in se, et ita in thesi esse indifferentem, vel relative respectu *annexæ congruitatis*, ut loquitur Bellarminus, vel *debitæ applicationis*, ut alii, et hinc oriri discrimen, quia eadem eleemosyna non æque afficiet saturum ac famelicum. Nam congrua ista gratiæ applicatio, vel referenda est ad ipsam gratiam solam, vel ad liberum arbitrium solum, vel ad utrumque; Si arbitrio hoc conceditur, vel in toto, vel ex parte, jam vicit Pelagius, non Paulus; Si soli gratiæ, jam corruit idolum liberi arbitrii, et gratia non erit æqualis, quia alteri defuit congrua applicatio, quam alterius gratia inclusit. Nec dicendum, inæqualitatem gratiæ dari in genere beneficii, sed non in genere motionis; eandem gratiæ motionem utriusque a parte Dei adhiberi, sed ob diversam objectorum dispositionem, et captam a proponente opportunitatem, diversos effectus producere; Nam si ob diversam convertendorum dispositionem diversus ejusdem motionis effectus prodeat, ergo discrimen hoc quodcunque sit, non a gratia fluit, sed a recipientis quæ superadditur promptitudine, ergo seipsum discernit contra Paulum, et habet quod non accepit, unde glorietur.

6. Quia opus gratiæ est Creatio, &c.

XXI. Sexto, Quia opus conversionis nostræ est Creatio, Resurrectio, Regeneratio, et Cordis novi productio, per quam Deus non modo suadet leniter, sed potenter efficit in nobis velle et perficere. Ut vero homo ad sui creationem, resurrectionem, et regenerationem nihil conferre potest; ita nec peccator ad sui conversionem, sed in solidum hoc gratiæ Dei acceptum ferre debet. Nec obstat quod eadem actio quæ Deo tribuitur in conversione, homini etiam ipsi non raro imperatur; ut quum resurgere jubemur, et cor novum nobis facere, Ezech. xviii. 31, Eph. 5. 14. R. Nam licet conversio imperetur a Deo ut officium a nobis debitum; Non desinit propterea a Deo in fœdere gratiæ promitti ut donum; Ita ut concipienda sit duplex veluti conversio, vel unius conversionis potius duæ partes, alia quæ a Deo fit, alia ab homine, de qua Ecclesia loquitur Lament. cap. v. 21, *Converte nos et convertemur;* illa præcedit, hæc sequitur; Illa semper tribuitur Deo, non homini, Ista semper homini, nunquam Deo. In prima voluntas agitur, et non agit; In secunda agitur et agit, seu reagit ipsa, sed a Deo primum acta. In prima, Dei gratia *operans* dicitur, quia sola operatur; In secunda *cooperans*, quia jam non tantum in voluntate, sed cum voluntate operatur. In prima voluntas est subjectum passivum, sed et capax et conscium gratiæ; In secunda non tantum est subjectum capax, sed etiam instrumentum idoneum et vivum divinæ gratiæ, quippe *ancilla* ejus, ut subinde Augustinus loquitur, et ὄργανον ἔμψυχον, *organum animatum*. Quo respiciunt ista Bernardi de Libero Arbitrio, "Quid agit liberum arbitrium? breviter respondeo, Salvatur. Opus hoc sine duobus effici non potest, uno a quo fit, altero in quo fit, Deus author salutis, liberum arbitrium tantum capax." Et ista Hugonis de S. Vict. "Gratia reparatrix aspirat primo bonam voluntatem ut sit, deinde inspirat eam ut moveatur; primo operatur eam, deinde per eam."

Fontes Solutionum.

XXII. Quum Deus proponit Israëlitis eligendam vitam et mortem, Deut. xxx. 15, et optat eorum conversionem, Deut. xxxii. 29, compellat instructos jam et illuminatos, ut operentur pro libertate data, non infideles, et in sordibus ac tenebris nativis jacentes, de quibus hic agitur. Deinde, si qui fuerunt adhuc irregeniti in statu peccati, ut plurimos fuisse dubium non est, ex 1 Cor. x. 5, Heb. iv. 6, 9, illis hac ratione ad bonum eligendum non simul tribuit vires id eligendi sine gratia; sed docet officium, ut sciant quid eligere sit consultius, et quid a Deo petere debeant, ut per gratiam promis-

Digitized by Google

sam id eligere possint: denique ut si eligere bonum noluerint, reddantur inexcusabiles.

XXIII. *Præcepta* Dei non sunt *mensura virium*, sed *regula officii;* non docent quid nunc possimus, sed quid debeamus, et quid olim potuerimus, et quanto justitiæ culmine per lapsum Adami simus devoluti. Nec semper verum est injusta esse præcepta, quæ non possunt impleri; Ut intemperans, qui consuetudine callum obduxit, nec potest sibi temperare a libidine aut crapula, consuetudine versa in naturam, sobrietatis tamen et temperantiæ legibus constringitur. Sic a debitore, qui grandem pecuniam fœnori sumptam alea decoxit, non frustra nec injuste exigitur quod debet, nec per debitoris scelus creditor jus suum amisit. Cum ergo homo sua sibi culpa contraxerit impotentiam obsequendi Deo, non frustra nec injuste Deus ab eo postulat obedientiam quam debet. Quippe non æquum est, ut peccatum hominis illi prosit, et ideo sit exlex, quia ipse se suo scelere corrupit.

XXIV. Licet homo non possit implere mandata quæ illi feruntur; Non possunt tamen dici esse inutilia, quia finem a Deo intentum semper obtinent, qualis est, 1. Juris Dei, et hominis officii repræsentatio; 2. Regulæ justitiæ propositio, ne quis peccatis suis obtendat ignorantiam; 3. Impotentiæ nostræ convictio, ut ea agnita ardentius gratiæ auxilium requiramus, quod Augustinus, lib. de corrept. et grat. contra Pelagia. urget, c. iii. " O homo, in præceptione cognosce quid debeas agere, In correctione cognosce tuo te vitio non habere, In oratione agnosce, unde accipias quod vis habere." In specie multiplices sunt præceptorum fines et usus tam respectu piorum, quam impiorum. Quoad illos quidem, præcepta inserviunt ad præparandos eos ad recipiendam gratiam, per agnitionem impotentiæ suæ; 2. Ad opus ipsum regenerationis inchoandum et promovendum, quia mandata Evangelica non tantum sunt *imperativa*, sed et *operativa*, quæ cum officii præscriptione habent vim Spiritus, quæ intus operatur quod foris jubet. Quoad impios vero, tendunt mandata, primo ad cognitionem officii, et impotentiæ suæ; 2. Ad præstationem obedientiæ externæ, quæ ab ipsis fieri utcunque potest, Rom. ii. 14, 15. 3. Ad patefactionem latentis hypocrisis et malitiæ, et ad ipsorum *ἀναπολόγησιν*, et justam damnationem.

XXV. *Ad impossibile nemo tenetur*, 1. Quod est *absolute* et *simpliciter tale*, et in omni statu, ad quod homo nec habet nunc, nec unquam habuit potentiam; sed non valet de eo, quod tale est secundum quid, et in certo tantum statu, qualis est impotentia peccatoris. 2. Valet de *impossibili plane involuntario*, et *mere physico*, quod oritur, vel ex coactione, ut qui vinctus catenis currere non potest, vel ex defectu potentiæ naturalis, qualis est impotentia in cæco videndi, in mortuo resurgendi. Sed non valet de *impossibili ἀκατάστατῳ* et *voluntario*, quod oritur ex depravatione facultatum, et quod conjunctum est cum magna animi lubentia, qualis est *ἀδυναμία* peccatoris. Licet ergo frustra jubeatur cæcus videre, et mortuus resurgere, nec objurgari possit, quod non videat, vel resurgat, Non perinde frustra jubetur peccator se convertere; quia cæcus amissa facultate videndi non tenetur amplius videre, nec mortuus amissa vita tenetur eam sibi restituere; sed nulla est hominis impotentia, quæ eum a debito obedientiæ Dei eximat.

XXVI. Ex verbis Dei ad Caïnum, Gen. iv. 7, nihil elici potest quod faveat viribus liberi arbitrii. Nec quum interrogat ipsum, *quare fratri iratus esset?* Quia verba ista ostendunt quidem, quod causam et rationem irascendi non habuerit, sed non inferunt præcise, quod Caïnus potuerit non irasci. Deinde, licet potuisset non irasci in sensu diviso, quia homo non est determinatus necessario ad hoc vel illud peccatum, non sequitur potuisse aliquod vere bonum opus præstare. Nec ex his quæ adduntur, *si bene*

Digitized by Google

egeris, erit acceptatio, si male, peccatum ad fores cubat; quia sic notatur quidem nexus antecedentis cum consequente, inter bonum opus et præmium, peccatum et pœnam, sed non innuitur hominem habere vires bene agendi. Nec ex istis, quæ potissimum urgent Adversarii, *sub te erit appetitus ejus et tu dominaberis illi.* Primum quia non dicitur *sub te*, sed *ad te*, πρὸς σὲ. 2. Quamvis relativum *ejus* referretur ad peccatum, notaret tantum officium Caïni, nimirum sibi subjicere peccatum, non vero vires, vel eventum. 3. Non potest referri ad peccatum, sive proprie sumatur pro crimine, sive improprie pro ejus pœna, quo sensu verba immediate præcedentia sumenda sunt, *peccatum cubat ad portam*, quod ex variis patet; 1. Ex scopo; Quid enim libertas arbitrii imperans peccato faciebat ad invidiam Caïni conceptam adversus Abelem, aut ad assignandam causam, cur Abelis sacrificium Deo fuerit acceptius? Deinde, licet hominis appetitus dici possit utcunque esse ad peccatum; nonnisi absurde tamen dicitur appetitus peccati vel pœnæ esse *sub homine*, vel *ad hominem*. Tertio, inauditum est in Scriptura hominem, maxime irregenitum, qualis fuit Caïn, dominari peccato, cum contra dicatur passim servus peccati. Sed optime hoc ad *Abelem* refertur, tum quia phrasis ista nunquam aliter usurpatur quam de persona, non de re: sic Deus Evam alloquens, Gen. iii. 16, 17, "Ad virum tuum desiderium tuum, et ipse dominabitur tibi:" tum quia manifestum est pronomen *ejus* notare subjectum appetitus, quod non aliud est, quam ipse Abel, cujus in hoc Dei cum Caïno colloquio nomen quidem non exprimitur, sed causa tamen agitur; nec enim alteri irascebatur Caïn nisi fratri suo; Nec alio spectat Dei alloquium, quam ad mitigandum ejus animum, tribus potissimum argumentis, primo ut eum doceat, causam cur non sic a Deo sit habitus ut frater non in fratre sed in ipso hæsisse, qui non egerit bene: *Si bene egeris, erit exaltatio:* Secundo, si male agere pergat, eum non laturum impune, *sed si male egeris, peccatum cubat ad portam*, id. pœna peccati tibi imminet et parata est; Tertio, fratrem eum colere, ac ei sese ex amore tanquam primogenito subjicere debere, quasi diceret; An justum est te irasci vel nocere fratri tuo minori, qui sub tua est potestate, cui proinde debes dilectionem, et a quo ut inferiori nulla tibi metuenda est læsio? Ita LXX. exponunt πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, nimir. Abelis, non ἁμαρτίας. Sic Chrysost. hom. 19, in Gene., Cyrillus li. 2, in Gene., Procopius et alii.

XXVII. Luc. vi. 32, 33. Opera communia tribuuntur impiis cum piis, qualia sunt *diligere*, *benefacere*, *mutuum dare*, sed externa duntaxat specie coram hominibus, non vero interna bonitate coram Deo, cujusmodi fuerunt sacrificia Abelis, et Caïni, Genes. iv., eleemosynæ divitum, et viduæ pauperculæ, Luc. xxi., preces Pharisæi, et Publicani, Luc. xviii.

XXVIII. Aliud est *facere quæ sunt Legis*, quoad *præceptionem*, id. fungi officio Legis jubendo, prohibendo, promittendo et minando; Aliud vero facere ea quoad *obedientiam*, implendo ejus mandata. Prius dicitur de Gentilibus, Rom. ii. 14, 15, quia cum non habeant Legem scriptam, *sunt sibi ipsis Lex*, conscientia quippe in ipsis facit quæ sunt Legis, præcipiendo et prohibendo. Nec si cogitationes ipsorum dicuntur eos excusare, hoc non intelligendum est in foro *poli*, sed *soli*, nec a *toto*, sed a *tanto*, in iis qui a gravioribus sceleribus abstinendo, cæteris non quidem sunt absolute meliores, sed tantum minus mali; alias Paulus procul esset a scopo suo, qui Gentiles, qui sine Lege peccant, sine Lege perituros ibidem pronunciat.

XXIX. Exemplum Obstetricum, de quibus, Exod. i. 15, non juvat Adversarios. Primo quia non fuerunt Ægyptiæ, sed Hebrææ, quod nisi

Digitized by Google

Scriptura commemoraret, quum vocat eas *obstetrices Hebræorum*, vel *Hebræas*, satis tamen docerent ipsa nomina *Siphra* et *Phua*, quæ duæ inter plures alias præcipuum locum tenere videbantur, quæ Hebræam originem habent. Nec fit verisimile, mulieres Hebræas non habuisse obstetrices ex sua gente, maxime cum inter Ægyptios et Hebræos esset mutua quædam alienatio. Deinde licet Ægyptiæ fuissent, quod post Josephum non pauci volunt; quod timuisse Deum dicuntur, inferret quidem aliquo Dei timore et reverentia ductas fuisse ex reliquiis luminis naturalis, et conscientiæ sensu, quæ ipsis dictabat cædem innocentum infantium esse Deo abominandam; Sed non evinceret statim vero et filiali Dei timore fuisse imbutas, qui a fide proficiscitur.

XXX. Non magis ad rem facit exemplum *Rahabæ meretricis*, quia per fidem dicitur excepisse exploratores, et salutem obtinuisse, Heb. xi. 31, vel *Cornelii*, Act. x. 31, cujus eleemosynæ in conspectum Dei venerunt, et qui vocatur δίκαιος, εὐσεβὴς, καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν; quia ista elogia non possunt competere irregenito et infideli. Fuit ergo Cornelius gentilis origine, sed religione proselytus, qui in Messiam venturum cum Judæis crediderat, licet illum esse Jesum qui venerat nondum sciret, quod a Petro edocetur; Potuit ergo crescere ejus fides et confirmari per præconium Petri, ut nosset Jesum in hypothesi esse Messiam, sed non tunc demum initium habuit. Habuit ergo antea cognitionem Christi implicitam, si non explicitam, et Spiritum quoad dona ordinaria et gratiam gratum facientem, licet non quoad dona extraordinaria, et quoad gratias gratis datas.

XXXI. Quicquid affertur de virtutibus Ethnicorum, ostendit quidem superesse adhuc in homine lapso vires aliquas ad bonum externum et civile, maxime ubi auxilium speciale ipsis confertur, sine quo nequidem hoc possent exequi; sed non evincit quicquam posse circa bonum spirituale, ut postea fusius ostendetur.

XXXII. Homo dicitur Dei συνεργὸς, 1 Corinth. iii. 9, non qua corruptus, sed qua regenitus, qui agit ex gratia sibi collata. Deinde non agitur ibi proprie de cooperatione ad resipiscentiam, sed ad functiones Ecclesiasticas.

XXXIII. Quum Paulus ait, 1 Corinth. xv. 10, "Ego plus omnibus laboravi; Non tamen ego, sed gratia Dei mecum," non vult dividere boni operis causam inter se et gratiam; Sed in solidum eam tribuit gratiæ, ut textum Græcum attendenti patet; Non dicit enim Apostolus ἡ χάρις Θεοῦ σὺν ἐμοὶ, gratia Dei mecum, ut mala fide redditur a V. V., sed ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοὶ, *Gratia Dei, quæ mecum est.* Ita non vult venire in laboris societatem, sed quod de se dixerat, per quandam epanorthosim corrigit, et gratiæ soli vult acceptum ferre. Deinde labor iste refertur ad ipsius ministerium, non vero ad ejus regenerationem.

XXXIV. Quamvis Deus dicatur *stare ad ostium*, Apo. iii. 20, et *pulsare*, Non sequitur hominem habere vires aperiendi ex se; quia vel adstat regenitis, et pulsat, ut utantur gratia jam collata, ad aperiendum per fidem et obedientiam; vel irregenitis, qui sunt vel electi, quibus pulsando dat per Spiritum vires aperiendi, vel reprobi, quorum cor non frustra pulsatur, sed ut pateat hominem juste damnari, cum Deus nihil intermiserit eorum quæ ad conversationem ipsorum faciebant.

XXXV. Ab homine integro ad corruptum non valet consequentia: Syracides, cap. xv. 14, de illo agit, non de isto, quum ait "Deum ab initio constituisse hominem in manu consilii sui," &c. ut ita describat statum innocentiæ, et primi hominis conditionem, et libertatem. Nec si homini corrupto apponi diceretur vita et mors, bonum et malum, ut illud consequatur quod ipse elegerit, ideo ipsi tribuenda esset libertas indifferentiæ

Digitized by Google

positivæ ad utrumque oppositorum; sed tantum libertas rationalis, ut nihil nisi sponte et deliberate agat.

XXXVI. Licet irregeniti possint nolle venire, et resistere Deo vocanti; Non sequitur eos pariter posse velle venire, et vocantem Deum sequi: Nam prius illud est morbi et imperfectionis hominum, quod illis in statu naturæ lapsæ ita proprium est, ut nihil aliud possint aut facere aut velle: At hoc posterius est restaurationis per gratiam, et illius opus speciale in nobis; Censuræ ergo et redargutiones quæ ad ipsos diriguntur, non ostendunt quid possint boni, sed quid debeant ex officio, et quam ultro in illius regulas impegerint.

XXXVII. Mala pœnæ merito dicuntur inflicta peccatoribus propter sua scelera, Jer. xxxii. 23, non quod potuerint in statu nativæ corruptionis bene agere, contra quam docet ipse Jeremias, cap. xiii. 23, "Si potest mutare Æthiops pellem suam, aut pardus maculas; Et vos poteritis benefacere, cum malum didiceritis;" sed quia hoc est jus Dei, ut quia talia patrant digni sint morte. Neque in scelerum pœnis attendi debet quid homines potuerint, sed quid ex officio debuerint; cum illis convincendis sufficiat, quod malum patrent deliberate, ultro, et sua sponte, contra quam sibi faciendum esse optime noverunt.

XXXVIII. Causa discriminis inter homines bonos et malos, meliores ac pejores, non petenda est a naturali indifferentia et inclinatione ad bonum æque ac malum absque gratia. Sic enim omnes æque proni ad malum nascimur, nec alter altero melior vel pejor deprehenditur. Sed consistit respectu regenitorum in gratia discriminante, qua ab aliis secernuntur, 1 Cor. iv. 7, respectu vero irregenitorum in communis providentiæ operatione, qua Deus, non quidem repurgat et renovat naturam, sed ejus malitiam et corruptionem in aliis minus, in aliis magis coëreet et reprimit, absque quo si esset, homo licenter se diffunderet in quævis flagitia et scelera, et mundus in latrocinium abiret. Cum vero velit societatem humanam conservari, omnium pariter ferocire proterviam non sinit, sed alios metu pœnæ compescit, alios amore præmii accendit, alioqui summa esset rerum confusio, si quam proni sunt omnes ad quævis mala, tam in ea prorumperent. Ad hos vero effectus producendos, Deus nonnunquam utitur mediis quibusdam et causis secundis, quales sunt 1. φύσις, scilicet *bonitas naturæ*, ex qua major vel minor est inclinatio ad vitia pro ratione temperamenti. 2. *Educatio* et *institutio*, cujus magna vis est in formandis moribus et corrigendis vitiis. 3. *Consuetudo* et *consortia aliorum* quæ multum valent in utramque partem; tales fere sumus, quales sunt quibuscum versamur. 4. *Disciplina civilis circa præmia et pœnas*, quibus duobus contineri Rempub. dixit Plato. 5. *Infamiæ metus*, quæ vitia et scelera comitari solet, et bonæ famæ conservatio, cujus maximam rationem saniores inter Ethnicos haberi volebant; unde *vitam et honorem pari passu ambulare* dixerunt, et præ cæteris famam servandam esse, juxta illud, *omnia si perdas, famam servare memento.*

Impotentia peccatoris nec simpliciter moralis, nec naturalis dicenda.

XXXIX. *Impotentia* hominis peccatoris, nec est simpliciter dicenda *moralis*, contradistincte ad *naturalem*, prout τὸ moraliter impossibile dicitur Philosophis moralibus id quod tale est potius ex consuetudine, quam ex natura, et quod difficulter quidem fit, fit tamen aliquando, nec iis quæ absolute sunt ἀδύνατα accenseri debet; cum ista ἀδυναμία nobis sit innata et insuperabilis; Nec simpliciter *naturalis*, prout id naturale est, a quo neque boni neque mali dicimur; cum certum sit impotentiam istam vitiosam esse et culpabilem; Vel prout naturale contradistinguitur

Digitized by Google

voluntario, ut naturalis est impotentia in lapide vel bruto loquendi; quia impotentia nostra est maxime voluntaria; Vel ut naturale dicitur, quod oritur ex defectu facultatis seu potentiæ naturalis, qualis est impotentia videndi in cæco, ambulandi in paralytico, resurgendi in mortuo; quia nostra non excludit, sed supponit semper in homine potentiam naturalem intelligendi et volendi. Optime tamen, et *naturalis* et *moralis* dicitur diverso respectu: *Moralis*, 1. *Objective*, quia versatur circa officia moralia. 2. *Originaliter*, quia est ἐκίσταστος, quæ oritur ex morali corruptione, per hominis peccatum sponte accersita. 3. *Formaliter*, quia est voluntaria et culpabilis, quæ in habitum voluntatis corruptæ refunditur. *Naturalis* etiam, 1. *Originaliter*, quia est nobis congenita, et a natura, non creata a Deo, sed corrupta ab homine, qua ratione dicimur a Paulo φύσει τέκνα ὀργῆς, "natura filii iræ," Eph. ii. 3, et a Davide "in iniquitate formati, et in peccato concepti," Psal. li., ut naturale est serpenti venenum, et lupo rapacitas. 2. *Subjective*, quia naturam nostram totam inficit, et importat privationem illius facultatis bene agendi, quæ primo homini data fuerat, et naturalis erat, quæ fuit justitia originalis. 3. *Eventualiter*, quia est invicta et insuperabilis, non minus ac impotentia mere naturalis in cæco videndi, et in mortuo resurgendi. Non magis enim homo peccator se convertere potest, quam cæcus videre, et mortuus resurgere. Ut ergo *moralis* recte dicitur et voluntaria ad reatum hominis evincendum, et inexcusabilem eum reddendum; Ita *naturalis* optime nuncupatur ad magnitudinem corruptionis exaggerandam, et gratiæ necessitatem demonstrandam, quia ut est homini congenita, ita illi est insuperabilis, ut eam haud aliter quam per omnipotentem et vorticordiam Spiritus Sancti gratiam excutere possit.

Sed utrumque diverso respectu bene dicitur.

XL. Perperam ergo homo tali impotentia laborans dicitur *posse credere si velit*, quasi fides, quæ donum Dei tam diserte vocatur a Paulo, Eph. ii. 8, esset ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν. Nam licet phrasis utcunque posset tolerari intellecta de potentia naturali volendi, quæ a nobis, quocunque in statu simus, nunquam aufertur, utpote qua a brutis distinguimur; Non potest tamen admitti, quum agitur de dispositione morali voluntatis ad bonum, non tantum ad volendum, sed ad bene volendum, de qua sola lis nostra est cum Adversariis; nisi velimus in castra Pelagii transire, qui bonam voluntatem in hominis potestate positam esse voluit. Quamvis enim per peccatum non perierit homini facultas volendi in genere entis, ita tamen est corrupta in genere moris, ut nihil boni agat, nec agere possit. Adde quod cum velle credere, et credere, non differant, siquidem qui vult credere, eo ipso credit, ut qui vult amare Deum et proximum, revera Deum et proximum amat; dicere hominem posse credere si velit, est dicere hominem posse credere, si jam crediderit, quod nugatorium est. 3. Frustra homo dicitur posse credere si velit, cum certum sit eum ex se non posse velle. Nec juvat reponere, stare per hominis malitiam, quominus possit velle, nihil prohibere quominus credat, quam ejus voluntatem. Nam licet dubium non sit impotentiam istam voluntariam esse et culpabilem, ut nemini nisi homini soli ejus causa adscribenda sit; Non potest tamen dici absolute, solam hominis voluntatem prohibere quominus credat, quia, ut *negative* id quoque prohibet carentia et privatio gratiæ, qua posita crederet, et sine qua impossibile est eum credere; Ita *positive* id prohibet etiam, non simpliciter ejus voluntas, sed nativa ista corruptio, quæ voluntatem infecit, et qua veluti catena spirituali peccato ita mancipatur, ut illam ex se et suis viribus sine gratia abrumpere et excutere nunquam possit.

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

www.libtool.com.cn

DE VIRTUTIBUS ETHNICORUM.

An Virtutes Ethnicorum fuerint bona opera, ex quibus Liberi Arbitrii vires ad bonum colligi possint? Neg. contra Pontificios.

Occasio Quæstionis.

I. Quæstio ista oritur ex præcedenti: Nam ut Pontificii ostendant superesse Libero Arbitrio in statu peccati vires ad bonum, utuntur vulgo Gentilium exemplo, qui præ cæteris virtutibus studuerunt, vel eximiis facinoribus claruerunt, quorum virtutes peccata fuisse negant, quæ odium Dei mereantur, sed potius bona opera, quæ gratiam possint promereri. Concil. Trident. Sess. 6, cap. 7, "Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit." Hinc Bellarm. lib. v. de gra. et lib. arbit. cap. 9, et 10, probare conatur, "Posse hominem sine fide, cum auxilio speciali, et etiam sine illo, bonum aliquod morale perficere, si nulla tentatio urgeat."

II. Nos vero duo dicimus. Primo, licet fateamur aliquid boni in illis actionibus deprehendi, quoad *externam honestatem actus*, qui a Deo præcipitur, et qui ideo non potest non esse bonus, tamen proprie et univoce posse bona opera dici quoad *rei veritatem*, et *operationis modum*, internam scilicet rectitudinem cordis, et intentionem finis, negamus; Imo nihil aliud quam *splendida peccata* fuisse cum Augustino asserimus. Secundo, quicquid illi fecerunt boni, vel minus mali, non fecisse propriis viribus, sed speciali Dei auxilio.

III. Prius ex antedictis facile colligitur; Cum enim demonstratum sit totalem esse peccatoris ad bonum ἀδυναμίαν, et Scriptura eam de omnibus nullo excepto pronunciet, patet nulla ab homine irregenito opera vere bona præstari posse.

IV. Quod ulterius confirmatur ex conditionibus boni operis: Cum enim tria omnino requirantur ad bonum opus; Primo ex parte *Principii*, ut fiat corde per fidem purificato, Act. xv. 9, quia quicquid non fit ex fide peccatum est, Rom. xiv. 23, et Deo displicens, Heb. xi. 6, "Immundis" enim "et infidelibus nihil est mundum, sed polluta est eorum mens et conscientia," Tit. i. 15: Secundo ex parte *formæ* seu modi, ut fiat secundum Legem Dei, non solum externo opere, sed præcipue interna cordis obedientia, quam Lex Dei spiritualis a peccatoribus requirit, Rom vii. 14: 3. Ex parte *finis*, ut fiat ad gloriam Dei, 1 Cor. x. 31; Certum est virtutes Ethnicorum in tribus istis peccare. Nam, ut quoad *principium* non potuerunt proficisci ex fide, aut mundo corde, quod ipsis defuit: Ita quoad *modum* defuit illis interna et spiritualis obedientia; Et quoad *finem* directio ad Dei gloriam, cum litarint propriæ ambitioni et gloriæ: bonum autem est ex integra causa, sed malum vel ex unico defectu.

V. Athenienses dicuntur ἰσταῖν, *colere*, *Deum ignotum*, Act. xvii. 23, non quasi vero et salutari cultu Deum verum prosequerentur, sed κατὰ δόξαν, secundum opinionem, quia verum Deum etsi ignotum vero cultu se afficere putarunt. Sic Apostolus per miram συγκατάβασιν eos Christo lucrifacere studuit, reprehensionem laudatione leniendo: nam ut non simpliciter dixit eos δεισιδαιμονεστέρους sed ὡς δεισιδαιμονεστέρους, ne durior videre-

Digitized by Google

tur: ita non simpliciter dicit ἰσοτιμῶντι, sed ἀγροικοῦντες ἰσοτιμῶντι, ut vanitatem cultus ipsorum arguat, ne quis eum adulationis accusaret.

VI. Ut Actiones morales Gentilium non sunt *peccata per se*, et quoad substantiam operis, sed *per accidens*, et quoad *modum operandi*, in conditionibus essentialibus, propter varios defectus ante notatos; non propterea præstat eas omittere, quam præstare, ne peccemus; sed potius defectus corrigi et suppleri debent. Quæ per se sunt peccata a Deo prohibita, omittenda sunt; sed quæ per accidens tantum ex aliquo circumstantiarum defectu, non omittenda, sed corrigenda sunt.

VII. Merces terrena virtutem veram et opus bonum non arguit, quia non nisi rerum caducarum est, quas Deus tam reprobis, quam electis promiscue indulget. Estque hoc eximium Justitiæ divinæ documentum, ut doceat quantum ipsi vera pietas placeat, quando non tantum veras virtutes æternis præmiis, sed etiam virtutum imagines temporalibus beneficiis remuneratur, non ratione vitiositatis adhærentis, sed ratione boni externi apparentis, ne etiam infideles habeant quod de Dei justitia conquerantur.

VIII. Cum Achabi humiliatio, de qua 1 Reg. xxi. 27, 28, fuerit simulata et hypocritica, ex formidine pœnæ potius, quam ex amore virtutis, per se Deo grata esse non potuit; Nec Deus illi concessit pœnæ prius denunciatæ absolutam remissionem, sed tantum aliquam dilationem; non quo testatum faceret, acceptam sibi fuisse profani Regis externam illam humiliationem, sed ut aliis ostenderet, quid sit expectandum serio et ex animo resipiscenti. Ninivitarum resipiscentia non potest operibus Ethnicorum accenseri; cum dicantur ad Dei verbum resipuisse, et ex fidei in Deum operatione, quæ ipsis expresse tribuitur, Jon. iii. 5, et Matt. xii. 41.

IX. Quicquid porro a Gentilibus præstitum est hac in parte, non quo aliis meliores, sed saltem minus mali fierent, non arguit reliquas in ipsorum libero arbitrio vires ad bonum, quia ne hoc quidem sine speciali Dei auxilio fieri potuit. Quippe si alii aliis fuerunt æqui bonique retinentiores; si aliqui doctrina, ingenio, fortitudine, justitia et temperantia, cæterisque virtutibus antecelluerunt, ut inter ipsos Aristides celebratur propter justitiam, Scipio propter continentiam, Socrates propter sapientiam, Alexander propter fortitudinem, alii propter alias virtutes, non meliori naturæ ista tribuenda sunt, sed tanquam Dei dona agnoscenda sunt, qui alios permittit suæ libidini, aliorum vero refrænat pravitatem ne erumpat. Nec ipsos Ethnicos hoc latuit, qui agnoverunt, *Virtutes non absque divino instinctu afflari*, et *nullum unquam virum magnum extitisse sine afflatu divino;* ut non semel Plato, et ex eo Cicero tradit. Et ratio ipsa persuadet. Cur enim Heroum filii tam degeneres? Cur eodem partu editi tam dissimiles occurrerent? Cur educatione optime imbuti, immanes belluæ fierent? Causa ergo discriminis istius non aliunde petenda, quam a Dei providentia, quæ dum alios sinit impune grassari in quævis scelera, alios injecto veluti fræno coërcet et reprimit, ne cum cæteris laxis habenis effrænes in peccata ruant; Unde non sunt communes naturæ dotes, sed speciales Dei gratiæ, quas varie hominibus dispensat, quatenus expedire novit ad conservandam rerum universitatem.

X. Qualiscunque in Ethnicis deprehenditur cognitio Dei, non potest bonum opus censeri, quia si confitebantur ore, negabant opere. Norant Deum, sed veritatem in injustitia detinebant, nec eum glorificabant ut Deum, id est non vere norant, et hæc summa delicti erat, nolle agnoscere, quem ignorare non poterant, et loco unius Dei, quem ex operibus colligere poterant, innumeros sibi fingere. Bene ergo Athei Apostolo dicuntur, Eph. ii. 12, cum sua illa Deorum turba; quia quis verus esset Deus, et

Digitized by Google

qualis erga nos esse velit, ignorabant. Ita præbuit quidem illis Dominus exiguum Divinitatis suæ gustum, ne ignorantiam impietati obtenderent, et eos interdum ad dicenda nonnulla impulit, quorum confessione ipsi convincerentur; sed ita viderunt quæ videbant, ut tali intuitu ad veritatem minime dirigerentur, nedum pertingerent; qualis est nocturni fulgetri coruscatio, qua viator circumfusus, longe lateque ad momentum videt, sed adeo evanido aspectu, ut noctis caligine ante resorbeatur quam gradum movere queat, tantum abest ut in viam tali subsidio deducatur.

XI. Hæc fuit constans Augustini sententia, quam non semel contra Pelagianos adstruit, lib. iv. in Juli. capite 3, "Absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus; absit autem ut sit justus vere, nisi vivat ex fide. Quis porro eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam forte tu solus, justum dixerit Diabolo mancipatum?" Et alibi, "Quantumlibet opera infidelium prædicentur, omne quod non est ex fide peccatum est." Sic Prosper Augustini discipulus, lib. i. de Voca. Gentium, cap. 3. "Sine cultu veri Dei, etiam quod videtur virtus peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest; qui vero Deo non placet, cui nisi sibi et Diabolo placet?" Et in aureo de Ingratis libello, cap. 16.

Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque erratum
Vertitur, et sterilis cumulat sibi gloria pœnam.

Qui plura voluerit super hac Quæstione, consulat *Jansenii Augustinum*, ubi fuse et solide totum hoc argumentum exequitur, lib. iii. et iv. de *Statu naturæ lapsæ*.

XII. Atque hæc est ratio Liberii Arbitrii in statu peccati. Quomodo vero se habeat in momento Vocationis, et in Sanctificationis progressu, suo loco cum bono Deo dicetur. Faxit misericordiarum ille Pater, ut εὐθενίαν et ἀδυναμίαν nostram serio agnoscentes, toti ab eo pendere discamus, et gratiæ ipsius salutem nostram in solidum acceptam ferre, cum Psalte dicentes, *Non nobis Domine, sed Nomini tuo da gloriam.* AMEN.

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM,

QUÆ HIC OCCURRUNT.

Prior numerus *paginam*, posterior *thesim* notat.

A

Abrahamus quo anno Tharæ natus sit, et quo profectus in Canaan, 75, Th. 29
quo sensu dicatur emisse monumentum a filiis Emmor, . 77, t. 31
Abrahami tentatio quænam fuerit, 471, t. 29
Absolutum quot modis dicatur, 341, t. 11
an absolutum sit Reprobationis decretum, . . . 339, &c.
Achazias quomodo dicatur cœpisse regnare in lib. Regum an. 22, et in lib. Chro. a. 42. varii conciliationis modi afferuntur, . . 73, t. 25
Actio spectatur vel physice vel moraliter . . . 457, t. 16
nulla datur actio essentialiter mala *ib.* t. 17
quo sensu actio sit potius causæ principalis, quam instrumentalis, 469, t. 24
Actus divini quotuplices sint, 279, t. 4
Actus duplex reprobationis, positivus et negativus, . . 340, t. 4
Adamum fuisse primum hominem probatur contra Præadamitas, 407, t. 2, 3, et *seq.*
an conditus sit in puris naturalibus, 412, t. 1, 2
in quo consistat Imago Dei ad quam conditus est, . 414, t. 1, 2
ejus sapientia in variis eluxit, 417, t. 19
eum habuisse immortalitatem, probatur contra Socinum, 422, t. 1
quænam fuerit ejus libertas in statu integritatis, . 514, t. 6, 7
an habuerit vires credendi in Christum, 515, t. 1, 2, 3, &c.
an fœdus cum illo Deus pepigerit et quale, . . 517, t. 1, 2
an aliquid potuerit mereri, 521, t. 17
an habuerit promissionem vitæ æternæ et cœlestis, asseritur, 525, &c.
quodnam fuerit primum peccatum, An infidelitas, An superbia, . 546
quomodo labi potuerit, et quænam vera lapsus causa fuerit, 549, &c.
quomodo Providentia circa illum versata sit, . 551, t. 13, 14, &c.
an per lapsum suum amiserit Dei imaginem, . . . 553
an actualis ejus inobedientia imputetur omnibus ejus posteris, 555, &c.
an fuerit persona privata quum peccavit, annon publica et repræsentativa, 557, t. 11, 12
quomodo in Adamo omnes moriuntur, 560, t. 18
Æternitas absoluta et secundum quid, 182, t. 1, 2
absoluta Deo competit, . *ib.* t. 3
Æternitas excludit successionem secundum prius et posterius, *ib.* t. 1, 2, &c.
Æternitas Decretorum Dei probatur, 281, t. 1, &c.
Allegoria, alia est innata, alia illata, 136, t. 7
allegoricus sensus quis sit, 134, t. 1
Americani non carent omni cognitione Dei, . . . 9, t. 9
Amoris Dei varii gradus, 218, t. 4
quotuplex sit erga fideles, benevolentiæ, beneficentiæ, complacentiæ, *ib.* t. 5
alia ratio amoris benevolentiæ et complacentiæ, . . 324, t. 25
Anagoge non facit sensum diversum, 135, t. 1, et 136, t. 6
Analogia fidei, quænam sit, 138, t. 18
Angeli vox sæpe increatum notat, 167, t. 7
Angelorum nomina varia, 485, t. 2
dari Angelos probatur, . *ib.* t. 3
et creatos esse in principio, 486, t. 5, 6, &c.
esse substantias spirituales et incorporeas, . . . 487
quid de eorum loco censendum, 488, t. 7
qualis sit eorum cognitio, et quotuplex, 489, t. 2
quodnam ejus objectum, *ib.* t. 3, 4
quis modus, . . 490, t. 7

Digitized by Google

quænam communicatio mutua, 491, t. 9
qualis sit voluntas, et quodnam liberum arbitrium, . *ib.* t. 1, &c.
quanta sit eorum potentia in corpora, et in animas, . 492, t. 2, 3, 4
an possint suscitare mortuos, et substantias producere, . 493
quales fuerint eorum apparitiones, et quænam corpora assumserint, 494, t. 3
an detur ordo inter ipsos, et quis sit, 495, t. 2
commentum Hierarchiæ cœlestis Pseudo-Dionysii refutatur, 496, &c.
quare Throni et Dominationes vocentur, 498, t. 8
quare Deus utatur ministerio Angelorum, ... 499
eorum officium tum respectu Dei, tum inter se, tum respectu mundi et hominum, tam bonorum quam malorum, ... 500
an detur Angelus custos unicuique, 502, t. 9, 10
an Angeli sint intercessores nostri, 504, t. 3, &c.
qualis honor illis debeatur, et an cultus religiosus illis sit deferendus; negatur c. Pontificios, . . 506
de lapsu Angelorum, Quodnam fuerit eorum peccatum, et quam grave, 544
quare casus eorum sit irreparabilis, 804, t. 18
de eorum Prædestinatione, . 301
quales Deo sint obversati, . *ib.*
an boni sint electi in Christo, 302, t. 9, 10
an possit dici eorum Mediator et Caput, *ib.* 9, 303, 12
qualis sit eorum reprobatio tam quoad actum negativum, quam positivum, 304, t. 17, 18
Animæ creatio probatur, . 425, &c.
sententia de Traduce refutatur, 427, t. 7, 8, 9
quomodo Imago Dei sit in Animæ substantia, . . 415, t. 7
ejus immortalitas demonstratur, 430, &c.
ejus spiritualitas et independentia a corpore, . . . 432
quomodo anima separata possit operari, 435, t. 19, &c.
quomodo animæ fuerint in Adamo, 580, t. 11
quid sit anima pura, non pura et impura, ... *ib.* t. 9
quomodo possit dici infici a corpore, *ib.* t. 15
Annus sacer et civilis apud Judæos, 394, t. 4
qua Anni tempestate Mundus sit conditus, Vere an Autumno; posterius asseritur, . . 394, &c.
Apocryphi Libri cur ita vocentur, 93, t. 1
cur a Canone excludantur, 94, 95
characteres eorum varii, . *ib.*
quo sensu vocem Apocryphi Augustinus sumat, et quo Hieronymus, 95, t. 7
Apostoli non tenebantur singuli scribere, ut tenebantur prædicare, 58
non debuerunt scribere Catechismum, aut Librum aliquem communem, *ib.*
fuerunt infallibiles in fide, non in moribus, . . . 65, t. 24
Apostolicum Symbolum cur ita dictum, 48, t. 22
quomodo sit character articulorum fundamentalium, . . *ib.*
Aquarum divisio, . 401, t. 10
Aquæ superiores non sunt supercœlestes, sed nubes, . . . *ib.*
quænam fuerit collectio aquarum inferiorum, . . *ib.* t. 12
Arbitrii liberi, seu *αὐτεξουσίου* vox an retinenda, . . 597, t. 2, 3
ratio formalis ejus non est posita in indifferentia sed in lubentia rationali, 603, t. 5
recte dicitur servum in statu peccati, 600, t. 8, et 607, t. 9
nullas dari vires ejus ad bonum in statu peccati probatur, . . 605
duo ejus præcipui characteres *προαίρεσις* et *ἐκούσιον*, . . 604, t. 10
Arbor scientiæ boni et mali, unde dicta, et quare, . . 521, t. 3
Arbor vitæ unde dicta, 523, t. 2, 3
cur Adamo sit data, . 424, t. 10
quomodo sit typus Christi, 524, t. 6
Articulus fundamentalis quid sit et quotupliciter sumatur, . 44, t. 4, 5
quinam peccarint in excessu et defectu circa articulos fundamentales, *ib.* t. 1, 2
quænam eorum sint criteria, 47, 48
quomodo alii plures, alii pauciores constituant, et de eorum numero, 49, t. 24, 25
Articuli positivi et negativi, quomodo ex Scriptura probentur, . 35, t. 6
Astrorum creationis multiplex finis, distinctio dici et noctis, tempestatum notatio et influxus communicatio, 402, t. 14
qualia signa sint, An naturalia, et mystica tantum, An etiam prognostica eventuum futurorum, quod negatur, . 403, t. 4, 5, &c.
quid sit Astrologia judiciaria, *ib.* t. 1
probatur non dari, . 403, &c.
Athei quotuplices sint, speculativi, practici, directi, et indirecti, 161, t. 2, 3
an dentur proprie dicti, . *ib.*
nullos dari probatur, . *ib.*
quomodo Athei dicti sint Gentiles, 162, t. 12
quinam dicti sint apud Veteres, 163, t. 13
Attributa divina quid sint, et quomodo Deo tribuantur, . 169, t. 1, 2, 3

Digitized by Google

quomodo distinguantur ab essentia, non realiter, sed virtualiter et eminenter, 170, t. 5, 6, &c.
quomodo de se invicem prædicentur, in sensu identico, sed non in sensu formali, . . . *ib.* t. 11
quid sint attributa communicabilia et incommunicabilia, 171, t. 2, 3
communicabilia non dicuntur de Deo et creaturis univoce, sed analogice, *ib.* t. 4
Quid sit *Authoritas Scripturæ* et quotuplex, intrinseca, extrinseca, historiæ et normæ; asseritur contra Atheos ex ejus notis, . . . 59, &c.
authoritas Testimonii Prophetici, et Apostolici demonstratur, 62, t. 14, &c.
authentia Librorum Mosis adstruitur, 63, t. 18, &c.
an ferenda sit distinctio Authoritatis quoad se et quoad nos, 80, t. 2, 3
authenticum scriptum quid sit, et quotupliciter spectetur, 102, t. 3, 4, 5
authentia Editionum, . 101, t. 1, 2
Auxilium duplex, *sine qua non et quo*, quid differant, et quodnam datum sit Adamo, . . . 550, t. 7

B

Baptizari in nomine Dei quid importet, 240, t. 8
baptizari in Mosem quid sit, *ib.*
quomodo in Baptismo Christi Trinitas se revelaverit, . 239 t. 7
Benedictio Sacerdotalis trinitatem probat, 247, t. 11
aliud est benedici in Christo, aliud eligi in ipso, . . 316, t. 11
Bonitas Dei quid sit, et quotuplex, generalis erga creaturas, specialis erga homines, specialissima erga fideles; ratio istius diversitatis, 217, t. 2, 3
solus Deus quomodo dicatur bonus, 260, t. 39
Bonum civile, et morale externum potest utcunque præstari ab homine irregenito, sed non verum bonum spirituale et internum, . 605, t. 3
sub Boni honesti idea fideles recipiunt Evangelium, sed πρόσκαιρος sub idea boni utilis, aut jucundi, 585, t. 8
Brasilienses non carent omni cognitione Dei, . . . 9, t. 9

C

Cainan Luc. iii. 36, esse supposititicium probatur, . . 69, t. 12
Calvinus Prædestinationis objectum asseruit esse hominem lapsum, 313, t. 30
non fecit Deum authorem peccati, 477, t. 10, 11, 12
imputationem peccati Adami agnovit, 567, t. 41
quomodo potentiam absolutam neget, 221, t. 5
quo sensu vocem Trinitatis sepultam esse velit, . . 232, t. 17
vindicatur a Judaïsmo, 244, t. 3
Canon quot modis sumatur, late et stricte, 87, t. 1
quid sit Canon Dogmatum, et Canon librorum, . . *ib.* t. 2
Canon fidei, et lectionis Ecclesiasticæ differunt, . . 95, t. 6, 7
an distinguendus sit Canon Judæorum, et Christianorum, 94, t. 3, et 96, t. 8
an aliquis Liber Canonicus perierit. Neg., . . . 87
quid sint apud Patres Libri Deutero-Canonici, . . 96, t. 9
Cathedra Mosis quid sit, 144, t. 29
Certitudo triplex, mathematica, moralis, et Theologica, . 65, t. 22
certitudo electionis probatur, 326, t. 1, &c.
certitudo salutis objectiva et subjectiva adstruitur, . . 326, 333
certitudo subjectiva non semper est in eodem gradu, . 334, t. 6, 7
non excludit, sed supponit media, 338, t. 25
nec est securitatis mater, *ib.* t. 22
certitudo finis non tollit necessitatem mediorum, . . 293, t. 19
Christi divinitas probatur, 252, &c.
distinguitur a Deo hypostatice, non essentialiter, . 259, t. 33
est homo verus, licet non homo merus, *ib.* t. 34
quomodo sit primogenitus Dei, Mariæ, Creaturæ, et mortuorum, 260, t. 37, et 267, t. 20
an qua Mediator sit adorandus, 258, t. 27
non est causa et fundamentum Electionis, sed tantum medium, 314, &c.
quomodo possit dici Caput Angelorum, 302, t. 9, 12
quare vocetur Adam secundus et novissimus, . . 408, t, 4
missio Christi pendet ab Electione, non illi supponitur, 374, t. 11, et 377, t. 16, et 380, &c.
non potest dici pro omnibus et singulis missus, sed tantum pro electis ipsi datis a Patre, *ib.* et 377, t. 15
meruit nobis Spiritum S. et fidem, 378, t. 17
Circulus quid sit, et quomodo Pontificii in quæstione de Authoritate Scripturæ incurrant in illum, nos vero minime, 85, t. 24
Codex Hebraïcus hodiernus Vet. Test. solus authenticus est, 105, &c.
an bene distingatur Codex Hebraicus in se, a Codice hodierno, *ib.* et 108, t. 7, 8

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

Quid per *Cœlum* intelligatur, quod primo die creatum est, . 398, t. 3, 4
an sub eo contineantur Angeli, *ib.* t. 5
quomodo Deus dicatur esse in cœlo, 180, t. 13
quid sint cœlorum virtutes, 406, t. 15
Communicatio alia formalis et essentialis, alia similitudinaris et analogica, 171, t. 2
alia in concreto, alia in abstracto, 172, t. 7
quo sensu attributa Dei dicantur communicabilia, . . 171, t. 4
Concilia non postularunt confirmationem autoritativam a Papis absentibus, sed tantum fraternum assensum, 144, t. 31
Concupiscentia quot modis sumatur, 577, t. 19
eam peccatum esse in renatis probatur, *ib.* t. 20, 21
etiam quoad motus primo primos, 537, t. 5
Concursus Dei, quotuplex sit, physicus, moralis, mediatus, immediatus; per modum principii, et per modum actionis, simultaneus, et prævius, 453, &c.
Providentia non concurrit tantum generali et indifferente concursu, sed particulari et specifico, non tantum simultaneo, sed etiam prævio, 448, 450, 455, &c.
quomodo possit conciliari cum contingentia et libertate causarum secundarum, ... 458
varii modi conciliationis afferuntur, et verus adstruitur, . 459, &c.
Consequentiarum usus in Theologia, 34, &c.
dogmata fidei non tantum expresso Dei Verbo, sed et per consequentias legitime ex eo deductas probari posse probatur, ... 35, &c.
quænam consequentiæ admittendæ sint, 37, t. 19, 20
quomodo sint opus rationis, 38, t. 27
Contingens quotuplex sit, vel resp. causæ primæ, vel respectu causæ secundæ, 188, t. 8
futura contingentia cadunt sub scientiam Dei, ... *ib.* t. 7
et sub providentiam, . 448, t. 8
necessitas eventus non tollit contingentiam rerum . . 191, t. 23
Contradictionis Judicium, an in rebus fidei rationi humanæ permittendum sit, et quomodo, ... 30, &c.
an contradictiones veræ sint in Scriptura, Neg. . . . . 68, &c.
an omnipotentia se extendat ad ea quæ implicant contradictionem, Neg. 222, t. 11, 12
Corpus modo opponitur phantasmati, et notat rem vere existentem, modo proprie innuit rem materialem, 487, t. 5
qualia corpora assumpta fuerint ab Angelis, et quid de illis factum sit, 494, t. 3
Creatio quid sit, . . 385, t. 3
quot modis sumatur, *ib.* t. 4, 5, 6
non infert mutationem in Deo, 387, t. 12, & 393, t. 13
importat novitatem essendi, 392, t. 9
potentia creandi non est communicabilis creaturæ, vel principaliter, vel instrumentaliter, . . 387
quomodo creatio facta sit per Verbum, 389, t. 8
quænam virtutes Dei in creatione eluxerint, . . 398, t. 2
quo ordine opera Creationis sint producta, ... *ib.*
Criticas conjecturas an liceat facere in Textu sacro, . 109, t. 10
Critica sacra Cappelli a Viris Doctis rejecta, . . 105, 109, 111
Cultus religiosus soli Deo debitus, Christo et Spiritui Sancto tribuitur, 258, t. 25, 26, & 273, t. 15
non debet reddi Angelis, 503, &c.
Cultus civilis vel causaliter, vel formaliter dicitur, . 509, t. 25

D

Decreta an dentur in Deo, et quomodo, 279, &c.
quomodo identificentur cum Essentia, et quomodo ab ea differant, 280, t. 7, 13, 14
quomodo sint libera, 174, t. 11, & 281, t. 13
quomodo sint æterna, . 281, &c.
nulla dantur conditionata a priori, 283, &c.
an decretum inferat necessitatem rebus, et qualem, . . 286, &c.
an libertatem tollat, . 287, t. 6, 8
Decretum electionis et reprobationis non potest stare cum gratia universali, ... 355
an detur aliquis ordo in Decretis divinis, . . . 371
quis statuatur a Supralapsariis, *ib.*
quis ab Arminianis, . 372
quis a Patronis Gratiæ universalis, 375
quis communiter a Reformatis, 380
Desertio Dei quotuplex sit, explorationis, correctionis et judicii, 465, t. 11, 12
an propter eam Deus possit dici causa peccati, Neg. . . *ib.* t. 13
an Deus deseruisse possit dici hominem in lapsu, . . 552, t. 15
Deus est objectum Theologiæ, 16, 17
Dei existentia potest invicte demonstrari, . . . 153, &c.
datur cognitio ejus naturalis in omnibus, tum insita, tum acquisita, 8, 9
triplex via qua cognitio Dei acquisita

Digitized by Google

potest obtineri, eminentiæ, causalitatis et negationis, . 162 t. 8
an nomen in Deum cadat, 166 t. 1
de nomine Jehova. Vide *Jehova*.
quomodo differant proprietates Dei ab essentia, et inter se, . 169
de Æternitate Dei, . 182
de ejus Immensitate, . 178
Infinitate, . . . 175
Immutabilitate, . . 185
Unitate, . . . 163
Scientia, . . . 187
Simplicitate, . . 172
Voluntate et variis ejus distinctionibus, 197
Justitia vindicatrice, . 212
Bonitate, Amore, Gratia et Misericordia, . . . 217
Potentia, . . . 220
Potestate et Dominio, . 225
Deus non potest esse causa peccati, 462, t. 4
Diaboli peccatum quodnam fuerit, 544
gravitas illius, et quare sit irreparabile, . . 304, t. 18
qualis fuerit ejus reprobatio, quoad duplicem ejus actum, negativum et positivum, . *ib.* t. 17, &c.
varii gradus pœnæ ipsi inflictæ, 305, t. 20
quomodo fuerit tentationis Adami author, . . 550, t. 8, 9
quare voluerit uti Serpente, et an fuerit verus serpens, . 551, t. 11
quomodo agat in homines externe et interne eos tentando, 466, t. 16, 17
quomodo dicatur ἐνεργεῖν in filiis rebellionis, . . 493, t. 4
quid sit *Disciplina* theoretica, et practica, 20, t. 3
Distinctio Personarum Trinitatis ab essentia, et inter se, . . 248
attenditur et ratione ordinis, et proprietatum personalium, et operationum, 251, &c.
Dominium Dei duplex, naturale, et œconomicum, et quomodo inter se differant, . . 226, t. 3
fundamentum ejus duplex, eminentia naturæ, et beneficiorum magnitudo, 225, t. 2
Dominium hominis est pars imaginis Dei, sed non tota, . 418, t. 22
valde est imminutum per peccatum, sed non sublatum, . . *ib.*

E

Ecclesiæ officium circa Scripturam multiplex, ut sit Custos, Vindex, Præco, Interpres, . . 83, t. 12
sed non potest esse supremus Judex controversiarum, quod probatur contra Pontificios, . 140, &c.
Scripturæ authoritas non pendet ab ejus testimonio, nec quoad se, nec quoad nos, . . 82, t. 10
quomodo dicatur columna et firmamentum veritatis, . 85, t. 25
locus Augustini de Ecclesiæ authoritate exponitur, . 86, t. 26
quid faciat circa Canonem Scripturæ, 84, t. 20
quomodo sit antiquior Scriptura, *ib.* t. 16
Editiones Scripturæ aliæ primariæ et originales, aliæ secundariæ, . 101
sola Editio Hebræa V. T. et Græca N. est authentica, . . *ib.*
an τὸ ἐνδέχεσθαι sit de essentia peccati, 537, t. 1, 2
includitur in ratione formali libertatis, 604, t. 10
Electionis vox quid significet, 299, t. 10
qualis fuerit Electio Angelorum, 302, t. 7
an possint dici electi in Christo, *ib.* t. 9
Christus non est causa et fundamentum Electionis, sed medium, . 314
quomodo dicamur electi in Christo, 316, t. 10
an Electio facta sit ex prævisione fidei, aut bonorum operum, Neg. 318
an certa sit et immutabilis; affirmatur, 326
quod tamen non excludit necessitatem mediorum, . . 332
an fidelis certus esse possit de Electione sua certitudine fidei, et non conjecturali tantum; sententia partium proponitur, et vera de certitudine divina probatur, . . . 333
Ἐμπεριέχεσθαι quid significet apud veteres, 231, t. 13
quis *Elias* dicatur venturus apud Malach, . . 529, t. 9
an asservetur cum Enocho in paradiso, et an sit rediturus novissimo die, *ib.* t. 7
Epistola ad Laodicenses quænam fuerit, 89, t. 9
quare Apostoli scripserint per Epistolas, . . . 58, t. 8
Error triplex, contra fundamentum, circa fundamentum, et præter fundamentum, . . . 46, t. 9
Error verbalis, et realis, *ib.* t. 12
Essentia quid significet in Divinis, 228, t. 3
quomodo communicetur Personis, 238, t. 1
quomodo differat ab illis, 248, t. 1
Ethnici non potuerunt salvari per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, . 10, &c.
quomodo faciant quæ sunt Legis, 14, t. 16
sententia quorundam Patrum, et Zwinglii de ipsorum salute, 15, t. 21, 22
virtutes ipsorum non fuerunt bona opera, sed splendida peccata, . 14, t. 17, & 618

Digitized by Google

Expansum quid sit, et quot modis sumatur, . . 400, t. 9

F

www.libtool.com.cn

Fati nomen quid innuat, et quotuplex sit, 444, t. 2, 3
quid sit fatum Physicum, *ib.* t. 3
quid Mathematicum, . *ib.* t. 4
quid Stoïcum, . . 445, t. 5
quid Christianum, . *ib.* t. 6
an Providentia recte dicatur fatum, 446, t. 7
Fides in Deum, et Christum non differunt, 15, t. 20
Fidei amplitudo differt ab ejus necessitate, . . 45, t. 5
spectatur vel secundum gradum luminis, vel secundum multitudinem credendorum, . . 47, t. 16
non est conditio antecedens electionem, sed medium et effectus ejus, 318
an Adamus habuerit fidem in Christum, 515
Fidelis potest esse certus de electione sua, vide *Electio.*
Filius Dei est verus et æternus Deus Patri coëssentialis, et coæternus, 252
an habeat principium, . 260, t. 36
quomodo possit dici *ἀνάκτισις*, 260, t. 40
qualis sit æterna ejus generatio, 261
quomodo differat ab humana, *ib.* t. 4, & 269, t. 29
quo sensu dicatur Filius, et proprius Dei, Filius unigenitus, 265, t. 14, 15, 16
Filius Dei viventis, . 267, t. 18
primogenitus Dei, . *ib.* t. 20
An *Fœdus* possit dari inter Deum et hominem, . . 517, t. 1
late et stricte sumitur, 518, t. 3.
quare duplex tantum statuatur, Legale et Evangelicum, . *ib.* t. 4
an fœdus naturæ cum Adamo initum sit, . . . *ib.* t. 6
quænam fuerint partes contrahentes, et quænam pactio, . 519, t. 10, 11
qualis debuerit esse obedientia, 520, t. 13
et qualis sanctio, . *ib.* t. 15
an homo potuerit mereri aliquid in isto fœdere, . . 521, t. 17
De *Fontium* puritate, . . 96
varia ejus argumenta, 68, t. 8, & 97, t. 5
quinam ex Pontificiis eam agnoscant, quinam oppugnent, *ib.* t. 4, &c.
Fundamentum fidei sumitur vel incomplexe, vel complexe, idque vel late vel stricte, . . 44, 45
cur Electio fundamentum Dei dicatur, 327, t. 7
Error vel est contra, vel circa, vel præter fundamentum, vide *Error.*

G

Genealogia Mariæ cur a Luca referatur ad Josephum, . . 70, t. 13
quomodo conciliari possit Lucas cum Matthæo in Genealogia Christi, *ib.*
Græcæ Versiones sunt variæ, præcipua τῶν 70, vide *Versio.*
Editio Græca N. Test. est sola authentica, . . 103, t. 6, 7
Gratia quid sit in Deo, . 219, t. 7
quotupliciter sumatur, . *ib.*
quid sit gratia gratis data, et gratum faciens, præveniens et operans, cooperans et subsequens, decernens et exequens, . . *ib.* t. 8, 9
quid de Gratia Universali Arminiani, Lutherani et Universalistæ statuant, et quomodo inter se differant, 352, &c.
nullam dari probatur, . 355, &c.

H

Habituum intellectualium distinctio unde oriatur, . . 18, t. 3
ad quemnam habitum Theologia referenda sit, . *ib.* t. 5, 6, &c.
proxime accedere ad sapientiam probatur, . . . 19, t. 7
Sola *Hebræa* Editio V. T. est authentica, 103, t. 6, 7
non potest dici mutila, 104, t. 10
Hebræus Textus hodiernus, tam circa res, quam circa verba est διάπυωτος, 105
Homo primus non est conditus in puris naturalibus, . . 412
ante lapsum fuit immortalis, 422
quomodo sit conditus ad Imaginem Dei, vide *Imago.*
Homo creabilis et labilis, non est objectum Prædestinationis, sed creatus et lapsus, . . 306

I

Jacobus quomodo pater Josephi dicatur apud Matthæum, Heli vero apud Lucam, . . . 70, t. 13
Ideæ an dentur in Deo, et quales, 280, t. 8
quomodo differant ab Ideis hominum, *ib.* t. 9
an detur Idea Dei in homine, 158, t. 17
Jehovæ nomen quid notet, . 166, t. 5
esse incommunicabile creaturis probatur, . . . 166
Ignorantia alia puræ negationis, alia pravæ dispositionis, . 582, t. 6

Digitized by Google

ignorantiæ peccatum vel late sumitur pro quolibet peccato, vel stricte pro eo quod contradistinguitur peccato contra scientiam, . *ib.* t. 5
Imago Dei multiplex, 414, t. 2, 3
quomodo Filius Dei dicatur imago Dei invisibilis, 266, t. 17, & 414, t. 2
imago Dei ad quam homo conditus est, non est in corporis figura, vel essentiæ Dei participatione, sed in animæ essentia, ejus rectitudine et justitia, et dominio ac immortalitate, 414, &c.
Immensitas Dei probatur, nec tantum quoad virtutem et operationem, sed et quoad essentiam, . 178
Immortalitas absoluta et participata, patriæ et viæ, . . 422, t. 2
qualis data sit primo homini, 423
immortalitas animæ probatur, 430
Immutabilitas Dei probatur, tam quoad naturam, quam voluntatem, 185
Impossibile quotuplex sit, 221, t. 7
impossibile naturæ, et natura, a parte rei, et a parte Dei, 222, t. 8, 9
non potest cadere sub potentiam Dei, *ib.*
Impotentia peccatoris non est tantum moralis sed etiam naturalis, 616
absoluta est, et totalis, *ib.* 610, 611
quo sensu ad impossibile nemo teneatur, . . 613, t. 25
De *Imputatione* primi peccati sententia partium, . . . 555
quo loco sit habenda in hac quæstione distinctio imputationis antecedentis et consequentis, . 556, t. 6
imputatio vel est rei alienæ, vel propriæ, . . 557, t. 10
imputatio antecedens probatur, 558, &c.
imputari sæpe peccata aliena Dei judicio ostenditur, . . 561
Incredulitas alia naturalis, alia acquisita, 348, t. 2.
incredulitas adversus Evangelium non præsupponitur ut causa in reprobatione, . . *ib.* t. 5
Indifferentia Adami qualis fuerit, 514, t. 8
Libertas non est posita in indifferentia, 602
Induratio quomodo Deo tribuatur et hominibus, . . 471, &c.
Infinitas quotuplex sit, . 175, t. 2, 3
absoluta infinitas Dei probatur, *ib.* &c.
Intercessor noster solus est Christus, non Angeli, . . . 503
Joachim, quo anno ætatis regnum adierit, 73, t. 24
Judex Controversiarum alius supremus, alius ministerialis, alius privatus, 139, t. 3
Scriptura sola est Judex supremus, non Ecclesia, non Patres, multo minus Pontifex, . . 140, &c.
Judex visibilis præter Scripturam non est necessarius, . 142, t. 20
Judicium privatæ discretionis competit singulis fidelibus, 144, t. 33, 34
Judicium privatum Spiritus dicitur, vel originaliter, vel subjective, 83, t. 15
Judæi religiosi circa Codicem sacrum, 97, t. 5, 6
fontes non corruperunt, nec potuerunt aut voluerunt eos corrumpere, 98, t. 6, 7
Traditiones introduxerunt, 123, t. 10
Jus Dei absolutum et ordinatum, 226, t. 5
naturale et positivum, 210, t. 2, et 228
summum et temperatum, 213, t. 4
quo sensu liceat, vel non liceat de jure suo remittere, . 216, t. 16
Justitia Dei quotuplex sit, 212, t. 1, 2, 3
Justitiam vindicatricem Deo esse naturalem probatur, . 212
an liberum sit ejus exercitium, et quomodo differat ab exercitio misericordiæ, . . 216, t. 18, 21
Justitiæ regula, quomodo voluntas Dei dicatur, . . . 210
Justitia originalis quid sit, 415, t. 8, 9
fuit præcipua pars Imaginis Dei, 416, &c.
an fuerit naturalis, an supernaturalis, 419
Justitia naturæ et gratiæ differunt, 417, t. 17

K

Keri et *Ketib* quid sint, 99, t. 11, 17

L

Lectiones variæ in Scriptura non arguunt corruptionem fontium, 97, t. 3, et 104, t. 8
Legis opus quid sit apud Paulum, 14, t. 16
Lex quomodo dicatur norma omnium actionum, . . 211, t. 8
Lex sæpe ponitur pro œconomia V. T. 92, t, 12
Lex data etiam fuit a Christo per Mosem, . . *ib.* t. 18
quomodo Christus sit finis Legis, 93, t. 19
Lex data Adamo fuit naturalis, et symbolica, . . 522, t. 4
quare data sit illi Lex symbolica, *ib.* t. 5
Liber bellorum Jehovæ, et Liber Justi quid fuerint, . 89, t. 7, 8
Liber Enochi, . *ib.* t. 10
Libri Sacri non interierunt in captivitate, . . . *ib.* t. 12
Liber vitæ quid sit, . 329, &c.
Liber Prædestinationis, et Providentiæ, 331, t. 19
an quis possit deleri de libro vitæ, *ib.* t. 20
quid sit inscribi in illo libro, 335, t. 10

Digitized by Google

Libertas quotuplex sit, 513, t. 4, 599, t. 3, 4, &c.
quænam necessitas pugnet cum libertate, . . . 599
Libertas Adami in statu integro quænam fuerit, . . 513
Liberum arbitrium est in intellectu et in voluntate, . 598, t. 4
spectari potest vel in genere entis, vel in genere moris, . 602, t. 1
ratio ejus formalis non est sita in indifferentia, . . . *ib.*
Linguarum divisio, maledictionis et benedictionis symbolum, 111, t. 2
cur tres linguæ in titulo Crucis positæ, 113, t. 7
In *Loco* quot modis res esse dicantur, 178, t. 5
quo sensu Deus repletive dicatur esse in loco, . . *ib.*
Angeli sunt in loco per essentiam, et non tantum per operationem, 488, t. 7
Lux primigenia quid fuerit, 400, t. 7, 8
Luminarium usus multiplex, 402, t. 14
nec tamen Astrologia judiciaris inde elici potest, . . 403

M

Massa de qua loquitur Paulus non est integra, sed corrupta, 309, t. 17
Quomodo Christus qua *Mediator* sit adorandus, . 258, t. 27
Mediatorium munus Deum postulat, 259, t. 30
Christus non potest dici Mediator Angelorum, . . 302, t. 9, 10
Mens hominis quo sensu tabula rasa dicatur, . . 9, t. 11
Metaphysica quare dicatur Theologia, 4, t. 8
et scientia omnium suprema, 5, t. 4
Misericordia Dei quid sit, 219, t. 10
quotuplex, . . 220, t. 12
ejus exercitium est plane liberum, 217, t. 21
an possit innotescere ex operibus naturæ, . . 13, t. 11
non datur in Deo misericordia universalis ad salvandum genus humanum, 352
Modi subsistendi quid sint in divinis, et an reales bene dicantur, 250, t. 14
an aliquid positivi inferant, *ib.* t. 15
Mors non est sequela naturæ, sed stipendium peccati, . 422, 423
mortis terminus est fixus et immobilis, 289
mortale est omne peccatum natura sua, 540
quo sensu peccator dicatur mortuus in peccatis, . . 608, t. 11
Mosem non fuisse impostorem, sed Prophetam a Deo missum probatur, 63, 64
authentia Librorum ejus adstruitur, *ib.*
Mundus nec fuit ab æterno, nec esse potuit; Creatio ejus et novitas asseritur, . . . 389
variæ sententiæ de anni tempestate qua creatus est, . 394
sententia de Autumno præfertur cæteris, . . . *ib.*
non est creatus momento, sed sex diebus, sed singula cujusque diei opera momento sunt condita, . 396
Mundi vox non semper sumitur in tota sua latitudine pro universalitate hominum, sed sæpe restricte, vel pro electis, vel pro reprobis, 361, t. 30
quo sensu Deus dicatur dilexisse mundum, . . 360, &c.
Mysteria fidei sunt supra rationem, sed non contra eam, . 27, t. 4, 5
sunt incomprehensibilia, sed non incompossibilia, . *ib.* t. 9

N

Naturæ purse status quid sit, 412, t. 1, 2, et 413, t. 8
naturale quot modis dicatur, 412, t. 2, et 419, t. 2
quomodo Justitia originalis fuerit naturalis. Vide *Justitia.*
Necessitas datur multiplex, absoluta, hypothetica, 197, t. 2, et 287, t. 2
physica, et coactionis, 287, t. 2
variæ species necessitatis distinguuntur, et quænam cum libertate pugnent, quænam cum illa conveniant ostenditur, . . 599
quomodo aliquid possit esse necessarium et liberum, 199, t. 11, et 288, t. 9
Ex *Nihilo* omnia facta sunt; 385, t. 5
quo sensu ex nihilo nihil fieri dicatur, 386, t. 7
Notio quid significet in divinis, 231, t. 14
quid sint actus notionales, 232, t. 15

O

Objectum scientiæ quomodo spectari possit, vel materialiter, vel formaliter, 16, t. 1
objecti unitas unde sumenda sit, *ib.* t. 5
objectum Theologiæ. Vide *Theologia.*
Obscuritas duplex, objecti, et subjecti, rerum et modi tradendi, 129, t. 2, 3

Digitized by Google

obscuritas Scripturæ non datur in rebus necessariis ad salutem, licet varia sint in cæteris abstrusa, et δυνάντα, 129, &c.
Omnipotentia Dei non se extendit ad contradictoria, 222, t. 12, 13
Omnipræsentia Dei probatur, 179, t. 9, 10, 11
non tollitur per varios modos præsentiæ specialis, . . 178, &c.
omnipræsentia differt ab immensitate, 182, t. 22
Ὁμοούσιον quid significat, quare a Patribus sit usurpatum, et quæ lites de eo motæ sint, . . 230, 231
Opera Dei quotuplicia, 385, t. 1, 2
opera Creationis quo ordine producta sint, . . 398, t. 1, 2

P

Paradisus terrestris non superest amplius, 528
typus fuit cœlestis, . 531, t. 13
Paraphrasis Chaldaïca Jonathanis et Onkelosi, . . 112, t. 4
Patrum nomine quinam sint intelligendi, 146, t. 2, 3
quænam sit authoritas Patrum; Testes sunt, non Judices, 146, &c.
Patres nonnulli in excessu peccarunt circa Philosophiæ usum in Theologia, 40, t. 1
quo sensu alii Philosophiam damnent, 43, t. 11
quo sensu Traditionem admiserint, 128, t. 36
Peccati Etymon, . . 535, t. 2
ratio formalis consistit in ἀνομία, 536, t. 5
an includat aliquid positivi, *ib.*
quid differant peccata commissionis et omissionis, . . *ib.* t. 8
an τὸ ἐκούσιον sit de essentia peccati, 537
Peccati reatus quotuplex, 538, t. 2
an sit formale peccati, . *ib.* t. 3
an possit separari ab eo, 539, t. 5
nullum datur peccatum veniale, sed omnia sunt mortalia, . 539
quomodo Deus versetur circa peccatum tam circa ejus initium, quam circa progressum et finem, 462, t. 4, 5, &c.
nec tamen possit dici causa peccati, 468, t. 21
non sequitur ex doctrina nostra Deum esse peccati authorem, 473
vindicantur loca Calvini, Zuinglii, &c. quibus hoc impingitur, 477, &c.
Peccatum Angelorum quale fuerit, 544
peccatum actuale quid sit, 581
variæ ejus divisiones, . 582
quid sit peccatum per se et per accidens, peccatum ignorantiæ et malitiæ, 582, &c.
Peccatum habitans et regnans, remissibile et irremissibile, 583, t. 12, 14
Peccatum primum Adami, quodnam fuerit; prima ejus radix in incogitantia ponitur, . 546, 548
imputatio ejus adstruitur. Vide *Imputatio.*
Peccatum originale sumitur late et stricte, . . . 569, t. 2
dari probatur, . . *ib.* &c.
quomodo voluntarium possit dici, 573, t. 15
non est in animæ substantia, 575
nec mera tantum privatio, sed positiva quædam qualitas, . *ib.*
Quæstio de propagatione peccati difficilis, . . . 578
modus ejus explicatur, . *ib.*
Peccatum in Spiritum S. cur ita vocetur, . . 584, t. 2
varii ejus characteres, *ib.* &c.
unde oriatur ejus irremissibilatas, 587, &c.
quomodo possit dignosci, 589, t. 20
Peccatum potest esse pœna peccati, 589
Perfectio Scripturæ quotuplex. Vide *Scriptura.*
Perfectiones omnes quomodo Deo competant, . 177, t. 14
Permissio ethica et physica, 463, t. 6
permissio Dei circa peccatum, non est otiosa, sed efficax, . *ib.* t. 7
quare Deus permittat peccatum, 464, t. 9
Persona quid sit, et quomodo definiatur, 229, t. 7
Personarum Trinitas probatur, 238
personæ quomodo distinguantur ab Essentia et inter se, 248
quænam sint proprietates Personales, 251, t. 17, 18
Perspicuitas quænam Scripturæ tribuatur, 129
Philosophiæ usus et abusus in Theologia ostenditur, . . . 41
quinam peccarint hic in excessu et in defectu, . . . 40
an aliquid sit falsum in Philosophia quod verum est in Theologia, 43, t. 13
Pontifex non potest esse supremus Judex Controversiarum, . . 138
Pœna quotuplex, simplex, et mixta, 593, t. 19
quomodo peccatum possit habere rationem pœnæ, . 589
quo sensu Christus omnes pœnas nobis debitas tulerit, . 593, t. 20
Potentia Dei quotuplex, ordinata, et absoluta, . . 221, t. 3
quodnam sit objectum potentiæ Dei, 221, &c.

Digitized by Google

an deus possit facere infinitum, 224, t. 24
an dici debeat Deum posse fallere si velit . . *ib.* t. 25
Practica disciplina quot modis dicatur, 20, t. 3, 4
Theologia non est tantum theoretica, sed etiam practica, . 21
Præadamitarum figmentum refellitur, 407
Prædestinatio an publice doceri debeat, et quomodo, . . . 295
quotupliciter sumatur vox Prædestinationis, . . . 297
de reprobatione dicitur non minus ac de Electione . *ib.* t. 4, &c.
quid notet πρόθεσις et πρόσκαιρος, 298, &c.
Prædestinatio Angelorum, quomodo differat a prædestinatione hominum, 302, &c.
Prædestinationis objectum non est homo creabilis, vel labilis, sed creatus, et lapsus, . . 306
voluntas servandi credentes et damnandi incredulos, non est totum decretum Prædestinationis, . 350
Vide cætera Titulo de *Electione* et *Reprobatione.*
Prædeterminatio quid sit, . 454, t. 6
quinam Prædeterminantes dicantur apud Pontificios, . . . *ib.*
Prædeterminatio probatur, *ib.* t. 7
necessitatem rebus aliquam infert, sed libertatem non aufert . 456, t. 11
nec Deum facit peccati authorem, 457, t. 16.
Præsentia Dei multiplex, in Cœlo, in Mundo, in Christo, in Ecclesia, et Sanctis, 178, t. 2, 3
Præteritio quid importet in Reprobatione, 304, t. 18
Primogenitus Christus dicitur multifariam, 267, t. 20
Processio Spiritus a Patre et Filio probatur, . . . 275
quomodo differat a Generatione, *ib.*
quænam Controversia sit inter Græcos et Latinos de Processionis principio, *ib.* t. 4
Πρόγνωσις in negotio Prædestinationis non sumitur theoretice, sed practice, 298, t. 8, 9, et 324, t. 27
Propagatio peccati datur, . 578
varii ejus modi proponuntur et verus probatur, . . *ib.* &c.
Proprietates Dei. Vide *Attributa.*
proprietates absolutæ et respectivæ quænam sint, . 209, t. 5
proprietas personalis quid sit, 232, t. 15, 251, t. 17
Providentiæ vox quid notet, . 439
dari providentiam probatur, *ib.*
quomodo contingentia et libertas rerum cum ea consistere possit, 442, et 448, t. 10, 11
Providentiæ omnia subjacent tam minima quam maxima, libera et contingentia, non minus ac necessaria, 446
non infert fatum Stoïcum, 445, t. 5
non consistit tantum in conservatione et sustentatione rerum, sed etiam in earum gubernatione . 449
concursus ejus non est tantum generalis et indifferens, sed particularis et immediatus, non tantum simultaneus, sed etiam prævius, . 451, &c.
quomodo versetur circa peccatum, nec tamen peccati causa dici possit, 462, &c.
quis sit usus et abusus doctrinæ de Providentia, . . 479
Puncta non esse humanæ, sed divinæ originis magno consensu Judæi paucis exceptis crediderunt, et plurimi ex Christianis, . 105, t. 13
si non fuerunt semper quoad *figuram*, fuerunt tamen ab initio quoad *valorem* et potestatem, 104, t. 12
non possunt pro libitu mutari, sine magno αἰδοῦς Textus sacri detrimento, 106, &c.

R

Ratio quem usum obtineat in Theologia, 22, 36, t. 12, &c.
an sit principium et norma ad quam exigi debeant mysteria fidei, an tantum instrumentum, . . . *ib.*
quomodo audienda sit in rebus fidei, et quomodo non, . 27, &c.
Judicium contradictionis ad illam pertinet, . . 30, &c.
quomodo se habeat in eliciendis consequentiis, . 36, t. 12, &c.
rationalis cultus quid sit, 24, t. 8
Reatus non est formale peccati, sed adjunctum ejus, . . 538, t. 1
bene distinguitur in potentialem, et actualem, sed male in reatum culpæ et pœnæ, . *ib.* t. 2, et t. 6.
Relationes personales in Divinis quotuplices sint, 231, t. 14, 251, t. 17, 18, 19
quomodo reales dici possint, 251, t. 18
Religio communis per quam omnes promiscue salvari possint, nulla datur, 10
Reprobatio Angelorum quid sit et quot actibus absolvatur, 304, t. 17, &c.
quotuplex sit actus Reprobationis hominum, negativus et positivus, et quid includat . 340, t. 4, &c.
consideratur absolute vel comparate, 341, t. 10
quomodo Decretum Reprobationis sit absolutum, . . 339, &c.
Reprobatio non repugnat Justitiæ, Veritati, Misericordiæ, et Sanctitati Dei, 345, &c.

Digitized by Google

incredulitas non præsupponitur ut causa in Reprobatione, . . 348
Revelationis per Verbum necessitas, 53, t. 3, 4
Revelationis naturalis ad salutem imperfectio, . . 54, t. 5, 6

www.libtool.com.cn

S

Sacrificia Gentilium quem finem habuerint, 15, t. 23
Sapientia quomodo possit dici genus Theologiæ, . . 19, t. 7
Scientiæ Dei quis sit modus, 187, t. 2
quodnam objectum, . *ib.* t. 3
singularia et futura contingentia sub eam cadunt, . *ib.* t. 4, &c.
quomodo contingentia Deus præsciat, 192, t. 29
præter scientiam naturalem et liberam nulla datur media, . 192
quo sensu scientia non sit singularium, 17, t. 8
quænam scientia dicatur practica, 20, t. 4, 5
Scriptura, quot modis spectetur, 55, t. 2
an necessaria fuerit, et quare, *ib.*
non est tantum data occasionaliter, 57
authentia ejus et divinitas probatur, 59
quomodo seipsam probet, et quænam sint ejus notæ, tam intrinsecæ, quam extrinsicæ, . . . 60, &c.
authentia Scripturæ Propheticæ et Apostolicæ adstruitur, . 62
non dantur in ea loca plane ἄλυτα, et veræ contradictiones, . 66
authoritas ejus non pendet, vel quoad se, vel quoad nos, a Testimonio Ecclesiæ 79
quomodo seipsam probet, 84, t. 18
Testimonium Scripturæ, Spiritus et Ecclesiæ, quomodo inter se conveniant et differant, 81, t. 6, et 83, t. 13
quo sensu dicatur Canonica, 87, t. 2
Scriptura V. T. est pars Canonis fidei, 90
Scripturæ perfectio in rebus necessariis ad salutem probatur, . 121
quæ Pontificii obtrudunt credenda præter Scripturam non evincunt eam esse imperfectam, . 126, t. 22
Scripturæ perspicuitas adstruitur, 129
quæ non obstat quominus sua βάθη habeat, et δυσνόητα, . *ib.* t. 4, 5
Scripturam debere legi probatur, 133
sensus ejus non est multiplex, 134
quænam sint necessaria ad verum sensum inquirendum, . 137, t. 18
Scriptura est Judex Controversiarum, 138, &c.
Semen mulieris, individualiter, et primario de Christo dicitur, collective vero et secundario de solis fidelibus, 359, t. 25, 26
Semen Serpentis non sunt tantum dæmones, sed impii et reprobi, *ib.*
Sensuum Testimonium non est absolute rejiciendum in rebus fidei, 32, t. 1, 2, &c.
sensus non falluntur positis certis conditionibus, . . 33, t. 7
sensus Scripturæ non est multiplex, literalis, allegoricus, anagogicus, tropologicus, sed unicus tantum, qui vel simplex est, vel compositus, vel proprius, vel figuratus, 134, t. 1, 2
quid sit sensus literalis, et quot modis sumatur, . . 135, t. 3
sensus mysticus quotuplex sit, 137, t. 15, 16
quando recedendum sit a sensu literali proprio, . . 138, t. 19
Serpens verus fuit in Tentatione, sub quo Diabolus latuit, 547, t. 8, et 550, t. 10, 11
Serpentis semen quinam sint. Vide *Semen.*
Sigillum Dei quotuplex sit, 327, t. 7, 8
quomodo ex Spiritus S. obsignatione certitudo salutis oriatur, 335, t. 11
Simplicitas Dei asseritur, . 172
probatur a remotione omnis compositionis, . . . *ib.*
Simplicitas et Trinitas non opponuntur, 174, t. 9
varietas Decretorum divinorum non tollit ejus simplicitatem, *ib.* t. 10
Spiritus S. personalitas et divinitas probatur, . . . 270
Processio ejus quomodo differat a Generatione Filii, . 275
ejus principium non est tantum Pater sed et Filius, . . *ib.*
quid sit Spiritus incubans aquis, 246, t. 8
quinam sint septem Spiritus Apocal. c. 1. 273, t. 15, 509, t. 23
Peccatum in Spiritum S. quid sit. Vide *Peccatum.*
quomodo Spiritus judicium privatum admittamus non originaliter, sed subjective, . . 83, t. 15
Subsistentia quid notet in divinis, 228, t. 5
alia est independentiæ, alia incommunicabilitatis; Christi humanitas habuit priorem, non posteriorem, *ib.*
Syllogismi mixti quinam sint, et quid ratio in illis præstet, . 25, t. 14
Conclusionem in iis esse de fide probatur, . *ib.* t. 16, et 37, t. 16

T

Tempus non potuit esse ab æterno, 154, t. 7
Temporis differentiæ quomodo Deo Tribuantur, . . 184, t. 7
Tentatio alia probationis, alia seductonis, 471, t. 28, 29, 30

Digitized by Google

Deus non tentat homines ex ignorantia, sed ex sapientia, . 191, t. 26
quomodo dicatur inducere in tentationem, . . 471, t. 29
Terminus vitæ alius generalis, alius specialis, . 289, t. 2
quotupliciter possit dici mobilis, vel immobilis, . . . *ib.* t. 3
fixum et immobilem a parte Dei esse probatur, . . 290, &c.
quo sensu produci vel contrahi dicatur, 292
Terra quid significet Gen. i. 1, 399, t. 6.
Testamentum V. spectatur vel ratione œconomiæ Mosaïcæ, vel ratione doctrinæ, . . 90, t. 2
Vet. Test. Libri sunt pars Canonis fidei, *ib.*
Testes cœlestes quinam intelligantur apud Johannem, . 240, t. 9
Testimonium Scripturæ, Spiritus, et Ecclesiæ quomodo differant, 81, t. 4, 5, &c.
Textus originales puri et incorrupti ad nos pervenerunt, . . 96
non licet illos ex Versionibus corrigere, 106, 107, t. 6, et 113, t. 13
Theologiæ vox, an retinenda, et quot modis sumatur, . 3, 4
quomodo differat Theologia ab Oeconomia apud Patres, . 4, t. 8
dari Theologiam probatur, 4, t. 1, &c.
variæ ejus divisiones, . 5, t. 5
Triplex Gentilium Theologia, fabulosa, politica, et naturalis, . *ib.*
quid sit archetypa, ectypa, unionis, visionis, revelationis, . 6, t. 6
Theologia naturalis datur tum insita, tum aquisita, . *ib.* t. 7; 7, &c.
sed non est sufficiens ad salutem, 10, &c.
quale sit ejus objectum, . 16
quale genus, . . 18
licet omnes habitus eminenter includat, propius ad sapientiam accedit, 19, t. 6, 7
non est tantum Theoretica, sed et Practica, . . . 19
Tikkun Sapherim quid sint, et An arguant fontium corruptionem, 99, t. 12
Traditiones quotuplices, historicæ, rituales, dogmaticæ, et ethicæ, et quænam rejiciendæ, . 122, t. 7
Traditionibus dogmaticis et ethicis post Scripturam nullus locus datur, *ib.* &c.
quot modis Traditio sumatur in Scriptura, . . 126, t. 23, &c.
et quot apud Patres, 128, t. 36
Traducem quinam doceant, 425, t. 1
ejus absurditas ostenditur, *ib.* &c.
Trinitatis vox quid significet, 230, t. 9
an sit articulus fundamentalis, 234
non ignota fuit sub V. T. 236, t. 11, et 244
sed non potest lumine naturæ dignosci, . 239, t. 4, 5
veritas ejus probatur, . 239, &c.

V

Verbi revelatio quare necessaria fuerit, 53
distinctio Verbi in ἄγραφον et ἔγγραφον non est generis in species, sed subjecti in sua accidentia, 55, t. 4
Versionum necessitas, . 111
qualis sit authoritas, . 113, t. 13
quotuplices sint, Chaldaïcæ, Syriacæ, Græcæ, Latinæ, 112, t. 4, &c.
an ex Versionum collatione corrigi debeat textus originalis. Neg. 107, t. 6, &c.
quænam debeat esse conformitas Versionum cum originali, et qualis possit haberi de ea certitudo, . 114
Versio LXX. quando fuerit adornata, 115
non debet censeri authentica, 116
quare Apostoli ea usi sint, *ib.* t. 7
Versio Vulgata non potest haberi authentica, . . . 118
variant circa eam sententiæ Pontificiorum, . . . 119
Virgo B. non est concepta sine peccato, et quot lites inter Pontificios fuerint de immaculata ejus conceptione, 574, t. 21
Vocatio externa non est fallax et illusoria sine voluntate universali omnes salvandi, . . 369, t. 45
quis sit ejus finis erga reprobos, 370, t. 46
quomodo in ea intentio Pastorum conveniat cum intentione Dei, *ib.* t. 47
Voluntatis divinæ objectum quodnam sit, 197, t. 1
variæ distinctiones voluntatis, decreti et præcepti, εὐδοκίας et παραιτήσεως, arcanæ et revelatæ, signi et beneplaciti, . . . 199
nulla datur pugna inter istas voluntates, . . 202, &c.
distinctio voluntatis antecedentis et consequentis, efficacis et inefficacis, absolutæ et conditionatæ refellitur, 204
non datur vellcitas in Deo, 207, t. 17, &c.
quo sensu voluntas sit prima justitiæ regula, . . 210
nulla datur voluntas universalis miserendi totius generis humani, 352
quo sensu dicatur Deus velle omnes homines salvari, . 363, t. 34
ὑπόστασις quid notet in Divinis, 229, t. 6
diversa ejus acceptio apud Veteres; modo latior, modo strictior, . *ib.*

Z

Zuinglii sententia de salute Gentilium, 15, t. 22
non fecit Deum authorem peccati, 479, t. 16

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

INDEX

LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

QUÆ VEL EXPLICANTUR, VEL VINDICANTUR.

VETERIS TESTAMENTI ET LIB. APOCR.

Genesis.

i. 1, . . 390, t. 3, 398, t. 3, 4
— 2, . . . 245, t. 6, 399, t. 6
— 6, ... 401, t. 9
— 9, ... *ib.* t. 12
— 14, . . . *ib.* t. 14, 405, t. 11
— —, ...
— 26, ... 244, t. 4
— —, ...
— —, . . . 417, t. 15, 418, t. 22
— 31, ... 416, t. 10
ii. 1, . . . 399, t. 5, 486, t. 5
— 2, ... 428, t. 11
— 7, ... 426, t. 3
— 17, . . 423, t. 5, 519, t. 7, 522, t. 4
— 19, 23, 25, . . . 417, t. 19
iii. 15, ... 359, t. 25
— 19, . . . 421, t. 14, 423, t. 5
— 21, ... 410, t. 11
— 22, ... 524, t. 5
iv. 7, ... 613, t. 26
— 14, ... 411, t. 14
— 25, ... *ib.* t. 16
v. 3, ... 571, t. 8
vi. 2, ... 493, t. 5
— 5, 6, ... 570, t. 7
— 6, 8, ... 186, t. 11
— 19, ... 465, t. 14
vii. 11, . . 395, t. 5, 401, t. 11
— 19, 20, . . . 529, t. 4
viii. 21, . . . 570, t. 7
ix. 2, 3, ... 418, t. 22
— 6, ... 553, t. 3
— 10, 11, . . . 518, t. 3
xi. 26, ... 75, t. 29
xviii. 21, . . . 191, t. 27
xix. 11, ... 34, t. 9
xix. 24, ... 245, t. 7
xxii. 1, ... 471, t. 29
— 12, ... 191, t. 26
xxiii. 9, ... 77, t. 31
xxviii. 12, ... 494, t. 2
xxxii. 30, . . . 509, t. 22
xlv. 7, ... 469, t. 22
— 8, ... 448, t. 8
xlvi. 26, 27, . . . 76, t. 30
xlviii. 15, 16, . . . 247, t. 11
xlix. 10, . . . 100, t. 17
l. 20, ... 468, t. 20

Exodus.

i. 15, ... 614, t. 29
iii. 2, 3, &c. . . . 167, t. 7
— 6, ... 247, t. 9
— 8, ... 246, t. 9
— 14, ... 167, t. 5
iv. 21, ... 465, t. 14
vi. 3, ... 167, t. 5
xii. 2, ... 394, t. 4
— 40, ... 100, t. 19
— 46, ... 135, t. 2
xvii. 15, . . . 168, t. 14
xx. 12, ... 293, t. 16
xxi. 12, 13, . . . 448, t. 8
xxiii. 16, . . . 394, t. 4
— 20, ... 168, t. 12
xxviii. 38, ... 504, t. 5
xxxii. 5, . . . 169, t. 19
— 32, ... 331, t. 19

Leviticus.

xviii. 5, ... 519, t. 7
xix. 31, ... 403, t. 5
xx. 27, ... *ib.*

Digitized by Google

xxv. 9, . . 395, t. 6

NUMERI.

vi. 23, 24–26, . . 247, t. 11
xi. 17, . . . 274, t. 20
xiv. 30, . . . 286, t. 17
xv. 25, 30, . . . 583, t. 9
xvi. 22, . . 427, t. 6
xxi. 14, . . . 89, t. 7

DEUTERONOMIUM.

iv. 2, . . 124, t. 15
— 40, . . . 293, t. 16
v. 29, . . 207, t. 17
vi. 13, . . . 507, t. 17
viii. 2, . . 471, t. 29
xiii. 1, . . 407, t. 18
xvii. 11, 12, . . 143, t. 26
xix. 4, . . . 448, t. 8
xxiv. 16, . . 564, t. 26
xxvii. 26, . . 541, t. 8
xxviii. 63, . . 283, t. 9
xxx. 11, . . 130, t. 9
— 15, . . 612, t. 22
— 19, . . . 293, t. 16
xxxiii. 15, . . 183, t. 2

JOSUE.

v. 14, . . 509, t. 22
x. 13, . . . 89, t. 7

JUDICES.

v. 20, . . 405, t. 12
xvii. 3, . . 169, t. 19

I. SAMUELIS.

ii. 30, . . . 285, t. 13
xiii. 13, 206, t. 11, et 285, t. 13
xvi. 14, . . 466, t. 16
xxiii. 11, 12, . . 195 t. 15
xxviii. 12, . 493, t. 6

II. SAMUELIS.

i. 18, . . 89, t. 7
viii. 2 . . 465, t. 14
xii. 8, . . 196, t. 17
— 11, 12, . 590, t. 4
xvi. 10, . . 470, t. 26
xxi. 1, et xxiv. 13, . 73, t. 23
— 24, . . — t. 22

I. REGUM.

viii. 27, . . 179, t. 9
ix. 28, . . 75, t. 27
xiv. 19, 20, . . 89, t. 7
xxi. 27, 28, . 619, t. 8
xxii. 20, . . 590, t. 6
— 19, . . 500, t. 3
— 22, . 466, t. 16, et 470, t. 26

II. REGUM.

ii. 1, 11, . . 530, t. 11
— 9, . . 274, t. 20
vi. 18, . . 34, t. 9
viii. 26, . 73, t. 25
xiii. 19, . . 196, t. 17
xxiv. 8, . . 73, t. 24

I. CHRONICORUM.

iii. 17, . . 71, t. 17
— 19, . . 72, t. 18
xxi. 12, . . 73, t. 23
xxix. 29, . . 89, t. 7

II. CHRON.

vi. 30, . . 490, t. 5
viii. 18, . . 75, t. 27
ix. 29, . . 89, t. 7
xxii. 2, . . 73, t. 25
xxxii. 31, . . 465, t. 12
xxxvi. 9, . . 73, t. 24

NEHEM.

ix. 6, . 447, t. 3, et 449, t. 2

JOBUS.

iv. 18, . . 303, t. 14
vii. 1, . . . 290, t. 5
— 7, . . 435, t. 23
xi. 7, . . . 176, t. 5
xii. 16, 17, . . 472, t. 31
xiv. 3, . . . 571, t. 9
— 4, . . ib. t. 9
— 5, . . . 290, t. 5
xv. 15, . . 303, t. 14
xxvi. 8, . . 401, t. 10
xxxiii. 28, . . 505, t. 10
xxxviii. 6, 7, . . 487, t. 10
— 28, . . . 427, t. 6

PSALMI.

ii. 7, . . . 262, t. 8
xiv. 1, . . . 162, t. 9

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

xix. 1, . . . 8, t. 6
— 5, ... 99, t. 15
— 7, 8, . . . 125, t. 16
— 8, ... 130, t. 8
— 12, 13, . . . 583, t. 9
xxii. 17, . . . 72, t. 21
xxiv. 7. . . . . 168, t. 15
xxx. 9, . . . 434, t. 17
xxxiii. 6, ... 246, t. 8
xxxix. 4, 5, . . . 290, t. 6
— 13, ... 434, t. 17
xlv. 7, ... 253, t. 5
— . . . . 246, t. 7
xlix. 2, ... 410, t. 8
li. 5, ... 571, t. 10
lv. 23, ... 292, t. 14
lxviii. 1, ... 168, t. 15
lxix. 28, . . . 332, t. 20
lxxviii. 39, ... 435, t. 23
lxxxi. 12, . . . 463, t. 5
— 14, 15, 196, t. 17, et 207, 17
xc. 4, ... 184, t. 13
— 10, ... 294, t. 26
cii. 26, 27, . . . 185, t. 3
ciii. 20, ... 500, t. 3
civ. 3, ... 401, t. 10
— 29, 30, . 385, t. 4, 441, t. 7
cvi. 38, . . . 573, t. 16
cx. 1, ... 246, t. 7
cxv. 3, ... 190, t. 16
— 16, ... 447, t. 6
— 17, ... 434, t. 17
cxix. 105, ... 130, t. 8
cxxxix. 7, 8, . . . 179, t. 9
cxlv. 3, ... 176, t. 5
— 15, 16, . . . 447, t. 3
cxlvi. 4, ... 431, t, 7
cxlviii. 2, . . . 500, t. 3
— 4, ... 401, t. 11

Proverbia.

viii. 22, . . . 263, t. 10
xvi. 4, . . . 312, t. 25
— 33, ... 448, t. 8
xxi. 1, . 451, t. 6, et 467, t. 18
xxviii. 14, . . 337, t. 17

Ecclesiastes.

iii. 1, 2, . . . 290, t. 7
— 18, 19, ... 434, t. 16
vii. 17, . . . 292, t. 15
— 29, ... 416, t. 10
ix. 1, 2, 337, t. 15, et 434, t. 16
xii. 7, . 426, t. 4, et 431, t. 7
— 11, ... 143, t. 27

Isaias.

v. 4, ... 192, t. 28
vi. 3, 247, t. 11, et 491, t. 9, et 500, t. 3, 4
vii. 14, ... 253, t. 5
viii. 20, . . . 125, t. 18
ix. 1, ... 137, t. 13
— 6, ... 100, t. 16
— . . . . 253, t. 5
x. 5, 6, 7, . . . 468, t. 20
xxix. 13, . . . 125, t. 18
xxxiv. 16, . . . 89, t. 8
xxxviii. 5, . . . 292, t. 13
xliv. 24, ... 387, t. 3
— 25, . . . 404, t. 5
xlv. 7, ... 385, t. 4
— 12, . . . 387, t. 3
xlviii. 18, . . . 207, t. 17
lxi. 1, 2, 3, . . . 247, t. 10
lxiii. 7–14, . . . 247, t. 9

Jeremias.

iv. 10, . . . 472, t. 30
vii. 29, ... 465, t. 12
x. 11, 12, . . . 388, t. 4
xvii. 9, 10, .190, t. 15, et 490, t. 5
xviii. 7, . . . 186, t. 12
— 10, ... 283, t. 9
xx. 7, ... 472, t. 30
xxiii. 5, 6, . . . 253, t. 5
— 6, . . . 100, t. 16
— 24, ... 179, t. 9
xxxi. 29, . . . 565, t. 27
— 33, . . . 335, t. 10
— 34. . . . 56, t. 9
— 35, ... 518, t. 3
xxxii. 23, . . . 616, t. 37
xxxiii. 16, . . . 168, t. 16

Ezechiel.

i. 15, 16, . . . 440, t. 5
ii. 10, ... 136, t. 9
iii. 6, ... 196, t. 16
xiv. 9, ... 472, t. 30
xviii. 20, 540, t. 7, et 564, t. 27
— 23, . . . 207, t. 18
— 31, . . . 612, t. 21
xx. 25, . . . 472, t. 32
xxi. 21–24, . . . 467, t. 18
xxxiii. 11, . . . 363, t. 33
xxxvi. 26, . . . 609, t. 14
xxxvii. 1, . . . 137, t. 13
xlviii. 35, . . . 168, t. 13

Daniel.

i. 17, . . . 406, t. 17
ii. 28, . . . 404, t. 6
x. 5, 6, . . . 499, t. 9
— 13, . . . 501, t. 8
xii. 1, . . . 499, t. 9
— 4, . . . 131, t. 16

www.libtool.com.cn
Digitized by Google

Hoseas.

i. 2, . . 66, t. 27
— 7, . . 245, t. 7
vi. 7, . . 519, t. 8
xii. 4, . . 509, t. 22

Jonas.

iii. 5, . . 619, t. 8
— 10, . . 470, t. 26
iv. 11, . . 573, t. 16

Michæas.

v. 2, . . 265, t. 13

Habac.

i. 13, . 214, t. 11, et 539, t. 4

Haggæus.

ii. 11, . . 144, t. 28

Zacharias.

i. 12, . . 504, t. 9
ii. 3, . . 491, t. 9
iii. 2, . . 499, t. 9
ix. 9, . . 100, t. 18
xii. 1, . . 426, t. 5

Malachias.

i. 2, 3, . 339, t. 3, et 343, t. 19
ii. 7, . . 144, t. 28
iii. 1, . . 253, t. 5
— 6, . . 185, t. 3
iv. 5, . . 530, t. 9 et 11

Syracides.

x. 12, . . 548, t. 13
xv. 14, . . 615, t. 35
xviii. 1, . . 397, t. 3
xliv. 16, . . 529, t. 8

Tobias.

xii. 15, . . 506, t. 12

NOVI TESTAMENTI.

Matthæus.

i. 12, . . 71, t. 17
— 13, . . 72, t. 18
— 16, . . 70, t. 14
— 20, . . 494, t. 2
ii. 2, . . 405, t. 13
— 23, . . 89, t. 11
iii. 16, . 239, t. 7, et 271, t. 8
— 17, . 266, t. 14, et 269, t. 28
iv. 10, . . 507, t. 17
v. 18, . . 88, t. 4
— 22, 23, . . 542, t. 17
vi. 13, . 101, t. 22, et 472, t. 29
vii. 6, . . 134, t. 8
x. 28, . 290, t. 8, et 431, t. 7
— 29, . . 447, t. 4
xi. 13, . . 92, t. 12
— 14, . . 530, t. 9
— 25, . . 344, t. 20
xii. 31, 584, t. 1, 2, et 587, t. 13
— 36, . . 541, t. 10
xiii. 12, . . 13, t. 12
— 20, . . 586, t. 8
xv. 4, 9, . . 125, t. 18
xvi. 16, . . 265, t. 14
xvii. 11, . . 530 t. 9
xviii. 17, . . 144, t. 30
— 10, . . 502, t. 13
xix. 4, 5, . . 409, t. 5
— 17, . 172, t. 4, 260, t. 39
— 28, . . 140, t. 8
xxii. 32, . . 430, t. 6
xxiii. 2, . . 144, t. 29
— 8, . . 57, t. 12
— 37, . . 206, t. 12
xxiv. 24, . . 328, t. 9
— 29, . . 406, t. 15
xxv. 41, . 489, t. 9, et 496, t. 2
xxvii. 9, . . 75, t. 28
xxviii. 18, . . 226, t. 3
— 19, . 240, t. 8, et 271, t. 7

Marcus.

i. 1, . . . 93, t. 21
iii. 29, . . . 587, t. 13
xiii. 32, . . 256, t. 18

Lucas.

i. 37, . . . 223, t. 16
— 35, . . . 269, t. 27

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

ii. 13, 14, ... 500, t. 3
iii. 36, ... 69, t. 12
iv. 30, ... 34, t. 10
vi. 32, 33, . . . 614, t. 27
— 41, ... 543, t. 18
vii. 30, . . . 285, t. 12
x. 18, ... 305, t. 20
— 20, ... 330, t. 13
xii. 7, ... 447, t. 4
— 47, ... 583, t. 7
— 49, ... 505, t. 11
— 54, 55, ... 406, t. 14
xv. 10, ... 489, t. 2
xvi. 29, . . 90, t. 5, et 140, t. 8
xix. 40, ... 196, t. 16
xx. 35, ... 423 t. 8
xxiii. 43, ... 531, t. 13
xxiv. 39, ... 33, t. 6
— 45, . . . 131, t. 14

JOANNES.

i. 1, . . . 253, t. 7, et 255, t. 14
— 3, . . . 257, t. 22, et 389, t. 8
— 14, 18, . . . 266, t. 15
iii. 5, ... 572, t. 11
— 13, ... 256, t. 16
— 16, . . . 360, t. 29, 30
— 36, ... 349, t. 10
v. 17, 258, t. 28, et 428, t. 11, et 440, t. 5
— 26, ... 256, t. 20
— 39, . . 91, t. 9, et 132, t. 18
vi. 70, . . . 333, t. 24
vii. 39, ... 275, t. 22
viii. 34, . . . 607, t. 9
— 44, ... 545, t. 5
— 47, . . . 344, t. 21
— 58, ... 255, t. 15
ix. 3, . . . 573, t. 18
x. 30, ... 259, t. 29
— 36, ... 269, t. 28
xi. 11, ... 435, t. 24
— 41, ... 257, t. 23
— 50, ... 467, t. 18
xiii. 2, 27, 467, t. 17, et 493, t. 4
xv. 19, ... 308, t. 15
— 26, . . . 241, t. 12
xvi. 12, ... 126, t. 24
— 13, ... 271, t. 6
— 18, . . . 132, t. 19
xvii. 12, . . . 333, t. 24
— 3, 21, t. 9, et 235, t. 7, et 243, t. 25
— 5, ... 255, t. 15
— 21, ... 241, t. 10
xx. 30, . . . 126, t. 21

ACTA.

ii. 3, . . . 271, t. 8
— 36, ... 259, t. 31
iii. 12, ... 389 t. 7
iv. 28, ... 469, t. 22
v. 3, ... 271, t. 9
vii. 4, ... 75, t. 29
vii. 14, ... 76, t. 30
— 16, . . . 77, t. 31
— 22, ... 406, t. 17
x. 34, 35, . . . 362, t. 32
— 31, ... 615, t. 30
xii. 15, . . . 503, t. 14
xiii. 33, ... 262, t. 8
— 48, ... 321, t. 13
xiv. 16, 17, . . . 359, t. 24
— 17, ... 11, t. 6
xv. 9, . . . 618, t. 4
— 18, . 189, t. 12, et 282, t. 3
xvii. 26, . 290, t. 7, 408, t. 3
— 26, 27, 359, t. 24, et I62, t. 7
— 23, 24, . 8, t. 6, et 618, t. 5
— 28, . 449, t. 2, et 451, t. 7
xix. 3, ... 240, t. 8
xx. 27, ... 351, t. 6
— 28, ... 254, t. 10
xxiii. 8, . . . 485, t. 4

EPISTOLA AD ROMANOS.

i. 4, . . . 263, t. 8
— 21, 22, . . . 42, t. 9
— 24, 25, 26, 466, t. 16, et 590, t. 5
— 19, 20, 8, t. 6, et 12, t. 8, et 54, t. 5
ii. 4, ... 13, t. 13
— 14, 15, 8, t. 5, et 14, t. 14, 16, et 161, t. 6, et 614, t. 28
— 16, . . . 349, t. 8
iii. 8, ... 473, t. 34
iv. 4. . . . . 521, t. 16
— 18, 19 . . . 336, t. 13
v. 12, 411, t. 17, et 558, t. 16, et 572, t. 13
vi. 23, . 423, t. 5, et 540, t. 7
vii. 14, ... 618, t. 4
viii. 1, ... 578, t. 23
— 6, . . . 577, t. 18
— 29, 268, t. 20, et 298, t. 8, 317, t. 17, et 320, t. 11, et 324, t. 27, et 329, t. 10
— 34, 35, . . . 504, t. 3
— 38, ... 336, t. 13
ix. 3, . . . 331, t. 19
— 5, ... 254, t. 9
— 11, 12, 573, t. 16, et 339, t. 3
— 17, ... 312, t. 27
— 18, ... 343, t. 17
— 21, 22, . . 309, t. 17, et 19
x. 4, ... 93, t. 19
— 11, 12, . . . 362, t. 32
— 17, ... 85, t. 22
xi. 23, . . . 333, t. 25
— 22, . . 329, t. 12, 298, t. 8
— 29, ... 327, t. 6
— 7, ... 329, t. 12
— 36, ... 174, t. 7

Digitized by Google

xii. 1, ... 24, t. 8
xiv. 1, ... 45, t. 6
— 23, ... 618, t. 4
xv. 4, ... 91, t. 7

www.libtool.com.cn

1 Ad Corinth.

ii. 12, . . . 336, t. 12
— 15, . 29, t. 14, et 31, t. 5
— 8, . . 589, t. 19
— 9, . . 325, t. 34
— 10, . . 273, t. 13
iii. 9, . . 615, t. 32
— 11, . . 44, t. 4, 45, t. 6
— 13, . . 542, t. 15
— 16, . . 272, t. 12
iv. 6, . . 125, t. 18
— 7, . . 611, t. 20
v. 5, . . 467, t. 16
vi. 13, . . . 424, t. 8
— 17, . . 241, t. 10
vii. 12, . . . 65, t. 25
— 14, . . . 574 t. 20
— 37, . . 598, t. 2
viii. 5, 6, . . 260, t. 38
ix. 9, . . . 447, t. 5
— 27, . . 331, t. 17
— 24, . . . 177, t. 10
x. 2, . . . 240, t. 8
— 31, . . 618, t. 4
xi. 7, . . . 414, t. 2
— 10, . . . 503, t. 15
— 30, . . . 435, t. 24
xii. 4, 5, . 272, t. 11, et 242, t. 13
— 11, . . . 270, t. 4
xiii. 1, . . . 491, t. 9
— 14, . . 132, t. 17
xv. 10, . . . 615, t. 33
— 22, . 363, t. 32, et 560, t. 18
— 44, 45, 408, t. 3, 4, et 424, t. 11
— 45, 46, . . . 527, t. 16
— 47, . . . 101, t. 21
— 50, . . . 528, t. 17
xvi. 15, . . . 321, t. 13

II. Ad Corinth.

iii. 3, . . . 610, t. 14
— 6, 7, . . . 473, t. 32
iv. 4, . . . 467, t. 16
— 3, . . . 130, t. 10
v. 14, . . . 565, t. 28
— 19, 20, . . 362, t. 30
x. 4, . . . 36, t. 11
— 5, . . . 29, t. 15
xi. 3, . . . 547, t. 8
xiii. 14, . . . 241, t. 11

Ad Galatas.

i. 8, ... 124, t. 15
ii. 12, . . . 65, t. 24
iii. 10, . . . 541, t. 8
vi. 16, . . . 87, t. 2

Ad Ephesios.

i. 4, . 304, t. 16, et 316, t. 10, et 320, t. 12
— 10, . . . 309, t. 16
— 21, 22, . . 303, t. 12
ii. 1, . . . 608, t. 11
— 2, . . 493, t. 4
— 3, . . . 572, t. 12
— 8, . . 617, t. 40
— 12, . . 162, t. 12, et 619, t. 10
— 20, . 82, t. 10, et 91, t. 6
iii. 10, . . . 489, t. 2
iv. 30, . . 335, t. 11
v. 4, 5, . . 543, t. 19
— 8, . . 610, t. 15
— 14, . . . 612, t. 21

Ad Philipp.

ii. 6, . . . 254, t. 11
— 12, . . 337, t. 17
iii. 12, . . . 177, t. 10
— 15, . . 45, t. 6
iv. 3, 4, . . 329, t. 13

Ad Coloss.

i. 15, . 260, t. 37, et 266, t. 17, et
268, t. 20, et 414, t. 2, 4
—16, 17, . 486, t. 6, et 498, t. 8
— 18, . . . 267, t. 20
— 20, . . 304, t. 15
— 28, . . . 370, t. 47
ii. 8, . . 42, t. 8
— 9. . . . 256, t. 20
iii. 10, . 414, t. 2, et 416, t. 11
— 11, . . . 363, t. 32
iv. 16, . . . 89, t. 9

I. Ad Thessal.

iv. 13, . . . 435, t. 24
— 16, . . 499, t. 10
v. 9, . . 316, t. 10, et. 355, t. 14

II. Ad Thess.

ii. 9, 11, . . 467, t. 16
— 11, . . 590, t. 5
— 15, . . . 126, t. 25
— 13, . . 321, t. 15

I. Ad Timoth.

i. 6, . . . 38, t. 23
— 13, . . 582, t. 5
— 20, . . . 467, t. 16
ii. 4, . . 363, t. 34

Digitized by Google

ii. 5, ... 504, t. 4
— 14, . . . 547, t. 8
iii. 6, ... 545, t. 6
— 15, . . . 85, t. 25
v. 21, ... 301, t. 2
— 6, . . . 608, t. 11
vi. 3, ... 233, t. 23
— 16, . . . 422, t. 2
— 20, . . 126, t. 23, et 234, t. 24

II. Ad Timoth.

i. 9, ... 316, t. 12
— 13, . . . 233, t. 22
ii. 19, . . 299, t. 8, et 327, t. 7
— 21, . . . 326, t. 36
iii. 15, 16, . . 123, t. 13, 14

Ad Titum.

i. 1, ... 321, t. 14
ii. 11, 12, . . . 363, t. 32
— 13, ... 254, t. 9
iii. 4, . . . 367, t. 40

Ad Hebræos.

i. 3, . . 266, t. 17, et 449, t. 2
— 2, . 168, t. 18, et 259, t. 31
— 6, ... 268, t. 20
— 14, . . . 501, t. 8
ii. 4, . . . , 274, t. 19
iii. 3, 4, . . . 257, t. 24
iv. 13, ... 189, t. 13
vi. 1, 2, . . . 44, t. 4
— 4. 5, . . . 588, t. 18
— 6, . . . 587, t. 15
vii. 9, . . 429, t. 16, et 564, t. 25
viii. 13, . . . 92, t. 14
— 6, ... 527, t. 13
ix. 7, . . . 582, t. 5
x. 1, ... 92, t. 15
— 26, ... 583, t. 7, et 11
— 29, . . . 586, t. 10
xi. 3, . . . 386, t. 8
— 17, . . . , 266, t. 15
— 6, . 15, t. 20, et 324, t. 25, 26
— 31, ... 615, t. 30
xii. 9. . . . 427, t. 6
— 23, ... 329, t. 13
xiii. 2, . . . 167, t. 10
— 17, ... 149, t. 14

Jacobi.

i. 13, . 462, t. 4, et 471, t. 29
— 14, ... 537, t. 6
— 15, . 542, t. 14, et 578, t. 22
— 17, ... 185, t. 3
ii. 5, . . . 324, t. 28
— 10, ... 541, t. 9
iii. 9, . . . 553, t. 3

I. Petri.

i. 8, ... 336, t. 14
— 12, . . . 489, t. 3
— 17, ... 337, t. 17
ii. 7, . . . 339, t. 1
— 8, . . 344, t. 21, et 355, t. 14
iii. 19, . . . 432, t. 9
— 22, . . . 303, t. 12
iv. 19, . . . 427, t. 6

II. Petri.

i. 4, . 172, t. 5, et 414, t. 4
— 10, ... 331, t. 16
— 19, . . . 91, t. 5
— 20, ... 39, t. 30
— 21, . . . 144 t. 33
ii. 4, ... 305, t. 20
iii. 9, . . . 367, t. 39
— 15, ... 131, t. 15

I. Johan.

ii. 1, 2, . . . 504, t. 3
— 2, . . . 361, t. 30
— 27, ... 56, t. 9
— 23, . . . 235, t. 8
iii. 4, . . . 535, t. 3, 4, 5
— 8, . . . 544, t. 2
v. 6, ... 83, t. 13
— 7, . . . 240, t. 9
— 16, 17, . 542, t. 16, et 587, t. 13
— 20, . . 235, t. 7, et 254, t. 8

Jud.

6, . . 545, t. 5, et *ib.* t. 8
9, ... 499, t. 9
14, . . . 89, t. 10

Apocalypsis.

i. 4, . 273, t. 15, et 509, t. 23
ii. 7, 523, t. 3, 4, 6, et 531, t. 13
— 17, . . . 335, t. 10
iii. 14, ... 260, t. 37
— 20, . . . 615, t. 34
v. 1, . . , 131, t. 16, et 136, t. 9
vi. 11, . . . 432, t. 9
viii. 3. . . . 505, t. 11
xi. 3, . . . 530, t, 10
xii. 9, 10, . . 305, t. 20
— 7, ... 499, t. 9
xiii. 8, . . . 329, t. 13
xiv. 13, . . . 425, t. 12
— 18, . . . 501, t. 6
xvi. 5, . . . *ib.*
xix. 10, . . . 507, t. 16
xx. 10, 14, . . 305, t. 21
xxii. 2, . . . 524, t. 6
— 19, . . . 332, t. 20

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

1.31 £ per vol.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

1.31£ per vol.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

1.31£ per vol.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

1.31£ per vol.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

1.31£ per vol.

www.libtool.com.cn

Digitized by Google

www.libtool.com.cn

Digitized by Google